
37
46
1

THEOLOGIA
HISTORICO-MYSTICA
ADVERSUS VETERES ET NOVOS
PSEUDO-MYSTICOS
Quorum Historia texitur, & errores confutantur.

AUCTORE

NICOLAO TERZAGO


EPISCOPO NARNIENSI.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI

JOSEPHO MARIÆ CASTELLI

S. R. E. Cardinali Amplissimo, Congregationis de Propaganda Fide Præfecto Vigilantissimo &c. &c. &c.

NUNCUPATA.



VENETIIS

TYPIS SIMONIS OCCHI

SUPERIORUM PERMISSU, ET PRIVILEGIO.

MDCCLXIV.





EMINENTISSIME

PRINCEPS



Uod unum in ſumma ſenectute & infirma corporis valetudine Nicolaus Terzagus Epiſcopus Narniæ Patruus meus, Tibique, EMINENTISSIME PRINCEPS, *veteri familiaritate conjunctus, ita cupere viſus eſt, ut eo divinitus impetrato nihil foret, quod ſibi in hujus vitæ curriculo ſupereſſet exoptandum : illud profecto fuit, hoc ſui ingenii*

monumentum commendatum literis, hoc opus otii, cui perficiendo multum operæ ac laboris a juventute insumpserat, in lucem ederetur, atque inter doctissimorum, eorumdemque probissimorum hominum manus versaretur. Postquam enim breves illas quidem, sed Ecclesiæ suæ Sacerdotibus, ad sanctum Pœnitentiæ Sacramentum administrandum destinatis, institutiones peraccommodatas evulgavit, atque a pluribus aliis Episcopis, iisque magna ex parte S. R. E. Cardinalibus adeo probari sensit, ut illas iterum ac sæpius mandari typis oportuerit, quo singulis easdem avide expetentibus fieret satis: rem inchoatam, at absolutam non plane se fecisse arbitratus est, nisi hanc pariter in adspectum proferret, antequam e vivis excederet, Mysticam Theologiam. Nam etsi regularum illarum ac præceptionum ope per sacros ministros factum iri divina adspirante gratia judicasset, ut miseri homines expiati a criminibus, a mortis æternæ faucibus eriperentur: his tamen Commentariis futurum non speravit modo, sed sibi etiam penitus persuasit, mortalibus ad Deum optimum maximum (in quo summa virtutis est) propius contemplandum atque amandum unice viam aperiri proximam & quasi compendiariam; qua commonstrata, manifesto fraudes deprehenderentur, quibus vaferrimi scelestissimique homines, malorum dæmonum satellites & administri, incautos infandum in morem circumvenire conati sunt. Atque hanc ipsis de rebus Patrui voluntatem, atque judicium sapientissimorum hominum auctoritate sæpissime comprobatum, cum ab eorum plerisque audivi, tum Tibi, EMINENTISSIME PRINCEPS, compertum exploratumque puto, qui cum pro pietate maxima illa Tua consulturus puerorum expositorum commodis, & eorumdem utilitati salutique prospecturus, in hac civitate frequens commorareris, multas horas cum eo colloquebaris. Quanti vero id de quo agitur, faciendum sit, ne judicare audeam ullo modo, cum adolescentis adhuc ætatis meæ pudor monet, tum vix degustata primoribus labris bonarum artium studia, quæ a sublimissimis illis suscipiendis ac intelligendis veritatibus prohibent atque impediunt. Hoc autem libenter commemorabo, me omnia secundum Deum Patruo debere amantissimo, qui nullum officii, nullum assiduitatis ac diligentiæ genus omisit, quominus longe tutissimam ingrederer viam, in eaque multum progrederer. Moriturus itaque brevi, immo jam pene moriens, mihi misere flenti, quoniam omnibus fortunæ bonis a sua illa perpetuaque in pauperes misericor-

dia

dia sese spoliatum videbat, hunc mihi libellum tamquam avitam hereditatem tradidit, seu argumentum potius indiciumque amoris supremum erga me sui. Tum vehementer hortatus est, ne quid prætermitterem, quantum eniti possem, ut ille demum publici juris fieret, & viri alicujus Principis auctoritate ornaretur, & contra adversantes, si qui existerent, præsidio communiretur. Res eo deducta est, ut perillustris ac honestissimi Typographi opera literarum formulæ, quibus volumen ipsum fideliter imprimatur, promptæ jam ac paratæ sint. De altero non diu multumque mihi deliberandum, quo nimirum nomine inscriptum in lucem atque in manus hominum sit proditurum. Nam statim ac quid statuerem, a me quæsitum est, Eminentiss. JOSEPHO MARIÆ CASTELLIO nihil visum est benevolentius, nihil sapientius, nobilius nihil, nihil excellentius aut omnino mihi esse, aut esse posse. Occurrit quippe cogitanti mihi, & maximam affert voluptatem humanitas illa singularis Tua, & incredibilis ac prope divina virtus, qua me Tibi supplicem, ac extincto consanguineo Antistite omnibus fere necessariis meis orbatum amplexus, bono animo esse jussisti, & in clientelam fidemque Tuam liberalissime recepisti. Quamobrem nisi, ut hæc primum occasio data est, grati animi voluntatisque erga TE meæ studium testatum faciam, ne hominem quidem me, nedum censeam aliqua humanitate instructum atque expolitum. Missis igitur vetustissimi generis tui amplitudine ac fama, qua tot præclare gesta Majorum longe lateque diffusa cunctis admirationi sunt & exemplo; missis Magistratibus sancte prudenterque administratis, (a) *quibus tamquam gradibus in summum Christianæ Reipublicæ Cardinalium Collegium, nihil hujusmodi petens, aliud omnino cogitans, a Sanctissimo providentissimoque Pontifice Clemente XIII. communi proborum hominum plausu fuisti cooptatus; missis denique vigiliis, laboribus, constantia, quibus dominam omnium & reginam virtutum, quemadmodum Cicero ait, justitiam colis quamreligiosissime, ipsamque assidue exerces (hæc enim cunctis fere gentibus notiora sunt, quam ut ego prædicem) redeo ad ea, que me maxime permovent: ad consuetudinem nempe, qua Tecum mihi paterno sanguine*

con-

(a) *Munere Commendatoris S. Spiritus, Examinatoris Episcoporum, aliisque Romæ egregie perfunctus est. In his partes omnino implevit Præsulis vigilantissimi, summumque Pontificem in se convertit splendore virtutum, a quo in sacrum Cardinalium Ordinem adscriptus, Congregationibus Sacræ Inquisitionis, & de propaganda Fide præficitur, ubi miro ardore Catholicæ religioni custodiendæ propagandæque sedulam navat operam.*

conjunctissimus Nicolaus Terzagus, Narniesis olim Episcopus, devinciebatur, quaque toties magnopere delectatus est, in primisque beatum se existimavit, quoties TE affari, TE suspicere, Tibique benevolentiam atque observantiam erga TE suam propter plurimas & summas virtutes Tuas, morum integritatem, atque sapientiam sibi licuit non significare solum, sed etiam declarare : tum vero ad comitatem humanitatemque, qua me & jacentem erexisti, & mihi ad bene de rebus omnibus meis sperandum quasi signum aliquod sustulisti. Quorum utrumque postulare videtur, ut obsecrem TE atque obtester plurimum, uti munus hoc, qualecumque illud sit, quasi testamento mihi relictum ab optime merito de me propinquo praeclarissimo viro, & peramanter benigneque excipias, & nomine commendari sinas Tuo. Deinde, si me sedulum ejusdem Praesulis sapientissimi, quem nomine quidem refero, reipsa imitatorem; si gratum; si beneficiorum futurum memorem judicas : quam in me tuendo curam diligentiamque semel professus es, eam ut innata illa Tua penitusque Tibi insita benefaciendi vi augeas, pro meo in TE cultu majorem in modum abs TE petam atque contendam.

Humillimus & Obsequentiss. Servus
NICOLAUS TERZAGUS.

APPRO

APPROBATIO.

ILlustriss., & Reverendiss. D. D. Narniensis Episcopi Nicolai Terzago eruditissimum Opus inscriptum, *Theologia Historico-Mystica adversus veteres, & recentiores Pseudo-Mysticos* mandante Reverendiss. P. F. Augustino Orsi Sacri Apostolici Palatii Magistro, accurate perlegi; nihilque in eo bonis moribus, Catholicæ fidei, sanæque doctrinæ adversum offendi, sed omnia ad morum sanctitatem, fidei puritatem, & sanioris doctrinæ probitatem adeo composita & comparata perspexi, ut piissimus atque sapientissimus Auctor veluti *Scriba doctus, similis Patrifamilias, qui profert de thesauro suo nova & vetera*, jure & merito omnium ore sit commendandus. Quas enim & quantas ex Scripturis, ex Conciliis, ex Patribus, ex Doctoribus divinæ sapientiæ, & arcanæ Theologiæ opes profundius eruit, & accumulate depromit, ad obruendos sepeliendosque magistrorum mendacium, & pseuda-prophetarum errores, quibus spirituale ædificium Christianæ fidei, spei, caritatis, orationis, pietaris, religionis, pœnitentiæ, obedientiæ subvertere frustra conati sunt! (Si teste Apostolo, & D. Thoma interprete in Cap. 1. ad Tit. lect. 3.) *officium Prælati est sicut Pastoris: scilicet gregem pascere, & lupum arcere:* utrumque feliciter & absolute confecit perfecitque Episcopus noster, quemadmodum cuilibet legenti, & intelligenti admirari licebit, *quam potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt, arguere*. Qua de re hoc præclarissimum Opus publico juri & ntilitati tradendum censeo & exopto.

Dat. Romæ ex ædibus S. Nicolai de Præfectis IV. Idus Decembris MDCCLVI.

F. Victor Mozzachini Ord. Præd.
S. Theologiæ Professor.

OPus, cui titulus, *Theologia Historico-Mystica adversus veteres, & recentiores Pseudo-Mysticos*, ab Illustriss., & Reverendiss. D. D. Nicolao Terzago Episcopo Narniensi elucubratum, mandante Reverendiss. P. Josepho Augustino Orsi Sacri Apostolici Palatii Magistro, semel & iterum evolvi, nihilque in eo aut ab Orthodoxæ Fidei dogmatibus alienum, aut bonis moribus dissonum deprebendi; ut non immerito uti possim Paulini effaro: *Nævus in lumine non potuit inveniri*. Enimvero sapientissimus Augustor per sublimissimæ Theologiæ Mysticæ Magisterium ex limpidissimis fluentis haustum, *velut per venam laudabilem, suam servantem originem*, ut loquitur Cassiodorus, saluberrimum illibatæ doctrinæ poculum legentibus propinat, ac orationis species abstrahens, gradusque contemplationis subtili præcisione distinguens, Incipientes erudit, Proficientes illuminat, atque Perfectos inflammat: in quo sane Animæ *nihil periculi est*, teste Seraphico Bonaventura, *dum primo, Christum osculatur in pede per peccatorum recordationem; secundo, in manu per beneficiorum sibi collatorum recognitionem; tertio, ascendit ad amoris osculum, ipsum solum desiderando, & affectibus flammigeris adhærendo*. Ut scopum veritatis attingat, de thesauro sapientiæ suæ nova & vetera proferens prompte, & ex animo disserit; atque implexas difficultates, quæ primi subselli Theologis summum facessunt negotium, pari facilitate dissolvit. Et ne sint errabunda inter anfractus Ascetarum vestigia, Pseudo-Mysticorum tam veterum, quam recentiorum latebras aperit; nefarii Molinosii, ac Francisci de Fenelon Archiepiscopi Cameracensis asserta sigillatim mira claritate, ac profunda eruditione confutat; Doctores, sapientia & sanctitate percelebres, a memoratis adversariis in pravum sensum detortos, a putido commento, ad conflandam Theologiæ Mysticæ invidiam conficto, adeo nervose vindicat, atque interpretationibus ex imo dejectis, eorum inscitiam prodit, cavillationes infringit, criminationes exsuflat; ut nulla Pseudo-Mysticis vel ad impugnandum arma, vel ad rationes eludendas effugia supersint. Quare cum Nazianzeno dicere fas est: *Hoc nunc velint, nolint, demonstratum est geometricis, ut ipsi ajunt, ac necessariis demonstrationibus*. Quisquis in hoc Opere vel rationum momenta, vel argumentorum pondera serio libraverit, non novam aut peregrinam, sed avitam Ecclesiæ reperiet doctrinam; non immutatam, aut diminutam, sed ex Sacræ Scripturæ oraculis, Patrum aliorumque Doctorum auctoritatibus excerptam, novis tamen accessionibus illustratam, juxta monitum Lirinensis, qui Dogmaticum Tractatorem instituens, inquit: *Quodcumque Fide Patrum satum est, hoc idem filiorum industria decet excolatur, & observetur; hoc idem floreat, & maturescat; hoc idem proficiat, & perficiat. Sedulus depositorum dogmatum custos nihil in his umquam permutat, nihil minuit, non amputat necessaria, non apponit superflua; sed omni industria hoc unum studet, ut vetera fideliter sapienterque tractando, si qua illa sunt informata & inchoata, effingat, & poliat; si qua jam expressa, & enucleata, consolidet, & firmet; si qua jam confirmata & definita, custodiat*.

Opus igitur hoc communi litterariæ Reipublicæ plausu excipiendum, Animarum directioni, publicæque studiorum utilitati valde proficuum, & debita commendatione & perennitate fruiturum, prælo dignum existimo.

Romæ ex Coll. PP. Carmelitar. Excalc. S. Mariæ de Victoria XII. Cal. Januarii MDCCLVI.

Fr. Theodorus a Spiritu Sancto, Carm. Excalc. Promovendor.
ad Episcopat. & Cleri Romani Examinator.

I N-

INDEX

Dissertationum, & Paragraphorum, qui in hoc Volumine continentur.

DIS-

§. IX.

OCCA-

OCCASIO SCRIBENDI, UTILITAS, ET NECESSITAS.

PRofligatis in Concilio Tridentino Martini Lutheri, & Joannis Calvini, aliorumque Sectariorum hæresibus, & erroribus, aliqui viri Catholici novos suscitare errores falsaque dogmata non defuere. Hinc Summi Pontifices, & præcipue S. Pius V. novem super septuaginta ex doctrina Michaelis Baij, Doctoris Lovaniensis, & Innoc. X. quinque Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis Propositiones proscripserunt. Inde Alexander VII. Propositiones quinque depromptas ex libro Jansenii iterum execratus est; & aliorum Auctorum quinque, & quadraginta Propositiones damnavit: & Innocentius XI. moralem Christianorum disciplinam rexit quinque & sexaginta Propositionibus damnatis; qui pariter Michaelis de *Molinos* Hispani Presbyteri simulatoris turpissimi errores, & scripta anathemate confixit. Præterea Alexander VIII. tamquam surculum Jansenismi unam & triginta, Innocentius XII. tres supra viginti Archiepiscopi Cameracensis, ac demum Clemens XI. unam supra centum Paschalis Quesnelli Presbyteri Oratorii Gallicani condemnarunt. At licet gravissimi Doctores ac Theologi, qui fere omnibus supradictis damnatis Propositionibus bellum implacabile indixerint, non defuere; attamen neminem reperio, qui distincte & sigillatim proscriptas Propositiones Michaelis de *Molinos*, & Archiepiscopi Cameracensis explicaverit, confutaverit, ac rejecerit: quod ipsas refellendi mihi occasionem præbuit. Utilissimum quoque duxi adversus Propositiones Michaelis de *Molinos*, necnon Archiepiscopi Cameracensis calamum acuere, & aliquas valde obscuras explanare, ut velut detecto vulnere improba sanies erumpat. Antequam enim venenum Molinosticum detectum fuerit, nonnulli docti ac pii homines in hos iocaute errores impegerunt: quod patet de Epistola Ven. P. Joannis Falconi, & de Archiepiscopo Hispalensi de Palafox. Accessit ad hæc necessitas. Quædam enim Monialis in quodam hujus non parvæ meæ Diœceseos Monasterio elevata a Deo ad contemplationem infusam, cum incidisset in Confessarium, de quibus S. Theresia in Via perfectionis cap. 4. loquitur; facillime in damnatos errores incurrisset, nisi ego sollicite advertissem, & præcautus, amoto Confessario, alium doctum ac pium destinassem. Alii quoque, non me latet, pii viri, cum doctrina destituti essent, in Molinosticos scopulos impegerunt: unde carceres & vincula passi sunt. Hinc cum nemo ad has profligandas Propositiones calamo usus fit, occasionem sumpsi, ac utilissimum necessariumque putavi pro animarum salute hoc Opus edere.

DIS-



DISSERTATIO I.

HISTORICA.

De erroribus, qui circa Orationem, & divinam Contemplationem a primis Ecclesiæ sæculis usque ad Molinosium insurrexerunt.

CUM instituti nostri ratio postulet, Orationis, divinæque Contemplationis rudimenta juxta Patrum, & Theologorum doctrinam exponere, atque veterum, ac recentiorum Pseudo-Mysticorum prava dogmata, perversasque opiniones confutare, operæ pretium duximus in hujus Theologiæ Historico-Mysticæ limine errores ejusmodi a primis Christi sæculis usque ad Molinosium velut zizania in agro Ecclesiæ militantis exortos recensere, quos subinde auctos, innovatos, ac longe lateque diffusos videbimus.

§. I.

Errores Messalianorum, Beguardorum, & Beguinarum.

SI causa requiratur, unde errores in methodo orationis, & divinæ contemplationis servanda prodierint, qui tantopere Christi Ecclesiam exagitarent, non aliam extitisse deprehendes ex Angelico, quam divinarum Scripturarum ignorantiam: *Errores in contemplatione divinorum* (inquit S. Doctor 2. 2. q. 180. art. 1.) *frequenter accidunt his, qui Scripturas ignorant: unde Gregorius in 6. Moralium dicit, quod nonnulli, dum plus exquirunt contemplando, quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt, & dum veritatis esse discipuli humiliter negligunt, magistri errorum fiunt*. Non discrepat ab Angelico Dionysius Carthusianus de Font. luc. art. 9. *Sic itaque*, ait, *contemplari conemur, ut a veritate Scripturæ, & a doctrina Ecclesiæ nullatenus discedamus; quod non observantes Hæresiarchæ pravissime erraverunt, & alios in errores miserunt*.

Primi, qui neglecta Sacrarum Scripturarum notitia laborum contra orationem & contemplationem erexerunt, fuere Messaliani, qui sæculo IV. tempore Constantiis Imperatoris in Mesopotamia sequentes errores promulgarunt, ut habetur ex Binio tom. II. p. 1. & ex Ludovico Bayl tom. I. pag. 95.

1. *Semper esse orandum, unde etiam Euchytæ, seu precatores dicti sunt*.

2. *Nullum apud ipsos erat jejunium, nullum observabant preceptum, sed solam orationem ad salutem sufficere existimabant*.

3. *Commenti sunt etiam se per juge orationis exercitium capaces esse Sanctissimam Trinitatem oculis corporeis videndi*.

4. *Visionibus, ac præsumptis quibusdam rerum futurarum revelationibus eo insaniæ proruperunt, ut non tantum dicerent, se esse perfectos, sed vel Angelum, vel Prophetam, immo se Christum esse jactarent; reliquos autem indignos esse Christiano nomine. Sed & repente saltabant, ac saltu isto substratum putabant saltantium pedibus dæmonem, ac conteri affirmabant, digitisque sagittantium speciem repræsentantes, se in dæmonem jaculari vociferabantur; ob hæc omnia Entusiastæ appellati sunt, id est, afflati seu divini*.

5. *Permixti viri cum mulieribus, & mulieres cum viris in eodem loco dormiebant in vicis, & plateis æstivo tempore, eo quod non haberent possessiones, ut dicebant, in terra, ut docet S. Epiphanius hæres. 80.*

Demum, ut alia erronea omittamus, solebant saccis induti incedere, unde & Saccopheri appellati sunt. Et ita vocantur in Cod. Theodos. lib. 4. c. 11. hæretic. fabular.

Messalianorum putida commenta damnavit Concilium Ephesinum Generale III. celebratum anno CCCCXXX. sub S. Cælestino I.

Novem circiter evolutis sæculis a damnatis erroribus Messalianorum, prodierunt Beguinæ & Beguardi. Unde hoc nomen acceperint, dubium est apud Scriptores; commune tamen, certum est, obtinuisse cum Fraticellis, qui ex S. Francisci Ordinis scissura, vel ex Segarelli & Dulcini Schola eruperunt, sub ficta sanctitatis imagine enormia scelera perpetrantes in variis Europæ regionibus. Eorum errores damnavit Clemens V. in Concilio Viennensi Generali XV. celebrato anno MCCCXI. in Clementina *Ad nostrum*, de Hæreticis, ubi potissimum octo recensentur his verbis.

1. *Eorum error fuit, quod homo in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod reddatur penitus impeccabilis, & quod amplius in gratia proficere non valebit. Nam, ut dicebant, si quis semper posset proficere, posset aliquis Christo perfectior inveniri*.

2. *Quod jejunare non oportet hominem, nec orare, postquam gradum perfectionis hujusmodi fuerit assecutus: quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui & rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere quidquid placet*.

3. *Quod illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur: quia, ut asserebant, ubi spiritus Domini, ibi libertas*.

4. *Quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata*.

5. *Quod qualibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum, & eo beate fruendum*.

6. *Quod se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a se virtutes*.

7. *Quod mulieris osculum (cum ad hoc natura non inclinet) est mortale peccatum. Actus autem carnalis (cum ad hoc natura inclinet) peccatum non est, maxime cum tentatur exercens*.

8. *Quod in elevatione Corporis Christi non debebant assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes, quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate, & altitudine suæ contemplationis tantum descenderet, quod circa Mysterium, seu Sacramentum Eucharistiæ, circa Passionem Humanitatis Christi aliqua cogitarent.* Addit Clemens ibidem, nonnulla etiam alia sub simulata quadam sanctitatis specie ipsos dicere, facere, & perpetrare, quæ oculos divinæ Majestatis offendunt.

De eorum damnatione habita in laudato Concilio ita loquitur Henricus Stero, seu potius qui appendicem ad ejus Annales adjecit apud Raynaldum num. 17. *Hic Papa Sectam Beguardorum, & Begardarum Hæreticorum utriusque sexus reprobavit, qui Alemaniam per plures Provincias perversis dogmatibus suis infecerant, Dixerunt enim inter cætera, hominem eundo de virtute in virtutem perfectiorem Christo posse fieri, & impeccabilem: negavere etiam, se subesse Prælatis, & Summo Pontifici.*

Errorum Beguinarum Magisterium, seu promulgatio tribuitur Margaritæ Porrete mulieri ex Hannonia oriundæ, quæ librum elucubraverat, ubi inter cætera deliria docuerat, *Animam in amore conditoris annihilatam sine ullo conscientiæ morsu posse, & debere naturæ indulgere, quidquid illa appetit, & desiderat.* Verum Parisiis comprehensa, atque errores revocare compulsa, ab iis minime resipiscens igni damnata est anno MCCCX. *Circa Festum Pentecostes*, inquit Continuator Guillelmi Nangii ad hunc annum, *accidit Parisiis, quod quadam Pseudo-Mulier de Hannonia, nomine Margareta, dicta Porrete, quemdam librum ediderat, in quo omnium Theologorum judicio, qui ipsum diligenter examinaverunt, multi continebantur errores, & hæreses, & inter cæteras, quod anima annihilata in amore conditoris sine reprehensione conscientiæ, vel remorsu potest, & debet naturæ, quidquid appetit & desiderat, concedere: quod manifeste sonat hæresim. Dum libellum hunc, aut in eo contentos errores abjurare nollet, quinimmo latam in se excommunicationis sententiam ab Inquisitore hæreticæ pravitatis contempserat, quia coram Episcopo sufficienter monita comparere nolebat, & per annum, vel amplius pertinaci sustinuisset animo in sua malitia finaliter indurata, tandem in communi platea Graviæ coram Clero, ac populo ad hoc specialiter evocatis, de peritorum consilio exposita est, & tradita Curiæ Sæculari; quam Parisiensis Præpositus in sua potestate statim accipiens ibidem in crastino incendio fecit extingui.*

Plurimum Clementis V. sollicitudinem commendat Legati expeditio cum exercitu in Italiam, ut Beguinas, & Beguardos extirparet, quorum plurimi in Alpibus latentes partim frigore, & fame, partim armis occisi misere perierunt. Dulcinum vero in frusta concisum, & postea in cineres redactum fuisse, narrat Platina in vita Clementis. Idem supplicium antea subiisse Gerardum Segarelli a Fratre Manfredo Ordinis Prædicatorum Inquisitore, & Episcopo Parmensi, traditum Brachio sæculari pro sententiæ executione die 28. Julii MCCC. refert S. Antoninus p. 3. Hist. tit. 21.

De iis erroribus legendus est Alvarus Pelagius Minorita, Auctor coævus, qui adversus hos Hæreticos plures scuto fidei, & gladio spiritus se decertasse testatur lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 52. ubi egregia eos confutans, tradit pestiferam illam doctrinam de spiritu libertatis a Dulcino intellexisse, *qui omnis peccati, & præcipue carnalis conscientiam extinxerunt, asserentes, nihil aliud esse Infernum, nisi non facere propriam voluntatem; nec aliud esse Paradisum, nisi facere in omnibus propriam voluntatem, & uti in omnibus propria libertate.* Quare ibidem addit hæc verba notanda. *Finis talis spiritus libertatis caro est, & non spiritus. Tempore meo in Provincia S. Francisci multi Sæculares, & Fratres Minores pro isto carnali spiritu libertatis per Inquisitores hæreticæ pravitatis incarcerati fuerunt, inter quos fuit quidam Frater noster, qui propter perfectionem, quam ostentabat, Apostolus dicebatur, qui ibi caput fuit istius erroris, qui, cum essem Novitius, & consulerem eum, credens eum virum perfectum, super quadam mea tribulatione, subridens dixit mihi: quod ipse tribulari non poterat; quod verbum non intelligens ipsum mirabilem hominem reputavi. Sed cum captus esset pro isto spiritu libertatis, intellexi verbum suum occultum: quod ideo non poterat tribulari, quia faciebat, quidquid sibi caro & sensualitas suggerebant. Servus carnis, liber a justitia, iste in carcere Fratrum mortuus fuit Florentiæ; si vere pœnitens, nescio.*

Pari studio ac Clemens V. se gessit Urbanus V. ad evellendas hujusmodi errorum reliquias. Parisiensem enim Episcopum ad eos delendos auctoritate instruxit; atque alios Archiepiscopos, & Episcopos jussit accendere. Usus quoque est Religiosis Sacri Ordinis S. Dominici; ac Simeonem ejusdem Familiæ Alumnum ea de causa in Sicilia citeriori fidei Censorem nominavit, adhibitis etiam ad id muneris in Perusino agro Minoritis. Ita narrant Ferdinandus de Castill. in Chronichon, & Lucas Waddingus in Annalibus Minorum.

Inter Beguinas a Clemente V. reprobatas recenseri non debent quædam piæ Mulieres ejusdem nuncupationis, quæ nomen & institutum acceperant a quodam Sacerdote Leodiensi, qui *Lambertus Le Begues, quia balbus erat, de S. Christophoro dicebatur, cujus cognomine Mulieres, & Puellæ, quæ caste vivere proponunt,* Beguines *gallice cognominantur.* Verba sunt Ægidii Aureæ Vallis Monachi in Episcopis Leodiensibus cap. 52. Ex quo infertur, commentitium esse nonnullorum Scriptorum assertum, eas a S. Begga Pippini Landensis filia, & S. Gertrudis Sorore, nomen & originem accepisse: cum id gratis, & ex sola nominis similitudine deprehendatur; contra vero eam institutionem Auctores coævi & suppares memorato Lamberto Le Begues adscribant apud Chapeavillam lib. 2. de Episcop. Leodien. pag. 128. Hic autem Lambertus sæculo circiter medio duodecimo floruit. Has Beguinas non fuisse in aliarum damnatione comprehensas declaravit Joannes XXII. Clementis V. Successor, ut habetur ex Petro de Herentals Canonico Præmonstratensi in ejusdem Joannis XXII. sexta Vita apud Balutium, in qua ipso initio post sermonem de Constitutione Clementis V. quæ incipit, *Ad nostrum*, sit. De Hæreticis, addit: *Quam Constitutionem moderando revocavit Joannes Papa per unam, quæ incipit, Recta ratio non patitur, ut innocentes ad paria cum nocentibus judicentur:* ubi loquitur Pontifex de Beguinis innocentibus, quarum institutum adhuc in Belgio perseverat, sicut Leodii; & mulieres, quæ illud profitentur, possunt ad nuptias transvolare. De his pariter scribit Continuator Guillalmi Nangii ad annum MCCCXVII. *Non obstante*, inquit, *condemnatione status earum processu temporis convaluisse; cum longe melius sit, eas sic esse, quam laxatis habenis in sæculi pompis, & vanitatibus evagari: inter ipsas enim sunt multæ bonæ religiosæ Personæ, & inter ipsas exercentur opera pietatis.* De his Beguinis est prolixus Tractatus Petri Coens Canonici Antuerpiensis sub titulo Disquisitionis Historicæ de origine Beghinarum anno MDCXXIX. editus.

§. II.

Ekardi Teutonici, & Berengarii de Monte Falcone.

POst damnationem Beguinarum & Beguardorum Ekardus Teutonicus Ordinis Prædicatorum pluribus editis voluminibus, quorum meminit Trithemius in suo Chronico, varias ibi hæreticales Propositiones inseruit, potissimum in Expositione Evangelii S. Joannis. Verum, cum Archiepiscopus Coloniensis suæ Diœcesis scholas pestiferæ ejusmodi doctrinæ veneno infectas animadverteret, eas omnes detulit ad Joannem XXII. ut malo imminenti occurreret. Pontifex vero, auditis Doctorum in Sacra Theologia suffragiis, ac re diligenter discussa cum S. R. E. Cardinalibus, sex supra viginti partim labem hæresis continentes, partim de hæresi suspectas, *licet cum multis expositionibus, & suppletionibus sensum Catholicum formare valerent, vel haberent*, damnavit, datis Literis Avenione sexto Calendas Aprilis MCCCXXIX. ad dictum Archiepiscopum, in suæ Diœcesis Ecclesiis promulgandis, quas refert Raynaldus ad eumdem annum, tenoris sequentis: *Dolenter referimus, quod quidam his temporibus de partibus Teutonicæ, Ekardus nomine, Doctorque, ut fertur, Sacræ Paginæ, ac Professor Ordinis Fratrum Prædicatorum, plura voluit sapere quam oportuit, & non ad sobrietatem, neque secundum mensuram fidei: quia a veritate auditum avertens, ad fabulas se convertit. Per illum enim patrem mendacii, qui se frequenter in lucis Angelum transfigurat, ut obscuram & tetram caliginem sensuum pro lumine veritatis effundat, homo iste seductus, contra lucidissimam veritatem fidei in agro Ecclesiæ spinas, & tribulos germinans, ac nocivos carduos, & venenosos paliuros producere satagens, dogmatizavit multa fidem veram in cordibus multorum obnubilantia, quæ docuit quam maxime coram vulgo simplici in suis prædicationibus, quæ etiam redegit in scriptis. Ex inquisitione quidem contra eum super his auctoritate Venerabilis Fratris Nostri Henrici Coloniensis Archiepiscopi prius facta, & tandem auctoritate nostra in Romana Curia renovata comperimus, evidenter constare per confessionem ejusdem Ekardi, quod ipse prædicavit, dogmatizavit, & scripsit viginti sex articulos.* Prosequitur Pontifex singulos recensere; at nos instituti rationem servantes, eos dumtaxat referimus, qui Historiæ præsenti texendæ congrui videbuntur, & sunt sequentes.

Septimus in ordine fuit: *Eum, qui orando singulare aliquid, ac determinatum petit, malum petere, & male: quia negationem boni, & negationem Dei petit, & orat Deum sibi negari.*

Octavus: *In illis hominibus honorari Deum, qui non intendunt res, nec honorem, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec præmium, nec regnum cælorum, sed iis omnibus renuntiaverunt.*

Nonus:

Nonus : *Ego, inquit, nuper cogitavi, utrum ego vellem aliquid recipere a Deo, vel desiderare, ego volo de hoc deliberare, quia ubi essem accipiens a Deo, essem sub eo, vel infra eum, sicut famulus, vel servus, & ipse sicut Dominus in dando, sic vero in æterna vita non erit.*

Decimus : *Nos, inquiebat, transformamur totaliter in Deum, & convertimur in eum, sicut in Sacramento Eucharistiæ panis convertitur in corpus Christi, sic ego convertor in eum, quod ipse operatur in me suum esse, suum non simile.*

Decimus quartus : *Virum probum sic debere conformare voluntatem suam voluntati divinæ, ut ipse velit, quidquid vult Deus, dicatque, quia Deus vult aliquo modo peccasse, nollem non commisisse peccata, hanc veram esse pœnitentiam addebat.*

Decimus quintus : *Si homo mille peccata mortalia commisisset, si esset recte dispositus, velle non deberet se ea non commisisse.*

Decimus sextus : *Deus non præcipit actum exteriorem.*

Decimus septimus : *Actus exterior non est proprie bonus, nec Deus proprie ipsum operatur.*

Decimus octavus : *Afferamus, ajebat, fructum actuum non exteriorum, qui nos bonos non faciunt, sed actuum interiorum, quos Pater in nobis manens facit, & operatur.*

Decimus nonus : *Deus animas amat, non opus externum.*

Quas tamen Propositiones Ekardus facti, & doctrinæ suæ veræ pœnitens prope moriturus revocavit, immo & fidem Catholicam sincere professus, nedum supradictas Propositiones, sed alia quæcumque a se edita, scripta, ac in publicis concionibus edocta supremæ Cathedræ judicio irrefragabili subjecit, ut constat ex laudata Constitutione Joannis XXII. ad hæc verba : *Porro tam illis, apud quos præfati articuli prædicati, seu dogmatizati fuerint, quam quibuslibet aliis, ad quorum devenere notitiam, volumus notum esse, quod, prout constat per publicum instrumentum inde confectum, præfatus Ekardus in fine vitæ suæ fidem Catholicam profitens prædictos viginti sex articulos, quos se prædicasse confessus extitit; nec non quæcumque alia per eum scripta, & docta sive in scholis, sive in prædicationibus, quæ possent generare in mentibus fidelium sensum hæreticum, vel erroneum, ac veræ fidei inimicum, quantum ad illum sensum revocavit; ac etiam reprobavit, & haberi voluit pro simpliciter, & totaliter revocatis, ac si illos, & illa sigillatim, & singulariter revocasset; determinationi Apostolicæ Sedis, & nostræ tam ea, quam scripta sua, & dicta omnia submittendo.*

Elapso viginti quatuor annorum curriculo, anno scilicet MCCCLIII. evulgabatur in Hispania hæc Propositio : *Quæcumque bona facienda sunt puro Dei amore; non ob aliam rationem, nec spe mercedis æternæ facienda.* Auctor illius erat Berengarius de Monte Falcone Ordinis Cisterciensis in Monasterio Populeti in Catalaunia Professor, quem solemni judicio damnarunt Sancius Tarraconensis Archiepiscopus, & Frater Nicolaus Roselli Inquisitor fidei, prout refert Nicolaus Eymericus in Directorio Inquisitionum part. 2. pag. 266.

§. III.

Raymundi Lulli, & aliorum, quorum fit mentio in Chronicis Fratrum Minorum parte secunda lib. 7. cap. 26.

RAymundus Lullus Majoricensis tertii Ordinis Minorum pluribus editis operibus varias Propositiones vel hæreticas, vel erroneas, vel male sonantes attexuit: supra quingentas enumerat Eymericus ad annum MCCCLXXII. Ex iis centum transmisit Avenionem ad Gregorium XI. indicatis libris, unde fuerant excerptæ, de reliquis suspenso judicio, accuratiori studio ponderandis. Gregorius vero Pontifex post diligens examen Petri Cardinalis Episcopi Ostiensis, & viginti Magistrorum in Sacra Theologia eas omnes Propositiones diris devovit anno MCCCLXXVI. interdicta Christifidelibus facultate Auctoris libros legendi. Quinque ex iis afferimus, quæ Raymundum Lullum Pseudo-Mystam fuisse apertissime produnt.

68. *Quilibet homo potest Deum contemplari, quantum vult, & ubi vult, & quando vult.* Lib. de Contemplat.

80. *Homo debet amare Deum, quia bonus est, non autem propter aliam rem, quam sibi donet, nec propter indulgere suum peccatum, nec propter hoc, quod ipse non sit damnatus : & qui sic voluerit amare, sentit se tam altum per suum amare, & per suum intelligere, & memorari, quod non poterit altius ascendere.* Lib. de Contrit. & Confess. &c.

81. *Quod illi, qui amant Deum propter hoc, ut det eis gloriam cælestem, vel bona temporalia, & timent Deum propter hoc, ut non det eis pœnam infernalem, vel labores temporales, faciunt de prima intentione secundam, & de secunda primam, & eorum intentio est perversa, & falsa, & contra Dei intentionem. Non est, qui fecerit tantum malum, sicut fecit Mahometus, qui tot homines misit in errorem : & tamen majus malum sequitur, cum homo non habet Deum primam intentionem, quam sit totum malum, quod fecit Mahometus : quia majus bonum est in homine uno, qui fortiter diligit Deum per primam intentionem, quam sit malum in omnibus hominibus, qui sunt damnati.* Lib. de intention.

87. *Quod amicus, & amatus, hoc est, homo justus, & Deus, in quibus non est parvus amor, sed magnus, possunt esse, immo sunt unamet essentia, & natura divina indistincta, & indivisibilis sine ulla contrarietate, & diversitate essentiæ.* Hæc verba replicat frequenter in substantia ex effectu, quod amicus, & amatus, per quos intelligit Deum dilectum, & hominem diligentem Deum, sint una essentia in numero, una natura, substantia una, actualitas una, æternitas una, magnitudo sine contrarietate, & diversitate essentiæ indivisibilis, & indistincta. Ibidem

88. *De Patre, & Filio, & Spiritu Sancto sic est, quod quilibet stat tam completus, sicut alius : & stant omnes tres unus Deus, non distincti in aliquo. Et qui sic potest levare suum orare, & potest tam longo tempore stare sine ulla imaginatione de ulla re temporali, nulla oratio tantum valet, quia homo stabit totus raptus superius per Spiritum Sanctum, non curans de re, quæ sit hic : & suum orare erit sic verum, quod homo non possit addere in contemplando, nec desiderando.* Lib. de Contrit. & Confess.

Damus hic Constitutionem Gregorii XI. editam adversus errores Raymundi Lulli sub die 25. Jan. anno 1376. apud Eymericum in Director. pag. 2. ad Archiepiscopum Tarraconensem, ejusque Suffraganeos datum.

Conservationi puritatis Catholicæ Fidei, quam multi nequam filii scelerati suis falsis assertionibus maculare nitentes, inter triticum purum agri Dominici pestiferum semen zizaniæ seminant, cum ad nostrum præcipue spectet officium, ut evellamus prava, & destruamus perversa, providere salubriter, & animarum illaqueationibus obviare confestim plenis desideriis affectantes, opportuna in his, quæ possumus, remedia, studio pastoralis sollicitudinis adhibemus. Dudum siquidem Dilectus Filius Nicolaus Eymerici Ordinis Fratrum Prædicatorum Professor, in Sacra Theologia Magister, in Regnis Aragoniæ, Valentiæ, & Majoricarum Inquisitor hæreticæ pravitatis, nobis exposuit, se in Regnis eisdem invenisse viginti volumina diversorum librorum, in vulgari scriptorum, a quodam Raymundo Lullo Cive Majoricarum editorum, in quibus (ut ipsi Inquisitori videbatur) multi continebantur errores, & hæreses manifestæ; & quod nonnulli de prædictis, & aliis Regnis, libris utebantur eisdem, & eorum doctrinæ dabant fidem non modicam in grande suarum periculum animarum : supplicavitque Nobis Inquisitor ipse, ut (ne simplices deciperentur ex libris ipsis) dignaremur in hac parte de opportuno remedio providere. Nos autem cupientes animarum, jam forsan imbutarum, & quæ imbui possent ex perverso dogmate dictorum librorum, periculis celeriter obviare, dictos libros per Venerabilem Fratrem nostrum Petrum Episcopum Ostiensem, & per quamplures etiam ultra vigenum numerum in eadem Theologia Magistros, examinari fecimus diligenter, per quorum relationem tandem habuimus, quod ipsi dictos libros omnes cum multa diligentia legerant, & examinaverant; & quod ultra ducentos articulos erroneos, & hæreticales invenerant in eisdem : Super quibus inter eosdem Episcopum, & Magistros, sæpius, & demum coram Nobis habita disputatione solemni, ipsos articulos (quos ad vitandum prolixitatis tædium, & horribilitatem eorum, haberi volumus præsentibus pro expressis) erroneos, & manifeste hæreticales, de ipsorum Episcopi, & Magistrorum concordi consilio censuimus reputandos. Cum autem, sicut Inquisitoris præfati continebat assertio, in prædictis Regnis alii libri, qui asseruntur editi a jam dicto Raymundo, reperiri dicantur, in quibus hujusmodi jam reperti, & alii errores, & hæreses credantur probabiliter contineri, Nos volentes de hujusmodi aliis libris, & eorum doctrina informari plenarie, & super eis providere salubriter, ne fideles in errores hujusmodi damnabiliter prolabantur; fraternitati vestræ de Fratrum nostrorum consilio, per Apostolica scripta committimus, & mandamus, quatenus diebus Dominicis, & festivis, in singulis Ecclesiis vestris Cathedralibus, ac Curatis, nec non Religiosorum quorumcumque Ordinum exemptorum, & non exemptorum, etiam Cisterciensis, Cluniacensis, Carthusiensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Sanctorum Benedicti, & Augustini, ac Fratrum Prædicatorum, Minorum, & Eremitarum ejusdem S. Augustini, & Carmelitarum, & aliorum Ordinum, vestrarum Civitatum, & Diœcesum, intra Missarum Solemnia existentibus populis ad divina, & in prædicationibus per vos, vel alios, quam cito commode poteritis, faciatis proponi, quod omnes, & singulæ Personæ utriusque sexus, cujuscumque status, ordinis, vel conditio-

tis existant, earumdem vestrarum Civitatum, & Diœcesum, seu commorantes in eis, habentes libros quoscumque a præfato Raymundo editos (ut præfertur) ipsos infra unius mensis spatium vobis assignare, & illi, qui sciunt alias personas libros eosdem habentes, eas vobis revelare, ac nominare procurent; vosque libros recipi faciatis eosdem, quos cum habueritis, quam cito commode poteritis, curetis nobis fideliter destinare, ut ipsos simili examini subjicere valeamus. Cæterum, quia doctrina, seu potius dogmatizatio prædictorum librorum examinatorum reperitur erronea, hæreticalis, & periculosa nimium animabus; & vehemens suspicio est habenda, quod in aliis libris editis a dicto Raymundo similes, & alii (ut præfertur) contineantur errores, vobis mandamus, quod omnibus, & singulis eisdem Personis vestrarum Civitatum, & Diœcesum doctrinam, seu potius dogmatizationem, & usum hujusmodi librorum interdicere studeatis, donec super his per Sedem Apostolicam aliud fuerit ordinatum. Contradictores per Censuram Ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: non obstantibus, si aliquibus communiter, vel divisim a Sede Apostolica sit indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari; aut extra, vel ultra certa loca, ad judicium vocari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem, & quibuslibet exemptionibus, & aliis privilegiis, Literis Apostolicis, quibuscumque locis, personis, vel ordinibus, sub quacumque forma, vel expressione verborum, ab eadem Sede concessis, de quibus, eorumque totis tenoribus, etiam de verbo ad verbum in nostris Literis mentio sit habenda: & per quæ præsentis mandati nostri effectus valeat quomodolibet impediri. Insuper volumus, quod per te, Frater Archiepiscope, tenor præsentium sub tua, vel officialis tuæ sigillo, ad tuos fratres Suffraganeos transmittatur cui per vos adhiberi volumus, velut ipsis originalibus, plenam fidem. Ita Gregorius Pontifex apud Eymericum.

Quoniam vero neminem latet, quantis inter se opinionum ambagibus hac in re dissideant eruditi, quidve Doctores nonnulli privatis in Raymundum Lullum studiis plus æquo fortassis indulgentes Eymerico, viro cæteroquin gravissimo, imponant; hinc operæ pretium duximus litem diu olim ancipitem paulo accuratius ad trutinam revocare, ut & laudati Eymerici famam a calumniis vindicemus, simulque prædicti Diplomatis Pontificii existentiam, aliquibus non leviter suspectam, ab aliis vero ut nullam omnino assertam evincamus.

Non desunt ergo, qui dictas Apostolicas Literas non a Gregorio Papa editas, sed ab Eymerico Inquisitore confictas palam criminantur, quos inter Dervicius Thadæus, qui in sua Nitela Franciscanorum pag. mihi 478. longa argumentorum serie conatur ostendere, illas Gregorio Pontifici haudquaquam adscribendas esse; immo pag. 122. ejusdem Nit. aperte adstruit, ab Eymerico in odium Raymundi prodiisse, additque, eum hac de causa graviter objurgatum, pœnaque debita multatum. Dervicio subscribit Theophilus Raynaudus, qui in Erotem. de malis, ac bonis libris partis 1. Erot. 10. §. 3. pag. mihi 164. ita refert: *Eam certe ob causam, infamia, & exilio multatum prodit Dervicius Thadæi in Nitela Franciscana, cum de causa Lulli agit pag.* 122. Ejusdem Pontificii Diplomatis existentiam acerrime suggillant Lullistæ omnes, qui sibi persuadere haud posse obtendunt, Censuram adeo severam a Sede Apostolica numquam emanasse contra virum pietate, & doctrina præstantem, ejusque egregia volumina paucis, ut ajunt, erroribus superficie tenus conspersa, aliisque suppositis ab Eymerico, perspectis exemplaribus, diserte repugnantia. *Tres tantum sunt Propositiones*, (scribit Waddingus ad annum 1315.) *de quibus*, deputati a Pontifice, *judicium tulerunt. Porro ex reliquis, quas Eymericus centum exscripsit in Directorio, major & potior pars vere in ejus operibus reperitur: quarum nonnullæ duriores, & crassiores sunt, quam eas communis Theologorum Schola admittat, aut sine censuris elabi permittat*: allegatque ibidem in patrocinium Lulli doctrinæ fusam Apologiam ab Antonio Belver Cathedratico primario, & Canonico Majoricensi elucubratam, exhibitamque Sixto V. Pontifici, & Philippo II. Hispaniarum Monarchæ. Addunt quoque Lullistæ Bernardum Episcopum Tiphernatem, qui laudatum Diploma Gregorii XI. declaravit subreptitium, atque in ejusdem Pontificis Regesto quæsitum diligenter inveniri umquam potuisse contendit. Idem sensisse nonnullos Romæ anno 1590. testatur Vasquez disp. 133. in hæc verba. *Romæ anno Domini* 1590. *acta controversia de operibus Lulli, multa in ejus favorem dicta fuisse*, inquit, *& præsertim Aymericum multa Lullo imposuisse, & Bullam, quæ dicebatur, emanasse a Gregorio Undecimo contra Raymundum, numquam potuisse inveniri, quare conficta ab Aymerico putatur*: immo proprium hac in re aperiens sensum palam inficiatur prohibitionem operum Raymundi, adnotans: *Quod multa ostendunt Raymundum spiritu Dei præditum fuisse* &c. Demum V. Bellarminus litem adhuc dubiam pendere affirmat de Script. Eccles. in Raym. Lullo his verbis: *Hunc Raymundum*, ait, *Eymericus in Directorio Inquisitorum scribit, accusatum fuisse ad Gregorium Undecimum Papam, vel potius accusata fuisse ejus scripta ... Contra autem non desunt, qui scripta ejus orthodoxa esse confirment: de qua re editus est Liber anno 1604. cum hac Inscriptione: Sententia definitiva in favorem Lullianæ doctrinæ juris ordine, & Apostolica auctoritate lata, & in veritatis triumphum, inque gloriosæ vindicationis memoriam denuo impressa, & principalibus Rescriptis munita. Quid in hac Controversia tenendum sit, nondum videtur esse definitum ab Apostolica Sede, cum tam Directorium Eymerici, quam liber illi oppositus publice, & sine prohibitione legatur*. Hæc sunt potiora momenta, quæ congerunt Lullistæ, aliique Raymundo addicti, viri cæteroquin clarissimi, ad tuendam, vindicandamque ejus doctrinam.

Verum enim vero inanem illis laborem cedere, vereque a Subselliis Pontificiis emanasse laudatum Diploma, Raymundum proinde vere proscriptum, damnatumque, omni in primis partium studio seposito, demonstrabimus. Hoc tamen in ipso limine monitum volumus Lectorem, nos hic Criticen haud agere de vita, ac moribus Raymundi; poterat siquidem errare, ac nihilominus ab hæresis labe vindicari, si pertinaciam errori non conjunxerit, quæ sola formalem constituit hæreticum. Relicta igitur aliis de probitate Raymundi disserendi, decertandique alea, atque ad præfixam instituti nostri rationem nos accingentes, invictum præ cæteris producimus argumentum ex Raynaldo ad annum 1372. ubi relatis Lullistarum commentis ita præclare subjungit: *At virum gravem, egregie de Religione Catholica meritum, nullius utilitatis illecebra pellectum, id facinus perfricta fronte ausum vix credi potest, cum facillime coargui mendacii potuisset*. Enimvero clarissimus vir Eymericus doctrina, & probitate insignis, qui sub pluribus Pontificibus, Innocentio VI. Urbano V. Gregorio XI. Urbano VI. & Bonifacio IX. Inquisitoris munus in Regnis Hispaniarum summa cum laude gesserat; quomodo eo temeritatis, & imprudentiæ poterat erumpere, ut integrum Diploma Pontificium inani studio, nullaque prorsus utilitate illectus confingeret? Quomodo facinus enorme tot viros præstantissimos & in Curia Pontificis præsentes, & in Hispaniis ea ætate degentes latere poterat? Ipsemet Petrus Rex Aragonum, de fama Lulli supra modum sollicitus, in Epistola ad Gregorium XI. quam eruditus P. Natalis Alexander in sua Historia Ecclesiastica ad sæc. 14. cap. 3. art. 20. recitat, laudatum Diploma Pontificium ut genuinum fatetur, suaque in ditione publicatum: ad quam Epistolam Petri Regis Aragonum dictus P. Natalis Alexander plura notatu digna, atque ad vindicandam Eymerici innocentiam satis opportuna subjungit. Primo igitur observat ex authenticis monumentis, ut assolet, eam Epistolam sexdecim ante obitum Gregorii XI. mensibus fuisse scriptam; satis proinde habuisse temporis Pontificem, ut ad Regem rescriberet, eumque de suppositione moneret; quod tamen Gregorium non fecisse satis persuasum est legentibus Regestum Constitutionum, & Epistolarum ab eodem Pontifice editarum, cui ejusmodi Rescriptum nuspiam insertum deprehenditur. Notat secundo, Eymericum post funus Gregorii XI. annis XXI. in regno Aragonum Inquisitoris officio honorifice fuisse perfunctum; at quomodo Petrus Rex Lullo maxime addictus id permisisset? quomodo eum e Regno suo non expulisset, aut deponi curasset? quomodo impunitum reliquisset, ac flagitium in Raymundum dissimulasset? quomodo non proclamasset impostorem Eymericum in data ad Pontificem Epistola? Profecto id inverisimile censeri debet a sanæ mentis Historico. Expendit tertio, prædictum Diploma Gregorii Pontificis adversus Raymundi Lulli errores transmissum fuisse ad Episcopos Barcinonensem, Valentinum, & Majoricensem, in eorumque Diœcesibus promulgatum; at si vel levissima suspicio falsi subfuisset Diplomati, id proculdubio non permisissent laudati Antistites, sed Eymericum apud Curiam Pontificiam tanti flagitii reum, vel saltem suspectum denuntiassent. Demum, quod prætereundum non est, Petrus Rex scientiam Lulli habere principia scientiarum cæterarum principiis longe dissimilia in dicta ad Pontificem Epistola ultro profitetur. Waddingus ipse, acerrimus cæteroquin Raymundi defensor, tandem cogente veritate fassus est, *suspicionem ingerere duas præfatas Extravagantes, summum Pontificem circa Lulli doctrinæ damnationem aliquid effecisse*. Ita ipse in Chronic. Francis. ad annum 1313. Quod vero Lullistæ ex Bernardo Episcopo Tipheronate obtrudunt, memoratum scilicet Diploma sedulo labore quæsitum in Regesto Gregorii, nuspiam tamen inventum esse, flocci pendimus; cum fortasse ab eo fuerit ablatum, aut ejus autographum aliquo casu perierit, quam sortem alia complura eodem anno VI. Pontificatus Gregorii ab eo edita subiere. Nec novum, quod in Regestis Pontificum non raro aliqua desiderentur, aut ab eis auferantur, potissimum, si fautores errorum eis se premi valide animadverterint, ut hic evenisse non absque fundamento suspicamur? Confirmavit veritatem Gregoriani con-

ni contra Lullum Diplomatis Gregorius XIII. ut refert eruditus Franciscus Pegna in Directorio Inquisitorum Eymerici, notis a se illustrato, ac Literis Apostolicis, quas inter extat laudatum Diploma, locupletato, quod eidem Gregorio consecravit.

Quod judicium tulerit Sacra Facultas Parisiensis de Lulli doctrina, constat ex Venerabili Gersonio, Parisiensis Ecclesiæ, & Academiæ Cancellario, qui II. P. libri de *Examinatione doctrinarum*, consideratione I. ita scribit: *Sensit eadem Facultas, nonnullos de suis suppositis, ut proni sumus ad novitates, velle traditionem hujusmodi* (intellige Raymundi doctrinam) *multiplicare per studium. Nam ut Aragonia dicitur edoceri. Constituit protinus statutum* (*quod Patribus Carthusiensibus prope Parisios significavit per Literam: habent enim copiam librorum dicti Lulli*) *quo statuto prohibebatur omnibus suppositis suis, ne derelinquentes modum doctrinalem Sanctorum Doctorum per Ecclesiam approbatorum, & qui tentus est hactenus in Sacra Theologia Facultate, transirent ad novam phantasiandi curiositatem*. Addimus ex supra laudato P. Natali Alexandro, aliisque probatissimis Historicis, qui opera Raymundi Lulli prohibita a Paulo IV. Pontifice Maximo referunt. Quomodo igitur Lullistæ gloriosæ veritatis triumphum decantant, deque Raymundi doctrina, veluti de cælesti arcano gloriantur? Egregie profecto, ut candide fatear, eos sugillat Mariana citatus a Raynaldo ad annum 1315. num. 5. in hæc verba: *Videre se fingunt, aut somniant, quod non vident, & digito conantur ostendere, quod nusquam est*.

Sed litem omnem penitus dirimit in fine sæculorum eruditissimus æque, ac doctissimus Pontifex Benedictus XIV. feliciter regnans, qui in suo percelebri Opere de Serv. Dei Beatif. & Beat. Canonizat. tom. I. lib. 1. cap. 4. dicta a nobis superius valide, luculenterque confirmat, distinguens quoque duos inter Raymundos, qui hac in controversia haud modicam fortasse caliginem olim affundere poterant aliorum dissertationibus hac de re editis. En verba Sanctissimi. *Extat Gregorii XI.* (inquit) *solemne judicium de Libris a Raymundo Lullo conscriptis, & de nota erroris, & hæresis manifestæ, qua ducenti eorumdem articuli damnati sunt, quemadmodum videri potest apud Nicolaum Eymericum in Directorio Inquisitorum 2. part. quæst. 9. & quæst. 26. ubi Bullam Gregorii interserit. Asserere autem, Gregorianum Diploma fuisse a prædicto Eymerico confictum, vel errores cujusdam Raymundi Lulli de Tarraga ab eodem Gregorio XI. condemnatos, fuisse Raymundo Lullo, de quo nunc est quæstio, falso adscriptos* (*ut pluribus prosequitur Theophilus Raynaudus in opere de bonis, & malis libris tom. II. partit. I. Erotem. 10. num. 246.*) *nulla verisimilitudine niti videtur. Primo enim Eymericus fuit vir gravis, & egregie de Religione Catholica meritus, ita ut temerarium omnino sit, ejusmodi viro impingere Bullæ Pontificiæ fictionem, quemadmodum optime adnotavit Raynaldus ad ann. 1372. num. 35. præsertim vero, cum idem Eymericus Inquisitoris munere tunc temporis fungeretur, & ex ejus relatione libroram Judicium Pontifex assumpserit; præterea adversus proscriptos errores libellum ille composuerit Cardinali S. Angeli oblatum, atque hujus ope Clementi VIII. Antipapæ relatum, sicuti colligitur ex Codice Bibliothecæ Colbertinæ, quem exhibet Baluzius in notis ad vitas Paparum Avenionen. Col. 1115. tom. I. Deinde, utrumque sit utrum Gregoriana Bulla in Pontificiis Regestis nunc adsit, nec ne, hoc unum certum esse videtur, posito etiam defectu Bullæ in Regestis, validum desumi non posse argumentum pro ejus confictione, quando causa probabilis suppetit perditionis ejusdem; quæ sane in hypothesi nostra minime deest, cum Bulla, de qua nunc agimus, edita fuerit anno VI. Pontificatus Gregorii; regestum autem hujusce anni deperditum hercle fuerit, occasione translationis Sedis Apostolicæ a civitate Avenionensi ad Urbem eodem tempore factæ, veluti animadvertit Graveson Hist. Eccles. colloq. 3. pag. 92. tom. V. Item, quando pro veritate Bullæ validissima habentur argumenta; atque hæc parites ea super re non deficiunt, cum & exemplar authenticum in Ordinis Prædicatorum Romano Archivo, & autographum Gerundæ asservetur, & Gregoriana ipsa Constitutio in Archivis Barcinonis, Tarraconæ, & Valentiæ anno Domini 1376. quo scilicet lata est, fuerit adscripta; quibus quidem sine ulla dubitatione probatur, minime confictam fuisse: confictam quippe Antistites tam celebrium civitatum inter monumenta suarum Ecclesiarum servare passi non fuissent juxta ea, quæ ad rem solide deducuntur ab erudito viro F. Antonio Bremond Ord. Præd. tom. II. Bullar. in notis ad Gregorianam Constit. ibi plene relatam. Demum, si Raymundus de Tarraga, & Raymundus Lullus bene in Apostolicis Literis invicem distinguuntur. Raymundus etenim de Tarraga de Judaismo ad Christianam fidem conversus nomen dedit Religioni FF. Prædicatorum, tum propter nonnulla capita hæresim sapientia carceribus Barcinonensis Inquisitionis mancipatus anno primo Gregorii Papæ XI., hoc est, anno 1371. luit pœnas eorum, non quos scripserat, sed quos publicaverat, & prædicaverat; publice tenet, asserit, & prædicat doctrinæ suæ sacrilega, & perversa; constructo adversus eum processu a Nicolao Eymerico Inquisitore in provinciis Tarraconensi, & Cæsaraugustana, atque ab Archiepiscopo Tarraconensi. Contra alter Raymundus, qui Lullus appellatur* (*quæ certe appellatio in Diplomatibus Pontificiis numquam alteri tribuitur Raymundo, qui semper de Terraga denominatur*) *civis fuit Majoricensis, & multos libros conscripsit, se in Regnis eisdem invenisse volumina diversorum librorum in vulgari scriptorum a quodam Raymundo Lullo cive Majoricensi editorum, in quibus, ut ipsi Inquisitori videbatur, multi continebantur errores, & hæreses manifestæ; nec umquam carceribus inclusus, librorum tamen, & errorum suorum damnationem tulit, edita anno 1376. a Gregorio Undecimo Constitutione post librorum examen factum a Nicolao Eymerico, & subsequenter resumptum a Petro Card. Ostiensi, & plusquam viginti Magistris in Sacra Theologia, ut evidenter deprehenditur ex Constitutionibus Pontificiis evulgatis in II. tom. cit. Bullar. Ord. Præd. pag. 268. pag. 270. & pag. 284. Proinde unicuique facile patet, & Gregorianam Constitutionem non fuisse confictam, & errores Raymundi de Tarraga Raymundo Lullo fuisse adscriptos: idque eo magis, quia tum sæculo decimo sexto, tum initio sæculi decimi septimi notum est, quid definitum fuerit in Sacra Congregatione Indicis, atque in Congregatione SS. Inquisitionis habita coram Summo Pontifice Paulo Papa V. de operibus Raymundi Lulli, teste Card. Albitio in tract. de inconstantia in fide cap. 40. a num. 143. ad num. 152. ubi omnia tunc gesta exponit*.

Circa eadem tempora alii quidam nefandi homunciones veræ orationis institutum pessime adulterarunt, qui referuntur in Chronicis Fratrum Minorum parte 2. lib. 7. cap. 26. & acriter fuere objurgati a Sancto viro Fratre Hugone Panziera Minorita, docentes, *Orationem mentalem, seu contemplationem* (verba sunt Eminentiss. Cardinalis Brancati Opusc. 2. cap. 4.) *hoc modo faciendam; homo, quoad intellectum, alienus debet esse ab omni cogitatione rerum corporalium, & spiritualium, & sperare, ac expectare debet cogitationes illas, quas Deus ei imprimet, ac infundet, quamvis demonstrari, ac sciri nequeat, quomodo hoc fiat. Quo vero ad corpus, debet homo rectus stare, strictis labiis, retinens, quantum potest, respirationem, & statim incipit sentire mutationem aliquam in corpore, & interdum non sentiet angustiam, interdum vero prorumpet in magnas voces, at non semper eodem modo, interdum cadet in terram retrorsum, interdum in faciem, interdum tandem in actus irrationales prorumpet, & quod quando corpus tale aliquod patiebatur, signum erat, quod homo ille incipiebat contemplari. Interrogatus Frater Hugo, an hic modus orandi bonus esset? Respondit, doctrinam hanc irrationabilem, ac bestialem esse, & quatuor assignavit rationes: prima est, quod homo vacans perfectioni non debet se alienare ab omni cogitatione, & operatione corporali, & spirituali, quia indiget Sacramentis, quæ corporalia sunt, & actibus virtutum, quæ spirituales sunt. Secunda ratio, & redit in idem, quia in via perfectionis sunt necessaria opera virtutum corporalium, ut V. G. opera misericordiæ corporalis, susceptio Sacramentorum, & actus fidei, spei, & caritatis. Tertia ratio, quia si homo detinet intellectum suspensum ab omni operatione, se exponit illusioni dæmonis, qui sine ulla resistentia immittere in eo poterit perversas cogitationes, ac propterea anima quærens Deum per contemplationem, debet semper cogitationem aliquam spiritualem habere; & valde periculosum est, aliter facere: alias vero operationes corporeas strictionis, retentionis halitus esse vanas, improprias, orationi mentali indecentes, & diabolicis insidiis adinventas. Quarta ratio Fratris Hugonis, eaque observanda est, quia, inquit, impossibile est, quod anima ita se suspendat, ut nihil cogitet, & ideo consulit, ut saltem de humanitate Christi, vel alia re divina cogitet; dicit tandem, valde cæcum esse, qui putat, suo labore, & industria pervenire posse ad statum raptus, vel elevationem corporis, aut animæ, ad relevationes, vel prophetias, vel perfectam altitudinem spiritus*. Hæc sanctus æque ac doctus vir Frater Hugo apud Cardinalem Brancatum, ubi & alia complura narrantur, quæ legesis apud eumdem eruditissimum Purpuratum.

§. IV.

Illuminatorum, & Anielli Arcieri.

ANno circiter MDLXXV. stupidi quidam, ac phanatici nebulones, novam, & inauditam a sæculis perfectionem jactitantes, evagari cœperunt in Hispaniis, qui sub specie altissimæ contemplationis, quam se profiteri fingebant, omni flagitio, ac sceleri perpetrando concupiscentiæ frena laxabant, immo impura, & nefanda quæque sine peccato etiam veniali committere se posse effutiebant, adeo ut sub larva diaboli exitialem quoddam im-

impeccabilitatis genus inducere satagerent. Sed irrito conatu, mox namque pestifera ejusmodi secta, ut æquum erat, Sacræ Inquisitionis justissimum fulmen experta Cordubæ, ab ipsis statim incunabulis in cineres, favillasque redacta videbatur. Dicebantur vero *Illuminati*, seu verius, ita dici voluere a divino copiosissimo lumine, quod sibi specialiter inesse deprædicabant. Porro errores, seu Propositiones, quas impii id genus Sectarii profirebantur, ac sparserant in vulgus, sex supra sexaginta recensentur, quarum aliquas ad institutum nostrum spectantes hic enumeramus.

I. Propositio, seu error fuit: *Mentalem orationem præcepto divino adeo imperatam esse, ut per eam omnia impleantur.*

II. *Orationem Sacramentum esse sub accidentibus, idest, mentalem, vocalem vero parvi esse momenti.*

III. *Dei servos nec laborare debere, nec Prælato ulli obedire, quando mentalis oratio impediatur.*

IV. *Neminem adipisci posse virtutis secretum, nisi Magistris hæc docentibus discipulum.*

V. *Divinam essentiam, ac Trinitatis arcana videri posse in hac vita ab eo, qui ad certum perfectionis gradum pervenerit.*

VI. *Spiritum Sanctum immediate eos eligere, & eos regere, qui sic vivunt.*

VII. *In elevatione Sanctissimi Sacramenti claudendi sunt oculi.*

VIII. *Qui pervenit ad certum perfectionis statum, nec videre potest sacras imagines, nec divinum verbum audire, nec loqui de Deo, neque alia facere huic sectæ, & doctrinæ contraria.*

IX. *Debere omnes vovere, se matrimonium minime contracturos, religionem tamen nequaquam ingredi.*

X. *Pane cœlo* Communionem *accipi debere.*

XI. *Orationem, & abstinentiam non posse diu simul nisi miraculo consistere.*

XII. *Orantem ita debere se in Dei præsentiam colligere, ut nec discurrat, nec meditetur vel Passionem, vel humanitatem Christi.*

XIII. *Qui orationi vacat, potest ab audienda Missa etiam diebus festis abstinere.*

XIV. *Se feminis, quas spiritus, & doctrinæ magistras ducunt, obedientiam debere.*

XV. *Confessionis filias vovere debere, se non aliis, quam Illuminatis confessuras.*

XVI. *Feminas conjugatas non debere viris in matrimonii debito obedire.*

XVII. *Licere Confessariis, Confessiones revelare ei, cui obedientiam dederunt, & sibi invicem.*

XVIII. *Pœnitentiæ Sacramentum posse absque ulla commissione, aut licentia administrari.*

XIX. *Illuminatos habere auctoritatem absolvendi ab omni peccatorum genere, etiamsi sint Sedi Apostolicæ reservata.*

XX. *Non posse absolvi sollicitantes in Confessione, nisi declarent sollicitatas.*

XXI. *In* Communione *per paucas formas, sive hostias Deum parum recipi.*

XXII. *Posse communicari homines non jejunos.*

XXIII. *Perfectum hominem posse absque speciali revelatione scire, utrum sit in gratia, & caritate, nec ne.*

XXIV. *Posse hominem ad eum perfectionis statum pervenire, ut gratia animæ facultates submergat, nec possit anima vel progredi, vel retrogredi, & ad eum perfectionis statum pervenire, ut Sanctorum intercessione non egeat.*

XXV. *Si Deus animæ dicat, ut sit bona, bonam substantialiter fore, & ideo non est necesse, ut operetur, nec amet.*

XXVI. *Actus eo magis meritorios esse, quo minor est sensibilis devotio.*

XXVII. *Turpes actus, ac inhonestos tactus cum sectæ suæ feminis, ac puellis non esse peccata, immo virtutem potius ac pietatem.*

XXVIII. *Hominem excommunicatum publice, si celebratione, & administratione non abstineat, dummodo hanc sectam amplexus sit, nequaquam sa debere pro excommunicato habere.*

XXIX. *Se in exstasi clare Deum videre, & in his nihil esse fidei, eo quod Deum clare vident.*

XXX. *Illuminatos immunes esse a Purgatorio, & qui eorum doctrina nolunt acquiescere, damnandos esse in Purgatorio.*

XXXI. *Aquam benedictam peccata venialia non delere.*

XXXII. *In oratione non esse utendum imaginibus.*

XXXIII. *Evangelium, & Scripturas pro arbitrio suo interpretabantur contra communem Patrum expositionem.*

XXXIV. *Peccatores non efficaciter a Deo audiri, quia Deus peccatores non audit.*

XXXV. *Illuminatos spernere debere omnes Theologos, & Concionatores.*

Hæc & alia id genus nefanda dogmata in Hispaniis disseminarant Illuminati; at radices figere haud permissi ob sacræ Inquisitionis providam sollicitudinem, quæ vix dum ortos proscripsit, repressitque; annis proinde circiter 48. sopiti jacuere. Verum, ut solet germen pravum, anno MDCXXIII. majoribus viribus emersere in Diœcesi Hispalensi, longe, lateque circum serpentes, adeo ut non iis dumtaxat regionibus, sed aliis quoque Catholicis regnis præsentissimum fidei exitium minarentur. Sed adfuit illico putidæ segeti extirpandæ invictissimus zelus Andreæ Pacheet Episcopi Hispalensis, & supremi in Regnis Hispaniarum Inquisitoris, qui omnem movit lapidem, ut pestiferum germen penitus eradicaret; tandemque feliciter rem absolvit anno MDCXXXIII. septem præcipuis ejusdem sectæ ducibus incendio traditis, cæteris aut fuga elapsis, aut e regno abire jussis. Meminit Illuminatorum eruditus P. Malvasia in suo Catalogo Hæresum Cent. 16. ubi addit, eorum errores ex veteribus iosemi excrementis, Nicolaitarum, Marcionitarum, Adamitarum, Manichæorum, & Albigensium potissimum esse conflatos.

Aniellus Arcieri Ordinis Crucigerorum una cum Sorore Julia de Marco ex Supino oriunda, & Josepho de Vicariis Juris Doctore, mysticæ Theologiæ sacris institutis insigniter abusus, novamque disciplinam erroribus innumeris ac fœditatibus implexam professus anno MDCXIV. scelestissimum, plurimumque execrandum condidit Sodalitium, adscitis diversorum statuum, ac graduum personis utriusque sexus. Rerum certior factus F. Adeodatus Gentili Episcopus Casertanus, ac negotiis ad Sacram supremam, & universalem Inquisitionem spectantibus expediendis præpositus, illico jussit dictam Juliam Neapoli Monasterio concludi, quæ subinde ad aliud Cerreti fuit translata. P. Aniellus vero Romam accersitus, ac Sacro Tribunali S. Officii præsentatus, privatusque facultate excipiendi Confessiones, ne rediret Neapolim, fuit prohibitus. Amoto interim Antistite Casertano, creatoque Sedis Apostolicæ Nuncio, munus Inquisitoris demandatum fuit F. Stephano de Vicariis Episcopo Nucerino, qui copia sibi facta a laudata suprema Inquisitione dictam Sororem Juliam Ceretto Nuceram transferri curavit. At procerum, magnatumque plurimorum patrocinio eidem Sorori suffultæ Neapolim remeare conceditur, ubi excepta in Palatio Præsidis regiæ Cameræ ob famam Sanctitatis de ea pervulgatam magnam coegit hominum multitudinem, quos inter & viri principes, & matronæ complures numerabantur. Quidam vero perciti conscientiæ stimulis denunciarunt Episcopo Nucerino falsas doctrinas, ac impia orationis dogmata, quæ specie orationis in perditis illis Ascetarum conventibus ex Anielli Arcieri magisterio impune grassabantur, spoponderuntque Inquisitori, se propriis ejus oculis subjecturos nefandas nuptias, hominumque, ac mulierum infames conjunctiones, quæ in Sororis Juliæ receptaculis invaluerant; dubii tamen de Inquisitoris animo, quem fortasse partium studio duci erga memoratam Sororem Juliam suspicabantur, rem totam literis complexi, detulere ad S. R. E. Cardinales Generales Inquisitores contra hæreticam pravitatem, de quorum consilio delegatus fuit ad Causam dignoscendam Dominus Maranta Episcopus Calvensis, qui protinus cœpit demandatas sibi exequi vices, Processumque juridicum diligenti studio construere. Verum enim vero, ut in rebus pessimis plerumque evenire solet, non defuere plurimi, vel rerum transactarum ignari, vel nefanda illa vivendi licentia pellecti, qui suscepto patrocinio dictæ mulieris, Comitem Lemolium Neapolis Proregem impulere ad tuendam, defendendamque Pseudo-Magistram, quæ cathedram erexerat doctrinarum memorati Anielli Arcieri: volens proinde Episcopus Calvensis procedere ad Testes examinandos, illico ab eo vocatus fuit, interrogatusque, an ea de re mandatum aliquod a Suprema Inquisitione Romana haberet? Obtulit ille Literas Commissoriales S. Officii, aperuitque simul obscenitates, quæ illis in conventiculis patrabantur; hortatus insuper Proregem, ne Conjugem suam cum Discipulis dictæ Sororis Juliæ conversari pateretur. Obstupuit ad tale monitum Comes Lemolius, narratisque ab Episcopo aurem præbens, annuit demum, ut dicta mulier cum Josepho de Vicariis custodiæ manciparetur; quod & factum, ambobus ad carceres Archiepiscopatus delatis. Res inopinata, cunctisque invisa magnum concitavit strepitum in civitate; supra modum quippe infrementes factiosi denuo ad Proregem appellarunt, falsa dogmata orationis, ac delicta imposita Sorori Juliæ criminationes esse, atque convicia ab invido malevolorum animo conficta, valido sermonis apparatu suadere conati; tantumque profecere, ut suspectum reddiderint factum Proregi, seu fetum invidiæ, ac livoris, ad calumniandos sequaces, non autem sinceri, justique zeli, quem decet sacrum Deputatum a Suprema Inquisitione. Quare Prorex accersito iterum Inqui-

quisitori severe exprobrat acta contra Juliam, & Josephum de Vicariis, qui ad purgandum se, ratasque contestandas accusationes productas, exhibuit Processum servato Juris ordine accuratissime elaboratum, ut perspicuis adeo monumentis eruditus desineret tandem eos prosequi favoribus, ac tueri male jactam disciplinam. Audita Romæ traditio Processus in manus Proregis, ab eoque subinde examini Procerum, ac Ministrorum expositi, displicuit maximopere, ut æquum erat, Supremæ Congregationi S. Officii, ob plurime inde orta incommoda, & inconvenientia, mandatumque fuit Episcopo Calvensi, ut causæ ejusmodi pertractandæ deinceps sese immisceret, translata omnigena facultate ad Nuncium Apostolicæ Sedis, qui rigido instaurato Processu adversus Juliam, & Josephum de Vicariis, eosdem e carceribus Archipræsulis eductos, ad alios sui Palatii avocavit, indeque debitis cautionibus, et præsidiis communitos Romam transmisit ad carceres S. Officii, ad quos reductus & P. Aniellus Director olim, ac Confessarius dictæ mulieris rigide asservabatur. Jussit S. Mem. Paulus V. ut omni diligentia, studio, & attentione causam discuteret Sacra, Suprema, & Universalis Inquisitio, quæ Pontificis obtemperans mandatis, ad trutinam vocavit exactissimam perversa dogmata, & facta trium prædictorum Pseudo-Mystarum, convictosque manifestæ hæreseos ad publicam damnavit canendam palinodiam, quæ accidit 12. Julii anno MDCXIX. in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, solemni cum pompa, & apparatu, præsente sacro Cardinalium Collegio, multisque Principibus, ac immenso propemodum populo inspectantibus, ubi demum tres memorati Pseudo-Mystæ errores suos publice abjurarunt, confessi quoque obscenitates suas execrandas, ac nefaria mystices deliria, perpetuo exinde carceri addicti. Ut vero Protectores, ac Sectarii dictæ Sororis Juliæ conceptam de ejus sanctitate falsam opinionem serio deponerent, jussu Pontificis in Ecclesia Metropolitana Neapolis publice lecta fuere 9. Augusti ejusdem anni Sermmasia Processuum, cunctis ad stuporem, & admirationem tantæ rei commotis.

§. V.

Errores Pelaginorum.

CUm Romæ sub Innocentio X. valide confutarentur dogmata Jansenistarum, impii ac turbidi consilii seminator Diabolus pestiferam excitavit hæresim in Diœcesi Brixiensi ad locum, qui Vallis Camose vulgo nuncupatur, dictam Pelaginorum a Jacobo Philippo a S. Pelagie Mediolanensi, status laicalis, qui Morosinn Brixiæ Episcopo ad fundandas quasdam Congregationes, seu Oratoria pro instructione illarum gentium admodum propenso stimulos addiderat, cujus suasionibus, utpote sanctitatis cum opinione degentis iis in partibus, pius Antistes facile acquiescens, dudum conceptum opus inchoavit tandem, perfecitque; at perniciosio, infaustoque successu: simulatis quippe Oratoriis S. Pelagiæ, quæ Mediolani plurimo cum fructu animarum frequentari comperimus, adulterato mentalis orationis exercitio, flagitiosissima prodiit pestis ad dictam Vallem Camosam longe, lateque diffusa. Quamvis vero res tota valde clanculum ageretur, atque solent inferni larvæ, sub pietatis specie male condita disciplina sese occultare studeret; adeo tamen latere haud potuit, quin plurimis subortis inconvenientibus Episcopum induxerint ad interdicende ejusmodi Oratoria, vel etiam penitus abolenda, nisi statuta ab eo præscripta in illis observarentur. At nimium altas jam fixerat radices nefarium germen Pelaginum, et proinde Sacri Antistitis vigilantia morbis, ac annis attrita, securumque paulo post ejusdem funus, impune cessere. Hinc instar veprium inter silvas succrescere visa est hæresis Pelagina, in dies aucta copioso numero sequacium, adeo ut non tam Secta recens nata, quam jam adulta ab ipsis pene incunabulis Catholicæ Reipublicæ luctuosissimam cladem intentaverit.

Eminentissimus Brancatus Opusc. 2. de Orat. Christiana cap. 4. decem præcipuos recenset hujus putidæ Sectæ errores, seu Propositiones, & sunt, quas subiicio.

I. *Orationem mentalem ita esse cuilibet homini necessariam, ut sine ea nemo salvari queat.*

II. *Quod oratio vocalis respectu mentalis sit parvi momenti, & velut surfur respectu farinæ, & sicut palea respectu tritici.*

III. *Quod oratio mentalis, si uniatur cum vocali, perdat vim suam, sicut si vinum misceatur cum aqua.*

IV. *Quod si ab Episcopo, vel alio Superiore prohibeatur alicui oratio mentalis, non est eis obediendum, neque si sub excommunicatione jubeat.*

V. *Quod, quo tempore facienda est oratio mentalis, uxor non tenetur obedire viro aliquid præcipienti, quod orationem impediat.*

VI. *Si Superiores vellent eos reformare, parendum non sit, quia non sunt capaces suorum principiorum, & quia ipsi reguntur a Spiritu Sancto.*

VII. *Quod in Missa, dum elevatur Sanctissimum Sacramentum, non debeant illud aspicere, sed inclinare caput versus terram, quia digni non sunt aspicere.*

VIII. *Quod illi, qui exequi nesciunt orationem mentalem, non sint in statu salvationis.*

IX. *Prohibebant usum imaginum.*

X. *Quod orationi mentali vacantes vel peccare non possint, vel difficillimum sit, quod peccent.*

At, ut ingenue fatear, hæresum plurimarum errores, atque fœdissimas obscenitates sibi adsciverant Pelagini, ut proinde monstrum illud Apocalypseos cap. 10. capita septem protendens merito appellari potuerit. Enimvero Hussitarum adinstar laicos, ac fœminas in Ecclesiis publice concionari permittebant: more Flagellantium nocturnis in recessibus utroque sexu commixto, clausisque januis se verberabant: & ceu veteres Gnostici turpissima perpetrabant flagitia: cæterorum Catholicorum vitabant commercia, velut Donatistæ, apud se putantes veram residere Ecclesiam, veramque sanctitatem: publice confitebantur suis in Oratoriis: in iisque palam deprædicabant acta obscena, ut alios ad libidinem provocarent, & ad similia patranda pellicerent. Hæc, & alia flagitiosissime germina scaturere ex putrida illa semente Pelaginorum, quibus mox tota ferme Vallis Camosa se infectam sensit; ac procul dubio in alias quoque Provincias erupissent, nisi ea tandem rescidisset dextera Altissimi, æterno suo consilio providens Ecclesiæ Brixiensi novum vigilantissimum Pastorem Cardinalem Petrum Ottobonum, subinde Christiana de Republica optime meritum creatum Summum Pontificem Alexandrum VIII. qui vix dum appulsus ad gregem sibi concreditum, fervidissimi Præsulis explere vices, suoque sacro ovili sedula cura invigilare cœpit.

Accidit enim, ut quadam die animi recreandi gratia ad fenestram Palatii sui consideret, ubi fortuito conspicatus prætereuntem hominem plebejum specie vendentis claves, hinc inde pendentes e lateribus, capsulasque, quam præferebat, repositas; cui cum alii succederent simili merce onusti, divinitus, ut merito opinamur, commotus sacer purpuratus Antistes, rem exploraturus, a famulo jussit unum ex iis ad cubile suum evocari, inscius ipsemet, quid esset acturus: cum ecce manibus evolvens paulisper capsulam reperit sub ficta strue clavium plurimos Catechismos Calvini, aliosque libellos non paucos de recenti Secte Pelaginorum pertractantes. Obstupuit ad casum inopinatum Episcopus, jussitque in carcerem trudi impiis mercatoribus, erectisque ad cælum oculis, ac manibus, Divinarum Sedium assistrici providentiæ grates egit, quod adeo mirabilis semper in omnibus viis suis sub illis clavibus mortis, & inferni puteum abyssi sibi pandere sit dignata. Illico vero accersitos aliquos probos, ac doctos viros, suaque auctoritate communitos delegavit ad Vallem Camosam, ut iis in partibus sacras Missiones obirent, publicis ea de re editis Literis 13. Martii MDCLVI. quarum tenor est, ut sequitur.

Petrus Miseratione divina, titulo S. Salvatoris in Lauro S. R. E. Presbyter Card. Ottobonus, Brixiæ Episcopus, Dux, Marchio, Comes &c.

Dilectis nobis in Christo admodum R. P. D. Lucio Avolterio nostro Cathedralis Ecclesiæ Canonico, Priori Carolo Comino Vicesgerenti Generali Eremitarum S. Augustini Congregationis Lombardiæ, ac Priori in Conventu Sancti Barnabæ hujus Civitatis, & D. Carolo Montino Rectori Ecclesiæ Parochialis Sancti Zenonis ejusdem Civitatis, salutem in Domino. Exigit temporum conditio, ut discretos viros, religione, pietate, ac prudentia conspicuos, in Vallem Camosam nostræ Brixiensis Diœcesis mittamus, qui ad diversa ejusdem Vallis loca, prout necessitas postulabit, accedant, & ea nomine nostro perficiant, quæ opportune perficienda existimabunt. Vos itaque, quorum virtus satis superque nobis probata est, delegimus, ut ad loca ejusdem Vallis, nobis bene visa, accedatis, & quæ hactenus significavimus, secundum opportunitatem tam conjunctim, quam divisim adimpleatis, & adimplenda curetis. Ut autem nullum obstet impedimentum, omnimodam facultatem vobis, & unicuique vestrum circa præmissa tam conjunctim, quam divisim tribuimus, & impartimur, ac omnibus Parochis, aliisque Ecclesiasticis Personis dictæ Vallis in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut vobis, ac unicuique vestrum in cunctis pareant, & ea exequantur, quæ eisdem injungere volueritis, sciantque, si defecerint, se pœnas arbitrio nostro infligendas certe subituros. Ite ergo in nomine Domini, & ea, quæ decet, solertia vobis commissa executioni mandate. Datum Brixiæ in Palatio Episcopali &c.

Profecti protinus ad Vallem Camosam Delegati, & mandata Sacri Antistitis maximo cum studio, ac solertia executi, errores e nobis supra relatos passim inolevisse ea in regione pii prudentesque Ministri deprehenderunt, quibus ad Sacrum Tribunal Sanctæ Inquisitionis delatis, publi-

publico ejusdem Edicto promulgato 3. Junii MDCLVI. primum suppressa fuere dicta Oratoria; inde alio edito 29. Martii MDCLVII. complices, & fautores aut exilio multati, aut carceribus inclusi, quos inter præcipui fuere tres Presbyteri Marcus Antonius Ricaldini, Joannes Baptista Mauritius, & Benedictus Passanesius, aliique nonnulli status laicalis, quorum duo potissimum eo stoliditatis, ac dementiæ devenerant, ut unus vocatus Cosmas Dulci cæco visum restituere publice attentarit, alter vero Franciscus Niger, vulgo dictus Fabianini, inauditas jactitarit revelationes, de quibus editum ab eo librum, in quo nefarie debacchatus est in Sacrosanctam Triadem, Ecclesiam, ejusque Pastores, Inquisitor Tarvisinus (ut constat ex ejus Literis datis ad Inquisitorem Brixiensem 9. Septembris MDCLX.) cremari jussit.

His, aliisque id genus fortiter gestis, pestifera lues Pelagina plurimum debilitari cœpit, præsertim vero cum Joannes Augustinus Ricaldinus germanus memorati Sacerdotis Marci Antonii, unus e præcipuis ejusdem Sectæ Coryphæis, publicam cecinit palinodiam Tarvisii in Ecclesia Fratrum Minorum Conventualium 19. Septembris MDCLX. quam hic transcribimus una cum erroribus ab eo abjuratis.

Io Gio: Agostino del qu. Ricaldino Ricaldini della Terra di Nardo in Val Camonica dell' età mia di anni 44. in circa, costituito personalmente in giudizio, ed inginocchiato avanti di voi Reverendiss. Padre Inquisitore Francesco Colli dell' Ordine de' Minori Conventuali, Inquisitore Generale di Treviso, e voi Reverendiss. Sig. Bombeni Canonico, Vicario Generale di Monsignor Illustrissimo Gio: Antonio Lugo Vescovo di Treviso, avendo avanti gli occhi miei li Sacrosanti Evangelj, quali tocco colle proprie mani, giuro, che sempre ho creduto, credo adesso, e con l' ajuto di Dio crederò sempre per l' avvenire tutte quelle, che tiene, crede, predica, ed insegna la Santa Cattolica, ed Apostolica Romana Chiesa, e perchè da questo Santo Offizio per il Volume da me scritto, e per le Proposizioni detrattorie, temerarie, scandalose, ed ereticali, che in esse si contengono, come costa nel Processo contro me formato, sono stato stimato veementemente sospetto di Eresia, cioè di aver tenuto, e creduto. 1. Che questa orazione mentale sia l' unica porta della salute. 2. Che chi condanna la necessità di questa, è reprobo, e dannato. 3. Che il Figlio di Dio altro non sia, che l' infinita Perfezione del Padre, e che tutti gli attributi facciano la seconda Persona della Santissima Trinità. 4. Che la santità non consista nell' asprezza, e penitenze, nemmeno sono care a Dio, se non in tanto, quanto per domare la carne: ma essendo questa soggetta, non era bene macerarsi, non ci avendo creati per patire, ma per amare, e godere. 5. Che il Capo di questa orazione mentale non averà minor autorità del Sommo Pontefice. 6. Che Dio vuole levare il ministerio di esplicare le Sacre Scritture dalle mani de' ministri della Chiesa, e darle in mano de' Secolari, perchè adesso le Scritture sono spiegate al rovescio di quello si deve. 7. Che a Cristo nell' Orto fu levata la divina grazia, la cognizione soprannaturale, ed ogni ajuto, e bene. 8. Che questo dono dell' orazione mentale sia maggiore del dono della Redenzione, e dell' istituzione del Santissimo Sagramento dell' Altare. 9. Che non debbansi obbedire i Superiori, che comandano, si lascino questi esercizj, e se ponessero la scomunica, non si debba temere, perchè è invalida. 10. Che debba essere voltata sotto sopra la Gerarchia Ecclesiastica, e li Pastori saranno separati dalle Pecore, e quelli che comandano, ed insegnano, doveranno obbedire, ed essere insegnati. 11. Che i Principi Secolari averanno giurisdizione sopra gli Ecclesiastici, e per giustizia ne faranno morir molti, molti altri saranno spogliati delle dignità, e degradati.

Per tanto volendo io levare dalla mente de' Fedeli di Cristo questa veemente sospezione contro di me, con giuste ragioni concetta, abjuro, maledico, detesto detta Eresia, ed errori, e generalmente, ed ogni qualunque altra Eresia, ed errore, che contraddica alla detta Santa Cattolica, ed Apostolica Romana Chiesa, e giuro, che per l' avvenire non farò, non dirò, nè scriverò mai più cosa, per la quale si possa aver di me tal sospizione, nemmeno averò pratica, o conversazione d' Eretici, ovvero che siano sospetti di Eresia, ma se conoscerò alcun tale, lo denuncierò. Giuro anco, e prometto di adempire, ed osservare intieramente tutte le pene, e penitenze, che mi sono state, o mi saranno da questo Santo Offizio imposte, e contravvenendo ad alcune di queste mie proteste, e giuramenti (il che Dio non voglia) mi sottopongo a tutte le pene, e castighi, che sono da' Sacri Canoni, ed altre Costituzioni generali, e particolari contro simili delinquenti imposte, e promulgate. Così Dio mi ajuti, e questi suoi Sacrosanti Evangelj, che tocco colle proprie mani. Ita Ricaldinus Ricaldini, cujus publica abjuratio, ac resipiscentia impium gregem Pelaginorum Vallis Camulæ exanimavit, dispersitque: quod abs dubio adscribendum invictissimo zelo, ac prudentiæ dicti purpurati Principis Petri Ottoboni, cujus Deus remuneraturus hac in causa exantlatos labores, eumdem ad solium Pontificium Romanum evexit; Canonici vero Brixienses tam eximio liberatori suo perenne monumentum gratitudinis condiderunt, erecto in medio Chori Ecclesiæ Cathedralis Mausoleo cum hac inscriptione.

Alexandro VIII. ex Brixiensi ad Romanam Cathedram unice assumpto, Argumentum obsequii, Monumentum gloriæ Canonici posuere An. M. DC. XC.

DISSERTATIO II. HISTORICA.

De Erroribus Michaelis Molinosii, eorumque damnatione.

MErito quispiam fortasse nostrum hoc opus suggillare posset veluti mancum, ac truncum, si a Michaelis Molinosii Historia fusius recensenda supersederemus. Enimvero solent Doctores suorum tractatuum omnigenam rationem reddere, atque lectorem instruere de singulis, quæ materias a se pertractandas contingunt. Quibus morem gerentes, ut æquum est, peculiarem hic sedem statuimus dictæ Historiæ texendæ, tum ut omnibus constent initium, progressus, ac finis nefariæ Sectæ Quietistarum, cujus errores infra suscipimus singillatim refellendos, nec non ea omnia, quæ ad illam extirpandam Romæ, & alibi gentium acta fuere; tum quia Molinosius in sui dogmatis cœnum Messalianorum, Beguardorum, & Beguinarum, Illuminatorum, pluriumque aliorum novatorum sentinas attraxit, ut proinde veterum, ac recentiorum Pseudo-Mystarum errores in scholam ejus, tamquam in consertissimam fœditatum omnium cloacam confluxisse haud immerito dixeris.

§. I.

Detectio Romæ Errorum Michaelis Molinosii, & Literæ Encyclicæ Sacræ, Supremæ, & Universalis Inquisitionis ad Episcopos datæ pro iis evellendis.

AUctor prædictorum Errorum, quos in hoc opere potissimum impugnabimus sit Michael Molinosius Hispanus, oriundus ex oppido Munieza in Arragonia, educatus Valentiæ, ubi Lauream doctoralem, licet esset homo mediocriter doctus, ac beneficium Ecclesiasticum adeptus est: ibidem sacris initiatus, Missionibus obeundis aliquantisper operam navavit, mox excipiendis cujusdam Monasterii, in quo soror ejus degebat, Monialium Confessionibus fuit præfectus, curavitque cuidam Congregationi piorum Sacerdotum adscribi. Post hæc Romam sub Alexandro VII. profectus est ad piam quamdam causam sollicitandam & promovendam a Civitate Valentina deputatus, hæsitque aliquandiu in hospitio B. M. Virginis de Monte Serrato Nationis Arragonicæ, Romæ non longe distito a Palatio Farnesiano; hinc ad alias ædes in urbe

be

be migravit sitas prope Monasterium S. Laurentii Monialium Sanctæ Claræ, vulgo dictum in pane & perna, ubi cæpit instituere collationes spirituales ficta pietate fucatas, suaque habebat, certis hebdomadæ diebus, mulierculaeum, & simplicium hominum conventicula, quibus miro artificio sub larvato prætextu Contemplationis, brevi temporis intervallo acquirendæ, venenum sui instillavit erroris, idem executus per liberculum typis editum sub titulo vulgo: *Guida Spirituale, che conduce l'anima per un cammino interiore a conseguire la perfetta Contemplazione, e'l ricco tesoro della pace interiore*: quem putidis erroribus replevit ad simplicium animas decipiendas. Sparsis ejus Literis, libris, ac Scripturis non modo in finitimis, sed & remotis partibus per duo de deviginti annos; demum anno MDCLXXXV. die decima octava Julii, pluribus indiciis, querelis, ac denunciationibus tum in urbe, tum in orbe, & ex diversis locis frequenter habitis, fuit comprehensus, & in ædibus S. Officii Carceri mancipatus, factaque perquisitione in ejus domo, quatuor millia aureorum, & duodecim millia Epistolarum, quarum ope Sectatores ejus innotuerunt, reperta sunt in illius scriniis.

Interea enim ejus Processus conficeretur, Sacra Congregatio Romanæ, & Universalis Inquisitionis ad reprimendam novæ, & perniciosissimæ doctrinæ pestem, quæ late, ac sensim cum animarum irreparabili damno serpebat, Epistolam circularem omnibus Episcopis scripsit tenoris, ut sequitur.

Illustriss. e Reverendiss. Sig. come fratello, essendo venuto a notizia di questa Sagra Congregazione, che in diversi luoghi d'Italia si vadano poco a poco erigendo, e forse anche si siano erette certe scuole, o compagnie, fratellanze, o congregazioni, o con altri nomi, nelle Chiese, o negli Oratorj, o in case private, a titolo di conferenze spirituali, o siano di sole donne, o di soli uomini, o miste, nelle quali alcuni Direttori Spirituali inesperti della vera via dello Spirito calcata da' Santi, e forse anche maliziosi, sotto titolo d'instradare l'anime per l'orazione, che chiamano di quiete, o di pura fede, o interna, o con altri nomi, benchè dal principio apparisca, che persuadano massime d'isquisita perfezione; ad ogni modo da certi principj male intesi, e peggio praticati, vanno insensibilmente istillando nella mente de' semplici, diversi gravissimi, e perniciosissimi errori, che poi abortiscono anche in aperte Eresie, ed abbominevoli laidezze, con discapito irreparabile di quelle anime, che per solo zelo di ben servire a Dio si mettono in mano di simili Direttori, come pur troppo è noto esser seguito in qualche luogo. Hanno perciò questi miei Eminentissimi Colleghi Signori Cardinali Generali Inquisitori stimato opportuno d'incaricare a V. S. con la presente, che si fa circolare a tutti gli Ordinarj d'Italia, acciò stia vigilante sopra qualsivoglia nuove adunanze simili, diverse dalle già praticate, ed approvate ne' luoghi Cattolici, e trovandone di tali, omninamente le abolisca, nè permetta in avvenire, che in modo alcuno ne vengano istituite, ed insista, che i Direttori Spirituali camminino la strada battuta della perfezione Cristiana, senza affettare singolarità di vie di Spirito. E sopra tutto proccuri, che nessuna persona sospetta di novità simili, s'ingerisca a dirigere nè in voce, nè in scritto le Moniche, acciò non entri ne' Monasterj quella peste, che pur troppo potrebbe contaminare la spirituale intenzione de queste spose del Signore: il che tutto si rimette alla prudenza di V. S. Con che però non s'intenda con quelle provisionali, che ella sarà per fare, preclusa la via di procedere per giustizia, quando si scoprissero in qualche persona rei di errori non iscusabili; intanto si va qui dirigendo la materia per potere a suo tempo avvertire il Cristianesimo degli errori da evitarsi; e Dio la prosperi. Roma 15. Febrajo 1687. Di V. S. come fratello A. Card. Cybo.

Laudatæ Epistolæ Encyclicæ adnexi erant decem & novem articuli recentis contemplationis, & prætensæ orationis Quietis, proscribendi, ac præcavendi, quos subjicimus.

1. La contemplazione, ovvero l'orazione di Quiete consiste in mettersi alla presenza di Dio con un atto di fede oscura, pura, ed amorosa; e poi senza passar più oltre, e senza ascoltare nè discorso, nè immagine, nè pensiero veruno, restar così ozioso: perchè è contro la riverenza, che si deve a Dio, il reiterare l'atto primiero, il quale è anche di merito, e valore sì grande, che contiene in se in una volta, ed anche con maggior utilità, gli atti di tutte le virtù, e dura tutto il tempo della vita, purchè non venga ritrattato con un atto contrario; donde viene, che non è necessario di reiterarlo.

2. Senza la contemplazione ajutata dalla meditazione non si può fare un passo alla perfezione.

3. La Scienza, e la medesima Dottrina Teologica, o Sagra, è un ostacolo, ed un allontanamento alla contemplazione, della quale gli uomini dotti non sono atti a formar giudizio, ma solamente i Contemplativi medesimi.

4. La contemplazione perfetta non può riguardare altro, che la Divinità; onde i Misterj dell'Incarnazione, Vita, o Passione del nostro Salvatore, non sono soggetti proprj della contemplazione, anzi all'opposto l'impediscono: per le che i Contemplativi debbono allontanarsene molto, e non considerarli, che alla sfuggita.

5. Le mortificazioni corporali, e la vita penitente non convengono a' Contemplativi; la conversione deve piuttosto cominciare dalla vita Contemplativa, che dalla purgativa, e dalla penitenza. I Contemplativi devono anche fuggire, rigettare, ed anche disprezzare gli effetti della divozione sensibile, la tenerezza di cuore, le lagrime, e la consolazione dello Spirito Santo, come ostacoli alla Contemplazione.

6. La vera, e perfetta contemplazione deve attenersi alla pura Essenza di Dio, spogliata dalle persone, e dagli attributi; e l'atto di fede verso Dio, formato in questa maniera, è più perfetto, e meritorio di quello, che lo risguarda colle persone, e cogli attributi, essendo quale, come Gesù Cristo medesimo l'ha insegnato: oltre che questo secondo atto è un ostacolo alla vera, e perfetta contemplazione di Dio.

7. Nella contemplazione di già conseguita l'anima si unisce a Dio immediatamente, per la qual causa ogni idea, o immagine, e spezie vi è affatto inutile.

8. Tutti i Contemplativi nell'attuale contemplazione patiscono pene, e tormenti sì gravi, che uguagliano, ed anche superano quelle de' Martiri.

9. Nel Sagrifizio della Messa, e nelle feste de' Santi, è meglio applicarsi all'atto di pura fede, e di contemplazione, che al Mistero stesso del Sagrifizio, o agli atti, e circostanze della vita de' Santi.

10. La lettura de' libri Spirituali, la Predicazione, e l'orazione vocale, l'invocazione de' Santi, ed altre cose simili sono un ostacolo alla contemplazione, ed all'orazione di affetto, alla quale non deve precedere alcuna preparazione.

11. Il Sagramento della Penitenza avanti la Santa Comunione non è necessario all'anime interiori, e Contemplative, ma solamente a quelle, che sono nella vita attiva, e che si esercitano ancora nella meditazione.

12. La meditazione non risguarda Dio col lume della fede, ma col lume naturale, benchè in ispirito, ed in verità; così ella non è di alcun merito presso Dio.

13. Le immagini, non solamente interiori, e spirituali, ma anche le corporali esposte alla venerazione de' Fedeli, come sono quelle di Gesù Cristo, e de' suoi Santi, fanno un gran torto a' Contemplativi: onde bisogna evitarle, ed anche toglierle affatto, perchè non impediscano la contemplazione.

14. Chi una volta si è dato alla contemplazione, non deve più tornare alla meditazione, perchè sarebbe andare di meglio in peggio.

15. Se nel tempo della contemplazione sopraggiungono pensieri terrestri, ed immondi, non bisogna prendersi alcun pensiero di scacciarli, nè ricorrere ad alcuna buona considerazione, anzi compiacersi de quel tormento.

16. Ogni atto, o affetto interiore, benchè prodotto con riflessione in vista della pura fede, non può esser grato a Dio, perchè nasce dall'amor proprio, ogni volta che non sia ispirato dallo Spirito Santo, prima d'ogni applicazione, e d'ogni diligenza del canto nostro, e perciò nella contemplazione, o nell'orazione d'affetto, bisogna stare ozioso, attendendo il soffio miracoloso dello Spirito Santo.

17. Ogni persona, essendo attualmente nella contemplazione, o in orazione di Quiete, sia Religioso, o figlio di famiglia, o altrimenti in soggezione, non deve in quel tempo ubbidire alla Regola, nè compire gli ordini de' superiori per non interrompere la contemplazione.

18. I Contemplativi devono essere talmente spogliati dell'affetto di tutte le cose, che rigettino lontano da se, ed anche dispregino i doni, o i favori di Dio, e perdano insine l'amore delle virtù: in somma per ispogliarsi più perfettamente di tutto, debbano fare ciò, che ripugna anche alla modestia, ed all'onestà, purchè non sia cosa espressamente contra i precetti del Decalogo.

19. I Contemplativi sono qualche volta soggetti a trasporti tali, che tolgono loro ogni uso del libero arbitrio, di modo che sebbene cadono esteriormente in peccati gravissimi, nientemeno interiormente non ne sono colpevoli: così non si debbono confessare di quello, che han fatto, come si prova coll'esempio de Giobbe, il quale dicendo non solamente delle ingiurie al prossimo, ma anco delle bestemmie, e dell'empietà contra Dio, non peccava in alcuna maniera, perchè lo faceva violentato dal Demonio: ora nè la Teologia Scolastica, nè la Morale sono di alcun uso per formar giudizio di queste sorte di stati violenti, ma vi abbisogna uno spirito soprannaturale, il quale si trova in pochissime persone, perchè in quegli stati non si deve giudicare dell'interiore per l'esteriore, ma dell'esteriore per l'interiore.

Hæc prima fuere fundamenta tunc temporis detecta novæ, & perniciosæ doctrinæ, quæ Molinosius in urbe,

& per Epistolas, suosque fastarios in orbe jecarat, ex quibus subinde octo supra seaaginta propositiones pullularunt, ut videbimus.

§. II.

Restrictus Processus contra Michaelem Molinosium, damnatum ab eadem Sacra Congregatione tamquam Hæreticum dogmaticum, ex italica idiomate in latinum translatus.

INterea, Romæ carceribus S. Officii emancipato Michaele Molinosio, ut supra retulimus §. præcedenti, quod magnam commovit in urbe omnis sexus, ætatis, & conditionis hominum admirationem, ac strepitum, in eisque per integrum ferma biennium detento usque ad publicam illius abjurationem, quam intra §. IV. recensebimus; Sacra Congregatio Romanæ, & Universalis Inquisitionis summu cum studio, ac diligentin elaboravit ejus Processum, quem hic ax vernaculo idiomate in latinum translatum axscribimus. Nos Alderanus Episcopus Portuensis Cybo: Petrus Episcopus Tusculanus Ottobonus: Flavius Episcopus Albanansis Chisius: Decius Tit. S. Praxedis Azzolinus: Paluccius Tit. S. Mariæ in Transtyb. Alterius: Gaspar Tit. S. Silvestri in Capita Carpineus: Cæsar Tit. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio Estræus: Federicus Tit. S. Anastasiæ Columna: Franciscus Tit. S. Matthæi in Merulana Nerlius: Hieronymus Tit. S. Nerei & Achillei Casanares: F. Raymundus Tit. S. Mariæ Angelorum Capisuccus: Fr. Laurentius Tit. SS. Apostolorum de Laurea: Jacobus Tit. S. Mariæ in Ara Cæli de Angelis: Presbytari miserationa divina S. R. E. Cardinales, in universa Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Inquisirores Generales a Sancta Sede Apostolica specialiter deputati. Cum tu Michael filius, ut asseruisti, quondam Petri Molinosii, oriundus ax Municita Diœcesis Cæsaraugustanæ Regni Aragoniæ, Presbyter sæcularis, ad præsens annorum saxaginta, legitima fueris accensatus, atque notorie denunciatus apud hanc Sacram, Supremam, & Universalem Inquisitionem tamquam reus plurium gravissimorum errorum in via spiritus plurimis personis instillatorum; propterea nobis mandantibus 18. Julii an. 1685. fuisti comprehensus, & carceribus hujus S. Officii conclusus, ubi continuato adversum te juridico Processu, in primis fuisti gravatus ab eodem novem tastibus, quorum septem de facto proprio, & duo de alieno juridice deposuerunt, quod tu illos ab omni culpa axcusaveris propter varios actus, ax se peccaminosos, contra lagem Dei, immo & obscenos ab ais commissos *in vigilia, sana mente, cum advertentia rationis, & cum delectatione sensuali respective*, quos inter plures recensentur obscenitates, quas publice referre prohibet modestia; sitque satis dixisse, eos inter actus esse plures sacrilegos vel ratione personæ eos committentis, val ob intentionem in eis perpetrandis habitam, vel ob loci sacri, in quo patrabantur, circumstantiam, vel demum ob sacrorum instrumentorum, quibus exequebantur, contemptum, & profanationem. Alii narrantur commissi non solum duas inter personas vicissim, sed quod horrent aures, cum jumantis irrationalibus. Alii vero alterius sunt generis, ut injuriæ, contumeliæ, detractiones proximi, ajusdem percussio; convicia in Deum, B. M. Virginem, & Sacramenta; fractio Sanctarum Imaginum, thecarum Sacrarum Reliquiarum, & Crucifixi, quorum actuum enormium dictis personis non solum, ut debueras, non incussisti scrupulum, sed penitus abstulisti, nunc Confessionis onere non imposito, nunc vero axpressa interdicto: adstruebas enim, eos actus produisse ex violentia dæmonis, sine consensu, & culpa voluntatis, etiamsi id non advertorent; quare non oportere eos confiteri ad dæmoni illudendum, immo sanctissime fieri non confitendo ante Communionem; subjungens, Deum permittere, immo positiva vella ajusmodi violentias ad cruciandas, purgandas, magisque annihilandas, & perficiandas earum animas: & quamvis in ajusmodi actibus perpetrandis experirentur delectationem carnalem, indeque scrupulum conscientiæ; nihilominus & delectationem ejusmodi, & scrupulum ais immitti ad graviorem cruciatum, & majus martyrium: quod & plures tuæ Epistolæ Originales ad varias personas datæ, & Processui insertæ, ajusdem in omnibus tenoris aperte testificantur.

Constitutus proinde personaliter coram hoc sacro Tribunali plane confessus es, quod varios actus peccaminosos divarsis respective personis, ut supra contigerant, approbaveris tamquam violentias a dæmone immissas, expressis in genere actuum obscenorum septemdecim personis, & sexdecim quoad alia genera actuum, excusatione adjecta ab eisdem, se plures recensere haud potuissa vel causa oblivionis, vel ob notitiam sacramentaliter habitam: & quamquam negaveris quosdam actus particulares a dictis testibus juridice depositos, ut eos duarum personarum; confessus tamen es, approbatos a te fuissa cæteros actus, atque asseruisti, quod denter ejusmodi violentiæ, quodque possibiles sint, esto difficilius, inter marem & feminam eodem tempore, adeo ut ex utraque parte copula sequatur. Asseruisti quoque, te lumine superiori, certoque præditum asse ad discernendas in praxi ejusmodi violentias, teque axamplum colligere ax Sacra Scriptura: hinc non solum ut proprias agnovisti dictas literas, atque sensum, & doctrinam in ais contentam tuam essa testatus es, sed atiam rogasti, ut Scriptura quædam olim a te exarata ad hunc finem quæreretur, & actibus insereretur, quod & factum, aamdem confessus fuisti ut tuam in his judicis supremæ Inquisitionis; quæ quidem literæ, & Scriptura t. assertiones qualificatas, & censura notatas, ut dicetur inferius, complectuntur, & sunt sequentes. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationam perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physice earum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in his non adest consensus. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris & feminæ, & ex parte utriusque sequatur actus. Deus præteritis sæculis sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc vero efficit eos sanctos ministerio dæmonum, qui causando in ais prædictas violentias facit, ut illi seipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent. Job blasphemavit, & tamen *non peccavit labiis suis*, quia fuit ex dæmonis violentia. S. Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus ast, unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio*. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia superest via. Et hæc est via facilior, & tutior. Cum hujusmodi violantiæ occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est seipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas; & præ omnibus non opus est hæc confiteri, quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis. Satanas, qui hujusmodi violentias causat, suadat deinde, gravia esse delicta, ut anima se inquietet, na in via interna ulterius progrediatur: unda ad ejus vires enervandas, melius ast ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia. Job ax violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore, quo *mundas habebat ad Deum preces*, sic interpretando locum ax cap. 16. Job. David, & Jaremias, & multi ax S. Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum axternarum. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus axternos peccaminosos. Uti illud de Sampsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias arant prohibita, & peccata fuissent. De Judith, quæ Holoferni mentita fuit. De Eliseo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combussit duos Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur. Cum hujusmodi violentię, etiam impuræ, absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consentisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, & videre, quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna; sed regulam sumere a lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologica superiori, quod me certo cognoscere facit cum interna securitate, quod talis operatio ast violentia: & certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium in hac materia, eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit, qui revelat, & anima in contrarium non potast dubitare.

Dixisti nihilominus, quod memoratam instructionem non adhibendi propriam industriam, propriumque conatum, occasione ejusmodi violentiarum, non tradideris omnibus indiscriminatim animabus, sed iis dumtaxat, quæ mane-

manebant in statu passivo, etsi nondum perfectissimo, quæque Deo jam obsignata propria voluntate cognoscuntur electæ, & vocatæ ad sanctam indifferentiam, & resignationem. Circa Confessionem dixisti, te non præbuisse omnibus omnino animabus uniforme consilium, sed nonnullis te consuluisse, ut confiterentur, sive propter consensum iis actibus fortasse præstitum, sive ad devincendam verecundiam ejusmodi actus manifestandi; dixisti insuper, te non meminisse regulæ cujuspiam generalis traditæ alicui animæ non confitendi absolute, immo te certum esse, numquam animo tuo insedisse intentionem ejusmodi perpetuo prohibendi sacramentalem Confessionem.

Secundo apud hoc sacrum supremum Tribunal Inquisitionis notorie fuisti gravatus, quod docueris novam quamdam inauditam speciem orationis, quam vocas contemplationem acquisitam, otium sanctum, quietem, viam internam, statum passivum, resignationem totalem divinæ voluntati, perfectam indifferentiam, & aliis ejusmodi nominibus insignitam, significantibus animam defixam in oratione non per aliquas dumtaxat horas, sed per totum vitæ spatium, veluti mortuam, exanimem, & omnigene resignatam, nullum omnino elicientem actum, nihil cogitantem, aut scientem, nihilque conantem intelligere, aut velle ex propria electione, seu activitate, etiam occasione ariditatis, ac gravium tentationum; animabus impie persuadendo, ut credant, se in continuo persistere actu directo in Deum, quamvis alio distrahantur, eumque minime advertant, seu cogitent: suggerendo præterea eisdem animabus, ut ad rem nullam reflectant, non exerceant se in actibus virtutum, mortificationis corporalis, devotionis sensibilis, ut rem nullam a Deo petant, credantque tandem, se pervenisse ad statum quemdam immunem ab omni peccato, etiam veniali; aliosque consimiles pessimos abusus ad præsentissimam perniciem animarum a te excogitatos suadendo, & instillando. Circa quod quatuordecim circiter testes in persona propria directi in via spiritus respective deponunt, fuisse edoctos a te sequentia dogmata, tamquam sana, & optima: nimirum, oportere, quod in oratione aliud non facerent, quam se in Dei præsentiam constituere, & postea manerent ibi expectantes quod Deus faciat quod vult, nulla eorum adhibita industria. Quidam dicunt, se in ejusmodi statu nihil expertos fuisse, præter internam quietem, seu otium internum; alii vero dicunt, se internum quemdam affectum persensisse, ignorasse tamen, quorsum tenderet ejusmodi affectus, cum mentem haberent otiosam, omnis expertem speciei, imaginis, & figuræ. Quod distractiones in oratione occurrentes, cujusvis demum sint generis, non expellant, nec curent se in Deum recolligere, quia ejusmodi cogitationes non occupant potentias; & renovare cogitationes erga Deum esse perturbare animæ pacem, & quietem: quodque oretvere, ac contempletur ille, qui indifferenter omnia acceptat, etiam distractiones. Quod hoc tempore orationis non conarentur elicere actus amoris, immo si adverterent eos, reprimerent, aut saltem indifferentes forent ad eorum continuationem, & defectum, quia fovere ejusmodi actus oriri potest ab amore proprio voluntatis. Oportere, quod perpetuo sistant in hac oratione, quam vocas Quietis, seu resignationis, nec renovent amplius actus resignationis divinæ voluntati, quia renovando inciperent denuo propria uti voluntate, jam Deo resignata, & donata. Quod penitus annihilarent potentias suas, omnem activitatem naturalem sensus, imaginativæ, intellectus, ac voluntatis, atque finerent Deum in illis agere suum beneplacitum sine illis, mereque passive cooperarentur divinæ operationi nolendo agere, sed volendo quod Deus in ipsis operetur. Est qui dicit, te sibi asseruisse, Deum totum agere, seque nihil: & quod Deus circumscripsit actus memoriæ, intellectus, & voluntatis, ut nequeat amplius eas facultates applicare anima ad opus aliquod etiam internum. Quidam dicunt, te approbasse quod non attenderent ad cognoscendum ipsum Deum, neque ad eumdem considerandum, aut contemplandum, neque ad eliciendos actus amoris erga illum, vel ad concipiendum desiderium actum ejusmodi perficiendi. Alii deponunt, se in hac oratione nullius rei amplius reminisci, nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei, nec reflectere amplius posse ad rem aliquam, nec etiam ad proprias actiones humanas, quodque illis hæc omnia approbaveris; immo cuidam dixeris, quod homo perfecte mortuus morte mystica eo pertingat, necessum sit, ut nudus per urbem incedat, nec advertat. Deponunt insuper, quod docueris, male animam agere, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus, & festivis, in locis sacris, vel etiam occasione Sacræ Communionis, velit conatu aliquo particulari excitare in se devotum aliquem sensum, quia anima devotionem sensibilem quærere non debet: quare occasione Communionis nullum eliciebant peculiarem actum religionis, cultus, reverentiæ, & amoris; immo si animadverterent insurgere motus humiliationis, petitionis, desiderii, aut gratiarum actionis, eos reprimebant, tamquam motus noxios, ut in sua quiete sine turbatione permanerent: quodque idem faciendum esset post Sacram Communionem. Testantur quoque, te docuisse, quod animæ ejusmodi de nulla re quantumvis spirituali debeant habere desiderium; immo nec de vita æterna: cum id bonum non sit pro animabus perfectis: Quod non confugiant amplius ad Sanctos pro gratia aliqua a Deo impetranda. Hinc asserunt, te eis dixisse, quod quantumvis invocent Sanctum aliquem, ob habitum prius contractum id faciunt, & more psittaci clamantis, non animo quidquam obtinendi, aut flagitandi ab eo. Quod a Deo nullam rem petant, sive temporalem, sive spiritualem, neque quod tollat ab eis imperfectionem aliquam contractam, neque quod eis ignoscat præterita peccata; sed agere sinant divinam justitiam: quia rogare Deum pro re aliqua, est deserere pristinam resignationem, & velle, quod divina voluntas nostræ conformetur; quod opponitur Deo, ac puro spiritui. Referunt præterea, quod docueris, resignata semel Deo voluntate, & libero arbitrio, necessum non esse, quod anima renovet hanc oblationem, quodque roget, ut voluntas Dei fiat in ipsa, quia hoc esset propriæ denuo voluntatis incumbere exercitio: unde morem gerentes instructioni tuæ dicunt se amplius non rogare Deum pro æterna salute, vel pro se, vel pro aliis, neque pro gratia eum amplius non offendendi, neque pro suo spirituali profectu, neque pro conversione illorum, qui manent in letali peccato, neque pro præservatione alicujus a gravi Dei offensa, neque tandem pro defunctis; & rogare Deum, ut a propriis nos liberet defectibus, est exire a suo nihilo, atque defectuosum.

Deponunt exinde, quod docueris, non esse resistendum irruentibus tentationibus, nec Deum exorandum, ut vires largiatur ad eas devincendas, sed persistendum esse in solita resignatione, & indifferentia, non desiderando eas, nec propellendo; quia sicuti desiderium, & consensus esset malus usus liberi arbitrii, ita & repulsio earumdem foret proprietas, seu proprius usus voluntatis: adduntque ex tua instructione, omnem activitatem liberi arbitrii defectum esse, saltem venialem, luendum & expiandum in Purgatorio.

Item testificantur, hanc audivisse a te doctrinam, quod oporteat omnem Dei considerationem amittere, suique nihil meditationem abjicere, ut Deus solus totaliter agat in anima. Non pauci a te instructi, ac directi plurimo jam ex tempore non recitant amplius preces vocales, nec ipsam orationem Dominicam, vel quia, ut dicunt, oratio vocalis impedit, ac destruit actum continuum erga Deum, vel quia redditur illis impossibilis, vel demum quia tu hanc illis prohibuisti, adstruendo, ejusmodi impotentiam a Deo prodire.

Rursus testantur, te dixisse, quod resignato semel Deo libero arbitrio, anima non debeat illud repetere, quodque tunc omnia, quæ eveniunt animæ, Deus positive velit; quare licet pars inferior in aliquem labatur defectum, pars tamen superior non consentit: & si consentire videatur, verum non est, quia Deus operatur, non anima; immo hic timor præstiti consensus est majus tormentum quod animam cruciet. Hinc plures fatentur, se jam multo ex tempore nullis omnino peccatis obnoxios, sive mortalibus, sive venialibus, quia adstruunt, Deum agere in illis: unde in confessione non habent, de quo se accusent, nisi fortasse occurrat peccatum aliquod vitæ anteactæ; tuque in hac falsa opinione eos confirmasti. Immo non deest, qui addat, se etiam modo peccata committere, attamen hæc deleri, & extingui per continuam cum Deo unionem; quare accedens ad Confessionem eorum penitus obliviscitur, nec ullius recordatur vel minimæ imperfectionis: suntque, qui dicunt, se ad tantam pertigisse spiritus libertatem, ut libere jocari queant cum personis alterius sexus sine ullo timore periculi consensus, quia Deus illos præservat a peccato; hancque opinionem te approbasse.

Præterea deponunt, se non amplius vacare virtutum exercitio, ut prius consueverant, quia dixisti, omnia suppleri per orationem illam Quietis a te excogitatam; quodque non amplius exerceant voluntarias mortificationes corporeas, quia asseruisti, has non prodesse iis, qui per viam internam ambulant.

Multi testificantur, te docuisse, quod melius sit, atque perfectius operari ex puro amore, quam ex votorum vinculo, quia vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva, auferuntque Deo libertatem, ut integre suum in eis exequatur beneplacitum; quæ doctrina sparsa in Monasteriis effecit, ut quasdam Personas Religiosas pœnituerit sacræ suæ Professionis.

Tandem est, qui deponit ex tua instructione, viam internam a te edoctam novam esse prorsus, ac inauditam, penitusque destruere viam ordinariam perfectorum: in hac plerumque vacare homines lectioni Spiritualium librorum,

visitationi Ecclesiarum, & sactissimi Sacramenti, lucrandis Indulgentiis, rogare Deum pro vivis ac defunctis, indulgere operibus caritatis, conari devincere tædium, & impatientiam, fugere tentationes gulæ, propellere impuras cogitationes, uti propria industria & activitate ad se purgandos, supplicare Deum pro gratia aliqua speciali vel temporali, vel spirituali, studere excitando fervori, ac dilectioni Divinæ, aliisque id generis; in illa vero nihil ejusmodi fieri, sed longe ab ea exulare hæc omnia veræ Religionis, ac pietatis exercitia, solumque regnare prætensam a te omnigenam resignationem divinæ voluntati, nihil omnino agere animam, sed veluti exanimem persistere.

Omnes prædicti testes, ut fusius constat in Processu, conveniunt in punctis enumeratis plus, minusve respective, ac singuli asseverant, memoratas doctrinas omnes a te promanasse, quorum duo potissimum addunt, animas illas, quæ tuis utebantur consiliis, hisque doctrinis imbutæ super stato annihilationis & mortis mysticæ a te fuerant, plerumque scrupulum omnem conscientiæ propulsare; & licet præsentata occasione obmurmurarent, irascerentur, vel conviciarentur, nullum in his peccatum esse sibi persuadere: quia, ut ajebant, totum oriebatur a Dæmone, firma & immota remanente parte superiori. Addebant, se non indigere jejunio, mortificatione corporali, aliisque piis operibus; spernebant alios quoscumque Directores velut incapaces ad dirigendas animas in via spiritus; Actorum deridebant lectionem sanctorum, quia, ut ajebant, assecuti non fuerant perfectionem, & sanctitatem modernam, sed viam sensibilem, purgativam, externam; sæpius communicabant, nulla præmissa sacra exomologesi si, ac ita se disponebant ad Communionem, ut viderentur recepturi offam panis duntaxat, non vero Corpus Domini.

Ob tot doctrinas impotentiæ, quam haberi docueras in via interna, quædam animæ videbantur vel ad desideria, vel ad preces impotes: non deerant, quæ motus supernaturales pati affectabant: quædam dicebant se opiparo indigere cibo, ut desolationes internas & afflictiones æquilibrarent: ommittebant quæcumque pietatis officia tamquam non congrua proprio statui, seposito eorumdem cultu ac veneratione, ac cæteros hujuscemodi exercitiis addictos velut rudes, incapaces, & homines exteriores parvi pendebant, aliisque similibus irrisionibus aspernabantur: intantum adinstar conversabantur hic inter se utriusque sexus personæ, quod proinde causa extitit inconvenientium, quæ hic merito silentio teguntur.

Omnes memoratæ doctrinæ a testibus depositæ apud hoc sacrum Tribunal Supremæ Inquisitionis, veluti a te receptæ in via Contemplarionis acquisitæ, legebantur in pluribus tuis literis originalibus, in Processum relatis, & datis a te ad varias personas Romæ, vel alibi degentium degentes, ex quibus a te juridice recognitis variæ Propositiones extractæ fuerunt, postmodum typis editæ.

Constitutus proinde coram hoc sacro Tribunali, atque examini subjectus, plane confessus es, te plurimas animas, quas inter prædicti testes, aliique complures speciatim nominati, direxisse per viam spiritus, variis a te nominibus emtis ex dictis tuis Epistolis, insignitam, videlicet, contemplationis acquisitæ, puræ fidei, quietis, seu pacis, unionis internæ cum Deo, puri spiritus, transformationis, nihili, seu annihilationis, derelictionis totalis sui in Deum, mortis mysticæ, status passivi, totalis resignationis divinæ voluntati, indifferentiæ, incomprehensibilitatis, & status Divini.

Prætera confessus es, viam internam a te edoctam opponi viæ ordinariæ, idque constare ex pluribus tuis Epistolis; ea omnia, quæ viæ ordinariæ repugnant, non repugnare alteri dictæ Quisetis, seu nihili, ubi omnia ex adverso accidunt: consilia viæ ordinariæ, utpote omnia materialia, ac sensibilia, pugnare cum via interna, immo penitus eam destruere, ac devastare, adjecta ratione, quia consilia omnia viæ internæ eo tendunt, ut animam occupent in propriis actibus eliciendis, hujus vel alterius virtutis exercendis; consilia vero viæ extraordinariæ, & internæ a te prætensæ, & edoctæ eo prospiciunt, ut sinant animæ Deum agere, utpote hoc modo interne vocatæ a Deo.

Demum confessus es, Propositiones erutas ex tuis literis, ac scriptis, omnino genuinas esse, eumdemque, ut jacent, præseferre sensum, ac doctrinam, quam animabus a te directis suggesseras, ac instillaveras. Mandavimus proinde, ut dictæ Propositiones extractæ ad certa puncta principalia doctrinæ redigerentur, ad quorum examen deputati fuerunt a Domino Nostro Papa Qualificatores idonei: sunt vero ejusmodi puncta, quæ sequuntur. Oportet hominem suas potentias annihilare. Et hæc est via interna. Velle operari active, est Deum offendere, quia vult esse solus agens; & ideo opus est seipsum in Deo totum totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus examine. Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis. Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in seipso remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum; & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis. Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere; & hoc modo recte proceditur. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere, si vult pertingere ad veram unionem incognoscibilem atque imperceptibile cum Deo. Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas actiones humanas, & ad proprios defectus. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi, & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non opus est reflectere. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso; nec debet desiderium habere propriæ sanctitatis, nec propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii: *Petite, & accipietis:* non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; immo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere: quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & illud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cognitione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; & si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur, quia est natura. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum. Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est; Deus numquam loquitur, ejus locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit. In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ Attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet. Cognitio hæc per fidem non est actus a Creatura productus, sed est cognitio a Deo Creaturæ tradita, quam Creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit se illam habuisse; & idem dicitur de amore. Mystici cum S. Bernardo, vel Auctore Scalæ claustral. sub nomine ejusdem S. Bernardi, distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam: qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit; qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat absque eo, quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam, & hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere absque eo, quod amplius redeat ad secundum, aut primum. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei, immo eam perfectiorem efficiunt; quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis; quia oratio & resignatio, resignatio & ora-

& oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, & oratio perdurat. Tres illæ viæ Purgativa, Illuminativa, & Unitiva sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet via interna. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed seipsum, & male agit, cum eam desiderat, & eam habere conatur, incedens per viam internam. Tædium rerum spiritualium bonum est; siquidem per illud purgatur amor proprius. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in seipsa sentiens fervorem, bonum signum est. Totum sensibile, quod experimur in via spirituali, est amor extraneus, inquietus, abominabilis, & impurus. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes, quia id est & pro virtute, & pro anima majus lucrum. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro illis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia in hac adest amor, qui supplet modo perfectiori omnes actus virtutum, qui fieri possent, & fiunt in via ordinaria: & si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ, nondum mortuæ. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum, quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnes dies sunt æquales & festivi. Verbis, & lingua gratias agere Deo non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem Dominicam, seu Pater noster recitare. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione, & activitate; alias non essent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi; quia enim illa objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa. Nulla Creatura, nec B. Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, & possidere. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, & resignatione permanere. Crux voluntaria mortificationum, pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit omnibus Sanctis sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes passiones, ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius; unde, quando hic purgatus est, & mortuus, uti fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata, nec mortalia, nec venialia. Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, & a Casibus conscientiæ, a Theologia, & a Philosophia. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tanta gratia præservante, quantam in Sacramento reciperent; & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile. Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum, ita ut quis maneat in nihilo, idest mortuus sit morte mystica, & sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, ac si non essent, quia non preveniunt ad faciendum, quod intellectus ad eas se applicet. Spirituales vitæ ordinariæ in horâ mortis se delusos invenient, & confusos cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis, ad statum contemplativi. Primo, quia non habet fidem adeo puram. Secundo, quia non est adeo humilis. Tertio, quia non adeo curat propriam salutem. Quarto, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illo ingredi verum lumen.

Quas quidem Propositiones a te edoctas esto fueris conatus omni studio limitare, & exponere; non profuit tamen, ut sanum redderent sensum, quin potius aliquas principaliores hæreseos censura notatas nunquam purgare valuisti: siquidem requisitus, ut magis specifice explicares nonnulla puncta a Testibus deposita, ut V. G. quod anima interna nullam rem a Deo petat, nec pro aliqua illi gratias agat; coactus es fateri, hanc tuam fuisse doctrinam, quod animæ, quo firmius persistat in resolutione Deum non offendendi, magis conveniat manere in prætensa resignatione, & indifferentia, quam a Deo petere gratiam non peccandi. Confessus es, sanum esse dogma, quod anima postulare non debeat perseverantiam in ejus sancto amore, asserendo, melius esse perseverare in amore Dei, & indifferentem se exhibere, quam exire ab hac sancta indifferentia petendo perseverantiam; quia persistens in ejusmodi indifferentia divinum, ut ajebas, expectat beneplacitum, ut sibi amorem infundat, quando ei magis placuerit. Item confessus es, tuam esse instructionem, quod anima ejusmodi, quamvis enixe cupiat non committere aliquem defectum, nihilominus si Deum rogare conetur, ut se liberet a defectibus, exeat a suo nihilo a te prætenso, & eliciat actum propriæ voluntatis, quod foret, ut asserebas, inordinatio maxima hujus status: hinc desiderium ejusmodi, utpote adhuc sensibile, purgandum esse, ne videatur anima fovere sensibilitatem. Præterea confessus es, tuam pariter doctrinam esse, quod petere a Deo vires ad superandas tentationes sit usus propriæ voluntatis, & activitatis, quod exequi non debet anima ad statum passivum vocata, quam non oportet quidquam petere, nisi perseverantiam in sua indifferentia, non exeundo ab illa ad precandum; quoniam si exierit ad rogandum, & petendum, signum est evidens, eam non manere totaliter cum Deo, nec illi plene resignatam.

Rursus confessus es, tuum esse sensum, ac dogma, quod anima ejusmodi exoptans manere in sancta indifferentia, non amplius debeat, nec etiam mentaliter, egredi ad omnes illas peculiares petitiones, quas oratio Dominica complectitur, quia oratio hæc cum omnibus illis distinctis petitionibus non est modus omnium perfectissimus orandi, ac petendi, sed hic est, ut ajebas, relinquere Deo omnem curam, & cogitationem, ut suam voluntatem suo modo in nobis exequatur; nec amplius oret, aut petat quidquam, nisi solum: *Fiat voluntas tua*: quia hoc modo assequitur finem Dominicæ orationis non orando, seu petendo. Rursus confessus es, te docuisse, quod ejusmodi animas non oporteat amplius offerre Deo suffragia pro defunctis, quia jamdudum se expoliarunt propria voluntate, ac reposuerunt se in manu Dei, ut de illis disponat, quid, & quando libuerit: ideoque dixisti desiderium illud, quandoque excitatum in anima, orandi pro conversione peccatorum, vel pro aliquo defuncto peculiari, titulo affinitatis, aut amicitiæ esse inclinationem naturæ, adeoque abjiciendam, vel reprimendam ab ejusmodi animabus debais in prætensa resignatione. Insuper confessus es, quod licet aliæ animæ curent sibi fieri suffragia post mortem, ut quantocius liberentur a pœnis Purgatorii, immo sint, quæ ad petenda suffragia a Purgatorio redeant, ut citius ad videndum Deum inde evadantur; nihilominus animæ perfectiores, elevatæ jam ad statum sanctæ resignationis, & indifferentiæ, non petunt; nec petere debent suffragia, quia aliud non quærunt, nec quærere debent, nisi purum Dei beneplacitum, sive gaudendo, sive patiendo: & alibi dixisti, effatum D. Pauli: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo:* non fuisse locutionem animæ perfectæ, ac purgatæ, sed purgandæ, atque perficiendæ ad obtinendam totalem indifferentiam a te prætensam, in qua solum vera perfectio consistit. Asseruisti præterea, quod Deus aliquando ad probandam animam illi minetur, se eam derelicturum, suaque custodia, & dilectione expoliaturum; ei se fingat iratum, æternæque damnationis pœnam inflicturum: & dixisti, quod fortuito deprehensam ejusmodi animam hortari consueveris ad resignandam se Deo in omnibus, sine ulla prece fundenda, qua eum sibi placaret. Agnovisti quoque ut tuam instructionem, esto non certam, sed per illationem a te deductam, quod animæ vocatæ ad mortem mysticam, & amorem Dei, si in hac vita non purgaverint propriam activitatem, & usum liberi arbitrii, omnesque reflexiones ad propriam utilitatem, illas expurgare debeant post mortem in Purgatorio.

Rursus ut tuam approbasti doctrinam traditam circa reflexiones ad actiones humanas, quod animam perfecte mortuam morte mystica eo devenire oporteat, ut vestibus se exuere non erubescat in plateis publicis, immo & in ipso foro Agonali Romæ, si ita jubeatur; dixisti, quod præciso ejusmodi præcepto, non ideo hoc facere recuset, quia agnoscat esse illicitum, sed quia Deus eam dirigens id non

pe-

permittat. Praeterea circa immunitatem animarum ab omnibus peccatis, etiam venialibus, agnovisti, & confessus es tamquam scriptum a te in quadam Epistola, quod innumeræ extent animæ tibi notæ, ac cognitæ, immunes a scrupulis agitantibus conscientiam, quæ proinde numquam confiterentur, utpote nullius rei sibi consciæ, quodque de hoc certam habeas experientiam: verum etiam de temetipso testatus es, tibi spatio viginti duorum annorum numquam obvenisse materiam actualem sufficientem pro sacramento Pœnitentiæ; attamen concedebas in ejusmodi animabus quædam peccata orta ex inadvertentia, verum id quoque limitabas adstruendo, illa esse omnino involuntaria, & propterea non cognosci ab anima ullo modo, sive quando ea committit, sive quando forent confitenda, quia, cum sint peccata dumtaxat materialia, non permittit Dei gratia, ut animæ innotescant.

Item fuisti gravatus circa prædicta a duobus testibus privatis, quod eos docueris, oportere perfectam indifferentiam eo pertingere, ut omnem expellat timorem Deum offendendi de cætero; quorum unus restatur, quod tecum collato suo interno, se nimirum rogare Deum, ut potius sibi mortem infligat, & ipsa tormenta Diaboli, quam se permittat in divinam cadere offensam, tu ejusmodi affectionem reprobaveris velut inanem, ac nocivam. Alter vero adstruit, quod manifestato tibi suo timore peccandi, audacter dixeris, oportere hujusmodi formidinem mori in anima; quodque illi plurimum commendaveris prætensam indifferentiam, magisque perfectum esse docueris, si persistat in ejusmodi indifferentia, subdens (quis crederet?) Deum velle peccatum: & tamen res ita se habet; & alibi testatur te dixisse, oportere ut anima perfecte sit mortua morte mystica, integre se resignet in omnibus divinæ ordinationi, & si voluerit Deus a nobis, sive ab aliis graves offensas pati, opus sit ejusmodi divinæ dispositioni in omnibus acquiescere, & conformari: de quo in examine constitutus negativus extitisti, declarando, & dicendo, te numquam prohibuisse, seu reprobasse in ejusmodi animabus mysticis timorem internum, atque insensibilem offendendi Deum, sed sensibilem dumtaxat, & externum; dixisti, aliud esse, firmiter persistere in resolutione potius mortem subeundi, quam offendendi Deum, & aliud rogare Deum, ut sibi mortem potius immittat, ac dæmones ipsos, quam se offendi sinat: primum negasti te prohibuisse umquam alicui animæ, seu palam reprobasse; secundum vero asseruisti, te forsan vetuisse alicui animæ vocatæ ad statum passivum, seu indifferentiam prædictam. Ad relationem secundi testis dixisti, ejusmodi timores a te reprobatos aut fuisse cognitos inanes omnino, & vacuos, a dæmone causatos ad perturbandam animæ unionem cum Deo, utpote excitantes varios discursus, & reflexiones, aut, cum asseruisti, perfectius esse in sancta manere indifferentia, Deumque aliquando velle peccatum, id intelligendum fore de peccatis letalibus involuntariis sine ullo consensu commissis, ut sunt violentiæ a dæmone immissæ, quibus voluntas non consentit, ad quas perferendas oportet animam esse indifferentem, si Deus velit, & si testes aliter intellexerint, ac deposuerint, errasse, ob tenuem eorum capacitatem.

Præterea fuisti denuntiatus, & accusatus ab uno ex Testibus, quod in quadam occasione, descripta in Processu, cuidam illorum dixeris, animam mortuam, & annihilatam non esse amplius subjectam divinis Præceptis, posse proinde indifferenter omnia facere, quia non transgreditur Præcepta ea contemptu; Deumque leges constituisse pro peccatoribus, non vero pro iis qui illum amabant: quod adminiculatum fuit a duobus aliis Testibus deponentibus in Processu, se veniam a te obtinuisse vacandi operibus servilibus per plures horas diebus festivis; teque vidisse in Quadragesima, aliisque temporibus prohibitis vesci carnibus, & aliquando carnes piscibus jungere, adjecta tamen Medici licentia. Constitutus tamen plane negasti, te aliquando docuisse, quod anima annihilata non teneatur amplius observare divina Officia, & præcepta, immo totam e converso doctrinam tradidisse, nimirum, quod anima annihilata aliud nequeat agere, præter illud, quod Deus vult ut faciat, quia Deus abstulit ei voluntatem, & ipse est qui facit eam agere, & eadem anima propria voluntate carens non operatur ipsa, sed Deus in ipsa est qui facit illam operari, qui movet illam ad observanda mandata, nisi fortasse cogat aliquando ad agendum oppositum dictis Præceptis. Secundo confessus es, toto eo tempore, quo Romæ degis, numquam re integram observasse Quadragesimam, & carnes comedisse diebus quoque Veneris, ac Sabbati, quamvis asserueris, ob indispositionem corporis jussum a Medico te id fecisse. Tertio confessus es, te permisisse quidem per paucas horas opera manualia exequi diebus festis quibusdam personis; verum in hoc te spectasse circumstantias, & Doctorum opiniones.

Præterea fuisti accusatus a quodam Teste, quod improbaveris statum Religiosum, velut minime congruum animabus internis, & præsertim ipsimet Testi; addendo, tot mortificationes, & pœnitentias exteriores, orationes vocales, regulas, & constitutiones dedecere animas incedentes per ejusmodi viam extraordinariam, quod quidem confirmatum remanet ex una ex supradictis doctrinis, scilicet, quod vota sint perfectionis impeditiva. Constitutus negasti, te aliquando improbasse animabus internis statum Religiosum, immo earum pluribus consuluisse, quando tibi certa constitit, vocatio: fassus es nihilominus, fieri potuisse, quod alicui animæ dissuaseris statum Religiosum, potissimum si eam cognoveris vocatam a Deo ad purgationes extraordinarias, ut sunt vexationes, seu violentiæ dæmonis, cui proinde non congruunt tot regulæ, constitutiones, & mortificationis exercitia, quia videtur Deus quod velit ejusmodi animam dirigere pro suo arbitrio; quia cæteris in Religione non foret ædificationi, sed scandalo potius, ac ruinæ, turbaretque pacem Communitatis. Cum vero tibi opponeretur prædicta tua Propositio, vota adstruens impeditiva perfectionis, reposuisti, te non voluisse excludere ea vota, quibus anima Deo se tradit in holocaustum, sed vota dumtaxat particularia.

Rursus fuisti accusatus, quod Ascetas tuos provexeris ad statum quemdam non solum actu non peccandi in suis actibus, sed ad omnigenam impeccabilitatem; siquidem Testis quidam loquens de semetipso deponit, se nullum amplius committere posse peccatum, nec etiam veniale: quia, inquit, Deus operatur in me omnia, qui cum peccare nequeat, nec ipse peccare possum; hancque doctrinam asserit a te hausisse. In cujus rei confirmationem plures extant tuæ Propositiones partim scriptæ, & a te recognitæ ut genuinæ, partim vero productæ in judicio, & confessæ a te, quæ concludunt evidenter ejusmodi impeccabilitatem: quia in una dicitur, quod Deus possessionem accipiat liberi arbitrii; in aliis vero, quod repetat a nobis memoriam, intellectum, & voluntatem; quod a reflexione oriuntur defectus, qui si non advertantur, peccata non sunt; & e converso adstruitur in alia Propositione, quod animæ internæ omnibus reflexionibus sint mortuæ; quod anima pertingat ad mortem passionum, eoque in statu non possit aliud velle, præter id, quod Deus vult; quod animæ ejusmodi sint annihilatæ in esse operativo, redeantque ad suum principium, & originem, quæ est essentia Dei, in qua transformatæ remaneant; demum, quod anima annihilata aliter operari nequeat, nisi ex impulsu Dei, quodque non sit ipsa, quæ agit, sed Deus in ipsa: quæ quidem doctrinæ palam inferunt prætensam ab his animabus impeccabilitatem: insuper præter id refertur in actis Scripturæ cujusdam tui discipuli, qui ex eisdem principiis deducit impeccabilitatem; & admodum verisimile est, quod discipulus, & Magister in præmissis principiis convenientes, in ipsa quoque conclusione convenerint. Constitutus negasti, quod umquam asserueris animam aliquam impeccabilem, sed dumtaxat actu non peccantem in suis actibus, atque posita distinctione inter actum primum, & secundum, juxta doctrinam Theologorum: dixisti, quod dictis Propositionibus non intelligas, nec intellexeris umquam, animam exuere potentiam peccandi, sed dumtaxat non pertingere ejusmodi animam ad actum practicum peccati; quod si aliquis tuorum discipulorum ea dictis principiis intulerit impeccabilitatem, hanc non fuisse tuam instructionem.

Item fuisti indicatus, te mortem tuam mysticam extulisse usque ad visionem beatificam habendam in hac vita, ita referente quodam Teste, qui post varias hac de re consultationes, putans, se pervenisse ad hujusmodi statum felicissimum, tibi scripsit epistolam, tuo que responsum dedisti, actis insertum, adeo magnificis refertum expressionibus, ut plus aliquid dici haud posse de ipsomet statu beatifico videretur, & signanter illi annunciasti, quod ante mortem esset perventurus ad fruendum incessanter de eo, quod S. Paulus, quando *raptus est ad tertium cælum* degustavit, quod juxta opinionem satis vulgarem Theologorum extitit visio intuitiva Dei. Idem videtur adminiculatum ex alia tua epistola scripta ad quamdam aliam personam, in qua legitur, quod, cum anima per plures mortes, & crucifixiones mysticas pervenerit ad statum indifferentiæ, tunc de morte nascitur ad veram vitam, & verificatur illud: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*, in præsenti vita; hæc est contemplatio perfecta, *unum necessarium*, & hoc est vera unio effectiva, & vera transformatio in Deum, & permanentia Dei in anima sine anima, & Dei in Deo. Constitutus proinde negasti, te approbasse, seu annunciasse in dicta epistola respective memoratæ personæ visionem Dei intuitivam, & exposuisti dictam epistolam cum omnibus punctis in ea contentis, dicendo, ejusmodi doctrinam verificari de transitu animæ a statu purgativo, in quo mortua supponitur omnibus passionibus, desideriis, appetitibus, & electionibus; exemplum vero D. Pauli a te fuisse allatum absque ulla inten-

intentione versandi quæstionem Theologicam, num S. Apostolus in raptu viderit Deum intuitive, necne; sed gratia dumtaxat significandi, quod, quemadmodum D. Paulus non illico consecutus est incessanter visionem illam adeo perfectam quam delibavit in raptu, sed postea ad eam pervenit, ita quoque eventurum sit illi personæ, cui scribebas. Quantum vero ad aliam Propositionem alteri supradictæ tuæ epistolæ insertam, respondisti, interpretandam esse non de visione Dei intuitiva, sed de contemplatione illa perfecta, quæ haberi potest in hac vita, quæque largo modo dici potest visio Dei. Præterea, etsi Processus referat pluribus in locis, quod prohibueris congressus fieri consuetos inter tuos discipulos mares, ac feminas cum osculis, aliisque jocis indecentibus etiam cum scandalo, immo nonnullos a tua directione rejeceris tamquam incorrigibiles; nihilominus tres privatis Testes singulares te reliquerunt suspectum de hujusmodi licentia, & approbatione a te habita, osculandi personas alterius sexus, asserentes, rem ejusmodi a te velut insensibilem fuisse æstimatam; quod tamen constitutus negasti.

Rursus fuisti indicatus, quod tibi volueris arrogare sanctitatem, eamque pluribus in occasionibus jactaveris; quia, ut refertur in Processu, satelliti, qui tibi vincula injecit, cum jussu hujus supremæ Inquisitionis fuisti comprehensus, tamquam periculosum dissuaseris proprium exercitium, eique dixeris, Noscis, quis sim ego? Ego sum Doctor Molinosius, & verba, quæ loquor tibi, alta mente reconde, ex memetipso ea non loquor, sed Angelus Dei illa mihi suggerit. Addidisti quoque. Oh quot Romæ degentes solverent quamplurimum, si tuæ sortis participes effecti, cum Doctore Molinosio colloqui possent! Quot ego abire jussi, seu illis domi me esse negavi! Tibi vero hoc facere non potui, hanc specialem Deus sibi impertitur gratiam, qui tuorum sodalium fuisti audacissimus, ut mihi manus injiceres; bene advertas: & hæc dicens interdum manus ad cælum attollebas: & oculos flectebas ad terram, quærebasque ab eo. Num sortem suam cogitaret? Item referuntur in Processu plures tuæ epistolæ datæ ad quamdam personam, quæ in tui laudem componebat Anagrammata elevati sensus, & intelligentiæ, a te subinde correcta, puraque reddita, quæ non tamquam naturalia, sed prophetica, ac divina commendabas: sunt vero quatuor præcipue, videlicet,

MICHAEL DE MOLINOS,

ANAGRAMMA.

	Aliud.
Hic do Mel mau Celi.	En his homo lac Mel Dei.
Aliud.	Aliud.
Hic Mel Sal Homo Dei.	Mi en homu Callis Dei.

QUidam deponit, quod collatis tecum consiliis sibi traditis a quodam Religioso, quem Sanctum deprædicabat, responderis, quod ad cognoscendum Sanctum opus sit Sanctissimo, volens innuere, quod ad consulendum adæquate statui illius Testis congruus non esset ille Religiosus, sed tu, qui eras Sanctissimus; & alius deponit, quod illi quadam vice donaveris indusium lividum undique, & flavescens, dixerisque, hoc indutum te Hispaniis Romam profectum, futurum id post tuam mortem insignem Reliquiam: quare illud caute asservaret. Nihilominus habetur in Processu, quod non permiseris illi apud se retinere devotionis causa quædam donaria quondam a te eidem elargita. Constitutus confessus fuisti ejusmodi sermonem cum Satellite protractum; dixisti tamen te id non egisse propter complacentiam, aut existimationem propriam, sed dumtaxat ad majus robur verbis tuis conciliandum in anima Satellitis audientis, ut illam averteres a periculo, cui exposita tibi videbatur. Item confessus es, te non lamisse, sed commendasse, immo ope tua fovisse respective dicta Anagrammata, sed absque ullo vanæ gloriæ lenocinio; Deumque id scire: idcirco tamen prophetica, ac divina nuncupavisse, quia ejusmodi nominibus insigniri solent id generis compositiones extraordinariæ.

Rursus confessus es, te sæpius dixisse, quod ad discernendum Sanctum requiratur Sanctissimus, id intelligendo de lumine superiori, quo præditus sit oportet ejusmodi sanctitatis discretor: & dixisti, te negare non posse, quod in quibusdam occasionibus hominem te jactaveris multi consilii, lumine divino perfusum, & quidem excellentiori quod habent cæteri, nuspiam vero temetipsum æstimasse sanctissimum; immo nec sanctum, quia illud lumen superius magis te annihilabat, tuasque miserias tibi manifestabat. Negasti quoque, quod cuipiam concesseris proprium indusium veluti Reliquiam conservandam post mortem tuam, & si quispiam abstulerit, te id ignorasse.

Præterea fuisti accusatus singillatim a duobus Testibus, quod sermonibus parvi pendederis S. Officium, illudque cum derisione redargueris tamquam incapax dogmatum, quibus Asoetas instruebas; ac curaveris ea eidem Sacro Tribunali celari; insuper expresse prohibueris (ut unus ex laudatis Testibus deponit) ne Sancto Officio suum internum aperiret, quantumvis fuisset interrogatus, quia præter quam quod capax non erat, interrogare non poterat de internis, & poterat Testis libere inficiari ea omnia, super quibus de internis fuisset interrogatus. Alii duo Testes referunt Propositiones erutas ex tuis epistolis a te recognitis, præsertim datis ad quemdam locum, & eo tempore, quo Sacra Congregatio S. Officii diligentias quasdam adhibuerat, ut certam haberet notitiam de nonnullis Quietistarum inconvenientibus eidem Sacro Tribunali relatis per supplices libellos: Propositiones vero sunt sequentes. I. Præpositis obediendum est in exteriori, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiori vero aliter res se habet, ubi solus Deus, & Director ubediri debet. II. Risu digna est nuva quædam propositio, vel doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo, & quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat: novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam umquam tradiderunt, nec tradere possunt. III. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: *quia Ecclesia non judicat de occultis*, & propriis animabus præjudicant ita asserentes deceptionibus, & simulationibus. IV. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ Directoris interni ad internum animæ, & ideo opus est animadvertere, quod hoc est deceptio Satanæ. Constitutus negasti, te irrisorie locutum de hoc Sacro Tribunali, aut prohibuisse cuipiam, ne manifestaret ei suum internum, aut laudasse aliquem, qui æquivoce illud exposuerit; & ad duas personas dictarum quatuor propositionum respondisti, te solum intendisse, quod praxis Ecclesiæ non sit, ut Superiores Ecclesiastici, seu Prælati Religiosorum de facto se intromittant directioni interni eorumdem, non vero, quod si vellent, non possent se intromittere. Ad duas vero ultimas dixisti, te voluisse dumtaxat insinuare, quod animæ non teneantur sponte sua pergere ad revelandum internum suis Superioribus, non vero, quod non teneantur fateri veritatem, si juridice fuerint requisitæ: addidisti, quod, dum scriberes illas Literas, ignorabas, hujusmodi disquisitionem fieri eo in loco jussu S. Officii, sed te putasse contrarium, cum facta fuerit extrajudicialiter, & absque jurejurando expetito a Testibus.

Demum fuisti graviter accusatus, te in locis, ac temporibus in Processu descriptis, per plures annos cum quadam muliere, & pariter cum alia exercuisse actus adeo nefandos, ac turpes, ut modestia non sinat eos adæquate recensere; nihilominus necessitas exposcit ne totum committatur silentio, videlicet oscula reciproca, amplexus, tactus in partibus reconditis vicissim peragere non sine aliqua immunditia. Prosecutus fuisti ex parte tua, non tam nudo corpore incedere vicissim: mensurare ventrem cum ventre nudo: inspiciendum præbere quoddam prætensum signum tuæ virginitatis iteratis vicibus: velle mulierem illam non raro mingentem inspicere, quandoque miscendo patheticos discursus in materia inhonestatis. Præterea eidem mulieri suadebas, actiones ejusmodi non esse peccata: pacasti conscientiæ remorsus, quibus angebatur, tamquam remorsus a dæmone prodeuntes, dicendo optimum esse consilium hujusmodi devincendis assuescere, ut facilius quis vincere queat, quando dæmon ea repræsentabit in hora mortis: hinc eorumdem prohibuisti confessionem, etiam instante morte faciendam; & quamvis pravam ejusmodi ac enormem consuetudinem protraxeris ad spatium viginti duorum annorum, asseruisti tamen, toto eo tempore te numquam recordatum fuisse materiæ actualis sufficientis pro Sacramento Pœnitentiæ. Quare constitutus, plene omnia confessus es, & requisitus de tua credulitate, respondisti, te putare, ac putasse, ejusmodi actus commissos cum dicta muliere non esse peccata, tua opinione fundata in prætensa quadam insensibilitate, seu morte sensus tui, earumque personarum, vel in prætensa quadam immunitate a periculo consensus, & fovendæ delectationis impuræ; immo dixisti, te nonnumquam in ejusmodi actibus perpetrandis expertum fuisse majorem cum Deo unionem. Sed cum Decreto nostro ejusmodi tua credulitas fuisset suggillata hæreseos nota, respondisti, te subjicere judicio Sanctæ Ecclesiæ, & Supremæ Inquisitionis S. Officii, quam majori lumine perfusam, quam temetipsum, ad disquirendam veritatem agnoscebas; dixisti, tuam te dimittere credulitatem, teque pœnitere scelerum tuorum, & aliorum, quibus tu fuisti occasio, ut commit-

mitterentur. Insuper facta tibi contestatione censuræ, a nobis editæ ex suffragio & sententia RR. Patrum Qualificatorum Theologorum auditorum in pluribus Congregationibus habitis coram Sanctissimo Domino Nostro, ejusdemque oraculo expresse approbante super Propositionibus, & Doctrinis supra relatis tam circa violentias prætensas dæmonum, quam circa tuam mysticam contemplationem acquisitam, scilicet, quod essent hæreticæ, erroneæ, scandalosæ, blasphemæ, suspectæ, piarum aurium offensivæ, relaxativæ, & eversivæ Christianæ disciplinæ, ac seditiosæ respective; te promptum exhibuisti ad eas ex animo abjurandas, & retractandas.

Præterea oblata tibi repetitione Testium super rebus negatis, eidem palam renunciasti, quemadmodum & renunciasti termino concesso agendi contra tuam confessionem, tuamque causam defendendi respective, tradendo te in omnibus pietati hujus Supremi Tribunalis; quod etiam commisit Advocato proprio ex Officio, volensque abundare misericordia, ac pietate, ductaque quoque motivis quibusdam privatis productis, & expensis ab eodem, benigne concessit, ut non procederetur amplius contra te ad examen rerum negatarum.

Nos interea visis, ac mature examinatis meritis hujus gravissimæ tuæ causæ, visoque, ac discusso omni eo, quod videri, ac discuti oportebat de consilio RR. PP. Theologorum, Dominorum Canonistarum, & Consultorum S. Officii decrevimus sub die 20. Augusti proxime præteriti procedendi contra te ad infrascriptam sententiam.

Invocato itaque sanctissimo nomine Domini Nostri Jesu Christi, ejusque gloriosæ Matris semper Virginis Mariæ, ad ferendam hanc nostram definitivam sententiam; sedentes pro Tribunali hac die, loco, & hora a nobis ad hunc finem electis, pronunciamus in causa vertenre inter R. D. Pasqualonem hujus S. Officii ex una parte, & Michaelem Molinosium prædictum hic reum præsentem inquisitum, processatum, & confessum ex altera.

Dicimus, pronunciamus, sententiamus, & declaramus, quod tu Michael de Molinos prædictus ob puncta a te confessa, edocta, & dogmatizata fueris Hæreticus dogmaticus, & propterea incurreris in censuras, & pœnas statutas, ac promulgatas a Sacris Canonibus, & Constitutionibus contra similiter delinquentes.

Sed quoniam dixisti, te pœnituisse tuorum errorum, eosque emendasse, atque implorasti misericordiam, & veniam; ideo mandamus nostro Commissario, ut te absolvat ab excommunicatione majori, quam incurristi, teque admittat, ac restituat gremio S. Matris Ecclesiæ, & unioni fidelium, dummodo ad eam redeas corde sincero, fide non ficta, & coram nobis in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam indutus habitu Pœnitentiæ ornato signo S. Crucis, quod perpetuo deinceps vestibus tuis superimpositum gestabis in testimonium reconciliationis, ac pœnitentiæ, publice abjures, detesteris, maledicas, & anathematizes prædictas hæreses, errores, & aliam quamcumque hæresim, & errorem contrarium Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ; atque præsentes tui graves, ac perniciosi, atque scandalosi errores non maneant omnino impuniti, sisque aliis exemplo, te damnamus ad carcerem formalem perpetuum hujus S. Officii sine spe veniæ, ac indulgentiæ, ut in eo continuo, plores, ac pœniteas ad implorandam Dei misericordiam, & remissionem tuorum scelerum, & errorum.

Demum pro salutari tua pœnitentia tibi injungimus, ut toto tempore vitæ tuæ quotidie recites Symbolum Apostolorum, & tertiam partem Rosarii Beatæ Virginis, adjecta meditatione Mysteriorum, & quater in anno sacramentaliter confitearis peccata Sacerdoti approbato, & ex ejus venia Sacram Communionem recipias in Solemnitate Nativitatis Domini, & in festo Omnium Sanctorum; reservata nobis facultate commutandi, minuendi, vel tollendi penitus, in omnibus & per omnia dictas pœnitentias.

Ita pronunciamus, sententiamus, declaramus, condemnamus, multamus, reservamus hoc, & alio quovis meliori modo, ac forma, qua possumus rationabiliter, ac debemus.

Ita prononciamus nos S. R. E. Cardinales Generales Inquisitores &c.

§. III.

Decretum Sacræ, Supremæ, & Universalis Inquisitionis adversus errores Michaelis Molinosii.

COnstructo solemni, ac juridico Processu adversus Michaelem Molinosium, eoque de hæresi, aliisque nefandis erroribus convicto respective atque confesso coram Sacro Tribunali Supremæ, & Universalis Inquisitionis Romanæ, provide curavit eadem Sacra Congregatio ejusmodi perniciosissimum germen, seu verius dixerim, pestifera zizania a Satana agro Dominico superseminata, penitus evellere, atque exterminare; hinc Decretum edidit tenoris, ut sequitur.

Feria V. 28. Augusti 1687. In Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis, habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctissimo D. N. D. Innocentio Papa XI. ac Eminentissimis, & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in universa Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Inquisitoribus Generalibus, a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

Ad abolendam perniciosissimæ hæresis pravitatem, quæ in plerisque mundi partibus, non sine maximo animarum discrimine involuit, eique debuit Apostolicus excitari, ut Pontificiæ sollicitudinis auctoritate, & providentia hæreticorum protervia in ipsis suæ falsitatis conatibus elidatur, & Catholicæ veritatis lumen in Ecclesia Sancta resplendens, eam utique demonstret ab omni execratione falsorum dogmatum expiatam. Cum igitur compertum fuerit, quemdam Michaelem de Molinos perditionis filium, prava dogmata tum verbo, tum scriptis passim docuisse, & in praxim deduxisse, quæ sub prætextu orationis Quietis, contra doctrinam, & usum a Sanctis Patribus, ab ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis, receptum, fideles a vera Religione, & a Christianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpissima quæque inducebat; Sanctissimus Dominus Noster Innocentius Papa XI. cui cordi est, ut fidelium animæ sibi ex alto commissæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tuto pervenire possint, pro re tam gravi auditis pluries coram se Eminentissimis, & Reverendissimis Dominis Cardinalibus in tota Republica Christiana generalibus Inquisitoribus, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis tum voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam Sancti Spiritus assistentia, ad damnationem infrascriptarum Propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, a quo fuerunt pro suis recognita, & de quibus Propositionibus tamquam a se dictatis, scriptis, communicatis, & creditis, ipse convictus, & respective confessus est, devenire, ut infra decrevit.

Sequuntur octo supra sexaginta Propositiones, quas sparsim jam vidimus in Restrictu Processus, & digestas per ordinem infra dabimus in Constitutione Apostolica Innocentii XI. ubi solemnius fuerunt damnatæ; postea prosequitur decretum laudatum, ut infra.

Quas quidem Propositiones tamquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas, & seditiosas respective, ac respective quæcumque super his verbo, scripto, vel typis emissa damnat, circumscribit, & abolet, deque iisdem, & similibus omnibus, & singulis, posthac quoquo pacto loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdicit; qui secus fecerint, ipsos omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis ipso facto perpetuo privat, & inhabiles ad quæcumque decernit, vinculo etiam anathematis eo ipso innodat, a quo nullus Romano Pontifice inferior valeat ipsos (excepto mortis articulo) absolvere. Præterea Sanctitas sua prohibet, ac damnat omnes libros, omniaque opera quocumque loco, & idiomate impressa, necnon omnia manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos, vetatque, ne quis cujuscumque gradus, conditionis, vel status etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere, & consignare teneatur, sub eisdem pœnis superius dictis, qui Ordinarii, & Inquisitores statim ea igne comburant, & comburi faciant.

§. IV.

Abjuratio publica Michaelis Molinosii in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, necnon Constitutio Ven. Innocentii XI. reprobans octo supra sexaginta Propositiones ejusdem Molinosii.

POst hæc transactis jam duobus supra viginti mensibus suæ Carcerationis, Michael Molinosius die 3. Septembris anni 1687. in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam, coram toto fere DD. Cardinalium Collegio, ac ingenti populi multitudine, in pegma eo fine erectum fuit adductus, & ibidem nullo mutati vultus dato indicio, omnium illius errorum prolixo recitato Catalogo, spatio trium ferme horarum hac durante functione, fuit declaratus Hæreticus, & post abjurationem formalem respective ibidem flexis genibus per Reverendissimum Pa-

trem

trem Thomam Mazza Ordinis Prædicatorum Sancti Officii Commissarium, publice ab hæresi fuit absolutus, & ad perpetuos carceres condemnatus, injuncto illi præterea, ut quater in anno sua peccata confiteretur, ac fidei Symbolum recitaret, & si id Confessario videretur, totidem vicibus Sacram Communionem reciperet. Die vero sequenti duo ex ejus discipulis germani fratres, quorum unus erat Presbyter, alter laicus, sed homo perniciosissimæ doctrinæ, in eodem pegmate, recitatis eorum erroribus coram Cardinalibus, & magna hominum frequentia fuere declarati Hæretici, & ab hæresi ibidem absoluti, Presbyter ad decennii carceres, laicus vero utpote nocentior, & in dogmatibus suis periculosior, ad perpetuos damnati; & ne prædictorum errorum latius per mundum Catholicum serperet venenum Ven. Innocentius XI. supra laudatus solemnem edidit Constitutionem tenoris, ut infra.

Innocentius Episcopus Servus Servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Cælestis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque gentium erroribus involutum, a potestate diaboli, sub qua misere post lapsum primi nostri Parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere, & in ligno Crucis Chirographo redemptionis nostræ affixo, in testimonium suæ in nos caritatis sese hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est, mox rediturus in Cælum, Ecclesiam Catholicam sponsam suam, tamquam novam Civitatem sanctam Hierusalem descendentem de Cælo, non habentem rugam, neque maculam, unam, sanctamque in terris relinquens, armis potentiæ suæ contra portas Inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipsius ore haustam, sartam, tectamque custodirent, ne oves pretioso suo sanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent; quod præcipue Beato Petro mandasse nos sacræ literæ docent: cui enim Apostolorum nisi Petro dixit: Pasce oves meas? & rursus: Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos? Quare nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei omnipotentis consilio, in ejusdem Petri Cathedra, pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut Populus Christianus eam sectaretur fidem, quæ a Christo Domino per Apostolos suos perpetua, & numquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipse usque ad sæculi consummationem permansuram esse promisit.

Cum igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset, quemdam Michaelem de Molinos, prava dogmata tum verbo, tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quæ prætextu orationis Quietis, contra doctrinam, & usum a SS. Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, Fideles a vera Religione, & a Christiana pietatis puritate in maximos errores, & turpissima quæque inducebant; nos, cui cordi semper fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commissæ, purgatis pravarum opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tuto pervenire possint; legitimis præcedentibus indiciis, prædictum Michaelem de Molinos carceribus mancipari mandavimus: deinde coram nobis, & Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus, Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis tum voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam Sancti Spiritus assistentia, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voto, ad damnationem infrascriptarum Propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, a quo fuerant pro suis recognitæ, & de quibus Propositionibus tamquam a se dictatis, scriptis, communicatis, & creditis ipse convictus, & respective confessus fuerat, ut latius in Processu, & Decreto de mandato nostro lato die 28. Augusti præsentis anni 1687. devenire, ut infra, decrevimus.

PROPOSITIONES.

1. *Oportet hominem suas potentias annihilare. Et hæc est via interna.*

2. *Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens; & ideo opus est seipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.*

3. *Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.*

4. *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.*

5. *Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in seipso remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum, & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima seipsam annihilat in esse operativo.*

6. *Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere, & hoc modo recte proceditur.*

7. *Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.*

8. *Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.*

9. *Non debet anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscumque rei; & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.*

10. *Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi; & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.*

11. *Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non opus est reflectere.*

12. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso; nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet.*

13. *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.*

14. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat; quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii: Petite, & accipietis: non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; immo hujusmodi animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.*

15. *Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.*

16. *Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita, quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato: nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.*

17. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cognitione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria; & si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur, quia natura est.*

18. *Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.*

19. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.*

20. *Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est; Deus numquam loquitur, ejus locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.*

21. *In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.*

22. *Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse, & idem dicitur de amore.*

23. *Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infusam: qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit; qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat absque eo, quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam, & hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere absque eo, quod amplius redeat ad secundum, aut primum.*

24. *Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt orationem fidei; immo eam perfectio-*

rem efficiunt; quia anima tunc magis Divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis, quia oratio & resignatio, resignatio & oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, & oratio perdurat.

26. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed seipsum, & male agit, cum eam desiderat, & etiam habere conatur; qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est; siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in seipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, & immundum.

31. Nullas meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiori supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, ac fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ, nondum mortuæ.

33. Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se, devotum aliquem sensum; quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi: & idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis, & lingua gratias agere non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis: & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem Dominicam, seu Pater noster recitare.

35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione, & activitate; alias non essent mortuæ: nec debent elicere actus amoris erga Beatam Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla Creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde, quia solus Deus vult illud occupare, & possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, & resignatione manere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. Beata Virgo nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit omnibus Sanctis sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physice earum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia in his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris, & feminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc vero efficit eos sanctos ministerio dæmonis, qui causando in eis prædictas violentias facit, ut illi seipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia.

45. S. Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est, unde scripsit: Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & ad eam ad veram transformationem, & unionem perducendam; nec alia superest via. Et hæc est via facilior, & tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo: & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est seipsum inquietare; sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde, gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces, sic interpretando locum ex cap. 16. Job.

50. David, Jeremias, & multi ex Sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos. Uti illud de Sampsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philisthæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est; quæ alias erant prohibita, & peccata fuissent. De Judith, quæ Holoferni mentita fuit. De Eliseo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi violentiæ, etiam impuræ, absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima potest Deo uniri, & de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum quæ protestantur, se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, & videre, quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna, sed regulam sumere a lumine quodam actuali, cognitione humana, ac Theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta: & certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium, eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit, qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes passiones, ita, quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil, nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est, & mortuus, uti fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, & a casibus conscientiæ, a Theologia, & a Philosophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tanta gratia præservante, quantam in Sacramento reciperent: & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere; quia id est illis impossibile.

61. Anima, cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quinimmo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, idest, mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ad eas se applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis, ad statum contemplativi. Primo, quia non habet fidem adeo puram. Secundo, quia non est adeo humilis. Tertio, quia non adeo curat propriam salutem. Quarto,

quia

quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum, tantummodo ad exteria pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus, & Director intrant.

66. Risu digna est nova quadam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internam gubernari debeat ab Episcopo; quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat: novam dico doctrinam, quia nec sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt; quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his defectibus & simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ Directoris, quoad internum animæ; & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus satanæ.

Quas quidem Propositiones tamquam hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas, & seditiosas respective, ac quæcumque super iis verbo, scripto, vel typis emissa pariter, cum voto eorumdem Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, & Inquisitorum Generalium damnavimus, circumscripsimus, & abolevimus; deque eisdem, & similibus omnibus, & singulis posthac quoquomodo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim deducendi facultatem quibuscumque interdiximus, & contrafacientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, & officiis ipso facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, a quo nisi a Nobis, & a Romanis Pontificibus successoribus Nostris valeant absolvi. Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera quocumque loco, & idiomate impressa, necnon omnia manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos, vetuimusque, ne quis cujuscumque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali nota dignus audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine ea imprimere, vel imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere, & consignare teneantur sub eisdem pœnis superius inflictis; qui Ordinarii, & Inquisitores statim ea igni comburant, & comburi faciant. Tandem ut præfatus Michael de Molinos ob hæreses, errores, & turpia facta præfata debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto Processu, & auditis Dilectis Filiis Consultoribus nostri S. Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia, & in Jure Pontificio Magistri, cum eorumdem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium unanimi voto, dictum Michaelem de Molinos tamquam reum convictum, & confessum respective, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœnam arcti, & perpetui Carceris, & ad peragendas alias pœnitentias salutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato juris ordine, damnavimus. Mandantes, ut die, & hora præfigendis in Ecclesia S. Mariæ supra Minervam hujus almæ Urbis præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, & Romanæ Curiæ Nostræ Prælatis, universoque Populo, ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando; ex alto tenor Processus, stante in suggesto eodem Michaele de Molinos, una cum sententia inde secuta legeretur, & postquam idem de Molinos habitu pœnitentiæ indutus præfatos errores, & hæreses publice abjurasset, facultatem dedimus dilecto Filio nostri S. Officii Commissario, ut eum a Censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret; quæ omnia in executionem dictæ nostræ ordinationis die 3. Septembris labentis anni adimpleta sunt. Et licet supra enarratum Decretum de mandato nostro latum, ad majorem Fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum, & divulgatum fuerit, nihilominus, ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, atque Populus Christianus Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inhærentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione supra præfatum Decretum approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum supra præfatas Propositiones definitive damnantes, & reprobantes, librosque, & manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos prohibentes, & interdicentes sub eisdem pœnis, & censuris contra transgressores latis, & inflictis. Decernentes insuper præsentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere; sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes, & functuros ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem ut præsentium transumptis etiam impressis manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, Decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ anno Incarnationis Dominicæ 1687. 12. Cal. Decembris Pontificatus nostri anno 12. F. Datarius. J. F. Albanus. Registrata in Secretaria Brevium. Visa de Curia S. de Pilastris. D. Cimpinus. Loco ✠ Plumbi.

§. V.

Aliæ Literæ Encyclicæ ad Episcopos datæ a Sacra Suprema, & Universali Inquisitione pro extirpandis memoratis erroribus.

TOT ictibus, ac fulminibus Apostolicis percussa abominabilis Quietistarum hæresis, in cineres, favillasque debuisset penitus redigi, ut exoptabat Ven. Innocentius XI. illud temporis, provide ita disponente Deo, in Petri Cathedra sedens, cujus incomparabili zelo, ac vigilantia Ecclesia Catholica hac in causa merito plurimum defert: attamen, his non obstantibus, cum virus Molinosticæ doctrinæ multis in partibus Christiani Orbis serpere non desisteret, Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ, & Universalis Inquisitionis denuo ad Episcoporum excitandum zelum, circularem Epistolam dedit 23. Aprilis 1689. tenoris sequentis, videlicet.

Essendosi qui avuti più riscontri, che non ostanti le tante provisioni già interposte da questa Sagra Congregazione del S. Officio secondo la santa mente di Nostro Signore, per purgare da per tutto il Cristianesimo dalla gravissima infezione del Molinismo, va questa nondimeno tuttavia in molti luoghi serpendo; però coll' attentissima premura, che questi miei Sig. Colleghi Cardinali Generali Inquisitori tengono continua di liberare da sì velenoso, e pernicioso contagio l' anime de' fedeli, hanno l' Eminenze loro stimato opportuno di rinnovare (siccome fanno a V. S. con la presente Circolare) gli ordini d' invigilare, quanto maggiormente può, ad iscoprire nella sua giurisdizione quei tali, che ritengono, insegnano, o vanno seguitando errori simili, affine di procedere poi contro di essi, conforme ricerca la giustizia, e l' importanza d' un tanto affare, assicurandola, che sebbene in ciò son dovute da lei le più esatte diligenze in adempimento delle sue parti, per il buon servizio del S. Tribunale, sarà nondimeno dall' Eminenze loro con distinto gradimento riconosciata quell' operazione, che si scorgerà propria del suo buon zelo, mentre la Sagra Congregazione di quanto le riuscirà fare su questo proposito, attende da V. S. compito ragguaglio.

§. VI.

Zelus Antistitum Galliæ in promulgandis Articulis Issiacensibus contra doctrinam Michaelis Molinosii.

SUpremi Pastoris, & Sanctæ Romanæ Inquisitionis zelum æmulati sunt inferiores animarum Pastores, nimirum Episcopi, inter quos præcipui emicuerant Galliarum Præsules quamplurimi, qui non modo serpentem ibidem jam perniciosam Molinosticam doctrinam persequi summo studio, ac eradicare conati sunt; verum etiam ipsorum aliqui simul congressi, quosdam articulos tamquam antidotum Molinostico veneno opposuerunt, ita fidelem Populum instruentes, quid circa orationem, contemplationem, aliosque virtutum actus ad Christianam perfectionem conducentes scire, ac prosequi teneretur, quidve evitare, detestarique oporteret. Hujusmodi vero Articuli fuere quatuor supra triginta anno 1695. in Gallia promulgati, qui sub nomine Articulorum Issiacensium ab omnibus Galliæ Episcopis recepti, probatique fuerunt, quos hic adducere operæ pretium duximus tum ad majorem Molinosticæ doctrinæ impugnationem, tum ad piarum animarum per viam orationis incedentium illuminationem, tum denique ad Pastorum, & Directorum necessariam instructionem: sunt autem: quos hic subjicimus.

1. Quivis Christianus quovis in statu tenetur ad conservandum fidei, spei, & caritatis exercitium, & ad earum actus producendos, sive eliciendos, ut virtutum distinctarum actus.

2. Quivis Christianus tenetur ad habendam fidem explicitam in Deum omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ, qui inquerentibus se remunerator sit, & in ejus alia attributa æque revelata, & ad ejus fidei actus producendos quovis in statu, etsi non quovis momento.

3. Quivis Christianus pari jure obligatur ad fidem explicitam in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & ad hujus fidei producendos actus quovis in statu, licet non momento quovis.

4. Quivis Christianus pariter obligatur ad fidem explicitam in Christum Deum, & hominem, tamquam in mediatorem, sine quo nemo potest appropinquare Deo, & ad hujus fidei eliciendos actus quovis in statu, licet non quovis momento.

5. Quivis Christianus quovis in statu, licet non momento quovis, tenetur velle, desiderare, & postulare explicite salutem æternam, ut rem, quam Deus ipse vult, & vult etiam velle nos propter suam gloriam.

6. Vult Deus, ut quivis Christianus quovis in statu, licet non quovis momento, ab ipso expresse postulet remissionem peccatorum, gratiam non peccandi, virtutum augmentum, & alia quævis ad æternam salutem requisita.

7. Quovis in statu Christianus concupiscentiam habet oppugnandam, quamquam non semper æqualiter, quo juste obligatus quovis in statu, licet non quovis momento, ad postulandas vires adversus tentationes.

8. Hæ Propositiones omnes sunt de fide Catholica expresse contentæ in symbolo Apostolorum, in oratione Dominica, quæ communis, & quotidiana est oratio omnium filiorum Dei, aut etiam in Conciliis Carthaginensi, Arausicensi, & Tridentino expresse definitæ ab Ecclesia, ut illæ de postulanda remissione peccatorum, & dono perseverantiæ, deque pugna adversus concupiscentiam: quare contrariæ Propositiones sunt formaliter hæreticæ.

9. Non licet Christiano indifferentem esse ad salutem, & ad res, quæ in eam referuntur; sancta indifferentia Christiana ad eventus hujus vitæ (excepto peccato) solatiorumque, atque ariditatum spiritualium dispensationem spectat.

10. Actus supra memorati majoris perfectionis Christianæ rationi non derogant, nec desinunt esse perfecti, perspecti quamvis sint; dummodo de iis gratiæ habeantur Deo, & in ejus gloriam referantur.

11. Non licet Christiano expectare, ut Deus hos actus inspiret via, & inspiratione singulari; immo vero, ut ad eos sese excitet, nulla alia re indiget, quam fide ea, qua voluntas signi, sive significata, ac declarata præceptis innotescit, & Sanctorum exemplis, supposito semper auxilio gratiæ excitantis, & prævenientis: postremæ Propositiones tres ex ante memoratis Propositionibus clare consequuntur, quibus contrariæ temerariæ sunt, & erroneæ.

12. Actibus obligatoriis supra memoratis non veniunt intelligendi actus methodici, sive certis formulis ordinati, aut in eas redacti, & certis vocibus alligati, aut actus inquieti, nimisque solliciti; sed actus sinceri in corde formati cum omni suavitate, & tranquillitate a Deo spiritu immissi, & inspirati.

13. In vita, & oratione perfectissima hi actus uniuntur in sola caritate, quatenus omnes virtutes animat, & earum exercitium imperat, juxta quod Paulus dicit: Caritas omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Idem dici potest de quibusvis aliis actibus Christianis, quorum exercitia distincta dirigit, sive regulat, ac præscribit caritas, quamquam illi actus non sunt semper sensibili ac distincta ratione perspecti.

14. Desiderium salutis æternæ, ac perfectæ redemptionis, quod notatur in Sanctis, ut in Paulo, & in cæteris, non est desiderium, aut appetitus indeliberatus tantum; sed, ut ait Paulus, est bona voluntas, quam libere formare, & operari debemus in nobis, cum auxilio gratiæ, aut eam voluntatem, quæ sit maxime conformis divinæ voluntati: hæc Propositio clare est a Deo revelata, & contraria est hæretica.

15. Velle non peccare est etiam quædam voluntas divinæ voluntati conformis, & absolute necessaria in quovis statu, etsi non quovis momento; neque tantum tenemur ad condemnandum peccatum, verum etiam ad dolendum de peccata, & ad illud delendum impetrata venia.

16. Actus reflexi in nosmetipsos, in nostros actus, & in accepta dona, qui ubique leguntur a Prophetis, & Apostolis exerciti, ut Deo de beneficiis agamus gratias, aut ad alios æque pios fines, Christianis omnibus etiam perfectissimis propositi sunt in exemplum; eaque doctrina, quæ ab ejusmodi actibus avertit Christianos, erronea est, & hæresi proxima.

17. Reflectentis animi actus, mali, & periculosi nulli sunt, præter eos, quibus anima reflectitur in actiones suas, & ad percepta dona, ut pascatur amor proprius, aut ut in illis humana fulcimenta quæramus, aut quibus anima seipsa occupetur, plusquam oporteat.

18. Mortificationes cuivis statui Christiano competunt, atque sæpe sunt necessariæ, a quibus proinde perfectionis obtentu avertere fideles, est condemnare Paulum, erroneamque, & hæreticam doctrinam supponere.

19. Perpetua oratio non consistit in actu perpetuo, & unico, qui perennis, nec interruptus supponatur, quique ideo iterari non debeat; sed in habituali quadam, atque perpetua dispositione, ac præparatione animi, ut nihil faciamus, nisi ad placendum Deo: Propositio contraria, quæ in quovis statu, etiam perfecto, excluderet pluralitatem omnem, & successionem actuum, esset erronea, & omnium Sanctorum traditioni repugnans.

20. Traditiones Apostolicæ nullæ sunt, præter eas, quas tota agnoscit Ecclesia, quarum scilicet auctoritas a Concilio Tridentino definita est: Propositio contraria est erronea, & prætensæ Apostolicæ Traditiones occultæ fidelibus essent laquei, & viæ introducendi pravas omnes doctrinas.

21. Oratio simplicis præsentiæ Dei, sive Quietis, aliaque extraordinaria, etiam passiva, a Sancto Francisco Salesio, aliisque Spiritualibus in Ecclesia receptis approbatæ, sine gravi temeritate abjici, ac pro suspectis haberi non possunt; neque omnino prohibent, quominus anima semper præparata maneat ad producendos opportuno tempore memoratos actus, quos quidem redigere ad actus implicitos, sive eminentes in gratiam perfectarum animarum, eo obtentu, quod eos amor Dei certo quodam modo contineat, nihil aliud est, quam eorumdem actuum eliciendorum obligationem eludere, eorumque distinctionem a Deo revelatam tollere.

22. Absque his extraordinariis orationibus animæ Christianæ ad summam sanctitatem efferri, atque apicem Christianæ perfectionis adipisci possunt.

23. Redigere statum interiorem, ac purificationem animarum ad has orationes extraordinarias, error est manifestus.

24. Æque periculosus error est, excludere a contemplationis statu divina attributa, tres divinas Personas, ac Verbi Incarnati mysteria, præsertim Crucis Christi, ejusque resurrectionis; omnesque omnino res, quæ sola fide apprehendi possunt, contemplatricis animæ objecta sunt.

25. Non licet Christiano, passive, aut cujusvis extraordinariæ orationis obtentu, in agendis rebus tam spiritualibus, quam temporalibus, expectare impulsum ad quemvis actum determinantis Dei, per viam, & inspirationem singularem; contraria vero sententia ad tentandum Deum inducit, atque illusioni, & indiligentiæ viam aperit.

26. Extra casus, & momenta inspirationis Propheticæ, sive extraordinariæ, vera animi demissio ab omni anima Christiana, & jam perfecta, Deo debita in eo stat, ut omni lumine, sive naturali, sive supernaturali divinitus accepto, Christianæque prudentiæ regulis utatur; sic tamen, ut supponatur, a Deo omnia regi per providentiam, eumque esse optimi cujusque consilii auctorem.

27. Non oportet alligare Prophetiæ donum, statusque Apostolici dignitatem certo statui perfectionis, & orationis; alioquin anima ad illusionem, temeritatem, atque errorem inducitur.

28. Viæ extraordinariæ cum notis iis, quas Spirituales approbati tradiderunt, rarissimæ sunt, subjiciunturque examini Episcoporum, atque aliorum Superiorum Ecclesiasticorum, & Doctorum, qui quidem de iis judicare debent non tam experimentis, quam immutabilibus Scripturarum, traditionisque regulis; qui autem ab ea mente, & praxi discedunt, debitæ obedientiæ salutare jugum excutiunt.

29. An sit, vel fuerit ubicumque terrarum exiguus saltem numerus electarum animarum, quas Deus extraordinarie præventas singularibus inspirationibus sibi notis quocumque instanti ad omnes Christianæ pietati essentiales actus, & ad omnia bona opera ita moveat, ut nihil eis præscribendum sit quo ad ea opera, aut exercitia seipsas cohortentur, divino judicio relinquimus; nec agnitis, aut confessis talibus statibus, id unum in praxi statuimus, nihil esse periculosius, aut illusioni propius, quam erigere animos, tamquam in eum statum pervenerint; denique & id statuimus, quidquid sit de illorum statuum veritate, non in ejusmodi prævenientibus inspirationibus collocari perfectionem Christianam.

30. In prædictis Articulis, quod attinet ad concupiscentiam, imperfectiones, ac præcipue peccata, propter honorem Domini nullam Deiparæ Virginis volumus haberi rationem.

31. Quod attinet ad animas in probationibus a Deo constitutas, S. Job, qui earum exemplar est, eas docet, ut utantur rodiis per intervalla intermicantibus: ad producendos actus præstantissimos fidei, spei, & caritatis: monent quoque Spirituales viri, ut eosdem actus reperiant in apice mentis, ac suprema animi parte; quare nec permittendum illis animabus, ut suæ desperationi, ac damnationi apparenti acquiescant, sed e contra asserendum, non futurum, ut a Deo deserantur.

32. Sane in quovis, ac præsertim in probationum statu, adora-

adorari oportet Dei ultricem justitiam, non tamen optandum, ut suum in nos totum rigorem exerceat; cum amoris privatio sit in nobis quidem hujus rigoris effectus: sui derelictio Christiano nihil est aliud, quam omnem suam sollicitudinem projicere in Deum, & spem omnem salutis in eo ita reponere, ut totum detur Deo, quemadmodum post S. Cyprianum S. Augustinus docet.

33. *Potest etiam inspirari animabus, quæ laborent in hujusmodi probationibus, si vere humiles sint, ut sese submittant, & consentiant voluntati Dei, etiamsi per falsissimam præsuppositionem prosempiternis bonis, quæ justis promisit animabus, eas pro suo beneplacito in sempiternis suppliciis detineret, nullo tamen gratiæ, amorisque dispendio; qui sane quidam actus est perfectæ derelictionis sui, ac puri amoris a quibusdam Sanctorum exercitus, isque utiliter exerceri potest a perfectis animabus cum gratia maxime singulari, absque eo, quod umquam derogetur actibus supra memoratis, ad Christianæ perfectionis rationem essentialibus.*

34. *De cætero certum est, incipientes, & perfectos pro sua quemque via per diversas regulas regi oportere, atque a perfectis excelsiore, ac profundiore modo intelligi Christianas veritates.*

Hactenus celebres Articuli Issiacenses, qui non modo ob doctrinæ soliditatem, veritatem, ac profunditatem, verum etiam ob admirabilem instructionem, quam præseferunt pro animabus incedentibus per vias extraordinarias, illarumque directoribus, ab omnibus merito sunt excipiendi, & in praxi diligenter servandi: licet enim errorum recenter insurgentium necessaria sit proscriptio, & condemnatio, ut præstitum esse vidimus a Summo Pontifice, & pluribus Episcopis respective ad Molinosticam perniciosam doctrinam eliminandam; attamen summæ utilitatis est, doctrinam quoque contrariam, & Catholicam Populo fideli sequendam proponere, ut sciat unusquisque non modo, quid cavere necessum sit in via orationis, & contemplationis, verum etiam quid prosequi, ac servare teneatur. Enimvero Ecclesia Orthodoxa hujus defectu instructionis plures nefandissimos errores irrepere in animos fidelium sæpenumero deprehendit, deflevitque cum maximo, ac ferme irreparabili damno Dominici gregis; commendandus proinde plurimum est zelus Antistitum Galliarum in ovibus suis ad veram, sinceramque Catholicam fidem imbuendis, eorumque observantia erga Supremam Sacram Inquisitionem Romanam: quod quidem singulare, ac pientissimum observantiæ genus cunctorum orbis Christiani Antistitum animis altissime insidere percupimus, & ex corde optamus; precamurque divinarum sedium assistricem providentiam, ut faxit ad Ecclesiæ Catholicæ perpetuam pacem, ac nitorem.

§. VII.

Literæ sæpe memoratæ Supremæ, & Universalis Inquisitionis ad Episcopum Savonensem datæ, quibus declaratur, orationem Quietis nuncupatam non fuisse proscriptam.

Detecta spuria Quietis oratione a Molinosio inventa, pluribusque animabus quamplurimis subdole ab impio seductore instillata, non defuere quidam, zelum, at non secundum scientiam, habentes, qui adstruere non dubitarunt, veram orationem *Quietis*, de qua infra fuse tractabimus, fuisse in Molinosii doctrina proscriptam, ita ut Sacra Congregatio Sanctæ Romanæ Inquisitionis Episcopo Savonensi hac de re sciscitanti rescribere existimaverit die 29. Aprilis 1687. tenoris sequentis.

Eminentissimi decreverunt, ut significetur Episcopo Savonensi, quod Sacra Congregatio non damnat orationem mentalem, quæ dicitur (degli affetti, e della quiete), *sed asserta eorum, qui reprobant primo orationes vocales, & alia exercitia spiritualia, quibus utitur Sancta Romana Ecclesia, & asserunt secundo, quod utentes prædicta oratione sint securi de salute; tertio, quod non indigent pœnitentia; quarto, quod eamdem orationem omittens peccat mortaliter: & hanc mentem Sacræ Congregationis curet Episcopus publicare populis suæ Diœcesis; & idem Decretum notificetur Inquisitori Januensi. Insuper idem Episcopus, & Inquisitor invigilent, ne fiant adunantiæ, & conventicula tam de die, quam de nocte, & ut observentur ad amussim omnia prædicta &c.*

Hactenus Decretum Sacræ Supremæ Inquisitionis Romanæ, ex cujus tenore luce clarius deprehenditur, laudatam Sacram Congregationem minime damnasse veram orationis quietem, a Sanctis, ac Mysticis Doctoribus traditam, & exercitam, de qua, ejusque essentia nos infra agemus; sed falsam, spuriam, & erroneam a Molinosio Diaboli ministro inventam, & invectam, erroresque putidissimos, qui, occasione hujusmodi orationis, in vulgus spargebantur, cum magno animarum detrimento. Utque omnis hac de re dubitandi e medio tollatur locus, observare non pigeat, quod Ven. Innocentius XI. in sua nuper laudata Constitutione, in qua errores, & orationem Molinosticam proscripsit, damnavitque, apposite dixerit. *Molinosium tum verbo, tum scripto prava dogmata docuisse, & in praxim deduxisse sub prætextu orationis Quietis, contra doctrinam, & usum a Sanctis Patribus, ab ipsis Ecclesiæ nascentis primordiis, receptum &c.* Ex quibus verbis, necessum est, erunt quisque cordatus, orationem *Quietis* juxta stilum ac usum a Sanctis Patribus invectum, receptumque ab ipsis Ecclesiæ Catholicæ incunabulis, toto cælo distare a nefanda illa Molinostica damnata, & proscripta a Summo Pontifice, & Sacra Suprema Inquisitione Sancti Officii. Quod & Galliarum Antistites in supra laudatis Articulis Issiacensibus Articulo XXI. abunde declararunt, docentes, quod *oratio simplicis præsentiæ Dei, sive Quietis, aliæque extraordinariæ, etiam passivæ, a Sancto Francisco Salesio, aliisque spiritualibus in Ecclesia receptis approbatæ, sine gravi temeritate abjici, ac pro suspectis haberi non possunt.*

§. VIII.

Responsiones Academiæ Sorbonicæ ad nonnullas Propositiones Quietismum redolentes.

Tanta vigilantia Antistitum Gallorum in promulgandis Articulis Issiacensibus, indemnique servanda Religionis Catholicæ puritate, omnem surculum Quietismi eo in Regno grassantis diruere penitus, atque extirpare debuerat; at ea est conditio miserrima humani generis, ut ex vitiata propagine traductum communis nostri Parentis semel male fixas radices improbitatis, errorisve difficile admodum dimittat, eruatque. Id genus calamitatis expertum est Christianissimum Regnum, cum, evulgatis dictis Articulis, valideque debellatis Quietismi reliquiis, idem sub speciosis reviviscere larvis admiteretur. Enimvero sub idem tempus, quo Galli Antistites virus Molinosticum deperdere, ac falsam Cameracensis de amore puro doctrinam e medio tollere invicta constantia satagebant, in lucem prodiit opus inscriptum, *Communio spiritualis*, in Fano S. Maclovii typis impressum apud *Raoul de la Mare* an. 1697. Cujus libri examen, cum Propositiones non paucas contineret Quietismum redolentes, demandatum fuit Doctoribus Academiæ Sorbonicæ, ut ejus doctrinam discuterent, atque de suspectis Propositionibus suum judicium ferrent. Excerptæ eo ex libro Propositiones sunt numero undecim, quas hic subjicimus.

Prima Propositio. *Consideratio, seu simplex reminiscentia mortis Christi Domini fons est & origo, sanctique fervoris, Deo nos per cognitionem, & amorem unientis.* pag. 20.

Secunda. *Quoad orationem tu quidem pro viribus, ac pro ea libertate, quam tibi Deus tribuerit, cura, ut in ea te semper detineas, te Deo sistens per D. N. J. C. Ille nimirum ad Divinitatem est janua. Si tamen id facere nequeas, ne animo angaris, atque adeo nitaris quidem id agere, nec te in oratione otiosum putes, quamvis in ea nihil agas, nisi re ipsa dormias: quia si te in quiete, sanctoque otio versari Deus velit, quo minus egeris, senseris, & cogitaveris, eo melius orationi vacabis; otium hoc est, quod divinitate animos imbuit. Quare temetipsum interius, ac fidenter dederis.* pag. 20.

Tertia. *Nihil ergo in oratione aliud agere debes, cum te receperis, seque stiteris Christi Domini pedibus, ut Magdalena, quam in pace, ac silentio ibidem consistere, quidquid tibi possit accidere: tantum vide, ne voluntariis distractionibus, & corporali somno abripiaris.* pag. 22.

Quarta. *Non est accidia nihil in oratione operari, cum Deus nos in quiete, ac silentio interiore esse vult, nostrique directores, aliique Dei famuli nobis idipsum testantur: præferenda est ejusmodi requies lectionibus, precibus vocalibus, aliisque bonis operibus, quæ obligationem adjunctam non habent; quandoquidem hæc omnia non aliam ob causam prætermittimus, quam ut rei meliori vacemus, coram Deo scilicet in silentio permaneamus.* pag. 23.

Quinta. *Discrimen, quod interest inter sanctum otium, quod Deus a nonnullis postulat, & accidiam, quam adeo iidem animi perhorrescunt, idipsum est, quod quietem, & otium orationis bonum, malumve reddit, æque, atque omnes alias actiones nostras; quamobrem bono semper principio opus est, & omnia bona erunt, quæ consequuntur.* pag. 24.

Sexta. *Silentium interius, & quietem coram Deo vocalibus omnibus precibus, quæ obligationi quidem non subsunt, anteferas; ita enim præstat: adeoque cum privatim tecum ipse, & non ex obligatione orare volueris, seu pro Ecclesia, pro peccatoribus, pro amicis tuis, pro teipso, seu propriæ devotionis explendæ gratia, testatus Christo Domino, vel Beatæ Virgini amorem, singularem affectionem, gratum animum, ne timeas tempus impendere, quod ante Christi Domini pedes in quiete, ac silentio ad hæc omnia præstanda conferes; id unum cura, ut facias, tuoque silentio ab*

eo pr-



eo postules, quidquid vocalibus precibus ageres, ac postulares, ac pro certo habe, te hac ratione devotionis tuæ, quæcumque ea demum fueris, longe melius, quam aliter satisfacturum. Magna tamen polleas animi libertate, ut tum ac tum alia ratione ores. pag. 25.

Septima. *Cum inter orandum te in pace, ac silentio versari intelliges, vide etiam atque etiam, ne actibus tua ipsius motione editis, vel in teipsum, quoad id, quod accidit, regressibus, ac reflexionibus eam pacem turbes; quam enim tibi malo fuerit. At si tuus animus sensim, ut fere fit, eo feratur, ut quid in se, persistentes hac orationis quiete, contingat, videre, ac scire velit; fac ut eum revoces, & pro viribus eas omnes reflexione impedias, quæ nonnisi a desidia, & curiositate, quæ animo nostro ingenita, & naturalis est, originem ducunt. Sed fac id lenius, magisque in patientis, quam agentis modum; & cura, ut in tua recessione interna permaneas absque regressione, aut reflexione voluntaria vel in teipsum, vel in id, quodcumque in teipso contigerit.* pag. 27.

Octava. *Heu time, ne pax, in qua te quandoque versari intelligis inter distractiones, & privationes orationis, sit argumentum, ac nota te iis assentiri, vel distractiones sentiendi, vel non sentiendi indifferentia pravum signum sit. Minime vero; quin potius oportet te indifferentia versari, modo semper in non assentiendi voluntate persistas: in Dei nomine semper in pace permaneas, quocumque demum in statu fueris; ita enim Deo placet.* pag. 35.

Nona. *Nec magis anxius, ac sollicitus sis, ut cognoscas, quæ Dei voluntas sit, ut eamdem sequaris; sed fac, & perfer, quidquid occurrerit, ea intentione, ut eamdem perficias: eumque in aliqua singillatim te eam cognoveris, ad eam te fideliter confer, ac persuasum habe, quidquid egeris ea intentione, ut Dei voluntatem expleas, dummodo tamen idipsum cum alia Dei voluntate, vel cum tua ipsius obligatione aperte non pugnet, id omne sanctam ejus voluntatem fore.* pag. 40.

Decima. *Quod ipsam obligationis Missam, post voluntatis actum, vel simplicissimam intentionem, sine actu, vel discursu intellectus, audiendi Missam ad Dei gloriam, in memoriam, & unionem mortis, & passionis Domini nostri, ac in sanctis, ac divinis omnibus intentionibus, nihil aliud facias, quam in suo silentio, & quiete consueta permaneas; Deo tantum addic animum, teque puta Missam hac ratione quidem audire, quamvis de ea non amplius cogites.* pag. 41.

Undecima. *Nihil ulterius, sed idem omnino facias, ut ad sanctam Communionem, vel ad gratiarum actionem te compares; quin profecto hac præparatio, & hac gratiarum actio majoris momenti est, quam quæ a te fieret magnopere agendo. Non implicato, turbatoque sis animo, quoad Confessiones tuas; majore fiducia te opus est agere. Eadem ratione te geras in tentationis negotio.*

Rogari Sorbonæ Doctores, ut super his undecim Propositionibus suam proferrent sententiam; iis ad trutinam exactissimam adductis, hæc demum responsa edidere pietate ac sapientia plena.

RESPONSIONES.

Consilium conscientiæ subscriptum censet, in Propositionibus hactenus in medium allatis spectari posse I. Generalem Auctoris mentem. II. Uniuscujusque singillatim Propositionis notionem, ac vim. Dabitur opera, ut utrumque detegatur, iisdem Propositionibus enucleate, ac distinctim ad trutinam revocatis, & ad singulas allato responso.

Ad Auctoris mentem quod attinet, ejus generalis intentio in Propositionibus, quas adducit, ea est. I. Neminem unum orationi, quam proponit, ineptum esse. II. Orationem, quæ simplicior est, & in qua mens ac voluntas actum omnino nullum exerunt, esse meliorem. III. Præparationem ad eam faciendam, perinde atque examen, postquam facta est, magis nocere, quam prodesse. IV. Fidelium preces, ejus judicio, ad eas tantum redigi, quæ obligationem adjunctam habent. V. Ad cognoscendam Dei voluntatem fere non ita magna sollicitudine opus esse, statum quippe, in quo quisque versatur, & in quo pace fruitur, ejus signum esse. VI. Indifferentia denique opus esse in iis repellendis, quæ, quominus bonum ageremus, impedire possent; quia debemus nos Deo committere, & sinere eum agere, quin nos ipsi quidquam agamus.

His in hunc modum constitutis respondetur, ejusmodi doctrinam falsam esse, temerariam, fideles illusioni exponere, & ex parte Molinianas Propositiones ab Innocentio XI. damnatas anno 1687. renovare: id quod in aliis quoque Quietistarum Libris nonnullorum Episcoporum judicio damnatis occurrit. Id porro ita esse, ex uniuscujusque Propositionis peculiari examine compertum fiet.

Quoad primam respondetur, simplicem quidem reminiscentiam Mortis, & Passionis Christi Domini ejusmodi esse, ut cognitionem, sanctumque fervorem in eo excitari possit, qui in orationis praxi versatur; at non idem de eo sentiendum, qui incipit se Deo dedere, & numquam ad orationem incubuit: si nempe ei simplex recordatio proponatur, nihilque præterea, cujusmodi essent exempli causa non unius generis animadversiones, ex quibus Dei bonitas, & amor quo nos complectitur, certo innotescit, pœnarum nempe, quas in sua Passione pertulit Christus Dominus, gravitatisque peccati, quod earumdem causa fuit; subibit fere fidelis dispendium temporis in oratione, Deumque tentabit, qui jubet incipientes ad orationem se comparare: alioquin nihil, ut videtur, discriminis erit inter eos, qui se Deo dedere incipiunt, & eos qui in perfectionis statu positi sunt, ut nos monet Archiepiscopus Parisiensis in sua Constitutione art. 74. cum Catalaunensis Episcopus esset. Fuit hic quondam Cardinalis Noviliacensis. Præterea hæc pura, putaque Passionis reminiscentiæ, de qua in expositionis Articulo primo sermo est, supponit doctrinam, quæ falsa est, Auctoris libri, ex quo Propositiones, quæ præsenti examini subjiciuntur, depromptæ sunt. Ejusmodi sane est artic. 20. Molinianus, in quo statuitur, simplicem apprehensionem in oratione satis esse, ut se magis animæ Deus communicet; quod non fieret, si hæc simplex apprehensio reflexiones aliquas adjunctas haberet.

Quoad secundam: asserere generatim, eos omnes, qui orationi vacant, sive incipiant, sive in praxi, sive in progressu sint, quo minus egerint, cogitaverint, senserint, eo melius ad orationem incumbere, ut proinde hæc orationis ratio animam divinizet, quamvis nihil agat; modo non dormiat: doctrina hæc est Propositio 5. Moliniana, in qua anima trasformari, ac divinizari dicitur, cum nihil agit; est etiam Propositio 21. quæ statuit, nihil in oratione cogitandum, sed quiete tantum, rerumque omnium oblivione opus esse. Præterea in hac Propositione, quam expendimus, pronuntiat Auctor, si Deus nos in hac quiete, & in hoc sancto otio esse vult, in eo statu consistendum. Jam vero, qua tandem ratione, quaque nota is, qui incipit orationi se dedere, cognoscere poterit, se Dei voluntati obsequi, nec temporis jacturam facere? Cum Patres, & Magistri spiritualis vitæ contrarium doceant; nempe bonis aliquibus cogitationibus vacandum esse, cum in orationis, ad quam incumbitur, argumento consisti nequit, ne temporis jactura fiat. Vide Propositionem 42. in Carnutensis Archiepiscopi Constitutione damnatam.

Quoad tertiam: non idem judicium ferendum est de iis, qui incipiunt orationi vacare, ac de iis, qui magnos in eadem progressus fecerint. Regula tamen, quæ in hac Propositione traditur, generalis est, & ad omne genus hominum indiscriminatim refertur; ita ut, quisquis orandi gratia se recepit, debeat, inquit hic Auctor, in quiete, ac silentio versari, quin præterea quidpiam agat. Nonne hæc, ad incipientes quod attinet, projiciendi temporis occasio est? Quod si, ut subdit idem Auctor, qui orationi se dat, id unum curare debet, ut e corporali somno, ac voluntariis distractionibus sibi caveat; quid, quæso, de distractionibus involuntariis, ac tentationibus sentiendum erit? Annon eas repellere, cum senserit, debet? An vero jacet ille, ut Auctor ait, in quiete, ac silentio? Atqui doctrinæ, quam spiritualis vitæ Patres tradunt, id omnino repugnat.

Quoad quartam: dum asseritur, hanc silentii, & quietis orationem, in qua, ut in secunda Auctoris Propositione declaratur, nihil agitur, nihilque cogitatur, ejusmodi esse, ut universis, ac singulis congruat: sane perdendi temporis occasio præsertim incipientibus suppeditatur, quidam in oratione otiosi relinquuntur, & dæmonis illusionibus exponuntur. In hac quidem Propositione dicitur, tum solum in ejusmodi silentii, & quietis oratione manendum esse, cum directores nostri nos certos reddunt, Deo ita placere. Sed respondetur, nullum umquam idoneum, ac veritatis amicum directorem, iis præsertim qui orationi vacare incipiunt, auctorem fore, ut auctoris, de quo agitur, regulas amplectatur; quia spiritualis vitæ magistri docent, in hisce principiis ad desidiam, quæ fere contingit, evitandam, super veritate, quæ meditationis argumentum est, non paucis reflexionibus opus esse, ut orans eam sibi non persuadeat modo, sed etiam applicet, atque ita ex ea fructum percipiat, quo indiget, sive ad propriam conversionem, sive ad majus robur in bono acquirendum, & ad proficiendum magis magisque: qui universus est orationis fructus, ac finis, cujus gratia instituta est.

Quoad quintam: quod in propositione quinta fundamenti loco ponitur, nempe cum bonum principium, & bona pariter intentio est, bonum & sanctum esse, quidquid fit, falsum est, & in praxi maxime periculosum: non ergo verum est, otium, quod mala res est, in oratione bonum evadere posse, quocumque tempore in eo consistatur; nec magis verum est, sufficere ad actio-

actionis bonitatem recte agendi intentionem adesse. Possunt nimitum in actionibus nostris occurrere circumstantiæ, quæ pravos exempli causa effectus producant.

Quoad propositionem sextam: ajus eo tendit vis, & ratio, ut praaim, & opera pietatis, & caritatis inter fideles de medio funditus tollat: si enim silentium internus, & quies coram Deo præstat, absoluta loquendo, precibus, quæ quidem ad obligationem non spectant, cæterisque omnibus devotionibus; eodem jure concludi potest, idem silentium, eamdemque quietem omnibus caritatis, & supererogationis operibus antestare. Id si ita sit; quæ tatio erit devotionis, qua Beatam Virginem, sanctosque prosequimur?

Ita quidem preces in Ecclesia graviter imminnuntur; non amplius pro peccatorum conversione, pro purgatorii animabus orandum erit; non amplius ad eos accedendum, qui in carcere detinentur, ut iis auxilium, atque adeo liberatio afferatur; non amplius adeunda hospitalia, ut pauperibus ægrotantibus solatium, subsidiumqua præstetur: siquidem tum nobis, tum aliis utilius fuerit, coram Deo in interiore silentio, & quiete manere. Consiliorum tamen, & supererogationis operum praais non modo fidelium fervori fovendo, verum etiam in obedientia, quam Dei præceptis præstare debent, magis magisque inservit.

Quoad septimam: hujus propositionis doctrina tendit ad renovandas 5. 9. & 24. Michaelis Molinos Propositiones: prohibet enim, ne orans convertat animam ad seipsum, vel ad id, quod in oratione contingit; ac proinde quoad distractiones, ac tentationes, quamvis impuræ verbi causa sint, attentione nulla opus est; passivus debet esse animus, ut eas perferat, non activus, ut easdem vel advertat, vel avertat. Præterea doctrina hæc pugnat cum regulis, quas spiritualis vitæ Magistri; iis potissimum tradunt, qui orationi se dedere incipiunt, videlicet, ut eas cogitationes expendant, quæ altius animo adhæserunt, quæque ad permovendum aptiores sunt, in iisque proinde diutius persistant; ut orationis defectus, quos corrigant, animadvertant; ut fructum sibi proponant, quem consequi volunt, quoad errata præcipua, & vitia prædominantia, quorum correctio necessaria est. Quod si ad id, quod in oratione contingit, attentio nulla confertur, nullus ex ea percipi fructus potest, & ipsa evadit inutilis.

Quoad octavam: in ea ponuntur tria, quæ falsa sunt, animosque in magna discrimina conjicere possunt. I. Distractiones cum indifferentia tolerandas esse; neque enim locum habere potest indifferentia quoad id, quod generatim loquendo, ipsumque per se potest orationis fructus impedire: porro distractiones hæ peculiariter possunt ejusmodi esse, ut nos ad peccatum ducant, nisi reprobentur; atqua adeo actus virtutis, quæ vitio, ad quod eæ pertrahunt, contraria est, exeratur. Id sane in ejusmodi casibus identidem spiritualis vitæ Patres commendant: & quamvis nos moneant, ne vehementiorem animi contentionem, & conatus ita magnos adhibeamus; statuunt idem tamen principii loco, ne in nobis, quantum quidem est rationi consonum, distractiones eas toleremus. II. In quocumque statu verseris orationis tempore, in eo tibi esse consistendum in pace, videlicet absque ulla motione contraria, qua Deo significes eumdem statum tibi displicere, quamvis horribiles, & periculosæ fuerint ejusmodi tentationes. Id si ita haberet, nihil sana fuisset, quamobrem D. Paulus ob ea, quæ in seipso carnis rebellio contra spiritum producebat, se quidem invito, turbaretur, & quereretur; non ergo debuisset Deum rogare, quod ter præstitit, ut se ab eo statu, quem sibi periculosum putabat, liberaret. III. Deum velle, ut in hoc distractionum, & tentationum statu verseris, dummodo non consentias. Non apparet, quam rationem, vel auctoritatem hujus Propositionis Auctor afferre possit, ut persuadeat, eam esse Dei voluntatem, ut hoc in statu consistatur. Sane omnino contra stat Sacræ Scripturæ mens, & Patrum doctrina. Uno verbo, octava hæc Propositio Molinianas 17. & 37. renovat.

Quoad nonam: continet illa falsitates duas in praxi periculosas. Prima ast, sollicitudine opus non essa, ut voluntas Dei cognoscatur; quasi vero Dei voluntas, prout actionum nostrarum regula est, fere in aperto posita sit, & facile cognosci possit. Ergo nemo unus, antequam vitæ statum suscipiat, uti oratione debet, ut Dei voluntatem cognoscat; in consilium adhibere nemo debet viros prudentes, ac doctos, ut animorum moderatores, ut intelligat, sit ne illud vitæ genus, ad quod a Deo vocetur; sed satis ast, intentionem adesse Dei voluntatem faciendi. Idem statui de iis omnibus potest, quæ siva in seipsis, sive quoad nos aperte mala sunt. Itaque principium, quo nona hæc Propositio nititur, pugnat cum regulis, quæ in ineunda vitæ ratione, doctorum, graviumque virorum judicio fere servanda sunt; atque adeo in causa esse potest, cur & sæpe, & graviter aberretur. Alterum est, Dei voluntatem tum semper fieri, cum id agitur, quod officio nostro non est manifeste contrarium; ea quo quidem principio illud suopte sponte consequitur, omnia omnino fieri posse, quamvis bona, an mala sint, dubitetur. Potest etiam se quisque exponere periculoso cuique statui, in eoque versari, seu status ille habeatur ejusmodi quoad seipsum, seu quoad nos, donec ille aperte Dei voluntati contrarius, malusque nobis appareat. Hujus principii consecutio in praai est maxime periculosa, eoque magis, quod Auctor ad cognoscendam Dei voluntatem sollicitudinis, atqua industriæ usum quemvis explodit, dummodo ejus faciendæ intentio adsit.

Quoad decimam: Propositio hæc duo falsa pro certis ponit. Primum, admodum bene Missam audiri, cum de Deo cogitatur; aliud est enim, bene Missam audiri, & aliud audiri: porro perfectior audiendæ Missæ ratio non in eo sita est, ut præcise da Deo cogitetur; sed ut cogitetur de Mysterio, quod repræsentat, & continet, quæ quidem Christi Domini, Dei scilicet hominis facti, passio est. Alterum vero, rectissime Missam audiri, cum non amplius de ea cogitetur (quod etiam de Passionis Mysterio intelligitur) nihil aliud, hujus Auctoris sententia, præstandum est, quam in quiete, ac silentio consueto consistendum, quin scilicet detur opera, ut distractiones, & tentationes repellantur: immo vero quidquid accidere posset, tolerandum; hoc enim sensu silentium, & quietem Auctor intelligit. Quod sane hac notione explicatum falsum est, & maxime periculosum.

Propositio hæc est 22. & 72. ea iis, quæ Carnutensis Episcopi Constitutiona damnatæ sunt, ductæque ex libro *Brevis modis* &c. Datronæ Gugon.

Quoad undecimam ac postremam. Doctrina in hac Propositione contenta est aleæ plenissima, sacrisque literis, & sanioribus spiritualis vitæ Patribus opposita. Conformis est Molinianæ Propositioni 32. quæ negat interiores animas seu ante, seu post Communionem ulla alia præparatione, seu gratiarum actione indigere, quam ut de more in passiva resignatione versentur; hoc ast, ut ait Auctor noster, in naturali silentio, & quiete detineantur. Vult tamen D. Paulus, unumquemque seipsum probare I. ad Corinth. a. *Probet autem seipsum homo*. Quod accommodandum tum examini, quod Confessionem præcedere debet, tum dispositionibus ad sacrosanctam Communionem conferendis, sive ut obsequium suum Fidelis erga hoc adorabila Sacramentum testetur, eoque se dignum exhibeat, siva ut ad omnia sua peccata confitenda sa comparet, eorumque proinda remedium a Confessario percipiat. Ex omnibus hactenus dictis sequitur, librum, qui doctrinam continet, quæ in allatis Propositionibus exhibetur, damnandum esse, ac præterea vetandum, ne Confessarii in Fidelium moderatione eo utantur, vel Fideles in propriis instituendis moribus eidem adhæreant.

Decisum in Sorbona die 22. Aprilis 1698.

G. Fromageau.

APPENDIX

De Erroribus Josephi Beccarelli.

Historiæ Quietismi, quam late prosecuti fuimus in hac Dissertatione, atteximus recentissimum nostræ ætatis Hæresiarcham Josephum Beccarelli Presbyterum Sæcularem, Sacræ Theologiæ laurea decoratum. Anno MDCLXIII. in Villa d'Oglio nuncupata Dominii Brixiensis & Diœcæsis Cremonensis ex vilissimo genere natus, cum adulta jam ætate in Collegium quoddam illius ditionis adscitus juventuti in literis erudiendæ animisque in via spiritus dirigendis præfectus fuisset, adeo enormia ac portentosa contra Orthodoxam Religionam suis Collegialibus primo cœpit aperire, & exinde cæteris utriusque sexus personis instillare, ut ex iis, quæ dicturi sumus, facila quisque deprehendere queat, an impium Molinosium, quem supra vidimus Quietismi propagatorem eximium, æquaverit, vel potius superaverit. Non referimus singula nequissimi hominis dogmata, sed gravissima, eaque in compendium redacta, ne truncum hocca opus lectoribus nostris exhibeamus, ut ex ramis stipitem conjicere queant, atque ex rivulis fluvium valeant dimetiri. Ad faciliorem sibi viam promulgandis erroribus aperiendam, atque sanctitatis opinionem aucupandam plusa effinxit vaticinia; quæ inter eminet illud, quod cum adhuc lac sugens ac inter parentum brachia versaretur, alius quidam infantulus, lingua mirabiliter soluta, hæc verba protulerit: Puerum hunc magno studio tueamini, quia ætate provecta insignis animarum director in

viam

viam salutis est evasurus. Memorandum quoque illud, quod adolescens collato proposito cum viro Religioso, fama sanctitatis insigni, regularis vitæ arctissimum institutum amplectendi, eo suadente, consilium in melius mutaverit, prædictione accepta, etiam extasi ipsius Religiosi loquentis confirmata, se mirifica a Deo spirituum discretione dotandum, complures Deo animas lucraturum; quod arctissimam Religionem professus consequi minime potuisset. Miraculum pariter simulavit: arte scilicet aptaverat cadaver cujusdam Collegialis, qui recenter ex humanis excesserat, ita ut area ad illud tumulandum parata capere non posset: accessit Beccarellus, atque defunctum ex nomine vocatum jubet ut antea vivum, ita nunc exanimem sibi protinus obtemperare; indeque capite composito brachiisque complicatis funus deposuit. His omnibus adjecit spiritum prophetiæ: Collegialibus enim prædixit, cineres & ossa sua fore ut publice adorarentur adinstar Sanctorum Apostolorum, cum eorumdem exemplo, acerrimas persecutiones & convicia ab hoc sæculo nequam esset injustissime perpessurus. Immo cordium secreta, statumque animarum post mortem se certo cognoscere dictavit, gloriatus non raro de Angelo sibi jugiter præsenti, qui omnes & singulas reconditas cogitationes atque defectus suorum Collegialium aperiret. Quamobrem juste aliquando reprehensus, quod animam alterius cujusdam Collegialis in agone versantis juxta Ecclesiæ ritum commendare neglexisset, audacter respondisse fertur, superfluum fore languenti in extremis monita salutis suggerere, eumdemque precibus ab Ecclesia statutis adjuvare; cum Collegialis languentis in extremis animam in infantis Jesu bracchiis reclinatam suavissime requiescere conspexisset. Evolutis subinde pluribus annis, ob Collegium suæ directioni commendatum Serenissimæ Reipublicæ Decreto dissolutum, asseruit, se turbam inimicorum aspexisse præ gaudio exultantem propter Collegium destructum, veræ sanctitatis asylum. Hæc molimina eo tendere visa sunt, ut novæ Sectæ construendæ percupidus, sub ementita pietatis ac Religionis specie, laqueum & muscipulam poneret pedibus insipientibus, atque adinstar aspidis tortuosi habentis septena capita pestiferæ doctrinæ virus evomeret, suis asseclis propinandum. Docuit itaque: In oratione credendum esse divinæ præsentiæ nihil aliud cogitando, atque in eadem obscuritatem habere citra ullam Dei cognitionem, esse vitæ spiritualis indicium: Matrimonium esse Sacramentum porcorum: Feminarum nuditatem ceu actum virtutis & innocentiæ, quin & tactus inhonestos inter personas utriusque sexus commendabat; ea vero peragere renuentibus ob conscientiæ stimulum temere effutiebat, hæc ad praxim reduxisse cum suis pœnitentibuss S. Philippum Nerium ad mortificationis exercitium, necnon Sanctum quemdam Eremitam, ut legisse mentiebatur in Vitis Sanctorum Patrum, quin & S. Theresiam Virginem suæ doctrinæ auctoritate firmasse; & cum quædam mulier reponeret, se numquam hujusmodi legisse in vita S. Philippi Nerii, statim adjecit, Non omnia Sanctorum gesta in sacris Historiis recenseri. Asseruit insuper fidem & cæcam obedientiam habendam esse omnino animarum directoribus, & quantumvis illicita perpetranda suaderent, nullum esse peccandi periculum, immo meritum, sive promiscuo sexu, sive mares inter commiscerentur: Orationem Dominicam, jejunia, cæterasque corporis macerationes non ita dæmonem deterrere, sicut oratio mentalis: Carmina profana, quæ ad amorem impurum alliciunt, verificari posse de Deo in ordine ad animam: Sanctæ Inquisitionis Tribunal chimæram esse; toto ibi posse falsum juramentum confirmari: Licitum esse Catholico vim edocere sententias hæreticas, erroneas, necnon Propositiones quascumque a Sede Apostolica proscripta; cantus componere continentes blasphemias in Deum & Sanctos, Attributis divinis, christianisque virtutibus repugnantes. Sanctus passim afficiebat contumeliis atque conviciis; Patrem Æternum senem barbæ venustæ, Beatissimam vero Virginem pulchram Margaritam per derisum appellabat: e converso familiare ei erat, personas a Sancta Inquisitione damnatas ceu martyres, insignique sanctitate præditas festivis encomiis celebrare; quemadmodum honorificis titulis frequenter condecorabat Pelaginos Vallis Camosæ; & Presbyterum Schienam Veronensem, paucis retro annis tamquam de hæresibus suspectum ad triremes ejectum, Sanctum stupide prædicabat; ipsum vero Molinosium, aliquando fama miraculorum percrebrescente canonizatum iri vaticinabatur. Suis pœnitentibus quater in singulis hebdomadibus ad sacram Eucharistiæ mensam indulgebat accedere, nulla ab eisdem excepta peccatorum Confessione, quam actuum impatientiæ. Ad promulgandam novæ suavisque reformationis, quam vocabat, doctrinam, supra cæcam quamdam obedientiam, veluti supra fundamentum erectam, ut ita monstri turpitudo, quæ tota in sordibus nefariisque actibus explendis sita erat, facili negotio lateret, neve ullum externus venereæ delectationis panderetur indicium, duodecim viros Apostolos, atque ex mulieribus totidem Apostolinas sibi adsciverat Beccarellus, adjecta iis facultate creandi alias septuaginta duas, quæ privilegio gauderent præferendi tonsuram, frontisque medio capillitium nutriendi, quo facilius conum, seu galeam insulæ adinstar ostentarent.

His maximis enutrita Beccarelistarum Secta vel falsa Directoris & Auctoris sanctitatis opinione decepta, vel sensuum illecebris seducta, ad quas complectendas post primi Parentis lapsum natura nulla non ætate se præbuit proclivem, in varios coetus distincta per Brixiæ ac Longobardiæ regiones ita longe lateque grassabatur, ut in solo Brixiensi districtu supra quadraginta duo millia asseclarum numerus protenderetur, quos inter primæ nobilitatis viri, & feminæ cujuslibet status & conditionis, necnon Sacerdotes non pauci, etiam Ecclesiasticis dignitatibus insignes, recensebantur. Pastillos quosdam referunt ope dæmonum constructos, adeo mirabili virtute præditos, ut Beccarelistæ iis vescentes unius dumtaxat horæ intervallo plus minusve viros feminas, hasque vicissim viros existimarent, quo tempore obscenitatibus tam avide sollicit eque vacabant, ut perinde ac si sanctiora pietatis & Religionis obirent officia, certo sibi pollicerentur plenariam omnium peccatorum veniam & remissionem obtinere, etiam per modum suffragii pro defunctis applicandam. Tam impia stoliditas vix credi posset, nisi ex probatissimis monumentis Sanctæ Inquisitionis studio collectis apertissime deprehenderetur. Ipse vero Beccarellus errorum scelerumque omnium coryphæus duobus circiter annis adolescente quodam abusus, utroque sexui passim commiscebatur, atque a feminis cujusque status & conditionis sub prætextu caritatis, aliisque ementitæ religionis speciebus, extorquebat consensum. Hinc cujusdam feminæ ingressus cubile consentire ad illicita vicissim perpetranda reluctantis, exclamasse dicitur: Ignem maximum video, eoque significantur vel flammæ tartareæ ad te comburendam paratæ, si repugnas; vel divini amoris faces tuam ipsam animam succensuræ, si cæcam mihi exhibeas obedientiam. Deceptis vero mulieribus postulantibus vel votum emittere ad servandam in posterum castitatem; vel dubitantibus, an oporteret facinus ante sacræ Eucharistiæ receptionem per sacramentalem Confessionem expiare: aut annuebat ille, dummodo ejusmodi voto servando juxta suam intentionem, se Deo manciparent; aut nulla prævia sacramentali Confessione tum posse ad sacram mensam accedere suadebat, & ita seipsum gerere testabatur, dum erat incruentum altaris sacrificium celebraturus. Neque a scelestissimis actibus obscenis sacratioribus anni festivitatibus temperavit impurissimus nebulo, quin ipsa die Cœnæ Domini, mulierem quamdam, quæ in Capella Collegii versabatur ad porrigendum sibi lactem antea requisitam, subinde in secreto cubiculo ad carnale commercium induxit. Adhuc mihi plura superessent dicenda, nisi lectorum modestiam me crederem offensurum.

Dogmata vero a sæculis inaudita nefandaque flagitia, quæ diu latuerant, fuerunt tandem zelo Religionis, morumque disciplinæ ad Sanctam Inquisitionem delata, a qua prodiit Decretum ut caperetur Beccarellus: monitus tamen ea de re tantum abfuit, ut per fugam sibi consuleret, quin potius mandatum contempsit, pœnæ luendæ jam maturus. Cum vero quadam die mensis Julii ann. MDCCVIII. muliterculis stipatus mensæ accubaret, a superveniente satellitum caterva comprehensus in carcerem adductus est, tamquam de hæresibus suspectus, aliisque criminibus ad eamdem Sacram Inquisitionem spectantibus; non obstante quod ante aliquot menses coram Inquisitore Patavii spontanee se constituisset, quia super gravioribus erroribus & excessibus diminutus extiterat, ut acta juridici Processus demonstrarunt.

Facta subinde de mandato Sanctæ Inquisitionis in domo Beccarelistarum perquisitione, statim apparuere pestiferæ Sectæ exordium & progressus ab annis viginti quinque, ejusdemque regulæ, & ordinationes ad majorem memoratæ cæcæ obedientiæ perfectionem: Necromantiæ libri, & pastilli, quorum supra meminimus, necnon Catalogus nominum personarum, quæ Beccarelli erroribus subscripserant, atque obscenitatibus se conspurcandos tradiderant; ideoque Cardinalis Baduarius Episcopus Brixiensis dixisse fertur: Deo gratias, quod post longam annorum seriem tantorum malorum originem adinvenimus. Hinc nonnullos Sacerdotes alias suspectos, atque in Catalogo repertos in dicta domo recensitos, publico edicto ab excipiendis fidelium Confessionibus abstinere jussit. Cum vero quidam ex iis ad eumdem Cardinalem accedens errores ex deceptione a se receptos excusaret, ipsiusque patrocinium imploraret, hoc responsum obtinuit: Episcopum tueri non posse causam adversus Orthodoxam Religionem excitatam, a Romano Pontifice quamprimum definiendam.

Elapsis vero duobus mensibus, postquam Beccarellus in

vin-

vincnlis detinebatur, completo Processu, ex quo clarissime deprehendebatur de enormibus erroribus & sceleribus supra recensitis convictus atque confessus, Sacræ Supremæ, & Universalis Inquisitionis Decreto ad publicam abjurationem compellitur; quam ad exemplar illius, quam supra retulimus in causa Molinosii, solemni ritu peregit.

Die itaque decima tertia Septembris ann. MDCCX. Brixiæ in foro Ecclesiæ Matricis conspiciebantur celsiori loco Eminentissimus Cardinalis Badnarius, & Reverendissimus Pater Antonius Manganoni Inquisitor Generalis Brixiensis, necnon Venetæ Reipublicæ Proceres Potestas & Dux Civitatis, tamquam assistentes Sanctæ Inquisitionis Tribunali; in pegmate vero Beccarellus vinctus catenis, atque a satellitum cohorte circumdatus, ibi alta voce lecto Processu ab hora duodecima usque ad decimam quintam coram populo, qui viginti millium personarum numerum excellerat, non sine piorum virorum plausu ac jubilo (mirantibus tamen cunctis, quod Reus ob impudentiam nullum veræ resipiscentiæ proderet indicium) laudatus Inquisitor primo in nefarium Hæresiarcham invectus, Serenissimam Rempublicam plurimum commendavit, quæ sinceræ pietatis zelo succensa, inter hæresum debacchantium tumultus Religionem Orthodoxam illibatam servasset; Reum deinde compulit ad abjurationem errorum publice perlegendam, eamdemque proprio charactere subscribendam. Tandem lecta est Sanctæ Inquisitionis sententia, qua damnabatur Beccarellus ad triremes ad septem annos, ad septem psalmorum pœnitentialium recitationem singulis hebdomadibus, atque ad Sacramenti Pœnitentiæ & Eucharistiæ receptionem quater in anno. Post hæc ad Turrim Arcis Brixianæ deductus, ibique ab Ordinibus Ecclesiasticis degradatus, Venetias satellitibus ac militibus comitantibus translatus est, ubi novo constructo Processu super quibusdam criminibus Reipublicæ Venetæ statum concernentibus, quid de eo actum fuerit, ignoramus.

DISSERTATIO III. HISTORICA.

De Propositionibus concernentibus Amorem Purum Francisci de Fenelon Archiepiscopi Cameracensis.

§. I.

Origo Propositionum Amoris Puri occasione Libri inscripti Placita Sanctorum, necnon controversiæ adversus eumdem in Gallia excitatæ.

EOdem tempore, quo Romæ, constructo Processu super actis, & doctrina Michaelis Molinosii, Sacra Congregatio Supremæ, & Universalis Inquisitionis solemnem, ac publicam falsorum ejus dogmatum moliebatur proscriptionem, pestifera lues Quietistarum in florentissimo Galliæ Regno grassari cœperat, eo successu, ut nisi omnipotentis Domini provida manus virulentam propaginem quantocius amputare satègisset, latissime quaqua versus serpere sub speciosis apparatibus (ut solet id genus perditum germen), pietatis, scientiæ, dignitatisve abs dubio fuisset deprehensa. Enimvero nobilis vidua Domina Guionia nuncupata, Montargis orta, nonnullis a se promulgatis opusculis, uno impresso Gratianopoli, cui titulus, *Brevis methodus orandi*; altero Lugduni, qui inscribitur, *Explicatio Canticorum*: varias iis in regionibus sparserat pseudo-spirituales doctrinas, quæ demum detectæ a viris sanioribus, dignisque censuris notatæ ansam præbuere, ut dicta Matrona Parisiis Monasterio Sanctimonialium Visitationis ad S. Antonium Mense Jan. 1688. concluderetur; parem quoque adversæ fortis aleam experto P. de la Cambe Clerico Regulari Barnabita, ejusdem Matronæ Directore, & Confessario. Verum cum subinde Domina Guionia ab erroribus objectis sese purgasset, ex eo Monasterio dimissa, submissis scriptis suis judicio Episcoporum Meldensis, & Carnutensis, & Rectoris Seminarii S. Sulpicii, necessitudinem inivit cum Abbate de Fenelon recens nominato Archiepiscopo Cameracensi, qui ejus partibus adhærere non dubitavit; cum vero iterato fuisset accusata, quod Pseudo-Mysticorum erroribus abriperetur, comprehensa fuit, & in Castellum de Vincennes conjecta.

Interea vero, ne hæresum omnium seminator Diabolus sub specioso titulo recentioris Mystices novos in Regno Franciæ ordiretur tumultus, neve plantatæ segetes alius excrescerent in perniciem avitæ Religionis, ut merito timebatur, tres Præsules, quibus Domina Guionia propriam subdiderat sententiam, collecti Issiaci 10. Martii 1694. quatuor supra triginta condiderunt articulos, velut jugem antidotum Molinosticæ doctrinæ, a nobis relatos superius Dissert. II. §. VI. receptos postmodum, approbatos, promulgatosque ab aliis Galliarum Episcopis anno sequenti 1695.

Quamvis vero Abbas de Fenelon, memoratæ Dominæ Guioniæ Director, more cæterorum Antistitum sponte subscripsisset laudatis Articulis Issiacensibus; nihilo tamen secius ad Archiepiscopalem Sedem Cameracensem promotus, specie favoris eorumdem Articulorum explicationis librum a se compositum publici juris fecit Parisiis anno MDCXCVII. inscriptum, *Placita Sanctorum*, ex quo Benignus Bossuettus Episcopus Meldensis plures Catholicæ doctrinæ puritati dissonas eruit illationes, editis ea de re compluribus Operibus, quibus Cameracensis novum systema de amore puro nervose confutat, evertitque. Unde Archiepiscopus Parisiensis, Episcopus Carnotensis, & laudatus Episcopus Meldensis publico simul edicto diris devoverunt doctrinam prædicto libro, *Placita Sanctorum*, insertam. Advertens proinde Archiepiscopus Cameracensis Librum suum sub titulo, *Placita Sanctorum*, fere ab omnibus improbari, Pastoralem Instructionem promulgavit, qua librum, ejusque doctrinam, ut par erat, minime proscripsit; quinimmo Propositiones ibi insertas falsis adhibitis interpretationibus tueri, ac patrocinari nitebatur. Mirum sane, quod Liber ille tam accurate, tantoque theologici dogmatis rigore elaboratus, multiplicibus interpretationibus indigeret; & quod majus est, allatæ Præsulis solutiones vel doctrinæ, de qua agebatur, non congruerent, vel errores non excusarent, immo potius augerent, atque apertius demonstrarent! Quare eum per verecundam constantiam noller saniori acquiescere consilio, ac librum explodere, donec aliter per Sedem Apostolicam decerneretur; hæc agendi ratio, tamquam viri sese subjicere detrectantis communi fere Galliarum Antistitum judicio, ita Ludovici XIV. animum offendit, ut eumdem a demandata Diœcesi exulare compulerit. Hoc tandem remedium exposcebat ea temporum conditio, quibus sub palliata facie sanctitatis Quietismus in Gallias sensim irrepere pertentabat, ut nimirum Regis Christianissimi zelum invictum, numquam satis laudandæ junctum curæ, atque vigilantiæ Antistitum Gallorum, experiretur. Verum non defuere complures sive Cameracensi Archiepiscopo plus æquo addicti, sive Catholicam Religionem minus sincere cordi habentes, qui pro innata sua libidine traducendi Ecclesiastica statuta, vel calumniandi Principum Christianorum integritatem velut inanem animi levitatem; palam criminati acta justissima in Proscriptione Libri, *Placita Sanctorum*, utriusque operis Cameracensis doctrinas propugnare, atque defendere præcipiti audacia cœperunt, dissidia promoventibus impiis Jansenistis, ad eos potissimum intentis rerum eventus, quos & boni publici ruinam, & depressionem supremæ Auctoritatis Romani Pontificis minari animadvertunt.

§. II.

Damnatio, & proscriptio prædicti Libri cum viginti tribus Propositionibus ex eo excerptis per Literas Apostolicas Innocentii XII.

INterea, cum dicta agerentur hinc inde acerrimo studio in Galliis, controversia tanti momenti, tantamque præferens arduitatem demum delata fuit ad Sanctam Sedem Romanam, perlatis ad Pontificem Innocen-

tium XII. accusationibus Libri memorati, *Placita Sanctorum*, necnon querelis utriusque partis fautorum. Quare ubique in orbe Catholico suspensis animis expectabatur a supremo controversiarum fidei Judice certa aliqua decisio, qua vel dirimeretur penitus condemnatio Libri Cameracensis, vel tandem firma, rataque haberetur. Ut vero Pontifex ea, quæ decet summum Ecclesiæ Doctorem, circumspectione, ac maturitate negotium satis implexum absolveret, Librum Cameracensis demandavit examini decem Consultorum Sacræ, Supremæ, & Universalis Inquisitionis, ut super doctrina in eo contenta judicium ferrent. Evoluto tamen mensium aliquorum spatio, cum in Galliis non appareret declaratio Apostolica, tanto animorum omnium desiderio expetita, cujus celerem expeditionem præstolari videbatur setum, ac temporum necessitas, judicio zelotyporum Antistitum, timens Rex Christianissimus nova Religionis dissidia in Regno suo, priorum seminaria, ex consilio suorum Theologorum, Literas dedit ad Pontificem propria manu exaratas 23. Decembris 1698. tenoris sequentis.

Santissimo Padre. Nel tempo, che io sperava dall' amicizia, e dal zelo di Vostra Santità una pronta decisione intorno al Libro dell' Arcivescovo di Cambray, non ho potuto sentire senza rammarico, che un tal Giudizio sì necessario alla pace della Chiesa sia ancor ritardato dagli artificj di coloro, che credono proprio interesse il differirlo. Io vedo sì chiare le dannose consequenze di queste dilazioni, che non mi parebbe di degnamente sostenere il titolo di Figlio Primogenito della Chiesa, se io non replicassi le mie calde istanze tante volte fatte a Vostra Santità, e non supplicassi ad acquietare finalmente la commozione eccitata nelle coscienze da questo Libro; nè può presentemente sperarsi questo riposo, che dalla Decisione del Padre comune, ma chiara, espressa, e che non possa ammettere alcuna falsa interpretazione, e tale finalmente, quale conviene che sia, per non lasciare alcun dubbio intorno alla dottrina, ed estirpare interamente questo male. Domando, Santissimo Padre, questa Decisione a Vostra Beatitudine per il bene della Chiesa, per la tranquillità de' Fedeli, e per la propria gloria di Vostra Santità, sapendo ella, quanto questa mi sia a cuore: e come che io sono inoltre persuaso della sua tenerezza paterna, aggiungerò a tante gravi ragioni, che ve la devono indurre, la considerazione, che io la prego di fare alle mie istanze, ed al filiale affetto, con il quale &c. Ita Rex Christianissimus ad Pontificem Innocentium XII. cujus Epistola æterno posterorum elogio digna satis cuiquam prodit, quantum invictissimo illi Galliarum Monarchæ cordi fuerit hujus tam gravis controversiæ velox Decisio, ut Regni tumultus in dies exuberantes in perniciem patentissimam Orthodoxæ Religionis quantocius sopirentur. Utinam, & aliorum temporum deplorandæ vicissitudines parem Catholicorum Principum vigilantiam, ac fortitudinem fuissent expertæ! Abs dubio sævus ille coluber tartareæ abyssi in tot florentissimis mundi regionibus sua capita haud erexisset.

At moram Pontificis in expediendo supremo suo Oraculo tam avide expectato ab omnibus, non oscitantiæ genus aliquod dixeris, sed fetum summæ prudentiæ, qua percitus Innocentius XII. quæstionem adeo momentosam nolens præcipiti judicio decidere, accuratissimam statuerat Apostolicæ suæ Declarationi præmittere meritorum causæ discussionem; eo præsertim, quia Pontifex ad pleniorem Christifidelium instructionem volens singillatim excerpere eo ex Libro, atque publicæ omnium notitiæ exponere singulas Propositiones suis respective censuris notandas, non poterat totum id exequi absque summa consilii maturitate, diuturnoque temporis intervallo. At demum auditis consultoribus dictæ Sacræ Congregationis, erutisque ex memorato Libro tribus supra viginti Propositionibus notoria proscriptione dignis, protinus edidit communi bonorum omnium plausu Breve Apostolicum 12. Martii anno 1699. tenoris, ut sequitur. *Cum alias ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse Librum quemdam Gallico idiomate editum, cui titulus:* Explication des Maximes de Saint sur la vie interieure, par Messire Francois de Salignac Fenelon, Archeveque Duc de Cambray, Precepteur de Messeigneurs les Ducs de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry. A Paris chez Pierre Aubovin, Pierre Emery, Charles Clolieur 1697. *e ingens vero subinde de non sana Libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportunam Pastoralis vigilantiæ nostra opem efflagitaverit, nos eumdem Librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, mature, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porro hi mandatis nostris obsequentes, postquam in quamplurimis Congregationibus varias Propositiones ex eodem Libro excerptas diuturno, accuratoque examine discusserant, quid super earum singulis sibi videretur, tam voce, quam scripto nobis exposuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram nobis desuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magistrorum sententiis, Dominici Gregis nobis ab æterno Pastore crediti periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, Librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hucusque impressum, aut in posterum imprimendum (quippe ex cujus lectione, & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent) ac insuper tamquam continentem Propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective, tenore præsentium damnamus & reprobamus, ipsiusque Libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, interdicimus, & prohibemus. Volentes, & Apostolica auctoritate mandantes, ut quicumque dictum Librum penes se habuerint, illum statim atque præsentes literæ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Cæterum Propositiones in dicto Libro contentæ, quas Apostolici censura judicii, sicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum versæ, sunt tenoris, qui sequitur, videlicet.* I. Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, & sine ulla admistione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. II. In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ amittitur omne motivum interessatum timoris, & spei. III. Id quod est essentiale in directione Animæ, est, non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & numquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic Verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimetipsis affixis, & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere. IV. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ non cooperatur. V. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ. VI. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum. VII. Derelictio non est, nisi abnegatio, seu suipsius renunciatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu suipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum. VIII. Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quammaxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum. IX. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo. X. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in Cruce, dicens: Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem. XI. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed numquam amittit in parte superiori, idest in suis actibus directis, & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum. XII. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit. XIII. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes. XIV. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. In illa separatione actus partis inferioris

ma-

manant ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione; nam totum, quod est voluntarium, & intellectuale, est partis superioris. XV. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati. XVI. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos. XVII. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi duobus temporibus diversis. Primo, in fervore nascente earum contemplationis. Secundo, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus. XVIII. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando, quid sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult, & amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec umquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est. XIX. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum, quatenus est id, quod Deus a nobis vult. XX. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam. XXI. Sancti Mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum. XXII. Quamvis hæc doctrina (*de puro amore*) esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati, eorum gratiæ proportionata. XXIII. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii sunt. *Non intendimus tamen per expressam Propositionum hujusmodi reprobationem alia in eodem Libro contenta ullatenus reprobare. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in Acie campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut sic publicatæ omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: utque ipsarum præsentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Martii MDCXCIX. Pontificatus nostri Anno octavo.*

J. F. Cardinalis Albanus.

§. III.

Publicatio, & acceptatio damnationis, ac proscriptionis ejusdem libri cum viginti tribus Propositionibus, earumque qualificationibus ipsiusmet Archiepiscopi Cameracensis.

NOndum elapsis quinque mensibus ab editione Brevis Innocentii XII. Ludovicus XIV. edictum promulgavit, quo jubebatur omnibus suæ Regiæ Potestati subjectis earumdem Literarum executio; quam tamen prævenit Cameracensis: certior enim factus de proscriptione libri, & Propositionum ex eo excerptarum, nulla interjecta mora, Pontificio se subdidit judicio, mandatumque evulgavit, sui erga Romanam Ecclesiam obsequii, ac maximi, quo prosequebatur Pontificia Oracula, studii æterno monumento futurum; ut proinde, si gloriæ cessit Bossuetio Episcopo Meldensi, quod victum habuerit Cameracensem; ipsi quoque Archiepiscopo Propositionum Auctori perenni cedat laudis monumento, quod agnita veritate, tam humilis, ac submissus exceperit Sanctæ Sedis Romanæ Decisiones. Enimvero errasse humanum est, diabolicum perseverasse; at emendasse Angelicum. Utinam singuli quique falsorum dogmatum novatores eamdem sortiti præcelsi ingenii docilitatem, tam faciles quoque supremis sese submisissent Oraculis! Haud dubium, quin Ecclesia Catholica primitivo suo redimita fidei candore ad hanc usque senescentem mundi ætatem incorrupta floruisset. Accipe jam, benigne Lector, mandatum a Cameracensi Archipræsule evulgatum, ut sincerum ejus dignoscas animum erga Catholicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum Parentem, ac fidei Magistram.

Mandatum Illustrissimi, ac Reverendissimi Domini D. Archiepiscopi Ducis Cameracensis, Sacri Romani Imperii Principis, Comitis Cameracensis &c.

Datum Cameraci die 9. Aprilis 1699.

Franciscus Miseratione Divina, & S. Sedis Apostolicæ gratia Archiepiscopus Dux Cameracensis, Sacri Romani Imperii Princeps, Comes Cameracensis &c. Clero Sæculari, & Regulari nostræ Diœcesis salutem, & benedictionem in Domino.

Vobis, Fratres Carissimi, nos totos debemus, quippe non jam nostri, sed gregi credito devoti sumus: Servos autem vestros per Jesum. Sic affecti, quæ nos attinent super Libello, cui titulus, Placita Sanctorum explicita, apertis præcordiis hic exponendum esse arbitramur.

Tandem opusculum cum 23. Propositionibus damnatum est Brevi Pontificio, Martii die 12. dato, quod jam vulgatum legistis.

Cui quidem Brevi Apostolico, tum de Libelli contextu, quum de 23. Propositionibus simpliciter, absolute, & absque ulla restrictionis umbra adhærentes, Libellum cum 23. Propositionis, eadem præcise forma, iisdemque qualificationibus simpliciter, absolute, & absque ulla restrictione condemnamus. Insuper & eadem pœna prohibemus, ne quis Diœcesis hujus libellum aut legat, aut domi servet. Cæterum, Fratres Carissimi, quamquam humilitur Minister, haud deerit solatium, modo verbi ministerium quod accepit a Domino ad sanctificationem vestram, non sordescat in illius ore, neque eo minus grex apud Deum gratia crescat. Porro vos omnes ex animo adhortamur ad sinceram submissionem, & intimam docilitatem, ne sensim marcescat illa erga Sedem Apostolicam obedientiæ simplicitas, in qua præstanda, Deo misericorditer adjuvante, ad extremum usque spiritum vobis exemplo erimus. Absit, ut umquam nostri mentio fiat, nisi forte ut meminerint aliquando fideles, Pastorem infimæ gregis ove se dociliorem præbendum duxisse, nullumque obedientiæ limitem fuisse positum. Oro, Fratres Carissimi, ut gratia Domini Nostri Jesu Christi, caritas Dei, & communicatio Spiritus Sancti maneat cum omnibus vobis. Amen.

Signatum ✠.

Franciscus Archiepiscopus Dux Cameracensis.

De Mandato Illustris., & Reverendis. Dom. mei Des Agnes Secret.

DISSERTATIO IV.

De Oratione in Communi.

POst Historiam Pseudo-Mysticorum tribus Dissertationibus expositam, accedimus ad Mysticæ Theologiæ rudimenta, ut prajactis solidæ doctrinæ Sacræ Scipturæ, Patrum, aliorumque probatorum Doctorum fundamentis, validius Propositiones tum Molinosii, tum Archiepiscopi Cameracensis a Sede Apostolica proscriptas singillatim impugnemus. Quia vero a communioribus incipiendum clamant Doctores omnes; nemo ibit inficias prævie ad meditationem, & contemplationem, de oratione in communi agi debere, ejus quidditatem, divisionem, excellentiam, & utilitatem exponendo, necnon actus, seu partes orationis mentalis.

§. I.

Quid, & quotuplex ſit oratio.

ORatio ſpectans ad rationem humanam, propriam miſeriam cognoſcentem, eamque coram Deo manifeſtantem a Doctoribus Myſticis definitur: *Elevatio mentis in Deum*. Cum enim orare ſit cum Deo amicabiliter agere; cum eo, qui eſt ſupra nos, amicabiliter agere non poſſumus, niſi mente elevemus.

Aliam tradit orationis definitionem S. Joannes Damaſcenus, eamque amplectuntur Doctores Scholaſtici, nempe, quod ſit: *Petitio decentium a Deo:* & hæc orationis ſignificatio frequenter occurrit in Sacra Scriptura, potiſſimum Matth. 5. v. 44. *Orate pro calumniantibus, & perſequentibus vos*: rurſus: *Rogate, & petite*: & quoties ſit mentio orationis vel pro ſe, vel aliis. Quamobrem S. Thomas in 3. Diſt. 15. q. 4. art. 1. in corp. inquit: *Unde definitio Damaſceni: Oratio eſt petitio decentium a Deo: veriſſime orationis eſſentiam declarat*. Et profecto per illam particulam, *Petitio*, convenit oratio cum aliis petitionibus, quæ veræ orationis naturam non obtinent, undecumque illis hæc ratio deficiat, a quibus per ſubſequentes particulas ſecernitur; differentia ſiquidem orationis ab aliis petitionibus in duplici inadæquato reſpectu ſita eſt, quo oratio terminatur & in rem, qua indigemus, & in Deum nobis ſubvenire potentem.

Utramque orationis definitionem ex Doctoribus Myſticis, & Scholaſticis allatam complexus eſt S. Auguſtinus lib. de Verb. Dom. dicens: *Oratio eſt aſcenſio Animæ de terreſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſuperiorum, & cæleſtium deſiderium*: ubi, ut vides, & elevatio mentis in Deum, & uterque inadæquatus reſpectus exprimitur.

Oratio eſt actus a virtute Religionis elicitus; exhibet enim Deo formaliter cultum, & reverentiam, juxta illud Pſal. 140. *Dirigatur oratio mea, ſicut incenſum in conſpectu tuo*: quia illum omnipotentem, & pium confitetur, eique ſe ſubjicit orans, mentem ſuam ſacrificando; quod quidem ad aliam virtutem pertinere non poteſt, quam ad Religionem, ideoque S. Thomas 2. 2. q. 83. art. 3. in corp. *Ad Religionem*, inquit, *proprie pertinet reverentiam, & honorem Deo exhibere*.

Hoc, ut clarius intelligatur, obſervare non pigeat; petitionem proteſtativam noſtræ ſubjectionis ad Dei excellentiam, ſive per locutionem mentalem, ſive vocalem, non prodire niſi ex affectu orandi Deum, neque habere rationem actus moralis, niſi quatenus procedit a voluntate, atque affectu orandi Deum; ab eadem virtute per conſequens elici debet oratio, ad quam ſpectat producere affectum orandi. Porro cum affectus orandi fieri neceſſe ſit ex motivo colendi Deum, eique mentem noſtram offerendi, media oratione, proteſtando petitione mediante noſtram indigentiam, atque ab eo dependentiam, ac recognoſcendo in Deo potentiam, bonitatem, ac providentiam; conſequens eſt, affectum ſub motivo Deum orandi elici a virtute Religionis, cujus virtutis munus eſt cultum Deo reddere. Quod vero hoc, & non aliud debeat eſſe motivum orandi Deum, ex eo conſtat, quia non eum oramus, ut aliquid aperiamus, quod antea non noverat, neque ut novam habeat voluntatem propter orationem noſtram, quam ab æterno non habuit, ſed ut pro re, qua indigemus, remedium nanciſcamur.

Dices I. Actus intellectus elici nequit ab habitu reſidente in voluntate, cujuſmodi eſt virtus Religionis. Vel ergo oratio actus Religionis non eſt, vel non eſt actus intellectus. Antecedens conſtat: clamor enim, quem Deus exaudit, oratio eſt; clamor vero non eſt actus intellectus, ſed voluntatis: Pſalm. 9. *Deſiderium pauperum exaudivit Dominus*: & S. Auguſtinus enarrat. in Pſalm. 37. dicit: *Ipſum deſiderium tuum oratio eſt*.

Reſpondeo, duplici modo habitum virtutis in aliqua potentia reperiri, & utroque modo potentiam elevare: primo modo formaliter in ſe; & hoc pacto Religio eſt in voluntate, eamque elevat, ut ſuos actus eliciat. Secundo modo per virtutem ab ipſamet participatam, eo modo, quo virtus inſtrumentalis ab agente principali derivatur; & hoc modo Religio eſt in intellectu, cum ei quamdam motionem imprimat, eaque mediante intellectus orationem eliciat. Ut vero hæc doctrina magis explicetur, obſerva, orationem & entitatem phyſicam, & rectitudinem moralem importare: primam habet ab intellectu, eſt enim ea entitas petitio, ſeu locutio quædam, per quam intellectus fatetur propriam humanæ conditionis indigentiam; quæ locutio ex ſe indifferens eſt, ut lineam virtutis obtineat. Verum ſi per virtuoſam rectitudinem actuetur, atque fiat ex motivo præbendi Deo cultum, & reverentiam, jam in linea actus virtuoſi conſtituitur; & hoc eſt, quod habet oratio a virtute Religionis: & quia ea rectitudo eſt de linea voluntatis, ut nemo negat, idcirco ab habitu reſidente in voluntate producitur; unde Religio per ſeipſam elevat voluntatem, & media motione, quam imprimit in intellectu, elevat intellectum, ut utraque potentia orationem producat, intellectus quidem entitatem, voluntas vero rectitudinem.

Ex quo aperiuntur Auctoritates Pſalm. 9. & S. Auguſtini; continent quippe ſenſum vel cauſalem, vel materialem, non vero formalem: ideoque cum dicunt, deſiderium eſſe orationem, atque a Deo exaudiri, ſolum aſſerunt, orationem ducere originem a deſiderio, ſeu affectu, ea enim petimus, ad quæ afficimur, & ea petimus, quæ deſideramus; ideoque noſtrum deſiderium cauſare orationem.

Dices II. Non tantum oramus Deum, verum etiam Sanctos, nedum ut intercedant tamquam mediatores, ſed etiam ut impleant tamquam Domini ea, quæ poſtulamus, ut oſtenditur ex eo, quod Eccleſia petit a SS. Apoſtolis: *Nos a reatu noxios, ſolvi jubete quæſumus*: ubi illud, *jubete*, non ſignificat ſubditorum interpellationem, ſed verum imperium. Ergo ſaltem oratio, quæ ad Sanctos dirigitur, non erit actus virtutis Religionis.

Reſpondeo, negando antecedens. Illis verbis commemoratur ab Eccleſia poteſtas, quam acceperunt Apoſtoli viventes ad ligandum, & ſolvendum, ut habetur ex antecedentibus: *Qui templa cæli clauditis, ſeraſque verbo ſolvitis*: ideoque ut hanc iis poteſtatem fuiſſe collatam profiteatur Eccleſia, illis verbis eos alloquitur. At quamquam reſpectu noſtri Principes ſint, in ordine tamen ad Deum ſunt ſervi, ac per conſequens interpellatores, non Domini; ipſaque oratio eos ſalutans ſupponit eos prius ad Deum accedere, noſtras orationes proponentes: quare etſi ad Sanctos oratio noſtra terminaret, eſſet propter Deum, in quem ultimo refunditur, & eſſet actus virtutis Religionis: vel ſi terminaret præciſe ad Sanctos, non eſſet actus Religionis, ſed Duliæ, de qua nobis ſermo non eſt.

Quæres: an orare, ſicut oportet, ſit actus ſupernaturalis? Reſpondemus affirmative; exigit enim auxilium ſupernaturale, ideoque ad Rom. 8. expreſſe habetur: *Spiritus adjuvat infirmitatem noſtram, nam quid oremus, ſicut oportet, neſcimus, ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*: ideſt, poſtulare nos docet, & facit, ut tradunt ſacri Expoſitores; & Concilium Arauſicanum ſecundum tacite exponens verba Chriſti Lucæ 10. *Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis*: ac inſuper damnans aſſerentes, *Miſericordiam non conferri petentibus, quærentibus, pulſantibus*, definit, tam gratiam petitam, quam auxilium ad petendum a Deo conferri: *Per infuſionem Spiritus Sancti in nobis fieri, ut hæc omnia, ſicut oportet, agere valeamus*. Clarius idem præter Auguſtinum in lib. adverſus Pelagium docuit Chryſoſtomus lib. 2. de orand. Deum his verbis: *Auſculta: ſupra vires hominis eſt miſcere cum Deo colloquium, niſi adſit vis, & actus Spiritus Sancti; ſed oportet, illo præſente, ſanctiſque conatibus auxiliante, ita domum ingredi, & flectere genua, poſtremo orare, & deprecari*.

Oratio in communi dividitur in mentalem tantum; & in vocalem ſimul, & mentalem: quia eſt oris ratio. Cum enim os aliud ſit mentale, ſeu ſpirituale, & aliud vocale, ſeu corporeum; primum orationem mentalem loquitur, ſecundum orationem vocalem. Dari os corporeum, vocalem orationem proferens, neminem latet: dari autem os ſpirituale, quod mentalem orationem loquatur, eſt etiam certum; & quid ſit, aperit nobis Regius Pſaltes Pſal. 36. v. 30. *Os juſti meditabitur ſapientiam*: ubi aſſerit, os ſpirituale illud eſſe, quod meditatur: ac propterea, cum meditatio ad intellectum pertineat, ſequitur, intellectum eſſe os ſpirituale, per quod orantes mentaliter cum Deo loquimur. Ex quo colliges, addendum non eſſe tertium hujus diviſionis membrum, orationis ſcilicet pure vocalis, ut perperam nonnulli Doctores exiſtimarunt; quia hæc proprie loquendo nomen orationis non promeretur: etenim ſi cor non oret, in vanum lingue laborat, cum debeat verborum prolationi adjungi cordis attentio, dicente S. Auguſtino ſuper 3. Reg. *Cum oratis Deum pſalmis, & hymnis, hoc verſetur in corde, quod profertur in ore*: & Angelico Præceptore 2. 2. quæſt. 83. art. 13. ad 3. *Si quis ex propoſito in oratione mente vagetur, hoc peccatum eſt*. Quod acerrime Chriſtum reprehendiſſe nos edocet S. Matthæus cap. 15. v. 7. *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Iſaias dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe eſt a me*.

§. II.

§. II.

Necessitas orationis ostenditur.

POst divisionem orationis §. immediate antecedenti expositam, de ejus necessitate agendum est, sive mentalis sit, sive vocalis: advertere tamen opus est, necessitatem aliam esse medii, aliam vero præcepti; primo modo necessarium dicitur id, quod requiritur ut medium ad alicujus finis assecutionem, atque eo modo, quo ad finem requiritur, necessarium erit. Etenim si finis ex natura sua absolute sine tali medio nequeat obtineri, erit necessarium simpliciter, ut gratia sanctificans respectu æternæ gloriæ; si autem non ex natura sua, sed ex determinatione dirigentis ad finem, erit necessarium medium ex suppositione, uti Baptismus in nova lege sive pro adultis, sive pro parvulis, sive pro amentibus, sive pro ratiocinantibus in ordine ad eamdem gloriam æternam.

Hac præmissa doctrina juxta Doctorum Scholasticorum, & Moralium placitum, dicendum est: Orationem esse necessariam ad æternam salutem tum necessitate medii, tum necessitate præcepti.

Prob. I. ex Sacra Scriptura Lucæ 8. *Oportet semper orare*: & ne hoc merum consilium putetur, sed memoratam necessitatem inferre; ita ea Christi verba Chrysostomus exponit: *Dum oportet, dicit, necessitatem inducit*. Idem perspicue habetur Jac. 5. *Orate pro invicem, ut salvemini*. Quibus auctoritatibus declaratur, nec aliter, nec aliis æternam salutem nisi orantibus conferri. Quamquam ergo æterna salus absolute, & simpliciter aliter quam per orationem posset obtineri, facta tamen suppositione Dei illam ut medium ad salutem decernentis, est necessaria tum necessitate medii, tum necessitate præcepti.

Prob. II. ratione, & auct. SS. Augustini, & Thomæ. Quivis tenetur ad procuranda bona spiritualia gratiæ, & gloriæ, non obtinenda, nisi petantur. S. Augustinus lib. de bon. persever. docet, præter illam primam illustrationem, quæ actum nostrum præcedere debet, ea, quæ subsequuntur, auxilia esse per orationem postulanda: *Deum*, inquit, *non orantibus alia, sicut initium fidei, alia nonnisi orantibus præparasse, sicut usque in finem perseverantia*. Et S. Thomas in 4. Sent. dist. 15. art. 1. quæstiunc. 3. *Adorationem*, ait, *quilibet homo tenetur ex hoc ipso, quod tenetur ad bona spiritualia sic procuranda, quæ nonnisi divinitus dantur; unde alia modo procurari non possunt, nisi petantur*: & inibi ad 2. *Amor, qui maxime voluntarius est, necessarius est, si quis velit ad salutem pervenire; & hoc modo etiam oratio necessaria est, & sub præcepto cadens, respectu eorum, quorum voluntas sub necessitate prædicta cadit*. Ergo cum bona spiritualia gratiæ, & gloriæ non habeantur, nisi petantur, necessaria erit oratio tum necessitate medii, tum necessitate præcepti. A cavillationibus Hæreticorum hic abstinemus, easque inferius dissolvendas reservamus pro confutatione Propositionum Molinosii.

§. III.

Quanta sit excellentia, & utilitas orationis.

ORatio pure mentalis, quamvis, juxta methodum a DD. Mysticis præscriptum, plures actus, seu partes complectatur, de quibus agemus inferius; omnes tamen vel ad petitionem ordinantur, vel ut ea melius fiat, ac nomen orationis participant, vel sub affectu Religionis cadunt, atque ad divinum cultum referuntur, proindeque peculiarem Deum colendi modum constituunt.

Quam excellens sit ejusmodi orationis exercitium, ex Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum auctoritatibus perspicue demonstratur. Thren. 3. dicitur: *Bonum est viro, cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit*: quod de oratione mentali interpretatur Auctor Comment. super Luc. sub nomine S. Hieronymi. Rursus Lucæ 10. *Maria optimam partem elegit*: & Psal. 26. *Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea*: de qua facie videri potest S. Gregorius Papa lib. 10. Moral. cap. 16. & seqq.

Ad orationis pure mentalis commendationem accedunt SS. Patrum testimonia. S. Basilius homil. in Martyr. Julittam docet, orationem plenius se explicare, ac vires suas exercere in animam orantis, ex libera electione, & proposito factam, licet vox exterius non prodeat. Adhæret S. Basilio S. Nilus lib. de orat. cap. 39. & 40. ubi dicit, *Sensu orandum esse*: idque postea declarans subdit: *Sensus est consideratio cum reverentia, & compunctione, & dolore animi cum suspiriis sine voce*. Beatos vocat S. Augustinus lib. de Morib. Eccles. cap. 31. eos omnes, quibus datum est ad perfectum hujus orationis gradum ascendere: *Perfruentes*, inquit, *colloquio Dei, cui puris mentibus inhæserunt; & ejus pulchritudinis contemplatione beatissimi, qui nisi Sanctorum intellectu percipi non potest*. Idem tradit S. Leo Papa Serm. 8. de Jejun. explicans Christi verba Lucæ 10. *Optimam partem elegit sibi Maria, quæ non auferetur ab ea in æternum. Quamvis*, inquit, *sine animo nihil caro desideret, & inde accipiat sensus, unde sumit & motus; ejusdem tamen est animæ quædam sibi subdita negare substantiæ, & interiori judicio ab exterioribus interna frenare, ut a corporeis cupiditatibus sæpius libera in aula mentis divinæ possit vacare sapientiæ, ubi, omni strepitu terrenarum silentecurarum, in meditationibus sanctis, & in deliciis lætetur æternis*. SS. Patrum auctoritatibus Gersonem adjicimus lib. de Mystica Theol. industr. 11. Alphab. 66. litt. 8. ita loquentem: *Falluntur, qui volunt semper vel legere, vel orare vocaliter, vel devotionis verba a loquentibus accipere, si putant exinde contemplationis gratiam familiarem sibi committere. Accessuro prosunt hæc, sed non sufficiunt. Exstantamque compungantur interim tales ad lectionem, vel sermonem; abstuleris librum, aut verbum, abibit illico comes compunctio, non aliter quam cum libro, aut verbo reversura. Quapropter cum silentio oportet præstolari salutare Dei, ut consuescat homo orare spiritu, orare & mente; dum etiam vocis strepitus, aut libri deerit intuitus, ipsa meditatio silens sit liber tuus, sit prædicatio. Alioquin videat, ne semper discens, numquam ad sapientiam perveniat*.

Quantam vero utilitatem hominibus afferat hoc mentalis orationis angelicum potius, quam humanum exercitium, clare eruitur ex Sacra Scriptura, & Patribus. Hanc Christus nobis suadet Matth. 7. dicens: *Tu autem cum oraveris, intra cubiculum, &, clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*: ad quæ verba Glossa ordinaria ait: *Magis videtur præcipi, ut inclusa pectoris cogitatione, labiisque compressis oret Deum; cubiculum autem est cordis secretum, ostium carnalis sensus, per quæ hæc externa improbe se ingerunt, & turba phantasmatum orantibus obstrepunt*. Et S. Ambrosius de Cain, & Abel ait, *Quod cor est cubiculum, in quo orandum est*: & addit: *Hoc orationis cubiculum ubique tecum est; & ubique secretum est*. Hinc Apostolus I. ad Corinth. 14. inquit: *Orabo spiritu, orabo & mente, psallam spiritu, psallam & mente*: & ad Ephes. 6. scribit: *Per omnem orationem orantes omni tempore in spiritu, & in ipso vigilantes in omni instantia, & obsecratione pro omnibus sanctis*. Et de viro justo Eccles. 39. dicitur: *Cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, & in conspectu Altissimi deprecabitur; aperiet os suum in oratione, & pro delictis suis deprecabitur: si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum*. Et ideo David II. Regum 7. v. 27. dicebat: *Invenit servus tuus cor suum, ut oraret te*. S. Augustinus in lib. 1. meditat. ad orationem mentalem sic invitat: *Transeat*, inquit, *ab his exterioribus animus, & transcendat omne creatum; currat, & ascendat, volitet, & pertranseat, & in eum, qui creavit omnia, oculos fidei dirigat*.

Idem aperitur ex spiritualium fructuum ubertate, quos parit. S. Joannes Chrysostomus lib. 2. de orand. Deum, exposita orationis ejusmodi excellentia transferendi homines ad Angelorum consortium, ita prosequitur: *Si qui cum sapientibus viris colloqui solent, propter assiduam consuetudinem brevi sic transmutantur, ut illorum sapientiam referant: quid dicere convenit de his, qui cum Deo colloquia commiscent?* Plurimum prodesse propter efficaciam prodeuntem ex carnis mortificatione, & cordis puritate declarat S. Bernardus: *Duas alas* (ait Serm. 3. de Epiph.) *habet oratio nostra; contemptum mundi, & afflictionem carnis: nec dubium, quin cælum penetret, & dirigatur sicut incensum in conspectu Dei*. Ad excitandam maxime devotionem proficuam esse mentalem orationem testatur S. Bonaventura de Proc. Relig. lib. 7. cap. 11. inquiens: *Valde delectari Deum in hac oratione propter multiplicem utilitatem, ut Deo indesinenter inhæreat, ut beneficia Dei multipliciter experiatur, ut abundantius in devotione, & amore Dei crescat*. Eamdem doctrinam hactenus traditam valida confirmat S. Theresia, merito nuncupanda orationis Magistra, cujus cælestis sapientiæ pabulo nos enutriri Ecclesia Sancta postulat in ejus Oratione. Ipsa igitur pluribus in locis suorum Operum efficaciter commendat exercitium orationis mentalis, & præcipue c. 8. Vitæ suæ, ubi hæc inter alia scribit: *S' intenda il gran bene, che fa Iddio ad un' anima, quando la dispone a darsi volentieri all' orazione mentale, benchè non stia ella disposta, quanto è di bisogno: se persevera in quella, per peccati, tentazioni, e cadute di mille maniere, che opponga il Demonio, finalmente tengo per certo, che il Signore la cavi dai pericoli, e la tiri a porto di salvazione. Il bene, che ha, chi si dà a quest' esercizio dell' orazione, sonovi molti Santi, e persone spirituali dotte, che l' hanno scritto: parlo dell' orazione mentale, del che, gloria sia al Signore di quello che ho esperienza, posso dir questo, che per mali, e peccati, che*

fac-

faccia chi l' ha incominciata, non la lasci, perchè è il mezzo potentissimo, per cui può tornare in grazia, e rimediarsi, e senza essa sarà molto difficile ... Non ci è qui che temere, ma solo che desiderare, imperocchè quando bene non andasse avanti, nè si sforzasse di essere sì perfetto, che meriti li gusti, e favori, che Dio dà a questi, a guadagnar poco, andrà almeno conoscendo la via del cielo; e se persevera, spero io nella misericordia di Dio, che nessuno lo prese per amica, che non fosse da lui molto bene rimunerato; perciocchè non è altro a mio parere l' orazione mentale, se non trattar d' amicizia con Dio, stando molte volte ragionando solo a sola con chi sappiamo, che ci ama.

§. IV.

Qui sint actus, seu partes orationis mentalis.

Actus, seu partes spectantes ad orationem mentalem, ut observant Mystici, enumerat S. Bernardus in Scal. Claustr. seu libello de modo orandi, vel quisquis sit Auctor Scal. Claustr. *Lectio*, ait, *quasi solidum cibum ori apponit, meditatio masticat & frangit, oratio saporem acquirit, contemplatio est ipsa dulcedo, qua jucundat, & reficit*. Lectio est *sedula Scripturarum cum animi attentione inspectio*: ubi attentio requiritur, quæ non ad instruendum intellectum dirigatur, sed quæ ad inflammandam voluntatem ordinetur. Liber præcipuus legendus debet esse Sacra Scriptura; minus principalis sunt alii doctrinam inde haustam continentes.

Lectioni succedit meditatio, de qua susius Dissertatione immediate sequenti, discursus scilicet, quo intellectus ex una consideratione in aliam transit; quando intellectus ex veritatibus sensibilibus sibi notis per discursum divino lumine roboratum ad spirituales veritates ascendit. Unde S. Augustinus de Spirit. & Anim. cap. 32. dicit: *Meditationem divina illuminante revelatio, ut veritatem cognoscat*. Ut vero sit pars orationis, exigitur, quod procedat ex affectu colendi Deum per actus a mente elicitos: & hoc duobus modis. Primo, ut ipsa meditatio tamquam Dei cultus intendatur; debet enim in fide fundari, vel per actus fidei frequenter exerceri: secundo, ordinando meditationem, ut ex ea divinæ gloriæ, & majestatis magis in nobis excitetur æstimatio, vel ferventior affectus orandi. Quare meditationis materia debet esse practica, moralis, & supernaturalis, quam ad legem divinam, justificationes per gratiam sanctificantem, eloquia, & opera ejusdem regium Prophetam Psal. 118. revocare, tradit P. Suarez tom. II. de Relig. cap. 2. n. 6. quamvis sub lege includantur peccata, quibus divina Majestas offenditur, ac per consequens ea omnia, quæ vel eorum supplicium, vel eorum remissionem obtinendam concernunt: atque sub divinis eloquiis, justificationibus, & operibus quæcumque fidei Mysteria comprehendantur; ex his quippe dignoscitur vel ingratitudo hominis peccantis, vel benignitas Domini patientis, vel ejusdem pietas miserentis.

Sequitur gratiarum actio a S. Bernardo serm. ad Fratres de Mont. Dei descripta: *Indeficiens, & indefessa intentio bonæ voluntatis in Deum ex cognitione gratiæ Dei*: animadvertens enim homo per meditationem beneficia sibi a Deo collata in grati animi significationem se explicat; æquum quippe est, ut qui beneficium ab alio se accepisse cognoscit, benefactori grates rependat. E hoc est, quod a nobis exigit Deus pro beneficiis concessis: unde S. Thomas loquit super Matthæum: *Fructus, quem a nobis expectat Deus, est gratitudo, ad quam nos semper invitat*. Quare si Inferni pœnas quis est meditatus, gratias Deo reddit, quod ab illis per theandricum Christi Sanguinem liberationem obtinuerit; & sic de aliis, quorum consideratio obvia est.

Subsequitur oblatio: videns enim homo se tot bonis a Deo ditatum, ei debet in retributionem offerre quidquid est, & valet, ac signanter, vel alicujus culpæ corrigendæ propositum, vel peculiaris virtutis exercitium; idque memoria retinendum est, ut postea executioni mandetur.

A meditatione oritur petitio, quæ est oratio proprie dicta, ob nostræ indigentiæ recognitionem: bona autem, quibus indigemus, plura sunt; alia supernaturalia, & alia naturalia. Hæc omnia a Deo, non tamen eodem modo petenda sunt: etenim supernaturalia tam viatorum, quam comprehensorum absolute, uti sunt gratia, gloria, auxilia, & virtutes; naturalia non absolute, sed sub conditione, si ea consequi conveniens sit. Quia ex quo Deus nos ad finem supernaturalem elevavit, certi sumus de voluntate Dei, conferendi nobis gloriam æternam, necnon media ad eam consequendam, nempe gratiam, virtutes, & auxilia.

Advertimus tamen, plures Doctores, partes orationis mentalis recensentes, gratiarum actionis, & oblationis non meminisse; non quia putaverint, orationem iis actibus non constari, sed potius, quia crediderint, eos in meditatione, vel petitione contineri.

Ad conciliandam orationi mentali dulcedinem addit S. Bernardus contemplationem: *Contemplatio*, inquit, *est ipsa dulcedo, qua jucundat, & reficit*. Verum, quia de hac ex professo Dissert. VII. acturi sumus, idcirco nihil de ea in præsentiarum explicandum occurrit.

DISSERRTATIO V.

De Meditatione.

Plura in antecedenti Dissert. dicta sunt de oratione in communi; nunc de Meditatione pertractamus, quam inter actus orationis mentalis recensuimus, inquirentes primo, Quid sit Meditatio: Secundo, Num ejusdem exercitium tam in veteri, quam in novo Testamento probetur. Tertio, An mediante hoc exercitio sine contemplatione possit ad perfectionem perveniri. Quarto tandem, An Meditationis exercitium per aliquod tempus expletum prærequiratur ad contemplationem tam acquisitam, quam infusam.

§. I.

Quid sit meditatio?

Mentalem orationem in meditativam, & contemplativam, vel in discursivam, & non discursivam communiter, ac recte quidem, dividunt Doctores Mystici, quos sequitur Cardinalis Brancatus Opusc. 3. cap. 1. & 2. Primam ab eodem Cardinali his verbis habes descriptam. *Meditatio*, inquit, *est religiosa, attenta, & sedula alicujus rei revelatæ cogitatio, circa rem illam, & ejus accidentia, & circumstantias se extendens, cum amoroso affectu circa rem ipsam, atque Deum rei illius auctorem*. Unde S. Bernardus, vel alius sub ejus nomine, ita scribit in Scala Claustr. *Meditatio est studiosa mentis actio, & occulta veritatis notitia ductu propriæ rationis investigatio*: & apponens exemplum ibidem loquit: *Postquam quis legit hunc versum, Beati mundo corde, investigat, cur non dicat, mundo corpore; & quid sit cor mundum, quomodo fiat mundum ..... Et quod mundum cor habentes salvantur, quia ait: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt: & quod his phrasibus anima inflammata colligit, quam suave esset habere cordis munditiam, æstuat desiderio habendi*. Idem non minus apposite declarat S. Thomas 2. 2. quæst. 180. artic. 3. ad 1. ubi docet, quod *meditatio est intuitus animi in veritatis inquisitione occupatus*. Requiritur autem ad meditationem Religiosam actus affectivus ad Deum, vel ad rem ipsam meditatam respective ad Deum, ad hoc, ut meditatio differat a speculativis, & theologicis considerationibus: quia licet sint de revelatis, & creditis rebus, sunt tamen sine amoroso affectu illis adnexo; ad quem tendit meditatio, ut bene advertit loco citato laudatus Cardinalis Brancatus. Unde S. Theresia c. 12. Vitæ suæ sermonem instituens de meditatione inquit: *Il pensare, ed investigare quello, che il Signore patì per noi, ci muove a compassione, ed è gustosa questa pena, e dolci le lagrime, che di qui procedono; ed il meditare la gloria, che speriamo, e l' amore, che Dio ci portò, e la resurrezione di Cristo Signor nostro ci muove a gaudio, il quale nè del tutto è spirituale, nè sensuale, ma godimento virtuoso, e la pena molto meritoria.*

De que-

Di questa maniera sono tutte le cose, che causano divozione acquistata in parte con l'intelletto, benchè non potuta meritare, nè guadagnare, se non vien data da Dio. Ben può l'anima in questo stato far molti atti per ajuto di risolversi a far gran cose per Dio, e risvegliar l'amore; ed alcuni altri per ajutars ad accrescere le virtù, e farle grandi .... può rappresentarsi dinanzi a Cristo, ed assuefarsi ad innamorarsi molto della sua Sacratissima Umanità, e portarla sempre seco ragionando con essa lui, chiedendogli rimedio per le sue necessità, lamentandosi de' suoi travagli, rallegrandosi seco ne' suoi contenti, e non dimenticandosene per quelli: e questa è una eccellente maniera di profittare, e molto in breve.

§. II.

Usus meditationis tam in veteri, quam in novo Testamento demonstratur.

UTile, ac proficuum est meditationis exercitium, quod tam in veteri, quam in novo Testamento viguit: Moyses enim ex Dei mandato præcepit Josue Deutoron. 6. *ut sæpe meditaretur præcepta legis, sive sedens in domo, sive existens in itinere*: & David Psal. 1. ait: *Beatus vir, qui in lege Domini meditatur*: & si totum Psalterium perlegeris, ad viginti septem vices eum loqui deprehendes de meditatione operum, ac mandatorum Dei. Job 37. dicitur: *Sta, & considera mirabilia Dei*. Præclarum emicat in novo Testamento Christi Domini exemplum: Lucæ enim 6. de eo dicitur: *Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei*: quia (ut bene notat P. Suarez lib. 1. de orat. in comm. cap. 1. num. 6.) totum illud tempus non in sola petitione, sed in supernarum rerum consideratione consumpsit. Apostoli quoque omnes, qui tot a Christo præcepta, & consilia audierant, tot virtutes, & miracula ab eo patrari conspexerant, ac tot injurias, passionem, & mortem ipsam acerbissimam perpeti, demum post resurrectionem tot gloriosa gesta exequi, usque ad ascensionem in cælum, & missionem Spiritus Sancti; quomodo poterant hæc non meditari, & amorem suum ad Deum non effundere? profecto verisimile haud est, immo vel cogitasse impium existimamus. Quam praxim Apostolorum edocti postmodum omnes Sancti tam Episcopi, quam Monachi, in meditatione divinorum sese exercuere: ut constat ex devotissimis meditationibus S. Augustini, quas habes in I. Tomo Operum ejus, quibus se, & alios ad amorem Dei jugiter excitabat. Nec prætetire possumus S. Hieronymum, qui Deum mentaliter crebro deprecabatur, ut mente divina revolvens, diem nocti conjungeret. Extat ejus Epistola 22. ad Eustoch. ubi iis enarratis subdit: *Solus deserta penetrabam: sicubi concava vallium, aspera montium, rupium prærupta cernebam; ibi meæ orationis locus, ibi illud miserrimæ carnis ergastulum: &, ut ipse mihi testis est Dominus, post multas lacrymas, post cælo inhærentes oculos, nonnumquam videbar mihi interesse agminibus Angelorum, & lætus, gaudensque cantabam: Post te in odorem unguentorum tuorum currenus*. Nec desunt recentiora exempla Sanctorum, qui continuo meditationi vacarunt. De S. Romualdo in ejus lectionibus ita legit Ecclesia: *Assidue se jejuniis, & orationibus exercebat, & rerum cælestium meditatione vim lacrymarum profundens fruebatur*. Item in lectionibus S. Philippi Benitii ita habetur: *In Senarii Montis Antrum concessit, ubi asperam quidem jugi corporis castigatione, sed Christi Domini cruciatuum meditatione suavem vitam duxit*. Insuper Breviarum Romanum ita refert de S. Ignatio Loyola, qui in antro Manresæ totum se divinis meditationibus & contemplationibus addixerat: *Quo tempore homo literarum plene rudis, admirabilem illum composuit Exercitiorum librum, Sedis Apostolicæ judicia, & omnium utilitate comprobatum*. Et S. Theresia narrat in sua Vita cap. 24. suasum sibi fuisse a S. Francisco Borgia, quod semper orationem suam ordiretur a meditatione Passionis Jesu Christi: quod si postmodum elevaretur a Deo, non reluctaretur. Ac demum Auctor Vitæ S. Caroli Borromæi ita scribit lib. 8. cap. 5. *Meditava frequentemente la Passione di nostro Signore, alla quale aveva una singolare divozione, distinguendola in varj punti, e si era formato un libro di molte cartelle diverse effigiate con tutti i Misteri d'essa, per avere pronte in un subito, anzi rappresentate avanti agli occhi le cose, ch' egli voleva meditare.*

§. III.

An per exercitium meditationis citra contemplationem vel acquisitam, vel infusam perveniri possit ad sanctitatem, vel perfectionem vitæ Christianæ.

DIcendum est: Per solum exercitium meditationis absque contemplatione vel infusa, vel acquisita perveniri posse ad sanctitatem, & perfectionem Christianam.

Probatur I. quia sanctitas, & perfectio Christianæ vitæ consistit in exercitio caritatis, ut egregie demonstrat S. Thomas 2. 2. quæst. 184. art. 1. in corpore, ubi ait: *Dicendum, quod unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Caritas autem est, quæ nos unit Deo, qui est ultimus finis humanæ mentis: quia qui manet in caritate, in Deo manet, & Deus in eo, ut dicitur I. Jo. 4. Et ideo secundum caritatem specialiter attenditur perfectio Christianæ vitæ*. Atqui exercitium caritatis potissimum habetur per meditationem, ut testatur David Psal. 38. dicens: *In meditatione mea exardescet ignis*: ad quæ verba Cardinalis Hugo ex Ordine Prædicatorum scripsit: *In meditatione mea exardescet ignis: id est, meditatio mea faciet eum exardescere inchoative, ita ut, quod numquam cessabit ardere juxta illud Levitici 6. Ignis in altari meo semper ardebit, quem nutriet Sacerdos, subjiciens ligna mane per singulos dies*. Et Ven. Bellarminus ad citatum locum Psalmi ait: *Attenta meditatio rerum cælestium ordinaria via est ad accendendum ignem actualis caritatis Dei*. Et S. Thomas 2. 2. quæst. 184. art. 3. inquit: *Necesse est, quod meditatio sit devotionis causa, in quantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio: ad quod quidem inducit duplex consideratio; una quidem, quæ est ex parte divinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius, secundum illud Psal. 71. Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam: & hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa*. Ergo per S. Thomam excitatur divina dilectio per meditationem, & devotio in Deum; ac proinde per eamdem meditationem absque contemplatione sive infusa, sive acquisita perveniri potest ad sanctitatem, & veram perfectionem Christianam.

Confirmatur 1. ex iis, quæ docuit illuminatissima Virgo S. Theresia in Via perfection. cap. 17. Licet enim hæc Sancta a Deo fuisset elevata ad contemplationem altissimam, ut ejus scripta abunde testantur; attamen pluribus in locis, & præcipue loco citato, suas Moniales edocet, posse animam sine contemplatione, per solam scilicet meditationem, & exercitium virtutum, quod ab ea procedit, pertingere ad sanctitatem, & perfectionem. Verba laudatæ S. Virginis sunt quæ subjicio: *E' cosa, che grandemente importa, l'intendere, che il Signore non guida tutti per un cammino, e per avventura quegli, a cui pare di stare più basso, sta negli occhi di Dio in più alto luogo. Sicchè non perchè tutte in questo Monastero attendono all'orazione, hanno da essere tutte contemplative: questo è impossibile, e gran consolazione sarà per chi non è, il capire tal verità. Questa è cosa data da Dio, e poichè non è cosa necessaria per la salute, nè egli ce la domanda, non pensi nè anche veruna ad addimandargliela: nè perciò ella lascierà d'essere molto perfetta, se fa quello, che si è detto* (id est, exercendo se in meditatione, & virtutibus) *anzi potrà essere, che abbia assai più di merito, perchè opera con sua maggior fatica, la guida il Signore come forte, e le tiene serbato tutto insieme quel che ella non gode qui. Non si perda dunque d'animo, nè lasci l'orazione, atteso che alle volte viene il Signore molto tardi... Nell'umiltà, mortificazione, staccamento, ed altre virtù sempre è maggior sicurezza; non ci è che temere, nè con queste abbiate paura di non arrivare alla perfezione, come i molto contemplativi*. Idem astituit Mans. 6. cap. 19. dicens: *Quello, in che consiste il più meritare, non ci leva il Signore, poichè sta in mano nostra; onde trovansi molte persone sante, che non seppero mai, che cosa fosse ricevere una di queste grazie di contemplazione, ed altre, che le ricevono, e non sono sante*. Sensum assecutus Sacræ Parentis S. Joannes a Cruce idem asseverat lib. 1. Noctis obscuræ cap. 9. his verbis: *Non tutti quelli, che si esercitano di proposito nel cammino dello spirito, sono da Dio portati a contemplazione perfetta; il perchè egli sa*. Constat ergo ex Sanctis Theresia, & Joanne a Cruce, per solam meditationem cum virtutum exercitio posse homines ad perfectionem, & sanctitatem pervenire. Et profecto si sermo sit de contemplatione infusa, & supernaturali, hæc ad gratiam gratis datam referenda est potius, quam ad gratiam gratum facientem, ex S. Thoma 2. 2. quæst. 54. art. 5. & Gersone 3. part. considerat. 56. cap. 11. Gratia autem gratis data animam sanctam, & perfectam non constituit.

Con-

Confirmatur 2. quia finis spiritualis vitæ, ejusque perfectio est unio cum Deo (testes S. Thoma 2. 2. q. 4. art. 1.) quæ habetur per caritatem. Atqui per meditationem consequi potest hæc unio cum Deo media caritate, ut solide non minus, quam erudite probat Cardinalis Brancatus opusc. 2. de orat. cap. 10. per totum. Ergo per meditationem haberi potest finis spiritualis vitæ, & consequenter sanctitas, & perfectio Christiana, quæ ab illo non differt.

Confirmatur 3. quia omnes pro conditione status tenemur ad perfectionem Christianam tendere, licet non omnes teneamur esse perfecti, ut clare demonstrat S. Thomas 2. 2. q. 186. art. 2. ad 2. Atqui non omnes in hac vita donamur a Deo contemplatione infusa, vel acquisita, ut ait S. Bernardus Serm. 33. de Modo bene vivendi in hæc verba: *Activa vita communis est multorum, contemplativa vero paucorum*: & probat Cardinalis Brancatus opusc. 3. cap. 17. ubi asserit, paucorum esse pertingere ad contemplationem acquisitam, quod a fortiori dicendum erit de infusa. Ergo contemplatio vel infusa, vel acquisita non est medium necessarium ad acquirendam perfectionem; ac proinde cum sola meditatione, & exercitio virtutum perveniri potest ad sanctitatem, & perfectionem Christianam.

Confirmatur 4. ratione desumpta ex Angelico Doctore 2. 2. quæst. 188. art. 2. Perfectio, seu sanctitas vitæ Christianæ haberi potest per opera vitæ activæ, quæ licet exigant meditationis exercitium, non tamen contemplationem vel infusam, vel acquisitam. Ergo nulla datur necessitas contemplationis infusæ, vel acquisitæ, ut quis assequatur sanctitatem, seu vitæ Christianæ perfectionem. Consequentia sequitur: etenim si per opera vitæ activæ obtineri potest sanctitas, liquido evincitur, contemplationem non esse unicum medium ad eam obtinendam. Antecedens probatur, quia, ut docet S. Doctor laudatus, potest institui Religio ad opera vitæ activæ; & profecto plures ad ejusmodi opera ad proximorum utilitatem laudabiliter exercenda institutæ sunt: harum autem Religionum Professores per ea exercitia tendunt ad sanctitatem, & vitæ Christianæ perfectionem. Ergo perfectio Christianæ vitæ, seu sanctitas haberi potest per opera vitæ activæ. Dices. S. Thomas 2. 2. quæst. 184. art. 2. docet, opera vitæ activæ ex contemplatione derivare: *Dum Religiosi operibus vitæ activæ insistunt, intuitu Dei, consequens est, quod in eis actio ex contemplatione divinorum derivetur: unde non privantur omnino fructu contemplationis*, Ergo fundamentum, cui nostra ratio innititur, nihil probat.

Respondeo, S. Thomam utique asserere, actionem Religiosorum pure activæ vitæ incumbentium *ex contemplatione divinorum derivare*: at notanda sunt verba sequentia, *unde non privantur omnino fructu contemplationis*, seu vitæ contemplativæ, si non privantur omnino; ergo illum omnino non habent, licet aliquo modo obtineant. Videamus, quæso, quid sit id, quod aliquo modo habeant, vel quo non priventur omnino. Jam dictum est, fructu vitæ contemplativæ: non dicitur, ejusmodi Religiosos habere vitam contemplativam, sed fructum dumtaxat vitæ contemplativæ: quæ duo maxime differunt inter se; sicut aliud est, vere Martyrem esse, aliud vero Martyrii meritum, seu fructum obtinere. Cum enim vita contemplativa non solum dicat actum illum, in quo formaliter, & essentialiter consistit, quin & alios actus præcedentes, uti sunt meditatio, cogitatio, & alii requisiti ad animum disponendum ad contemplationem; ideo quando S. Thomas inquit, *Dum Religiosi operibus vitæ activæ insistunt intuitu Dei*, considerationem Dei innuit, cujus intuitu ea opera fiant: alias nec opera utilia forent, nec essent formaliter opera vitæ activæ ad proximorum utilitatem impensa. Quamobrem ad S. Doctoris auctoritatem dicimus: opera vitæ activæ ex contemplatione divinorum derivare, non quæ sit talis formaliter, & constitutive, sed large, ac dispositive dumtaxat; adeoque ejus auctoritas non officit nostræ assertioni. Solutionem hausimus ex Cajetano dicente ad dictum articulum: *In articulo secundo ejusdem quæstionis in respons. ad primum adverte, quod operatio vitæ activæ dupliciter se habet ad divinam contemplationem. Primo ut effectus ejusdem contemplationis; & sic prædicare dicitur opus vitæ activæ ex contemplatione emanans. Alio modo ut effectus ipsius Dei contemplati ut finis; & sic omnia opera misericordiæ, sive spiritualia, sive corporalia sint, ex contemplatione derivantur. Et hoc modo in litera hac dicitur, quod dum Religiosi intuitu Dei operibus vitæ activæ insistunt, fructu contemplationis non privantur. Nisi enim aciem mentis suæ in Deum ut finem fixissent, nunquam voluntas eorum moveret eos ad opera vitæ activæ propter Deum exercenda.*

§. IV.

Utrum meditationis exercitium per aliquod tempus expletum prærequiratur ad contemplationem tam acquisitam, quam infusam.

PEtrus Ponsius Legionensis lib. de Mirac. Beatæ Mariæ Virg. de Taxada, Pelajus in Summ. de orat. cap. 8. Martinus de Zarrote libell. Deus contemplat. & Christ. imitat. putant naturam nostram non proportionari, aut perfectibilem reddi ad contemplationem per meditationem, sed eamdemmet ex se perfectibilem esse per contemplationem: & propterea asserunt, quod sit tempus terere, se in meditatione exercere; cum independenter a meditatione obtineri queat contemplatio, quæ est actus perfectior, & utilior.

Pro hujus rei explanatione prænotandum est, sermonem hic non esse de contemplatione, sive actu contemplandi, sed de vita contemplativa. Nam certum est haberi posse aliquem actum contemplationis tam infusæ, quam acquisitæ sine prævio exercitio meditationis. Et quidem de actu contemplationis infusæ, hoc constat: quia Deus illam donat, cui vult, & quando vult, ita, ut Sancta Theresia docuerit, Deum aliquoties concedere hujusmodi donum quibusdam animabus in statu malo existentibus; unde in Via perfectionis cap. 26. inquit: *Vi sono anime, le quali Iddio conosce, che con tal mezzo può guadagnare a se; e giacchè le vede del tutto perdute, vuole sua divina maestà, che dal canto suo non manchi loro rimedio, e benchè stiano in cattivo stato, e con mancamento di virtù, dà nondimeno loro gusti, e favori, e tenerezze, con che comincia a muover loro i desiderj, e le pone anco alcune volte in contemplazione, sebbene di rado, e dura poco: e questo, come dico, fa egli per provarle, se con quel saggio si vorranno disporre per goderle molte volte*. Quod & prius docuit Dionysius Carthusianus de Fonte lucis art. 16. scribens: *Deus etiam pusillos, & imperfectos, immo & quosdam adhuc mundanos volens sic allicere ad altiora, ac spiritualia provehere, nonnunquam gratia contemplationis, suavitate interna consolationis ad horulam tangit, perfundit, ac recreat, genus ferculorum ponens quasi ad mensam.* Quæ verba sano modo intelligenda esse bene advertit Eminentissimus Brancatus opusc. 4. cap. 8. scilicet de animabus peccatricibus, sed pœnitentibus; cum contemplatio infusa necessario connotet caritatem, sive aliquem actum divini amoris: sed mihi dicendum videtur, ibidem illuminatam Virginem loqui de animabus in gratia existentibus quidem, sed imperfectissimis, nec orationi mentali, nec virtutum exercitio vacantibus, sed propriis turbulentis animi motibus, ac profanis affectionibus indulgentibus. Erutam habes hanc doctrinam ex S. Gregorio Papa lib. 2. Homiliar in Ezechielem hom. 5. *Non enim*, inquit, *contemplationis gratia summis datur, & minimis non datur; sed sæpe hanc summi, sæpe minimis sæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium, a quo possit gratia contemplationis excludi, quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest.*

Itaque ad aliquem actum contemplationis infusæ necessario non requiritur prævia meditatio: quod a fortiori dicendum esse videtur de aliquo actu contemplationis acquisitæ, videlicet haberi posse absque prævio exercitio meditationis. Puta, si quis perspicacis ingenii ex simplici cognitione alicujus veritatis revelatæ, habita vel per lectionem, vel per auditam prædicationem, aut instructionem, mentis intuitum intendat in ipsam, sistens cum admiratione, & amore: profecto hujusmodi actus erit contemplatio; quia sine discursu esset intuitus in objectum revelatum cum quiete in ipsum, admiratione, & amore; non esset autem contemplatio infusa, quia proprio conatu, & labore comparata foret: igitur esset contemplatio acquisita. At de hoc nulla se se offert difficultas consideratione digna; magna tamen insurgit, utrum vita contemplativa, sive status contemplationis haberi queat absque prævio, ac diuturno exercitio meditationis. Statum autem contemplationis intelligas velim non stabilem, aut permanentem, cum in hac vita hujusmodi status haberi non possit, ut videbimus infra; sed statum contemplationis, sive vitam contemplativam appello, quando anima frequenter in oratione divina fruitur contemplatione.

Animadvertendum est; quod si verba faciamus de contemplatione infusa, hanc Deus regulariter loquendo non concedit nisi prævio, & diuturno exercitio meditationis: quod probatur ex eo, quod docet S. Bernardus, vel quisquis fuerit auctor, sub nomine S. Bern. lib. de Scala Claustr. ubi tres gradus statuit ad contemplationem acquirendam; scilicet lectionem, meditationem, & orationem, ac postea inquit: *Contemplatio autem adveniens prædictorum trium laborem remunerat, dum cælestis rore*

dulce-

dulcedinis animam sitientem inebriat; lectio ergo est secundum exterius exercitium, meditatio secundum interiorem intellectum, oratio secundum desiderium, contemplatio super omnem sensum: primus gradus est incipientium, secundus est proficientium, tertius est devotorum, quartus beatorum; hi autem gradus ita concatenati sunt, & vicaria ope sibi invicem deserviunt, quod præcedentes sine subsequentibus aut parum, aut nihil prosunt, sequentes vero sine præcedentibus aut raro, aut numquam haberi possunt: & paulo post inquit: *Contemplationis adeptio sine oratione aut rara, aut miraculosa*. Igitur regulariter loquendo ex S. Bernardo perveniri non potest ad vitam contemplativam, nisi prævio diuturno exercitio lectionis, meditationis, & orationis, id est, petitionis: dixi regulariter loquendo; quia, ut ibidem additur, *Deus, cujus potentia non est numerus, vel terminus, & cujus misericordia super omnia opera ejus, quandoque ex lapidibus suscitat filios Abrahæ, dum pueros, & nolentes acquiescere, cogit ut velint, & ita quasi prodigus (ut vulgo dici solet) bovem in cornu trahit, quando non vocatus se infundit: quod etsi quandoque aliquibus legimus contigisse, ut Paulo, & quibusdam aliis; non tamen ideo debemus nos quasi Deum tentando divina præsumere, sed facere quod ad nos pertinet, legere scilicet, & meditari in lege Dei, orare ipsum, ut adjuvet infirmitatem nostram, ut videat imperfectum nostrum, quod docet ipse nos facere dicens: Petite, & accipietis, quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis*. Infertur ex allata doctrina, Deum aliquando, licet raro, quibusdam largiri donum contemplationis infusæ, absque eo, quod se exercuerint in lectione, meditatione, & oratione: at hoc non debet nos inducere, ut bene prosequitur ibidem Sanctus Abbas, quod nobis polliceamur, eodem modo Deum agere velle nobiscum, nam esset tentare Deum; sed debemus nos exercere in lectione, meditatione, & oratione, ut mereamur aliquo modo a Deo elevari ad infusam contemplationem. Proinde eruitur, quod regulariter loquendo Deus nos trahat ad infusam contemplationem, prævio, ac diuturno exercitio lectionis, meditationis, & orationis.

Ad hæc facit, quod scribit S. Theresia cap. 18. de præclarissimis in hac mortali regione rebus a se gestis, & posteritati commendatis; in quibus sermonem habens de contemplatione infusa ad institutum nostrum inquit: *Parlando ora di quest' acqua, che vien dal Cielo per empire, e saziare coll' abbondanza sua tutto questo giardino, dico, che se non lasciasse mai il Signore di darla, quando fosse bisogno, già si vede, quanto riposato se ne starebbe il giardiniero; e se mai fosse inverno, ma sempre aria temperata, onde non mancassero mai fiori, e frutti, ben si vede, che diletto ne prenderebbe: ma perchè, mentre stiamo in questa vita, è ciò impossibile, deve l' anima star sempre vigilante, e con pensiero, che mancandole un' acqua, procuri l' altra. Questa del Cielo viene alcune volte, quando il giardiniero manco vi pensa; vero è, che ne principj quasi sempre viene dopo lunga orazione mentale, venendo il Signore di grado in grado a prendere quest' uccelletto dell' anima, ed a porlo nel nido, acciò riposi*. Igitur juxta phrasim S. Theresiæ contemplatio infusa regulariter loquendo a principio sui non conceditur a Deo animabus, nisi prævia diuturna oratione mentali, sive meditatione; quod si hujusmodi supernaturalis infusio cessaverit, debet anima iterum ad meditationem animum adjicere: via igitur ad contemplationem infusam est exercitium assiduum meditationis. Quod cum ita res se habeant, ea quæ demonstravimus, in dubium revocanda non sunt.

Deveniamus modo ad contemplationem acquisitam, in qua tota versatur difficultas. Dicendum est, ad contemplationem acquisitam perveniri non posse, loquendo de ratione hujusmodi contemplationis, nisi prævia, ac diuturna meditatione.

Probatur I. Auctoritate S. Dionysii, qui cap. 1. cælest. Hierarch. ita scribit: *Nec est possibile nostro animo, ad non materialem illam ascendere cælestium Hierarchiarum imitationem, & contemplationem, nisi ea, quæ secundum ipsum est, materiali manuductione utatur*. Intellectum vero materiali manuductione indigere, idem est profecto, ac hujus viæ exordium a meditatione, propriisque discursibus inchoare, qui suo modo, & juxta hominis naturam ad portum illius optatissimi finis manuducant: & ideo monet S. Laurentius Justinianus de Discipl. cap. 8. *Qui cupis Deo feliciter inhærere, nullo modo a consueto meditandi frangaris modo*. Ecce indicatus modus perveniendi ad contemplationem, quæ nonnisi per longam viam, meditationis passibus, obtinetur.

Probatur II. Auctoritate S. Thomæ, qui 2. 2. q. 180. art. 3. ait: *Dicendum, quod de vita contemplativa nunc loquimur, secundum quod ad hominem pertinet. Hæc autem differentia est inter hominem, & Angelum, ut patet per Dionysium 7. cap. de Divin. Nomin. quod Angelus simplici apprehensione veritatem intuetur; homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis. Sic ergo contemplativa vita unum quidem actum habet, in quo finaliter perficitur, scilicet contemplationem veritatis, a quo habet unitatem: habet autem multos actus, quibus pervenit ad hunc actum finalem, quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis; alii autem pertinent ad deductionem principiorum in veritatem ejus, cujus cognitio inquiritur; ultimus autem completivus actus est ipsa contemplatio veritatis*. Ad quæ scribit Cajetanus ibidem. *Auditio, lectio, & oratio ad acceptionem principiorum spectant; meditatio vero, speculatio, consideratio, & cogitatio ad deductionem; contemplatio demum cum subsequente admiratione ad ipsam consummationem contemplationis*. Ex quibus sic possumus argumentationem constare. Ex S. Thoma differentia inter contemplationem nostram, & illam Angelorum ea est, quod nos pervenire non possumus ad eam, nisi prævia meditatione, & consideratione, Angeli autem per simplicem apprehensionem: itaque ad statum contemplationis, sive ad vitam contemplativam perveniri non potest, nisi prævia exercitatione meditationis. Hinc ibidem ad 3. inquit Angelicus Doctor: *Homini ad cognitionem veritatis necessarium est, quod adhibeat proprium studium; & sic requiritur meditatio*: & clarius in 3. Sent. dist. 35. q. 1. art. 2. ait: *Vita contemplativa principaliter in operatione intellectus consistit, & hoc ipsum nomen contemplationis importat, quod visionem significat: Utatur tamen inquisitione rationis contemplativus, ut deveniat ad visionem contemplationis, quam principaliter intendit; & hæc inquisitio rationis secundum D. Bernardum dicitur consideratio*. Quod cum ita sit, procul dubio meditationis exercitatio requiritur ad acquirendam contemplationem. Accedit S. Bonaventura in titulo Parvum bonum part. 3. ubi ait: *Per meditationem ascenditur ad contemplationem*. Idem docet in Stimulo amoris part. 2. cap. 7. & in lib. de sept. itinerib. æternit. itinere 3. ita scribit ad institutum nostrum: *Cum meditatio æternorum sit quædam investigatio, & inquisitio cum magna animi industria veritatis æternorum, nec ab inquisitione desistat, donec invenit, quod quærit, quantum potest; planum est, quod spiritus humanus per ipsam meditationem in æternis non figitur, nec quietatur, donec per contemplationem ei ostendatur, quod per meditationem quærebatur: sed quam cito quæsitum invenitur, & spiritus illi quasi acquiescendo cum admiratione inhærere cœperit; tam cito meditatio esse desinit, & in contemplationem transit*: & post pauca: *Ex his igitur patere potest hujus itineris necessitas, eo quod motus & investigatio meditationis imperfectus, & minime utilis permaneret sine termino, & quiete contemplationis; cum meditatio terminetur, & transeat in contemplationem, tamquam in illud, quod perfectius est. Ex his etiam patet ordo istius itineris contemplationis ad iter meditationis; ex quo studio meditationis spiritus humanus surgit ad iter contemplationis, & per veritatis contemplationem homo convertitur ad justitiam, & confirmatur ad gloriam*. Constat igitur ex S. Bonaventura, necessariam esse exercitationem meditationis ad contemplationem assequendam; cum illa sit iter necessario percurrendum ad acquisitam contemplationem. Demum Richardus a S. Victore in lib. 1. de Arca Mystica cap. 4. ita præclare disserit ad institutum nostrum: *Per meditationem*, inquit, *diu quæsitam veritatem, tandemque inventam mens solet cum aviditate suscipere, mirari cum exultatione, ejusdem quoque admiratione diutius inhærere; & hoc est meditationem meditando excedere, & per meditationem ad contemplationem transire: proprium est enim contemplationi jucunditatis suæ spectaculo cum admiratione inhærere; meditationi vero proprium est sua prorsus semper in ulteriora tendere*. Ex quibus Richardi verbis manifestissime quoque colligitur necessitas meditationis: quia meditatio est dispositio proxima ad contemplationem acquisitam obtinendam; & hæc est quasi fructus ipsius meditationis.

Probatur III. Auctoritate illuminatissimi S. Joannis a Cruce, qui sæpe docet, meditationem non esse omittendam, nisi quando Deus per contemplationem infusam, aut passivam purgationem impedimentum apponat, ne anima possit meditari; & rationem ad rem nostram adducit: quia meditatio præcipue Passionis Jesu Christi est, inquit, iter tutum ad contemplationem, ad eamque mirum in modum disponit. Verba laudati Sancti sunt quæ depromsimus ex lib. 1. noct. obscur. cap. 10. ac hic subjicimus: *Il lasciare la meditazione, ed il discorso ha sempre da essere per più non potere, e solamente per lo tempo che o per via di purgazione, o di tormento, o per molto perfetta contemplazione il Signore l' impedirà; che in altro tempo, ed occasioni si deve sempre avere quest' appoggio, e riparo, massimamente della vita, e croce di Cristo, che per purgazione, pazienza, e per lo sicuro cammino è il migliore ed ajuta maravigliosamente all' alta contemplazione*. Ex S. Joanne igitur meditatio Passionis Christi mirabiliter auxiliatur, ut anima perveniat ad perfectam contemplationem; proinde necessarium est meditationis exercitium ad contemplationem acquirendam.

Confirmatur ex alia ejusdem S. Doctoris auctoritate, in qua adstruit, meditationem non esse deferendam, neque transitum faciendum ad contemplationem acquisitam, nisi anima experiatur in se habere tria signa, quæ necessario ait debere simul adesse ad hoc, ut omitti queat exercitium meditationis, & transitus fiat ad vitam contemplativam. Ex quibus infertur, animas non illico vitam contemplativam aggredi debere, sed permanere in meditationis studio, quoadusque experiantur habere laudata signa. Verba illuminatissimi Sancti eruimus ex lib. 2. Ascens. ad Mont. Carm. cap. 13. ubi hoc scribit valde animadvertendum, ut doctrinæ præcepta perficiantur: *Perchè non resti questa dottrina confusa, ma chiara, è necessario, che nel presente Capitolo si mostri, come, e quando sarà conveniente, che la persona spirituale lasci la meditazione discorsiva per via delle dette immaginazioni, forme, e figure, acciocchè non si lascino prima, o dopo, che quello richiede lo spirito: perciocchè siccome conviene lasciarle a suo tempo per arrivar a Dio, acciò non impediscano; così eziandio è necessario non lasciar la detta meditazione innanzi tempo per non tornar addietro, perchè quantunque l' apprensioni di queste potenze non servano a' provetti, o proficienti per mezzo prossimo per l' unione con Dio, tuttavia servono per mezzi remoti a' principianti per discorrere, ed abituare lo spirito alle cose spirituali per via del senso, e per rimuovere dalla strada, e nettarla da tutte l' altre forme, ed immagini basse temporali, secolari, e naturali. E perciò diremo qui alcuni segni, ed indizj, che deve la persona spirituale scorgere in se per conoscere, quando le converrà lasciare, e quando no. Sono per tanto questi tre: il primo è vedere in se, che già non può più meditare, nè operare con l' immaginazione, nè più gusto di ciò, come prima soleva, anzi trova aridità, dove prima soleva fissar il senso, e cavarne sugo; però fin tanto, che lo troverà, e potrà meditando discorrere, non deve lasciar la meditazione, se non fosse, quando già l' anima sua si trovasse posta in quella pace, che si dirà nel terzo segno. Il secondo è, quando vede, che non ha voglia alcuna d' applicare l' immaginazione, nè il senso in altre cose particolari esteriori, nè interiori; non dico, che non vada, e vengha (che questa stando anche l' anima in grande raccoglimento suol andar libera, e sciolta) ma che non gusti l' anima d' applicarla di proposito in altre cose. Il terzo, e più sicuro è, se l' anima gusta di stare da sola a solo con amorosa attenzione a Dio in pace interiore, in quiete, e riposo, senza particolar considerazione, e senza atti, ed esercizj delle potenze, memoria, intelletto, e volontà, almeno discorsivi, cioè andar da una cosa in un' altra, ma solamente starsene con la notizia, ed avvertenza generale, ed amorosa che andiamo dicendo, senza alcuna particolare intelligenza. Questi tre segni almeno, e tutti insieme ha da vedere in se la persona spirituale per sicuramente arrischiarsi a lasciar lo stato della meditazione, ed entrare in quello della contemplazione, e dello spirito; e non basta aver solamente il primo senza il secondo: perchè potrebbe essere, che il non potere immaginare, nè meditare le cose di Dio, come prima, nascesse da volontaria distrazione, e poca diligenza. Per la che deve eziandio vedere in se il secondo segno, cioè non aver voglia, nè appetito di pensare in altre cose straniere; perciocchè quando il non potere fissare l' immaginazione, ed il senso nelle cose di Dio nasce da distrazione, e tepidità, necessariamente ha voglia, ed appetisce di applicarla in altre cose differenti, ed ha motivo di partirsi da ivi. Nemmeno basta scorgere in se il primo, ed il secondo segno, se non vi vede anche il terzo; perchè quantunque si vegga, e si conosca di non poter discorrere, nè pensare in altre cose differenti, potrebbe nondimeno ciò procedere da malinconia, o da qualche liquido amore posto nel cervello, o nel cuore, che sogliono causare nel senso un certo inzuppamento, e sospensione, che non lasciano, che la persona non pensi niente, nè che cerchi, o tenga voglia di pensarlo, ma solamente di starsi in quel saporito inganno, e stordimento: contra questo deve avere il terzo segno, cioè la notizia, ed attenzione amorosa in quiete, e pace interiore, come di sopra abbiamo detto.* Hactenus S. Joannes a Cruce, qui cap. sequenti convenientiam hujusmodi signorum mirum in modum explicat; cujus verba, licet prolixiora sint, adducere existimavimus, quia egregie evincunt diuturnæ meditationis necessitatem, cum meditationis exercitium relinquendum non sit, nisi experiamur in nobis tria laudata signa.

Dices, S. Joannem ibidem loqui de contemplatione infusa, non vero de contemplatione acquisita, circa quam difficultas agitatur. Nihil ergo concluditur ex ejus auctoritate ad probandum, necessarium esse meditationis exercitium prævie ad contemplationem acquisitam.

Respondeo. I. Ex verbis recitatis S. Joannis satis, superque apparere, ipsum loqui de contemplatione acquisita. Quare dixit: *Questi tre segni almeno, e tutti insieme ha da vedere in se la persona spirituale per sicuramente arrischiarsi a lasciar lo stato di meditazione, ed entrare in quello della contemplazione, e dello spirito*: quæ verba locum habere non possunt in contemplatione infusa, in qua Deus fortiter, & suaviter attrahit animam, etiam non habitis hujusmodi signis, nec deserit facultatem discurrendi, & meditandi, cohibendo discursum, ac retinendo intellectum, & voluntatem erga objectum revelatum, ita ut anima pro illo tempore, etiam si velit, nequeat meditari; quemadmodum pluribus in locis docet S. Theresia.

Respondeo. II. S. Joannem loqui ibidem de illa contemplatione, quæ possit per habitum comparari, ut constat ex cap. 15. proxime sequenti. Verum certum est, contemplationem infusam habitualiter acquiri non posse, ut inferius Diss. IX. demonstrabimus. Quapropter dicendum, Sanctum loqui ibidem de contemplatione acquisita.

Respondeo. III. Sanctum Joannem videri docuisse tria laudata signa expostulari tam pro contemplatione infusa, quam pro contemplatione acquisita. Hinc in fine laudati libri secundi, ubi, ut supra vidimus, tradit, & mirifice explicat dicta signa, cap. ultimo inquit: *Tutta la dottrina, che si è detta in questo libro circa la totale astrazione, e passiva contemplazione, lasciandosi l' anima guidare da Dio con oblio di tutte le cose create, e con nudezza, e staccamento da immagini, e figure, fermandosi con semplice vista nella somma verità, non solamente si deve intendere per quell' atto di perfettissima contemplazione, il cui sublime, e del tutto sopannatural riposo viene impedito da' buoni discorsi, e buone meditazioni, se in quel medesimo tempo si volessero avere, ma eziandio per tutto il tempo, che nostro Signore comunica la semplice generale, ed amorosa avvertenza già detta, o che l' anima ajutata dalla grazia si mette in quella.* Ubi clare patet, Sanctum loqui tam de contemplatione infusa, quam de acquisita, quando de hac dicit: *O che l' anima ajutata dalla grazia si mette in quella.* Proinde dicendum, supradicta signa adesse debere, tam cum Deus trahit animam ad contemplationem infusam, quam dum anima auxilio gratiæ adjuta sese totam in contemplatione defigit, quæ acquisita proinde dicitur. Ea igitur, quæ hacusque in medium protulimus, manifestissima sunt, atque indubia.

Instabis. S. Joannes a Cruce in laudato cap. 15. ubi loquitur etiam de prædictis signis requisitis ad hoc, ut anima deserat meditationem, & transeat ad contemplationem, clare se explicat, dum ibidem appellat contemplationem, de qua disserit, infusam, & supernaturalem: nihil itaque roboris habet adducta solutio. Verba S. Joannis sunt in principio laudati cap. 15. ubi inquit. *Intorno a quello, che si è detto, vi può essere un dubbio, ed è, se i proficienti, cioè quelli, i quali comincia Dio a mettere in questa notizia sopranaturale di contemplazione, di cui abbiamo ragionato, per lo stesso caso, che la cominciano ad avere, non abbiano mai più da servirsi della via della meditazione, e discorso.*

Respondeo. Pro intelligentia, & explicatione verborum S. Joannis advertendum est cum S. Thoma in 3. Sentent. dist. 34. quæst. 1. art. 1. divinam contemplationem posse esse supernaturalem, & infusam tum quoad substantiam, tum quoad modum; & quoad substantiam tantum, non vero quoad modum. Prima est illa, quæ absolute nuncupatur infusa, in qua non modo anima elicit ex principio supernaturali actum contemplationis, sed hunc elicit modo non connaturali, sed potius divino, & ex donis supernaturalibus in gradu eminenti infusis, scilicet sapientiæ, & intellectus operatur in illa; secunda vero dicitur acquisita, quæ licet & ipsa sit infusa, & supernaturalis, quia ex virtutibus Theologicis potissimum oritur, immo ab ipsismet Donis Spiritus Sancti, ut dicemus Dissert. VII. §. IV. attamen quia anima in illa operatur modo connaturali, & humano, dicitur acquisita, & naturalis. Quando ergo S. Joannes appellat contemplationem (de qua loquitur, & ad quam requirit tria signa supradicta) supernaturalem, intelligi debet de contemplatione supernaturali quoad substantiam tantum, non vero quoad modum, dum in illa anima operatur modo connaturali, & humano. Vult enim, quod anima in illa abstrahat se a figuris, & imaginibus, ac cesset a discursu, figendo intuitum simplicem in Deum sibi præsentem, cum affectiva attentione; quod non contingit in contemplatione absolute infusa, & supernaturali: in illa enim Deus ipse potentias abstrahit ab omnibus aliis, & figit illas in objectum revelatum, quod cognoscunt, intuentur, & amant modo supernaturali, & divino.

Confirmantur valida ratione. Certum est apud omnes Mysticos, & Scholasticos, dari in via spirituali tres gradus, incipientium scilicet, proficientium, & profectorum, de quibus S. Thomas in 3. Sentent. dist. 29. quæst. 1. art. 8. & 2.2. quæst. 24. art. 9. & fuse tractabimus in confutatione Propositionis 26. Molinosticæ. Oratio vero propria hujusmodi graduum assignatur a Mysticis, scilicet incipientibus meditatio, proficientibus contemplatio acquisita, perfectis autem contemplatio infusa: de quo copulate P. Dominicus a SS. Trinitate perdoctus Carmelita Discalceatus in sua Mystica Theologia sectione secunda,

& se-

& sequentibus. Verum S. Joannes a Cruce loco citato, & præcipue cap. 15. loquitur de proficientibus, ut clare patet legentibus: itaque loquitur de contemplatione acquisita, licet illam nuncupet supernaturalem, & infusam; quia revera quoad substantiam est supernaturalis, & infusa, quia ex principiis supernaturalibus, nimirum ex impulsu Spiritus Sancti, & virtutibus Theologicis ortum trahit, licet non habeat conjuncta in eminenti gradu dona Spiritus Sancti, sapientiæ scilicet, & intellectus.

Probatur tandem assumptum ratione desumpta ax Angelico Doctore in 3. Sentent. dist. 35. q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. Virtutes morales debent vitam contemplativam, seu contemplationem, de qua loquimur, præcedere: sed virtutes morales non dantur sine meditatione: ergo contemplationem præcedat necesse est diuturnum meditationis exercitium. Major constat ex S. Thoma loc. cit. ubi ait: *Quamdiu homo non pervenit ad perfectionem in vita activa, non potest in eo esse contemplativa vita, nisi secundum quamdam inchoationem imperfecte: tunc enim difficultatem homo patitur in actibus virtutum moralium, & oportet, quod tota sollicitudine ad ipsos intendat; unde retrahitur a studio contemplationis. Sed quando jam vita activa perfecta est, tunc operationes virtutum moralium in promptu habet, ut eis non impeditus libere contemplationi vacet*. Minor probatur ex S. Theresia Itiner. cap. 16. *Se pure aveste domandato meditazione, potrei lo parlare di essa, e consigliar a tutte, che si esercitassero, benchè non abbiano virtudi; perchè è principio per acquistar tutte le virtù, ed è cosa, che a tutti i Cristiani importa la vita il cominciarla. Contemplazione è altra cosa, Figliuole, che questa è l'inganno, in cui tutti andiamo, che mettendosi uno a pensar ogni dì un poco i suoi peccati (come far deve ogni Cristiano, se non è solamente di nome) subito dicono, che è un gran contemplativo, e lo vogliono di fatta con sì gran virtudi, come è obbligato ad avere il molto contemplativo*. Ex qua auctoritate habetur, ad aggrediendam meditationem non prærequiri virtutes, sed ea mediante virtutes comparari; adeoque vitam contemplativam a meditatione dependere, qua impediatur passionum vehementia, esadicentur vitia, & plantentur virtutes. Hinc habes, quare nonnulli tam lente per viam spiritualem incedant, aliique subeant spiritualem ruinam, quia non curant passionum impetus cohibere, neque ab exteriorum tumultibus elongari. Unde licet quandoque aliquem actum contemplationis obtineant; hæc tamen, quia radicatur inter spinas, vel supra rebellem petram, crescere non valet ad vitam contemplativam: aut enim facile evellitur, aut impeditur.

Confirmatur. Ordo præscriptus a natura est, ut viam spiritualem ab imperfectioribus incipiamus, ut subinde ad perfectiora ascendamus; quod enim procedit de potentia ad actum, prius pervenit ad actum imperfectum, quam ad perfectum; cum gratia naturam non destruat: sed meditatio est minus perfecta, quam sit contemplatio, ut docet Aristoteles lib. 10. Eth. his verbis: *Contemplativa operatio præstantissima est*: ergo ad contemplationem, seu vitam contemplativam non pervenitur nisi per meditationem. Nec dicas cum Gandavesi Quodlib. 12. rationes Philosophorum, quæ naturam actus ex suo genere pensant, nihil valere apud Catholicos de via spirituali decertantes, quam profecto eos latuisse compertum est: quia hanc instantiam aeream esse ostendit Cajetanus his verbis: *Rationes Aristotelis, & aliorum Philosophorum, quæ naturam actus ex suo genere pensant, non modicum, sed sufficienter valent apud Catholicos*. Cum enim gratia, ut innuimus, naturam non destruat, cum disceptatur de rebus secundum propriam naturam, debemus rationes, & Philosophiæ principia non contemnere, sed venerari. Quare si ex sui natura meditatio ad contemplationem comparata actus imperfectus est, ut ad contemplationem perveniamus, meditationem præcedere necesse est.

Objiciunt nihilominus Auctores supra relati S. Theresiam appellantem meditationem orationem imperfectam; quo supposito sic arguunt. Meditatio est oratio imperfecta: ergo est deserenda ab incipientibus, ut extemplo vacent contemplationi. Hæc consequentia probatur. In oratione imperfecta occupari non debet anima, sed eam deserere, ut in oratione perfecta, cujusmodi est contemplatio, collocetur: ergo meditatio est deserenda.

Respondeo, percipi non posse, quomodo in sententiæ oppositæ patrocinium afferatur S. Theresia, cum præterea, quæ superius vidimus ad commendandum meditationis studium ad contemplationem acquirendam, indubitabile sit, septem meditationes super orationem Dominicam edidisse, ut esset quotidianum animarum pabulum. Quomodo ergo dici potest, S. Virginem parvipendisse meditationem; cum ad tam utile exercitium tanta energia studuerit adhortari? Non inficiamur, eam existimasse, meditationem esse orationem imperfectem, adeoque suo tempore deserendam. Cæterum imperfecta est, si contemplationi comparetur; in se autem, ac secluso hoc respectu, perfecta est. Hæc utique respectu contemplationis imperfecta est relinquenda, post superatum statum incipientium: hoc ast, post ea tria signa, quæ superius expendimus ex S. Joanne a Cruce; adeoqua ad illud tempus exercenda est, ut anima de potentia prius ad actum imperfectum, quam ad perfectum contemplationis perveniat: & sane pro statu imperfecto non debemus ponere orationem perfectam, sicut caritas illi correspondens imperfecta est.

DISSERTATIO VI.

De Mystica Purgatione, & Directione requisita ad vitam contemplativam, & unitivam.

A Pluribus hominem purgari necesse est, ut meditando in lege Domini vitam assequatur contemplativam. Mysticam vero Purgationem vocant Doctores remotionem eorum, quæ nos ab intima cum Deo unione sejungunt, vel activam, cui nos gratiæ auxilio incumbimus, vel passivam, quam in nobis Deus mirabiliter operatur. Et quia utramque subdivisam reperies in purgationem sensus, ac spiritus, atque in purgationem partis cognoscitivæ, & affectivæ: idcirco in hac Dissertatione hunc ordinem servabimus, ut primo de purgatione peccatorum, imperfectionum, & vitiorum pertractetur; secundo de moderatione partis concupiscibilis, & irascibilis; tertio de purgatione activa sensuum externorum, & internorum; quarto de purgatione activa intellectus, & voluntatis; quinto de purgatione passiva partis sensitivæ; sexto de purgatione passiva partis intellectivæ; septimo demum de necessitate obediendi Patri spirituali docto, & experto, ut tuto in via contemplativa procedatur.

§. I.

Agitur de purgandis peccatis, vitiis, & imperfectionibus.

STatus vitæ contemplativæ studium exigit pro peccatis tum mortalibus, tum venialibus exuendis, tum in vitiis eradicandis, & evellendis: quia, ut inquit Cassianus in Psal. 5. *Hoc dicimus, quod tantum quisque a Divinitate repellitur, quantum ejus peccata cumulantur*. Quare in vitæ purgativæ limine debent incipientes peccata sua, præcipue mortalia, deplorare, atque divinam misericordiam exorare. *Prima igitur Incipientium cura* (docet S. Bonaventura 5. p. Breviloq.) *esse debet deploratio propriæ miseriæ, & imploratio divinæ misericordiæ, ut a tenebrarum ergastula exeuntes, in admirabile claritatis lumen evecti, in Deum dirigant gressus suos*: ideoque ea media generali confessione, deponant, quam indivulse firmum non peccandi propositum, fugiendique peccandi occasiones comitetur.

Generali peccatorum Confessioni, ne caritas extinguatur recenter infusa, succedat vitiorum extirpatio: quamquam enim peccata letalia non sint cum statu gratiæ compatibilia, immo nec statum vitiorum obtineant; neque voluntarietatem, quia per contritionem retractata; sunt tamen pessimi habitus, qui ex antecedenti peccandi

licentia veluti mala soboles nata ad reditum peccatorum propensa animam obnubilant, maculant, & debilitant, atque virtutum acquisitionem impediunt. Ad bellum sa præparent incipientes necessum est, ut ea omnia evellant; at contra vitium magis dominans fortius insurgant: illo namqua postrato, reliqua facili negotio viriliter expugnabunt; capitis quippe obtruncatio in sequacium ruinam redundat, ut adumbratum advertimus in celebri triumpho advarsus Goliat Philistinorum Caput reportato, da quo dicitur 1. Reg. 17. v. 51. *Videntes autem Philistiim, quod mortuus esset fortissimus eorum, fugerunt.*

Non omnia vitia debellanda precurrimus, sed septem capitalia, ad quæ cætera reducuntur; hæc enim incipientes indefessa labore perturbant. Agmen ducit, & quidem absconditum, superbia, quæ ax D. Thoma 2. 2. quæst. 162. art. 2. *est inordinatus appetitus propriæ excellentiæ*. Et profecto raro invenitur, qui gratiæ sensibilis fervore concitus non sit vinculo elationis irretitus, ut docet S. Joannes a Cruce lib. 1. noct. cap. 2. Considerantes siquidem incipientes, se frequenter sensibilibus a Deo consolationibus recreari, atque in virtutum progressu eminere, alios vero in vitiorum anfractibus constitutos; hic contemptis, superbe de se sentiunt: quæ arrogantia ducit ad barathrum superbiæ. Duodecim superbiæ gradus ax S. Bernardo recenset S. Thomas loco cit. art. 4. ad primum, ac totidem humilitatis. Horum vestigiis insistere necessa est incipientes, ne ad superbiæ scalam declinent. Ad enervandas hujus vitii vires trinam Angelicus suggerit rerum considerationem, propriæ miseriæ, divinæ magnitudinis, & imperfectionis rerum, quibus homo a superbiæ motibus eripitur.

Avaritia, quæ ax D. Thoma 2. 2. quæst. 118. art. 1. est *inordinatus amor acquirendi, vel retinendi exteriores divitias*, non desinit viros atiam incedentes per viam spiritus maculare, qui rerum cælestium dulcedine degustata, de iis quæ receperunt, non contenti, uberiores favores precibus importunis communicari sibi postulant. Quod si Deus, ut robusti fiant, hanc gratiam vel non augeat, vel auferat, fatigantur, atque avare desiderant id, quod humili resignatione perciperent: curant pretiosas imagines, pulchras cruces, & reliquiaria habere student, quæ aliena sunt a paupertate spiritus. Mirifice relatis hisce imperfectionibus, eos instruit S. Joannes a Cruca lib. 1. noct. cap. 3. in hæc verba. *Quelli adunque, che vanno ben incamminati in questi principj, non s'attaccano, a s'affezionano agl' istromenti visibili, non si caricano di essi . . . . . Perchè solamente fissano gli occhi nelle star bene con Dio, ed in dargli gusto: e questo bramano, ed a questo aspirano. Onde con liberalità grande danno, quant' hanno; ed il loro gusto è privarsene per amor di Dio, a per la carità del prossimo, regolando tutto con la legge di questa virtù, perchè, come dica, mettono solamente l' occhio nella piana, a sicura strada della perfezione, e di dar gusto a Dio, e non a se stessi.*

Quantum vero ad luxuriam, motus sensuales etiam patiuntur ii, qui ad vitam contemplativam anhelant, vel ex dæmonum suggestionibus, vel ex naturæ corruptæ incentivo, vel ex nimia cum mulieribus familiaritate: ideoque prompta debet esset mortificatio, ne spiritualis devotio in carnalem convertatur. Habeatur præ manibus Doctoris Seraphici opusculum *de vitanda familiaritate dominarum*, non spectans privative ad incipientes, sed etiam ad perfectos. Non raro permittit Deus, animas hoc verbere vapulare, ut a superbiæ defectibus per humilitatem resipiscant. Audiatur Angelicus Præceptor 2. 2. q. 162. art. 6. ad 3. *Sicut syllogismis ducentibus ad impossibile quandoque aliquis convincetur, per hoc quod ducitur ad inconveniens; ita etiam ad convincendam superbiam hominum Deus aliquos punit, permittens eos ruere in peccata carnalia.* Idcirco quousque a superbia non recedant, non vivunt a carnis illecebris separati.

Iræ laqueis incipientium vitam intercipi tradit S. Joannes a Cruce lib. 3. noct. cap. 5. vel quia adversus aliorum imperfectiones irascuntur, vel quia se devotione sensibili destitutos, & in tenebris redactos aspiciunt: unde viribus oppressis viam inchoatam prosequi vel non valent, vel quia delectatio sensibilis in oratione percepta finitur. Primi imperfectiores cæteris sunt, quia non tam zelo caritatis, quam superba indiscretione corrigenda in aliorum imperfectiones feruntur. Cæteri, ut hanc imperfectionem radicitus evellant, & recte procedant, in Domino spem omnem constituant, qui illuminabit abscondita tenebrarum, ut in admirabile lumen resurgant.

Gula spiritualis est inordinata spiritualium consolationum sollicitudo. Pene innumeros ab hoc vitio incipientium defectus prodire observat S. Joannes a Cruce lib. 1. noct. obsc. cap. 6. salubrem per sobrietatem, & temperantiam spiritualem ejusmodi morbis curandis adhibens medicinam. Accipe verba illuminatissimi Doctoris. *Dirò solamente, che la sobrietà, a temperanza spirituale ha tempra molto differente; inclina a mortificazione, e timore, ed a suggezione in tutte le cose, facendo vedere, che la perfezione in tutte le cose non sta nella moltitudine di esse, ma in saper negare, a mortificare se stesso: il che essi hanno da proccurare di fare, quanto potranno, finchè Dio voglia purificare di fatto, facendoli entrare nella notte oscura.*

Etiam ab invidiæ actibus alieni non sunt incipientes; quandoque enim maxime dolent alios sibi in virtutibus antecellere, & dum eos laudari conspiciunt, invidiæ livore tabescunt, quos tamen imitari, immo excedere non curant. Ut a se pallidas hujus vitii manus abigant, alios laudent, motiva detegant, ob quæ magis a laudatoribus efferantur.

Ultimum vitium ast acedia non raro in incipientibus adinventa: ex quo enim Deus delicias subtrahat, quibus in oratione fruuntur, angustiantur, atque nauseam & tædium de rebus spiritualibus concipiunt, anima frigida remanenta circa omnes virtutes, non modico eorumdem detrimento. Hujus vitii proprium remedium illud est, quod ferme cæteris capitalibus est commune, Deum ipsum in oratione quærere, qui incedentibus per viam inaquosam solet apparere. Vigeat itaque adversus culpas ventales, aliasque atiam imperfectiones, in quas incipientes solent incidere, prompta sollicitudo: hæ quippe imperfectiones gratiæ splendorem obnubilantes fervorem caritatis impediunt, virtutum omnium incrementum retardant, atque spiritualis ruinæ periculum inducunt. Enimvero (ut inquit Ecclesiasticus cap. 19. v. 1.) *qui modica spernit, paulatim decidet*. Unde S. Augustinus lib. dec. chord. ait; *Nolite contemnere venialia, quia minima sunt; sed timete, quia plura: plerumque enim minutæ bestiæ necant*. Quod novit S. Theresia in suæ vitæ spiritualis exordio; ideoque cap. 4. scriptum ad aliorum instructionem reliquit, *De' peccati veniali io faceva poco caso, e questo fu quello, che mi rovinò*. Proinde, urgentibus tentationibus, studeant incipientes per actus virtutum oppositarum impetus earum frenare: ut enim inquit S. Gregorius in Expos. Moral. *Si forti nos studio contra vitiorum incentiva stringimus, ipsa etiam vitia ad usum virtutum immutamus*. Cognoscet miles, se vitia debellasse, quando internam experietur pacem, ac delectabile virtutum exercitium. Numquam tamen a vitiorum impugnatione cessare debet, nec quasi victor gloriari, quia pene extincta resurgere valent, natura corrupta eis baculum ministrante.

§. II.

Quomodo moderanda sit pars concupiscibilis, & irascibilis.

A Purgatione peccatorum, vitiorum, & imperfectionum ad appetitum sensitivum progredimur, ab Angelico Præceptore 1. p. quæst. 81. art. 2. divisum in concupiscibilem, & irascibilem. Uterque bonum sensibile respicit, sed diversimode. Concupiscilis, prout delectat, ac perficit potentiam; irascibilis vero, prout est arduum, & consequi difficile. Ex quo emitur hujus perfectionis excessus supra concupiscibilem, cum objectum attingat sub ratione minus materiali, atque ab æstimativa regatur rationibus insensatis; ille vero a rationa magis materiali ducatur per phantasiam: & ideo S. Thomas loco citato irascibilem bellatorem sortem, & defensorem concupiscibilis appellat.

Actus utriusque appetitus sunt passiones a Doctoribus Mysticis ita definitæ. *Motus appetitus sensitivi ad imaginationem boni, vel mali cum aliqua corporis immutatione, quibus scilicet fertur ad bonum, & fugit a malo.* Si numerum exposcas, sunt undecim, quarum sex sibi vendicat concupiscibilis, quinque irascibilis; ita ordinandæ, videlicet *Amor, desiderium, odium, fuga, delectatio, tristitia, spes, desperatio, audacia, timor, & ira.* Passiones ex se malæ non sunt; superinduunt tamen bonitatem, & malitiam a voluntate vel imperanta, vel prohibente: etenim si regulis rationis conformentur, sunt bonæ; si vero dissonent, malæ sunt. In quo sane laudandus est Mysticorum loquendi modus, cum dicunt, incipientes oportere evacuare peccata, eradicare vitia, & passiones regulare. Peccata evacuantur per confessionem, vitia eradicantur per mortificationem, passiones vero regulantur per rationem: quia vitia, & peccata ita mala sunt, ut nulla ratione queant superinduere bonitatem, adeoque quantocius sunt expellenda, ut regnum virtutis obtineatur; passiones vero, cum ex se indifferentes sint ad bonum, & malum, si moderentur, sunt adjumenta virtutum, si laxentur, sunt fomenta vitiorum.

Amor sensitivus prima passio, ac cæterarum tam concupiscibilis, quam irascibilis origo, bonum respiciens secundum se, potest inordinationem subire vel ex parte objecti, si tendat ad illicitum: vel ex parta modi, cum objectum licitum amatur, modo tamen indebito. Ubi ex parte objecti fuerit deordinatio, moderabitur per appositionem objecti contrarii; ut si quis erga mundanos honores feratur, cohibeat sese necessum est, atque ad considera-

ratio-

rationem, & amorem cælestium se transferat: quippe hujus sacratissimi objecti amor aliud ostendet non amore, sed odio dignum; adeoque, manente amore, per variationem termini dumtaxat fiet transitus de vitioso in virtuosum. Ubi vero deordinatio fuerit in modo, quia scilicet objectum licitum amatur, modo tamen indebito, si possit sine dispendio arceri ab amore, avertatur ab objecto, non quia malum ametur, sed ne bonum male diligatur; si nequeat, amore retento, juguletur excessus. Primum mortificationis genus relatum ad illicita est obligatorium. Secundum est melius ad animam speciosissimis virtutum vestibus exornandam, atque magis ab illicitis removendam: quia (ut docet S. Gregorius 5. Moral. cap. 8.) *solus in illicitis non cadit, qui se aliquando a licitis caute restrinxit*.

Desiderium ita appellatum, si in voluntate fit, si vero in appetitu sensitivo, concupiscentia, est extensio amoris in bonum amatum ut absens, cujus possessio si differatur, solet crescere usqua ad fervorem, cui succedit languor gravis, sive tristitia. Passio ejusmodi moderationis limites potest excedere, ut diximus de amore: quare pari modo est moderanda. Si tendat ad venerea; erit castitate, vigiliis, abstinentia, & carnis macerationa coercenda, ut axemplum nobis præstitit Apostolus: *Castigo* (inquit I. ad Corinth. 9.) *corpus meum, & in servitutem redigo, ne cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*.

Odium, quod est motus appetitus refugientis malum, amore moderatur, adeo ut peccatum semper odio prosequendum sit, alia vero, prout conducunt ad illud; ita enim animam propriam odio habere, quatenus ad illicita tendit, est vere eam diligere: *Si bene amaveris, tunc odisti*. (inquit S. Augustinus Tract. 51. in Joan.) *Si bene oderis, tunc amasti. Felices, qui oderunt persequendo, ne perdant amando*. Fuga est recessus a malo dissono appetitui, & cum trahat originem ab odio, pari modo regulari debet, ita ut homo solum recedat a malo culpæ, non vero a malo pœnæ, cujusmodi sunt afflictiones, labores, & pœnitentiæ a Christi asseclа non fugiendæ, sed quærendæ, & amplectandæ: ut enim ait S. Gregorius Papa in Homil. Quid. fec. cœn. mag. *Tanta spes in Deo solidior surgit, quanto pro illo quisque graviora pertulerit: quia nequaquam retributionis gaudium de æternitate colligitur, quod non hic prius pia tribulatione seminatur*.

Delectatio, quæ rationi juncta gaudium dicitur, ex boni amati possessione consurgens, quia delectationem non percipit appetitus, nisi bono jam possesso, est efficacissima omnium passio; quia quemadmodum amor est omnium cæterarum passionum origo, ita delectatio est complementum. Ut frenum huic passioni imponatur, ea omnia applicanda sunt, quæ diximus pro amore. Facilior tamen modus erit, omnem curam impendere, ut cor a terrenis avertatur per ascensum ad cælestia; cum impossibila sit, truncata radice, delectationem axcitari.

Tristitia est dolor, quo appetitus affligitur de malo præsenti, ejusque effectus sunt angustia cordis, debilitas virium, atque remissio operationum, immo & aliquando ipsa stupiditas membrorum: & cum contraria contrariis curentur, tristitiam temperari necessum est per considerationem futuræ felicitatis, hujus sæculi laboribus acquirendæ per conformitatem ad divinam voluntatem.

Recensitæ appetitus concupiscibilis passiones virtute temperantiæ potissimum cohiberi, docet S. Thomas 2. 2. quæst. 141. præcipue articulis 2. 3. & 4.

Ut gradum faciamus ad media adhibenda pro passionibus irascibilis, observa, bonum arduum habere aliquid attrahens, & aliquid retrahens, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 16. art. 1. Attrahens est ut inspectum consequi possibile; & spem excitat, quæ ex triplici capite potest immoderationem sortiri. Primo ex parte objecti, cum scilicet sola caduca sperantur, & tunc ad bona æterna est dirigenda. Secundo ex parta medii, cum innititur dumtaxat Principibus, & filiis hominum, in quibus non est salus. Tertio ex parta modi; pota, si quis ultra rationem speraret ea, quæ possibilia non sunt: in quo casu erit inclinanda ad bona juxta prudentiæ regulas acquisibilia. Bonum vero arduum, seu habens aliquid retrahens propter difficultatem, ex qua judicatur consequi impossibile, desperationem inducit. Ut geminæ ejusmodi passiones subsint moderationi, & ne desperatio, aut major spes, quam par est, axcitetur, duas virtutes ibi assignat S. Thomas: humilitatem temperantem animum, ne immoderate in excelsa feratur; & magnanimitatem impellentem animum ad rerum magnarum prosecutionem, na ob nimiam difficultatem deficiat.

Audacia idem habet objectum, ac timor, sub contraria tamen ratione: hic enim malum respicit, ut ei succumbens, vel ut ab eo fugiens; illa vero idem malum respicit, aut illud superans aggrediendo, aut sustinens tolerando. Nomine vero mali ipsa arduitas intelligitur cum bono connexa, quæ profecto cum retrahit, obtinet rationem mali, qua perterritus timor horret, etsi audacia caput extollens illam aggrediatur. Sex species timoris enumerat S. Joannes Damascenus lib. 2. de Fida. Segnitiem, qua quis operari refugit ob timorem laboris excedentis; arubescentiam, qua turpitudo in actu aliquo timatur committendo; verecundiam, qua turpitudo sentitur in actu jam facto; admirationem, puta cum quis considerat magnum; malum, cujus axitum considerare non sufficit; stuporem, ut cum nostræ considerationi offertur malum insolitum; agoniam, ut si cognoscatur malum imminens improvisum, cui provideri non possit. Effectus timoris sunt, contractio, qua calor naturalis ad interiora recedit, ut contractus fortior evadat ad resistendum; tremor corporis, pallor, & stridor dentium ax contractione relictus in membris calore destitutis; ex quibus tertius sequitur effectus, omissio scilicet operationum ex spirituum vitalium defectu in membris externis derivata. Timorem, & audaciam moderatur virtus fortitudinis, magis tamen timorem, quam audaciam, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 123. art. 6. hisce verbis: *Philosophus dicit in tertio Ethicorum, fortitudo est magis circa timores reprimendos, quam circa audacias moderandas*: quia, ut ex eodem Philosopho adstruit, principalior ejus actus non est aggredi audacter, sed patienter sustinere. Ira, quæ fit cum accensione sanguinis circa cor, est motus, quo quis læsus ad vindictam provocatur, ex contemptu excellentiæ propriæ, vel amicorum, vel suorum bonorum; immo eo magis inardescit appetitus, quo magis quis axistimat, se juste, & rationabiliter operari, quia malum exoptat sub imagine boni, vindictam scilicet sub quodam æquitatis colore. Hæc passio devinci debet per mortificationem propriæ æstimationis, diminutione apprehensionis illatæ injuriæ, & per considerationem damnorum iræ, per mansuetudinem, & clementiam, ut tradit S. Thomas 2. 2. quæst. 157. art. 1. ita explicans versum Psal. 24. *Diriget mansuetos in judicio*: inquit enim: *Mansuetudo est virtus mitigans iras, quia ira valde impedit, & maxime in motibus invenitur*.

§. III.

Quibus modis active purgandi sint sensus externi, & interni.

MOrtificatio est duplex: alia interior, alia exterior. Prima respicit motus, & affectus internos; secunda axteriorem hominem, sensuum scilicet externorum compositionem. Utraqua necassaria est: axterior quidem, ut interior perseveret; & interior, ut exteriorem corroboret. Quare cum istæ sint duæ veluti alæ, quibus anima ad vitam contemplativam ascendit; idcirco expletis iis, quæ spectant ad purgationem vitiorum, & moderationem appetitus concupiscibilis, & irascibilis, rectus ordo axposcit, ut de purgationa quoque sensuum axternorum, & internorum disseramus.

Visus omnium sensuum externorum perniciosissimus, ut plurima Sacræ Scripturæ exempla damonstrant, cohibendus est a libris prophanis legendis, a mulieribus vanis, choreis, aliisque id genus conspiciendis, juxta illud Isaiæ 33. *Avertat oculos suos, ne videat vanitatem, & ne secundum visionem oculorum judicet*: Auditus ad pios tantum sermones aperiendus est, atque inutilibus feminarum eloquiis claudendus; a nugis quoque, scurrilitatibus, narrationibus ridiculis, detractionibus, aa quibuslibet sermonibus illicitis custodiendus. Mundo ad hæc incitanti reponi potest illud Amos cap. 6. *Aufer a me tumultum carminum tuorum, & cantica lyræ tuæ non audiam*. Meminerit incipiens, quod sicut ax prava Evæ locutiona, ita ax Adæ auditu omnia mala provenerunt: Genes. cap. 3. vers. 17. *Quia audisti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi*.

Odoratus ab odorum fragrantia arceri debet; sed sufficiat justo odor virtutum, ut ait Apostolus II. ad Corinth. cap. 2. vers. 15. *Christi bonus odor sumus in omni loco*: Redoleant ergo unguentum benignitatis, nardus humilitatis, incensum orationis, balsamu mdivinæ gratiæ, & totius sanctificationis.

Gustus, qui ut ex Testamento veteri constat, plurimorum animas interfecit, mortificandus est, ne delicata, aut peregrina quærat alimenta, neque communia usqua ad satietatem, sed necessaria ad vitam sustentandam: ut enim ait S. Hieronymus ad Rusticam: *Modicus, ac temperatus cibus corpori, & animæ utilis est*.

Tactus omnium axternorum periculosissimus diligentius præ cæteris est custodiendus vestium asperitata, ciliciis, ferreis catenis, aliisque modis ax SS. PP. oraculis, & exemplis.

Quinque sensibus externis quatuor internos adjicimus: sensum communem, phantasiam, æstimativam, & memoriam. Non ex professo hic tractabimus secundum pro-

priam

priam cujusque naturam, & proprietatem, acturi de iis Dissert. IX. §. 3. sed quatenus debent mortificationi subesse. Sensus itaque communis ita purgandus est a speciebus, ope sensuum externorum acceptis, ut bonas, ac utiles foveat, noxias, & malas rejiciat.

Phantasia, seu imaginativa, licet orationibus non parum utilis sit, quia intelligentem oportet phantasmata speculari; attamen tamquam vile mancipium fere continuo animæ quietem perturbans, totis viribus a mundanis speciebus est purganda.

Æstimativa ex sensatis apprehendens insensata, etiam pluribus cogitationibus impugnatur, vel ex nostra imbecillitate, vel a concupiscentia, vel ex suggestione dæmonum excitatis. Quamquam vero ab iis omnibus liberari non possit, a pluribus tamen eximi poterit per humanam industriam gratiæ adjutorio roboratam.

Memoria tandem purgatione indiget a notitiis naturalibus parentum, amicorum, voluptatum, amorum, & dignitatum sæcularium: quia *nemo* (ut loquitur Apostolus II. ad Timoth. 2. vers. 4.) *militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus*. Quamobrem iis omnibus exuta, cum vacua remanere non possit, supernaturalibus replebitur notitiis a Spiritu Sancto recipiendis.

Rursus cum vitæ contemplativæ terminus sit mirabilis illa unio secundum suam substantiam cum Deo, intellectus per fidem, voluntatis per caritatem, & memoriæ per spem; nullus relinquitur dubitandi aditus, memoriam quoque notitiis supernaturalibus purgandam esse distinctis, & creatis ex revelationibus, visionibus, & locutionibus prodeuntibus. Quamobrem si advertat, se ex earum memoria qualem qualem fructum consequi, poterit earum recordationem fovere, non ut in eis sistat, sed ut mediis id genus communicationibus majorem amorem, Deique notitiam assequatur; alias si in eisdem sisteret, posset facile decipi, vera judicando, quæ falsa sunt, & e converso, dæmone id suadente. Tandem visiones, revelationes, & locutiones possent occasionem præbere præsumptionibus, vanitatibus, atque compiacentiis, quæ divinam impediunt unionem. Si notitiæ supernaturales fuerint humanitatis Christi, quia est animæ nostræ via, veritas, & vita, erunt omnino in mentis sacrario custodiendæ, quemadmodum notitiæ alicujus veritatis increatæ, cum in iis unio consistat.

§. IV.

Exponitur purgatio activa intellectus, & voluntatis.

IIs, quæ dicta sunt de sensibus externis, & internis, nonnulla supersunt in ordine ad intellectum, & voluntatem expendenda. Intellectus veritatis inquisitione purgandus est; deficit enim; si sollicitus fuerit plus sapere, quam oporteat sapere, nolens sapere ad sobrietatem: in quo possunt defectus contingere vel quantum ad substantiam, vel quantum ad modum, virtute studiositatis corrigendi. Primo modo, si veritates inquirantur, quæ virum spiritualem minime constituunt. Ad quid enim proderunt mysticæ cum Deo unioni habendæ Epigrammatarii dicteria, Lyrici scurrilitates, bellorum eventus, gentium novitates, aliaque innumera, quibus etiam nonnullos Religiosæ militiæ professores non modico spiritualis vitæ detrimento addictos cernimus? Et licet laudabile sit, naturales scientias addiscere, laudabilius est sacris operam navare; non tamen præcise ut scias, vel ut sciaris: scire quippe propter scire est damnabilis curiositas, ajebat S. Bernardus; & scire, ut sciaris, & ut sapientis existimationem apud cæteros nanciscaris, superba vanitas est. Quare sacris scientiis vacare debemus, ut ædificemur, & Domino famulemur, quod est humilitas; vel ut ædificemus, quod est caritas.

A proprio etiam judicio cohibendus est intellectus (in quo peccant ii, qui tenaciter proprio adhærent dictamini) acquiescendo seniorum consiliis, non se ingerendo in aliorum gestis. Plurimum conferret ad humilitatis jacturam, si quis seipsum aliis anteferret; sicut plurimum prodesset hujus virtutis custodiæ, ad anteactæ vitæ culpas reflectere, seque cæteris postponere: *Custos humilitatis* (inquit S. Gregorius Papa . . . . . .) *est recordatio propriæ fœditatis*: ideoque excellentiores sanctitate suorum defectuum reflexione non contenti, eos palam aperuerunt: ut Isaias cap. 64. vers. 6. *Et facti sumus, ut immundi omnes, & quasi pannus menstruatæ universæ justitiæ nostræ*: & S. Paulus I. ad Timoth. 1. vers. 13. de seipso ait: *Qui prius blasphemus fui, & contumeliosus*. Ex quo remedium eruitur purgandi propriam voluntatem per sui abnegationem, juxta illud Christi Matth. 16. vers. 24. *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum*: nihil enim ad eam explendam facere debemus, sed omnia a nobis ita agenda sunt, ut parati simus ea relinquere, & cum aliis commutare, & quibusvis momentis interrumpere, atque reassumere, ad Dei instinctum, ad Superiorum, & Directorum nutum, sequendo exemplum veritatis ipsiusmet, dicentis Joan. 6. vers. 38. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me, Patris*. Insuper cum amor proprius sit omnium malorum fons, & origo, ad regulas divini amoris est reformandus, nos, & omnia nostra crebris actibus in Deum dirigendo, atque actus eidem amori contrarios exercendo; puta, si fugiamus honores, quos ille dictat quærendos, si declinemus a deliciis, ad quarum sequelam impellit.

§. V.

Traduntur nonnulla de purgatione passiva partis sensitivæ.

PUrgatio passiva partis sensitivæ potissimum in proficientibus sita est in sterilitate animarum ob gratiæ sensibilis subtractionem, causantem ariditatem, desolationem, ac rerum spiritualium tædium: ita ut nihil sapiat, nihil delectet, tenebræ ubique in oratione palpentur. Si ad Dei patrocinium confugiant, requiem reperire non valent; quia non, ut antea, Patris clementiam præstolantur, sed ut inexorabilis severitatem judicis pertimescunt: ut ad consuetos suaves regrediantur discursus, atque ad contemplationem acquisitam, oleum se, ac operam perdituras existimant. Id vero, quod magis animam mæstis cogitationibus vexatam excruciat, est, non posse reflectere, hanc infirmitatem non esse ad mortem, sed magis ad vitam.

Causa efficiens hujus purgationis est Deus, primo ad partem sensitivam plene mortificatam omnino superiori subordinandam, atque a gratia devotionis sensibilis separatam (in qua pabulum solet reperire concupiscentia) ad mysticam unionem disponendam: in quo sane adimpletum deprehendimus id, quod de Deo loquitur Isaias cap. 28. v. 9. *Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum?* & respondet: *Ablactatos a lacte, avulsos ab uberibus*. Quod ita explicuit inibi S. Thomas: *Quoscumque bonos separatos a lacte concupiscentiæ*. Secundo, ne Angelus satanæ ex crebra communicatione gratiæ sensibilis elatos decipiat, atque in errorem adducat. Tertio, ut anima cognoscat, gratiam sensibilis consolationis non jure hereditario, aut propriis meritis tamquam permanentem, sed ad tempus, & pro Dei beneplacito liberaliter possideri, & prompta, & parata sit, ejusmodi gratiæ abundantiam, & penuriam pati. Ita egregie S. Bernardus Serm. 21. in Cant. *Cum te torpore, inquit, atedia, ac tadio affici sentis, noli propterea diffidere, aut desistere a studio spirituali, sed juvantis require manum, trahi te obsecrans sponsæ exemplo, donec denuo suscitante gratia factus promptior, alacriorque curras, & dicas: Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Sic autem, quando adest gratia, delectare in ea, ut non te existimes donum Dei jure hereditario possidere; ita videlicet securus de eo, quasi numquam perdere possis: ne subito, cum forte retraxerit manum, & subtraxerit donum, tu animo concidas, & tristior, quam oportet, fias*. Ariditatis, seu subtractionis gratiæ sensibilis, non raro ordinatæ ad hominum conversionem in pure spirituales, salubre pharmacum est, omnibus actibus tempore gratiæ sensibilis exerceri consuetis, non obstante contradictione in rebus spiritualibus, perseveranter insistere, & signanter orationem non omittere; immo si millies divertantur, totidem mentis oculos ad Deum eleveut, divinæ se voluntati conformando, si non dulcedine allecti, saltem necessitate compulsi propter spem majorem gratiam in posterum obtinendi.

Dixi, non raro ariditatem ad hominum conversionem in pure spirituales ordinari: quia non ambigimus, eam in pœnam quoque præcedentium peccatorum infligi; tunc vero necesse est, culparum inquisitionem, & emendationem adhibere.

Ut non leve habeatur indicium, gratiæ sensibilis subtractionem in parte sensitiva non ex hominum culpis, sed dumtaxat ad hominum conversionem in pure spirituales ex divinæ providentiæ ordinatissima lege prodire, observandum est, quod ubi nullam nec in divinis, nec in humanis rebus, neque in bonis, neque in malis actibus experiuntur consolationem, tunc signum est, eam non ex culpis recenter commissis pendere; alioquin adhuc appetitus ad illas omnes maneret inclinatus. Nec aliter sentiendum est, si in eo statu, Dei memoria conservetur. Enimvero si hæc ariditas humorem melancholicum, vel aliam causam agnosceret, rerum cælestium memoriam excluderet; hæc enim est tepiditatis proprietas, parum divina curare, eorumque fastidium ingerere: Quod pariter dixeris; ubi homo discursus, ut antea, formare nequit, quantumcumque nitatur: quia id si foret indispositionis affectus; hac cessante, ea impotentia recederet. Itaque si adhuc perseveret, a Deo est, qui animam

mam igne tribulationis purgatam, atque vitiorum rubigine exutam ad divinam unionem evecturus non per, sensus se communicat, sed per infusæ contemplationis simplicitatem: quanto enim justorum mentes perfectius purgantur, tanto ad divina arcana intuenda aptiores evadunt. Præclare id explicat S. Gregorius Papa lib. 24. Moral. super illa verba Job. 33. *Videbit faciem ejus in jubilo*, inquiens. *Menti enim nostræ de consideratione caecitatis suæ prius ignis tribulationis immittitur, ut omnis vitiorum arugo concremetur, & tunc mundatis oculis cordis, illa lætitia patriæ cælestis aperitur, ut prius purgemus lugendo, quod fecimus, & postmodum manifestius contemplemur per gaudium, quod quæramus: prius a mentis acie exurente tristitia interposita malorum caligo detergitur, & tunc resplendente raptim coruscatione incircumscripti luminis illustratur*: & post pauca: *Quia enim per faciem quemlibet agnoscimus, non immerito cognitionem Dei, faciem ejus vocamus: recte ergo post tot labores de hoc tentato homine dicitur: Videbit faciem ejus in jubilo*. Ad dignoscendum unde aviditas proveniat, vide Dissert. XI. §. 27.

Partis sensitivæ purgatio variis modis in quibusdam perficitur. Primo aliorum hominum etiam justorum persecutionibus: ut probant exempla Sanctorum Hilarii, Antonii, & Theresiæ. Secundo privatione bonorum temporalium, ut sunt sanitas corporis, res, fortunæ, divitiæ, consangoinei, honores, & dignitates. Exemplum sit S. Jobus a dæmone verberatus, ab amicis vexatus, bonorum omnium, salutis, filiorum, & honorum jacturam passus: quæ omnia, ad nostrum spiritualem animarum profectum ordinata, patienter cum omnigena resignatione accipienda sunt. Tertio tentationibus, Deo permittente, contra castitatem: hæ vero tentationes, aliæque id genus non paucæ acerrime homines, ut vidimus, desolatos impugnant, ut eis clare videatur iisdem tentationibus præbere consensum. Enimvero licet in superiori parte intellectus, & voluntatis aliquam sentiant resistentiam, atque contrarietatem; adeo tamen obscura caligine premuntur, ut nullam in parte superiori resistentiam animadvertant, cum ob defectum lucis ignorent, hanc angustiam, cordisque pressuram ex pugna in parte superiori contra ejusmodi tentationes provenire. Extant de hac re perspicua exempla in S. Catharina Senensi apud Surium, & B. Angela de Fulginio in relat. suæ Vitæ cap. 2. ut videri potest apud Bollandianos ad diem 4. Januarii, quæ in memoratis desolationibus culparum timoribus vexatæ adversas impurissimas tentationes vel ex dæmonum suggestione, vel ex carnis incentivo causatas, per invictam constantiam fusis ad Deum precibus, & corporis macerationibus superarunt.

Quam acerrimæ fuerint tentationes B. Angelæ de Fulginio, ita eadem describit: *In partibus verendis tantum ignem sentio, quod soleo apponere ibidem ignem materialem ad extinguendum ignem concupiscentiæ; quod feci usque dum Confessarius id prohibuit, & quando sum in illa tenebra, eligerem potius cremari, quam dictas pœnas sufferre, immo tunc clamo & advoco mortem, desidero ut omnino veniat, dummodo Deus permittat, & dico Deo: Domine, si tu es, qui vis me mittere in infernum, ne tardes quæso, sed fac cito; & quoniam me dereliquisti, compleas & submergas me in profundum. Interim cognosco hæc esse operationes dæmonum, quodque hujusmodi vitia non sint in anima, quia eis numquam consentio, sed corpus patitur violentiam; nam magnus est dolor & angustia; quod si durasset, corpus non posset sufferre. Animæ quantumvis videat ablatam sibi esse omnem potentiam, & quamvis non consentiat vitiis, attamen non potest illis resistere, & videns ea esse contra Deum, deficit spes potentiæ resistendi, & cruciatur in ipsis vitiis*. Audisti molestiam tentationis aggredientis, accipe nunc ex eadem Beata virtutem Dei humanam infirmitatem roborantem. *Est quoddam vitium permissum a Deo venire in me, quod numquam fuit in me, & est quædam virtus, quæ datur mihi manifeste a Deo contra prædictum vitium, quod virtuose a Deo liberor: vitium autem est tam magnum, quod quando est abscondita prædicta virtus, non est res, quæ me posset tenere, nec pro verecundia, nec pro aliqua re, quin statim ruerem in peccatum; tunc tamen supervenit illa virtus, & virtuose me liberat*.

Notat tamen Thomas a Jesu libr. 3. de div. orat. §. 1. eas tentationes in incipientibus, vel proficientibus, & quandoque etiam in perfectis occurrentes differre: illæ siquidem, quæ urgent contra incipientes, sæpe ex carnis petulantia, vel modico studio mortificationis promanant; quæ vero iis, qui sensus habent jam exercitatos, obveniunt, potius a dæmonum invidia, quam a propriæ carnis corruptione prodire dignoscuntur. Præterea in incipientibus a rebelli carnis motu similes pullulant tentationes ante ullam animæ operationem; in perfectis vero, vel aliqualiter purgatis, prius in imaginatione turpes cogitationes ingeruntur, quam carnis motus insurgant: immo aliquando, ipsa silente, tentatio imaginationem, totumque hominem exagitat. Unde S. Joannes a Cruce lib. 1. noct. obsc. cap. 14. loquens de animabus perfectis inquit: *Ad alcuni si dà l' Angelo di Satanasso, cioè lo spirito di fornicazione, che percuote e flagella i loro sensi, con abbominevoli e gagliarde tentazioni, e tribola lo spirito con brutte avvertenze, ed immonde rappresentazioni molto visibili, ed al vivo nell' immaginazione, nel che alle volte sentono pena, che piuttosto eleggerebbero la morte*.

Effectus hujus purgationis partim sunt privativi, partim positivi. Inter primos numerantur omnes defectus capitales, quorum meminimus §. 1. vanæ imaginationes, & cadendi pericula, quæ omnia ab anima removentur in ordine ad obtinendam divinam unionem. Positivi vero sunt summa humilitas, patientia, cum Dei voluntate conformitas, atque aliarum virtutum, signanter fidei, spei, & caritatis exercitium. Cavere tamen debet anima per hanc viam desertam, & inviam incedens, ne difficultatibus pressa sistat, aut ultra progredi detrectet: quod si non possit eo modo, quo antea solebat discurrere, & contemplari, non eat contra impetum fluminis: quia seminaret multum; & parum, aut nihil colligeret. Quare quiescat oportet in pace ab anima experita, in illa scilicet generali Dei cognitione, & amore affectivo, ad quam inclinat; hic enim est terminus discursus, & infusæ contemplationis initium. Ubi vero etiam hæc generalis Dei notitia deficeret, redire debet ad pristinum meditationis exercitium humanitatis Christi, ejusque Passionis, ibique usque ad divinum beneplacitum perseverare, donec elucescat dies, & divinus ille lucifer oriatur in corde ejus.

§. VI.

In quo consistat purgatio passiva partis intellectivæ.

QUemadmodum pars sensitiva purgari indiget, ut superiori conformetur, ac subordinetur; ita contingit in parte intellectiva in ordine ad Deum, cui est unienda. Quare, expleta priori purgatione, anima perfectionis statum attingens, atque in contemplatione infusa sese exercens, ad fastigium unionis evehenda, fortissimo hujus purgationis igne exagitatur: quia cum infinite major sit distantia inter creaturam rationalem, & Deum, quam inter partem superiorem, & inferiorem ejusdem naturæ; idcirco partis intellectivæ purgatio debet esse horribilior ea, quæ spectat ad partem sensitivam.

Luce itaque divinæ contemplationis infusæ centrum animæ penetrante, omnes ejus defectus etiam latentes minimi manifestantur, intellectus tenebris obvolvitur, & voluntas ad extremas angustias redigitur: quia cum in tot defectuum cognitione contineatur, ne ad divinam unionem elevari queat, misere angustiatur, seipsam horret, ac veluti de divina bonitate desperat, quam tot modis offendisse supponit. Quare hoc conjicias velim discrimen inter purgationem supra descriptam, & hanc de qua agimus: quod illa, scilicet sensitivæ partis, sui non parit odium, sed amorem potius; hæc vero nimirum partis intellectivæ, implacabile sui excitat odium. Hæc omnia exprimit S. Jobus cap. 10. vers. 4. his verbis: *Si peccavi*, inquit, *& non ad horam pepercisti mihi, cur ab iniquitate mea mundum me esse non pateris? & si impius fuero, væ mihi est; & si justus, non levabo caput: saturatus afflictione, & miseria, & propter superbiam quasi leænam capies me, reversusque mirabiliter me crucias*. Præterea in hunc modum querebatur regius Propheta Psal. 17. *Circumdederunt me dolores mortis, dolores inferni circumdederunt me*. Eleganter hanc intellectivæ partis horribilem purgationem expressit eruditus Taulerus Serm. 1. de Communi Martyrum, ubi ea purgatos Martyribus comparat, dicens: *Altera via ad Deum perveniendi est resignationis, crucis, & afflictionis. Hic (ut præfati sumus) omni homo spirituali solatio privatur. Hinc porro spiritualis nascitur istorum Martyrum fortitudo, estque hæc via ariditatis, & siccitatis devotionis. Quamvis autem spirituales Martyres isti diversis abundent afflictionibus, amant nihilominus Deum suum, nec minore veras virtutes studio, & intentione, quam præcedentes prosequuntur. Habent autem curas, & angustias multas in hac vita, adeo ut sæpe ignorent, quo se præ hujuscemodi mæroribus vertere debeant, & nudæ dumtaxat fidei, spei, caritati in obscura quadam caligine innituntur. Cæterum peccato consentire penitus nolunt, qualibet jam ipsis eveniant: semper namque in pectore cor contritum, & humile gerunt, multumque ex aliorum hominum gratia torquentur, non quod hanc illis invideant, sed quod vitio fieri credant, quod ipsi eamdem gratiam non habent, nec satis se pro illa obtinenda exercitarunt*. Cumque majus ad-

hut

huc studium, & tanatum adhibent, multo adhuc intus aridiores, & lapide duriores efficiuntur, ita ut nonnumquam vix ferant patienter, & magis magisque animo dejiciantur, excrucienturque: hinc jam metuere incipiunt, invidere se aliis gratiam ipsarum, atque ita dolorem super dolorem accipiunt. His vero, seu similibus adeo plerumque fatigantur, ut quid agendum sibi sit, penitus animo dubii sint: nollent equidem Deo in virtutibus esse ingrati, nec tamen eas queunt apprehendere. Videtur autem illis non posse se non offendere Deum, vel per impatientiam, vel per desperationem, vel animi gravitatem, seu mœrorem; id vero dolent ex animo, cum odio habeant omnem iniquitatem, quandoquidem solum Deo peccatum displicet, quod ipsi non ignorant, tum Deum offendere nolunt. Tandem, licet non absque gravi labore, & difficultate, totos se resignant, & omnia sufferunt patienter, donec Deo placeat mutare; vident enim se nihil posse amplius: & post pauca: *Isti sunt Martyres spirituales, qui pro ipsorum judicio omnium pauperrimi, sed coram Deo locupletissimi; sunt etiam, ut ipsis videtur, omnium a Deo remotissimi, sed revera proximi sunt: sic & omnium se credunt coram Deo abjectissimos esse, cum sint electissimi; omnium denique se Deo infidelissimos sentiunt, cum tamen fidelissimi, ac strenuissimi sint ad illius promovendum honorem, contemptumque præpediendum, ob quæ, & patiuntur hæc omnia* &c.

Hanc mirabilem animæ purgationem indueit Deus, primo ut anima a patris intellectivæ defectibus emundetur: ut sunt evagatio a Deo ad creaturas; deceptin frequenter occurrens in visionibus, revelationibos, & prophetiis, falsa vera judicando, & e converso; nimia adhæsio ad res sensibiles, & gustus spirituales; præsumptio, superbia, & arrogantia ex divinatum consolationum abusu. Secundo, ut eam a rebus creatis avulsam cælestem efficiat, vitia extingnat, mundet conscientiam, tentationes expellat, spem renovet, veram conferat fiduciam, ad divinam unionem veluti per ultimam dispositionem præparatam reddat, utque e terreno pulvere exsurgat tamquam argentum igne examinatum, probatum Domino terræ, purgatum septuplum.

Hinc habentur primo clara suorum defectuum cognitio, humilitatem magnam ingerens, atque afflictionem. Secundo vitiorum expulsio, & contrariarum virtutum introductio. Tertio continua Dei præsentia. Quare Deus animam totam illustrat, & inflammat, atque sicut ignis lignum ab omnibus qualitatibus purgatum in seipsum transformat.

Signum erit, hanc purgationem a Deo provenire, ut animam ad sui unionem elevet, si nullum peccatum recenter commisit, immo diutius a culpis deliberatis etiam minimis abstinuit. Oportet animam ita exagitatam considerate, gloriosum esse in præsenti vita tribulationes, & angustias experiri; idque esse proprium filiorum Dei characterem, ut ait Apostolus II. ad Corinth. 4. *In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur; aporiamur, sed non destituimur; persecutionem patimur, sed non derelinquimur; dejicimur, sed non perimus: semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferentes, ut & vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.*

Animæ in hoc statu purgantur quandoque tentationibus contra veritates a Deo Ecclesiæ revelatas. Enimvero in Vita S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis 1. p. cap. 8. legitur: *Assaltò il Demonio l' incontrastabile fede, e sì vivamente sentiva imprimersi nella mente questo falso concetto* (nempe Deum non esse, nec aliam post præsentem vitam extare) *che l' intelletto rimaneva in modo offuscato, che tutte le ragioni in contrario non sapevano, nè potevano con il discorso scacciarlo.* De B. Henrico Susone tradunt Bollandiani ad diem 15. Januarii cap. 23. ejus Vitæ: *Cogitationes impiæ contra fidem incidebant animo illius id genus susurra. Qui tandem Deus potuit homo fieri? atque his similia multa, quibus quanto amplius sese volebat argumentando opponere, eo magis implicabatur.* Quare sumendum est scutum fidei, ut queant animæ præliando contra dæmonis insidias insurgere, cum protestatione, se pro qualibet fidei veritate sanguinem effusuras; ut opere præstiterunt tot Sancti Martyres, tot Doctores & sapientes commendarunt, Concilia, & innumera miracula confirmarunt; adeo ut ab iis etiam convicti ipsi dæmones credant, & contremiscant.

In aliis excitat dæmon timorem reprobationis; repræsentatis enim tot defectibus, curat eas in desperationem adducere: ut accidit in jam laudata S. Maria Magdalena de Pazzis, in cujus Vita loco supra citato ita perhibetur: *La notte di S. Andrea Apostolo fu sì crudelmente agitata da questi fantasmi* (scilicet desperationis) *che l' entrò in animo da darsi la morte da se. Diceva con l' altre Suore il mattutino, ed all' improvviso uscita dal Coro, andò al Refettorio, e preso un coltello ritornò al Coro.*

Quæ omnia superanda sunt per spem veniæ, ex sanguine, & meritis Christi obtinendæ, quam si Paulo Ecclesiæ Christi persecutori, Latroni, & Magdalenæ, aliisque magnis peccatoribus adeo munifice concessit, sibi non negabit, immo ad finem prædestinationis adducet.

Aliæ vexantur a dæmone spiritu blasphemiæ in Deum, & Sanctos, vel quandoque spiritu vertiginis; ut docet S. Joannes a Cruce loco supra citato, ubi sic effatur: *Alle volte a questa notte s' aggiunge lo spirito di bestemmia, il quale s' inserisce in tutti i pensieri, e concetti, e qualche volta nell' immaginazione si suggeriscono bestemmie, che quasi siano sforzate di proferirle, il che è a quelle anime un gran tormento. Altre volta viene loro dato un altro abbominevole spirito, che chiamano*, Spiritus vertiginis, *che le esercita, il quale in tal maniera oscura & offusca loro il senso, che le riempie di mille scrupoli e perplessità tant' intricate, al giudizio di esse, che mai possono quietarsi e soddisfarsi in cosa veruna, nè appoggiare il giudizio a consiglio, nè a concetto; il che è uno de' più gravi stimoli ed orrori di questa notte.* Tunc vero magna indigent humilitate, ac patientia, sibique oportet suadeant, fideles Dei servos in paucis vexatos ad multa bene disponi, eamdemque tentationem non in ruinam permitti, sed ad meritum.

Aliæ, ut experta est S. Theresia, exagitantur timore deceptionis favorum præcedentium, putantes, ob suos defectus esse dæmonum illusiones. Quæ animæ foveant necessum est fiduciam, neminem scilicet perire, nisi volentem; neminem pati ruinam, nisi dæmonis fraudibus, atque insidiis sponte consentientem: item objectas illusiones malis ad perditionem, bonis prodesse ad salutem, indubitanter confidant juxta Apostoli effatum ad Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti.* Tandem in hac purgatione constitutæ aliis urgentur tentationibus; uti cessandi a bonis operibus, vel retrogrediendi ab inchoata semel perfectionis semita tot tenebris, & anfractibus intercepta, clamantes cum Filiis Israel Exod. 17. vers. 7. *Estne Deus in nobis, an non?* Aliter eos non sineret tamdiu, & tam acri districtione torqueri. Vel murmurationis ob nullam consolationem in oratione receptam: quapropter videntur exclamare cum Beato Jobo cap. 30. vers. 20. *Clamo ad te, & non exaudis me. Sto, & non respicis me: mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adversaris mihi*: & cum Habacuc cap. 1. vers. 2. *Usquequo, Domine, clamabo, & non exaudies?* Cæterum iis, aliisque ejusmodi tentationibus excruciati debent desolationem divinam patienter tolerare, nihil omnino de se præsumere, sed supernæ virtutis auxilium per se, atque per aliorum suffragia, & signanter illorum Sanctorum, qui in purgationis ejusmodi horroribus laborarunt, enixe implorare: quia nec nostris viribus, aut meritis de tot hostibus possumus triumphare; vel sine letali vulnere pertransire, nisi Dei manu protecti, ejusque adjutorio corroborati: unde monet Psalmista Psal. 49. *Invoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Deus enim sui vultus benignitatem, post tempestatem serenum, & post tenebras lucem ostendit. Caveant potissimum, ne tentationibus obloquendi contra divinam providentiam infeliciter succumbant, imitantes Filios Israel, qui ita in Deum, & Moysen insurgentes, ab utroque pro merito pœnam reportarunt.

Solatium tamen animarum existentium in statu purgationis partis intellectivæ non leve observat Harphius lib. 2. Theolog. Myst. cap. 49. Illas nempe ut in plurimum tentationibus in parte superiori viriliter resistere, atque fervidos elicere actus caritatis, quantumvis resistentiam ipsam sensibiliter non agnoscant: *In superiori parte intellectus, & voluntatis dumtaxat*, inquit, *sentiunt resistentiam, & quod non consentiant in ipsam, licet adeo conturbentur per pressuram, quam patiuntur, ut nullam in se resistentiam notare, aut advertere valeant.* Ex quo fit, ut sub ipsis tenebris tentationum, queis se resistere animæ ejusmodi sensibiliter non cognoscunt, (quantumvis vere, & realiter in parte superiori dissentiant) & signanter mortem imprecando, vel infernum, quod se videant sensibiliter derelictas, nihil imprecationis vitii contrahant, quin potius ex spiritu Dei, quo aguntur, actus possint elicere heroicissimæ caritatis.

§. VII.

Patri Spirituali docto, & experto obediendum esse demonstratur, ut tuta in memoratis purgationibus procedatur.

DOnum divinæ gratiæ naturam non destruens, sed perficiens, ita hominum imbecillitati sese accommodat, ut aliorum, si spirituales fuerint, directionem non rejiciant, immo necessario ad incedendum per viam internam exposcat. Hoc autem spirituale dirigendi magisterium primario residet in Christo, cujus doctrinam sequi,

qui, & amplexati tenemur, ut habetur Matth. 2. *Magister vester unus est Christus*. Secundo ad Doctores, inter quos seipsum enumerans, S. Paulus inquit II. ad Timoth. 1. *Positus sum ego prædicator, & magister*: quorum sermo, & prædicatio non sit (ut monet idem Paulus I. ad Corinth. 2.) *in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus, & virtutis*. Tertio ad Confessarios scientia, ac rerum asceticarum experientia probatos, in quo sane munere obeundo divinum præsto esse auxilium haud ambigitur propter Christi oraculum Matth. 18. v. 29. expressum. *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Quod ita exponit S. Joannes a Cruce lib. 2. Ascens. ad Mont. Carm. cap. 22. *Dichiarando, e confermando ne' loro cuori le divine verità: e si deve notare, che non disse, dove starà un solo, io sto ivi, ma per lo meno due; per dar ad intendere, che Dio non vuole, che nessuna da se solo creda a favor suo le cose, che giudica esser di Dio, nè le tenga per sicure, e stia pertinace in quelle senza consiglio, e governo della Chiesa, e de' suoi ministri: perciocchè con questa sola non starà egli dichiarandogli le verità del cuore, e così rimarassi in quella debole, e freddo*. Necessitas directionis pro incedentibus per viam internam edocetur a D. Thoma in Cantica ad illa verba: *Invenerunt me vigiles*: & luculenter eruitur ex Sacra Scriptura Eccles. 32. vers. 24. *Fili, sine consilio nihil facies, & post factum non pœnitebis*. Simile est, quod filio suo proponit pius pater Tobias, dicens: *Consilium semper a sapiente perquire*: ubi semper directione uti præcipit, quia non tempus, nec res est, quæ cum Directore conferri non debeat. Idem confirmant Sancti Patres. S. Joannes Chrysost. de laudibus Pauli inquit: *Consiliariis omnes opus habent.... etiamsi Moysi conferri possint*. Accedit S. Bernardus dicens: *Hoc vult Deus, ut homo per hominem doceatur*. Et rationem hujus veritatis assignat Serm. 77. in Cantica: ne scilicet seductionis periculum incurratur. *Seductori*, inquit, *dat manum, qui dare dissimulat præceptori*. Luculentius idem tradit S. Bonaventura in libr. de sex alis. *Inter omnes tentationes videtur ista periculosior cuique Christiano, scilicet proprio sensui nimis inniti: cum enim nemo reperiatur tam perspicacis intelligentiæ, quin possit in aliquibus falli; qui hoc totum, & solum reputat justum, quod ipse senserit, astuto adversario ad varias seductiones sub specie boni liberum aditum pandit*. Ex quo triplicem utilitatem in animam promanare subdit. *Primo, si alii idem sentiant, quod ipse, securior est, quod non decipietur. Secundo quidquid fecerit cum prudentum consilio, si unde aliquid evenerit contrarii, minus ei poterit imputari, quam si de suo tantum fecisset. Tertio, quod sæpe in merito humilitatis Deus dat ei agnoscere per se, vel per alium, quod ante non intellexit. Hinc Moyses, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium Jethro soceri sui habuit, & servavit*. Et ideo S. Basilius, relata sollicitudine inquirendi Directorem in rebus concernentibus conscientiam, plene illi subjiciendam voluntatem commendat, ac si discipulus aliam non haberet voluntatem, quam Directoris. *Si talem* (inquit in serm. de abdic. rer.) *quempiam nactus fueris, tuo vero voluntatem tuam omnem expuito, ac foras projicito; atque ubi hoc feceris, dede te illi, ut sincerissimum veluti vas quoddam existas, quo, quæ in te infundantur virtutes, ad laudem Dei, gloriamque ab omni vitio castas conserves*.

Expendit S. Laurentius Justinianus prærogativas, quibus Director animarum, incedentium per viam spiritus, apud Valgonetam quæst. 2. disp. 6. art. 3. præditus sit oportet: *Eligatur ille*, inquit, *qui discretione sit providus, experientia probatus, moribus ordinatus*: & S. Basilius loco laudato advertens, quibus fulgere dotibus Directorem necesse sit: *Summa vigilantia*, inquit, *acerrimaque in omnes partes animi circumspectione operam dato, ut aliquem tibi virum invenias, quem in omnibus deinceps delectet tibi vitæ studiis certissimum ducem sequi; ejusmodique, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere sciat commonstrare, qui ornatus virtutibus sit, cujus universæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sint, caritatem erga Deum in eo inesse, qui divinarum literarum scientiam habeat, virum integrum, nec ulli distractioni indulgentem*.

Non contendimus cum laudatis SS. Episcopis, Basilio & Laurentio Justiniano, Directorem ejusmodi animarum esse oportere in omnibus scientiis versatum, ut animæ cum Deo, & Dei cum anima communicationes probe intelligat, ne per errorem contemplativas a viis supernaturalibus avertat: sed primo saltem callere volumus notitiam Sacrarum Scripturarum, ut eas, quantum possit, rimari satagat; illarum quippe studio, ut ait S. Gregorius Papa, veritatum cognitionem poterit reperire, atque instructus ad omnia, quæ occurrunt, respondere. Secundo imbutus sit oportet Sacra Theologia tum Scholastica, tum Mystica, tum Morali: hac, ut mores instruat; illis, ut virtutis semitam demonstret, dispositiones, & contemplationis principia dignoscat: alias nequiverit verum a falso spiritu discernere, nec incedentibus per viam contemplativam dubia passim emergentia sedare, neque apta remedia porrigere. Tertio Philosophiam sciat necessum est, ut habeat notitiam virium animæ, quid anima possit, quid ejus sensus, & potentiæ valeant, quæve sint illarum objecta.

His præditi scientiis, rerumque asceticarum peritia Directores animarum curent Mysticorum libros evolvere, ut ea, quorum experientiam non habent, ex Doctorum experientiis, & doctrinis hauriant, juxta illud Philosophi 2. Ethic. *Oportet attendere ad expertorum, seniorum, & prudentum doctrinam*: atque pro certo habeant, se plurima quotidie reperturos in libris non exarata, de quibus opus erit doctiores, ac prudentiores interrogare.

Studeant insuper filiorum spiritualium animos, conditiones, genios, & humores agnoscere: quia cum nullus sit, qui alteri omnino assimiletur, & Deus eorum aptitudini, & capacitati sese accommodet, per diversas vias trahendus est unusquisque: Quamobrem si alii naturæ fuerint adeo variabilis, ut per viam contemplationis incedere, aut eam ingredi nequeant; alii vero adeo tranquillam sortiti sint naturam, ut ad contemplationem aptitudinem præseferant: sicut primi ad actionem, ita secundi prævtis debitis dispositionibus ad contemplationis exercitium sunt promovendi. At omnes Directorum, & Confessariorum instructionibus, atque consiliis se remittant necessum est; magis enim Deus obedientiam Confessario præstitam acceptat, quam sibi. Et ideo S. Theresia cap. 26. suæ Vitæ inquit. *Sempre, che il Signore mi comandava qualche cosa nell' orazione, se il Confessore mi diceva il contrario, tornava il Signore a dirmi, che gli ubbidissi; ma dopo sua Maestà lo rivolgeva, acciò ancor egli tornasse a comandarmi l' istesso, che il Signore voleva, che in nessuna maniera io tacessi cosa alcuna a chi mi confessasse, attesochè in questo è gran sicurezza*.

Ita cum filiis spiritualibus Directores, & Confessarii se gerant, ut eos non deterreant inhumani, sed potius mansueti foveant. Discant Apostoli exemplo, parvulos cum parvulis fieri; non solidum cibum distribuant, quo desideria virtutum nondum adulta silvescant, sed lac suavissimum, quo hausto feliciter perennent. Zelum indiscretum cohibeant, quo plures maximo cum animarum dispendio laborant: prohibent enim, ne filii spirituales alios adeant animarum Directores, cum quibus res suas conferant, perinde ac recta animarum directio uni peculiari Directori alliganda sit; cum revera si quis alios consulat, prudentia directrice, utile valde erit, & necessarium: quod approbat, & commendat, exemplo S. Theresiæ, S. Franciscus Salesius sua ætate Doctor mellifluus Epist. 44. lib. 1. in hæc verba. *Ejusdem* nempe B. Theresiæ *cum illis sententiæ sunt, qui scrupulos sibi voluerunt injicere, quod non expediat, nisi unum habere Patrem spiritualem, cujus auctoritas in omnibus semper, & per omnia præferatur voluntati propriæ; necnon etiam judicia cujuscumque personæ privatæ: sed hoc non impedit ullo modo commercium, & communicationem spiritus cum alio quopiam, nec se conformare judicio, & consiliis aliunde receptis*: & relato voto ejusdem S. Theresiæ obediendi in omnibus P. Gratiano, subdit. *De cætero non omittebat ipsa* (scilicet Seraphica Doctrix) *magnum quempiam, & singularem amicum semper eligere, cum quo confidenter agebat, ex quo directiones, & consilia recipiebat impenso studio practicanda, & in omnibus usurpanda, in quibus obedientiæ promissæ non contrarientur. In qua re valde bene reperiebat sese, prout ipsamet frequenter in pluribus scriptorum suorum locis statutum relinquere voluit. Hæc eo dicta sunt, ut appareat, quod Patris spiritualis unitas non excludat confidentiam, & communicationem cum altero, modo firma remaneat obedientia, quæ promissa fuit in suo gradu, & aliis præferatur*.

Immo S. Joannes a Cruce Doctor extaticus, reprehendens oppositum Confessariorum dictamen, arbitratur illud impunitum haud abiturum: ita namque disserit in exposit. Cant. Flam. amoris vivi §. 12. *Tu di tal maniera tiranneggi l' anime, e di sorte levi loro la libertà, ed ascrivi a tuo favore l' ampiezza, o la libertà della dottrina Evangelica, che non solo proccuri, che non ti lascino, ma quello, ch' è peggio, se a caso talvolta sai, che alcuna andò per dimandare qualche consiglio ad altro, o per trattare qualche cosa, che non converrebbe trattarla teco, ovvero l' avesso inspirata, o guidata colà Dio, acciò l' ammaestrasse, e le insegnasse quello, che tu non le insegni; ti porti con essa (non lo dico senza vergogna, o rossore) con quelle contese di gelosie, che si trovano fra marito, e moglie, le quali non sono zeli, che tu abbia dell' onor di Dio, ma gelosia della tua superbia, e presunzione. Perchè, come puoi tu sapere, che quell' anima non ebbe necessità di andar a quell' altro? Si sdegna grandemente il Signor Iddio contro di questi, e promette loro castigo per Ezechiele dicendo*: Væ pastoribus Israel! lac comedebatis, lanis operiebamini; gregem autem meum non pascebatis: requiram gregem meum de manu vestra &c. *non pascevate il mio gregge, ma*

ma vi copprivate colla lana, e mangiavate il suo latte: guai a voi, l'astori! io ricercherò questo mio gregge dalle vostre mani. Devono adunque questi tali dar libertà a queste anime, e sono obbligati a lasciarle andar ad altri, e mostrar loro buona faccia; non sapendo essi, per dove voglia Dio approfittar quell' anima, maggiormente quando ella non gusta più della loro dottrina, che è segno, che Dio la guida avanti per altra strada, e che ha bisogno d' altro maestro: anzi essi gliel' hanno a consigliare, ed il fare altrimenti nasce da sciocca superbia, e presunzione.

DISSERTATIO VII.

De Divina Contemplatione, ejusque principio.

A Mystica Purgatione, & Directione, requisita ad vitam contemplativam, & unitivam, ad contemplationem progredimur, de qua plura ad examen revocamus. Primo, Quid sit. Secundo, An sit actus solius intellectus, vel etiam voluntatis. Tertio, Duas Contemplationis species, nempe acquisitam, & infusam. Quarto, Dona Spiritus Sancti, & modum quo influunt in eamdem divinam contemplationem. Quinto, Ea in quibus conveniunt, & differunt contemplatio acquisita, & infusa.

§. I.

Quid sit divina contemplatio.

DIvina contemplatio præcipua ac nobilior orationis species, quæ pariter Evangelica dicitur, diversimode a Sacris Doctoribus definitur, licet in re omnes conveniant. Sanctus enim Augustinus libr. da Spirit., & Anim. cap. 32. ait: *Contemplatio est perspicua veritatis jucunda admiratio.* S. Bernardus lib. 2. de considerat. cap. 3. inquit: *Contemplatio est verus, certusque intuitus animæ de quacumque re, & apprehensione non dubia.* Et Auctor libris inscripti *Scala Claustr.* dicit. *Contemplatio est mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.* Accedit S. Bonaventura, qui in Pharetra lib. 4. cap. 26. nuper laudatam S. Augustini definitionem amplectitur; & da sept. itiner. æternit. part. 3. dist. 5. ax Richardo da S. Victore ita contemplationem describit: *Contemplatio est*, inquit, *libera mentis perspicacia in sapientiæ spectacula cum admiratione suspensa*. Demum optime S. Thomas 2. 2. qu. 180. art. 3. appellat contemplationem *simplicem intuitum veritatis*: intuitum scilicet intellectualam, hoc anim subintelligas; simplicem vero ad differentiam aliorum actuum intellectus: qui si fuerint intuitus simplices, non tamen sunt intuitus varitatis in seipsa perfectæ, ut avenit in prima mentis operatione, in qua non ast perfecta veritas quasi in cognoscente; si vero fuerint intuitus veritatis, non sunt simplices, ut accidit tum in secunda, tum in tertia mentis operationa, scilicet in compositione, divisiona, & ratiocinationa. Quamobrem licet ad contemplationem variis animi operibus perveniatur, ut auditiona, lectiona, meditatione, ac similibus; supposita, quæ inter hominem & Angelum versatur, differentia, quod iste simplici apprehensione veritatem intuetur, ille vero quodam processu, seu discursu ex multis, ut ait S. Thomas ibidem: attamen Contamplatio consistit in unico, & simplici vexitatis intuitu. Ex quibus omnibus constat, quod contemplatio ex parta cognitionis, prout differt a meditationa, est actus ille, quo intellectus, supposito actu credendi aliquod revelatum, & discursu elicito circa illius naturam, partes, & alia ejusmodi, sistit in simplici intuitu, seu cognitione ejusdem veritatis cum admiratione, & jucunditate quadam, ut infra fusius trademus. Nac moveat, aut turbet Lectorem, quod dixerim, contemplationem esse simplicem intuitum veritatis, cum tamen certum sit ax D. Thoma infra referendo, quod objectum in contemplatione non cognoscatur in se, sed in specia imaginaria, vel intelligibili; & ita sit abstractiva, non intuitiva cognitio: nam contamplationem fieri circa objecta repræsentata per species, nec aliter fieri posse, videbimus, & consequenter cognitionam esse abstractivam. Attamen quia contemplatio non ast discursiva, ut ast meditatio, sed est simplax cognitio, & nos carentes vocabulo illam axprimente, vocamus simplicem intuitum, sequendo phrasim Sacræ Scripturæ, quæ Prophetas appellat videntes, & cognitiones rerum, quas prophetabant, nuncupat visiones, cum tamen res illas non in seipsis viderent, sed in aarum speciebus; hinc ax praxi Ecclesiæ etiam cognitiones rerum absentium, vel futurarum, val Beatorum, quas Deus aliquando concedit viatoribus, appellantur visiones, cum tamen non in propria natura, & existentia cognoscantur, sad in speciebus dumtaxat, sive imaginariis, si corporeæ res fuerint, sive intelligibilibus: unde Apostolus ipse de cognitiona Dei per fidem I. ad Corinth. 3. ait: *Videmus nunc per speculum in anigmate, tunc autem facie ad faciem:* id ast, in Patria. Proinde bena diximus cum S. Thoma, quod contemplatio est simplex intuitus veritatis, id ast, cognitio simplex sina discursu: quia licet abstractiva sit, cum in specie cognoscat objectum; simplex tamen ast, quia sina discursu.

Dices. S. Thomas loco laudato contemplationem definit, prout abstrahit a cognitione Philosophica, & ea, quæ ast species orationis mentalis, quæ Divina, siva Evangelica dicitur; nullum quippe in aa verbum est, quod contemplationi Philosophicæ non possit congruenter aptari. Non ergo bona ast definitio tradita contemplationis Evangelicæ, quod sit simplex intuitus veritatis.

Respondeo, mentem Doctoris Angelici aliam non asse, quam contemplationem spectantem ad vitam contemplativam definire, quæ juxta S. Gregorium in 1. artic. relatum, ast, *Caritatem Dei, & proximi tota mente retinere, & soli desiderio Conditoris inhærere.* Loquitur de contemplatione, quæ (secandum eumdem Gregorium citatum in respons. ad 2.) *calcatis omnibus, ad videndum faciem sui Creatoris inardescit*. Loquitur de contemplationa, ad quam spectant *oratio, lectio, & meditatio:* ut dicit art. 3. in respons. ad 4. Ex quibus omnibus ostenditur, aa, quæ ex D. Thoma relata sunt, Evangelicæ contamplationi, non vero Philosophicæ convenire. Quare verba illa, *Simplex intuitus veritatis*, non absoluta, ac sacundum totam significationis amplitudinem sumenda sunt; quia intuitus latius patet, quam linea intallectiva: ideoque sicuti hoc verbum determinatur per hoc aliud, *veritatis*, designans juxta subjectam materiam veritatem primam practice, & affective, seu ax motione fervida caritatis attractam, atque ab ipsa degustatam; ita illa vatba, *simplex intuitus*, determinantur ad significandam contemplationem Evangelicam, non vero Philosophicam.

Consulto diximus, simplicem hunc Evangelicæ Contemplationis intuitum veritatem primam non utcumque, sed practice, & affectiva, atque ax motiona caritatis attractam designare: quia contemplatio non est mere speculativa, sed practica. Primo quia, etiamsi de Deo sit, cujus axcellentiam, bonitatam, & misericordiam, aliaqua attributa considerat, non in eo, ut intelligibilis ast, sed aum ponderat ut gloria, & honore dignum; alias contemplationis Evangelicæ nomen promereri non posset. Secundo ex parte finis, qui est unio cum Deo, adeoque ad veram sanctitatem debet ordinari.

§. II.

An contemplatio solum in actu intellectus consistat, vel etiam in actu voluntatis.

HAnc quæstionem egregie discutit S. Bonaventura in Tractat. de sept. itiner. æternit. part. 3. dist. 3. atque respondet his verbis: *Oculus contemplationis in spectacula sapientiæ æternæ est directus, quia Contemplatio non est actus intellectus præcise, sed etiam saporosam dilectionem includit. Nam sapientia a sapore dicitur, ut dicit Bernardus, & objectum sapientiæ primarium, & principale est ipse Deus, sub ratione qua verum excitativum voluntatis ad ejus saporosam dilectionem, & actus sapientiæ est contemplari Deum, non quoquo modo, sed cum dilectione, cum quadam experimentali suavitate in affectu. Igitur spectacula sapientiæ sunt cognitio veri, seu sapor boni.*

Confirmatur. I. Quia omnis veritas revelata est bonum supernaturale amabila, ac delectabila: atqui objectum contemplationis est omnis veritas revelata: ergo omne objectum contemplationis est bonum amabile, at-

qua

que delectabile; ac proinde omnis contemplatio Religiosa consistit non in solo actu intellectus, verum etiam in actu voluntatis. Major est certa ex illo Psalm. 118. v. 14. *In via testimoniorum tuorum delectatus sum:* & v. 119. ejusdem Psalm. *Ideo dilexi mandata tua*. Minor est omnium Mysticorum cum D. Thoma 2. 2. quæst. 180. art. 4. Consequentia est evidens.

Confirmatur II. Contemplatio Beatorum est conjuncta cum amore proportionato, habitui consumatæ caritatis eorumdem: ergo cum contemplatio viæ sit de eodem objecto principali, de quo est contemplatio Beatorum, & de aliis secundariis, de quibus est illa; debet habere annexum dilectionis actum circa suum verum, & amabile objectum.

Dicendum tamen est cum S. Thoma, contemplationem divinam essentialiter consistere in actu intellectus; causaliter vero, & terminative in actu voluntatis. Verba S. Doctoris sunt quæ subjicio ex 2. 2. quæst. citat. art. 1. *Vita contemplativa quantum ad ipsam essentiam actionis, pertinet, ad intellectum; quantum autem ad id, quod movet ad exercendam talem operationem, pertinet ad voluntatem, quæ movet omnes alias potentias, & etiam intellectum ad suum actum. Movet autem vis appetitiva ad aliquid inspiciendum vel sensibiliter, vel intelligibiliter, quandoque quidem propter amorem rei visæ, quia, ut dicitur Matth. 6. Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum: quandoque autem propter amorem ipsius cognitionis, quam quis ex inspectione consequitur; & propter hoc Gregorius constituit vitam contemplativam in caritate Dei, in quantum scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad ejus pulchritudinem inspiciendam. Et quia unusquisque delectatur, cum adeptus fuerit id, quod amat; ideo vita contemplativa terminatur ad delectationem, quæ est in affectu, ex qua etiam amor intenditur.*

Et Cajetanus ibidem inquit: *Vita contemplativa formaliter est in intellectu, quoniam est ipsa contemplatio, quæ est actus intellectus; causaliter autem, & terminative est in affectu. Et utroque modo dupliciter: nam causaliter est in affectu ratione amoris concupiscentiæ, & ratione amoris amicitiæ. Ad amorem siquidem concupiscentiæ spectat, cum aliquis appetit videre aliquid, ut videat; nam ipsum videre perfectio est videntis, & seipsum amat, qui propterea quærit aliquid videre, ut videat, seu cognoscat: ad amorem vero amicitiæ spectat appetitus videndi aliquam personam, quia amat illam personam. Et licet hæc duo divisa inveniantur sæpe, in proposito tamen unita inveniuntur in uno, & eodem affectu: nam studens contemplationi simul concupiscit sibi visionem veritatis; & propter amorem ipsius veritatis divinæ, quam amat, tendit ad videndum illam. Et quoniam ratio amicitiæ præeminet concupiscentiæ, ideo Gregorius, in litera allatus, vitam contemplativam in caritate Dei causaliter constituit: constat enim, quod caritas Dei amicitiam ad ipsum principaliter importat. Terminative autem contemplatio in affectu est: & secundum delectationem naturaliter consequentem ipsam contemplationem, & objectum contemplatum; & secundum amorem amicitiæ augmentatum ex hoc ipso, quod videt, & delectatur.* Constat igitur, contemplationem Religiosam consistere in actu intellectus, causative vero ac terminative in actu voluntatis; consequentes sine hujusmodi actibus dari non posse contemplationem religiosam.

Ex his habes I. quomodo refellenda sit sententia non nullorum Auctorum, quos recenset Magister Torre tom. II. de Relig. pag. 296. qui moliti sunt adstruere, contemplationem Evangelicam nihil commercii habere cum intellectu, & voluntate, adeoque nullam intellectus, & voluntatis operationem requirere, sed immediate ab ipsa anima prodire, atque sui ipsius nobilitatem, & originis celsitudinem secum trahere. Non tamen quamlibet contemplationem speciali hoc privilegio gaudere contendunt, sed aliquam dumtaxat valde sublimem, & arcanam. Nam contra hos Auctores dicendum est, manifestam contradictionem involvere, dari veram contemplationem Evangelicam sine concursu intellectus, & voluntatis.

Prob. I. Quia produceretur immediate, & proxime ab anima; & non produceretur. Quod enim ab anima producitur, fieri non potest nisi per suam virtutem mediantem inter ipsius animæ substantiam, & operationem; cum qualibet causa principalis per suam virtutem debeat operari, adeoque per aliquid inter ipsam animæ substantiam, & operationem. Unde S. Thomas quodlib. 10. art. 5. de Spiritual. Creatur. ex S. Dionysio ita docet: *Sed contra est, quod Dionysius 11. cap. cælestis Hierarchiæ distinguit superiores substantias, scilicet Angelos, in tria: scilicet substantiam, virtutem, & operationem. Sed Angelus non est minoris simplicitatis, quam anima. Ergo & animæ sua substantia non est, sua virtus, seu potentia.* Ergo contemplatio non produceretur ab anima, nisi mediante ejus virtute: ergo produceretur proxime ab anima, & non produceretur. Non tamen ex hoc inferas, probationem eo tendere, ut distinctionem realem statuat inter animam, ejusque potentias. Quia licet D. Thomæ ratio id concludentissime ostendat; in præsenti autem hac reali distinctione ad institutum, de quo agimus, minime indigemus: sufficit enim, ut formalitas virtutis, & potentiæ, qua animam concurrere asserimus ad contemplationem, necessario, & indispensabiliter diversa sit a formalitate essentiæ animæ, eo modo, quo fatentur adversarii, alias contemplationes, præter arcanam, & sublimem excogitatam, ab anima mediis potentiis proximis produci.

Prob. II. Implicat contradictionem contemplatio, quæ non sit libera, vel necessaria: implicat enim contemplatio, quæ non sit cum potestate ad utrumlibet, vel sine tali potestate. Ergo implicat contemplatio, quæ sit immediate ab animæ substantia sine concursu intellectus, & voluntatis. Consequentia hæc probatur: quia radix libertatis operationum est intellectus; secluso ergo intellectus influxu, contemplatio non esset libera. Nec pariter esset necessaria: quia non esset voluntaria; cum prius sit actum esse voluntarium, quam necessarium. Ergo contemplatio ejusmodi non esset libera, nec necessaria.

Dices. Apostolus I. ad Corinth. cap. 4. inquit: *Orabo spiritu, orabo & mente*. Quo profecto super duplici orationis genere edocemur, duplicem nempe dari contemplationem: primam, quæ pure mentalis sit; alteram, quæ a solo spiritu prodeat. Ideoque præter contemplationem, quæ mente fit, datur etiam ea, quæ a solo spiritu oritur; ac per consequens sublimis, & arcana, quæ proxime, & immediate procedat ab anima. Clarius idem habetur in S. Dionys. lib. de Myst. Theol. cap. 1. ubi ad Timothei instructionem dicitur: *Tu autem, o amice Timothee, circa mysticas visiones forti contritione, & sensus derelinque, & intellectuales operationes, & omnia sensibilia, & intelligibilia*. Ergo datur contemplatio citra intellectus operationem, quæ alia esse non potest, quam ab anima immediate producta.

Respondeo, Apostolum loqui de Ministro Ecclesiæ fundente publicas preces coram populo, ea tamen lingua, quæ adstantibus erat peregrina; quia etiamsi Minister esset devotus; attamen, quia illa quæ ab eo proferebantur, populus non intelligebat, fructu ex verborum intelligentia percipiendo fraudabatur; cui defectui occurrere satagens Paulus, inquit: *Orabo spiritu*, hoc est, affectu orandi, & devotione orandi: *Orabo & mente*, scilicet in ea lingua, orabo, quæ possit ab adstantibus intelligi. Hanc vero solutionem attingere mentem Apostoli declarant verba, quæ subdit: *Sed in Ecclesia volo quinque verba sensu meo loqui, ut & alios instruam: quam decem millia verborum in lingua*, hoc est, aliena, seu in qua non intelligatur: ut exponunt S. Thomas super Epist. D. Pauli, Cajetanus, & Lyranus. Ad auctoritatem S. Dionysii dicimus, moneri ibi Timotheum, ut suas connaturales dumtaxat intellectus operationes relinquat, ut intellectus per fidem possit divinam veritatem intueri: ut notat Albertus Magnus dicens: *Ad secundum dicendum, quod monet relinquere intellectuales operationes connaturales nobis, & non eas, quæ sunt in nobis ex lumine divino.*

Ex superius pariter dictis habes 2. impugnationem erroris quorumdam mundanorum, *qui terrena sapiunt* (ad Philipp. 3.) qui animas retrahere conantur ab exercitio orationis mentalis sub prætextu, quod hæc sit via periculis innumeris obnoxia, quodque per illam quamplures in errores turpissimos, ac hæreses prolapsi sint; ut vidimus nostra ætate, ac etiamnum deploramus. At nemo sane melius hujusmodi errorem refellit quam S. Theresia, quæ ad nostrum intentum ita scribit in Via perfectionis cap. 21. *Molte volte vogliono disturbarci questo viaggio con dirci, Vi sono de' pericoli, la tale per di qua si perdette, colui s'ingannò, quell' altro, che faceva assai orazione, cadde, quell' altro fu illuso. Non deve farsi caso di questi timori, e pericoli, mentre questa è la strada maestra, ed il sicuro cammino, per cui camminò il nostro Re, e per il quale sono andati tutti gli eletti, e santi: e se in questo dicono, che vi sono tanti pericoli, e mettono tanti timori; quelli poi, che secondo il parer loro vanno a cercarlo fuori di questo cammino, che pericoli ritroveranno? Sono assai più senza comparazione, ma non li conoscono, finchè non cadono di faccia innanzi al vero pericolo. Nessuno c'ingannì con mostrarci altro cammino, che quello dell' orazione: chi vi dirà, che in questo sia pericolo, tenete lui per l' istesso pericolo, e fuggitelo. Pericolosa cosa sarà il non avere umiltà, e le oltre virtù; ma cammino di orazione, cammino di pericolo? non voglia mai Dio tal cosa. Il demonio ha inventato il mettere queste paure: onde astutissimo egli è stato in fare cadere alcuni, i quali si davano all' orazione. E mirate gran cecità, che considerandosi le migliaja che nel mondo sono caduti nell' eresie, ed in grandissimi mali senza far orazione, nè sapere cosa fosse; solamente perchè nel numero di questi il demonio per far meglio il fatto suo, ha fatto entrare, e cadere alcuni, che attendevano all' orazione, ha cagionato, che alcuni abbiano posto tanto timore nelle cose di virtù.* Ex quibus concludendum, quod via orationis, dum

regulatur a legitimis Ecclesiæ Ministris juxta principia Sacræ Scripturæ, & Traditionis, sit via tutissima perveniendi ad perfectionem, & sanctitatem; quando vero, (ut ait Apostolus ad Hebr. 13.) doctrinis variis, & peregrinis abducuntur animæ a Pseudo-magistris, abs dubio erit via erroris, ac perditionis.

§. III.

Exponitur, & declaratur duplex contemplationis species, scilicet acquisita, & infusa.

IN confesso est apud omnes Theologos tum Mysticos, tum Scholasticos, contemplationem religiosam dividi in acquisitam, & infusam. Ita Cardinalis Brancatus opusc. 5. de Orat. Christian. cap. 10. per totum, P. Philippus a SS. Trinitate in sua Theologia Mystica part. 2. tract. 1. discurs. 2. art. 2. P. Joseph a Jesu Maria de ascensu animæ ad Deum lib. 3. cap. 21. P. Balthassar a S. Catharina ad Mansiones S. Theresiæ Mans. 4. cap. 3. Splendore 2. Reflex. 4. omnes tres isti Carmelitæ Discalceati eruditissimi, ac naturam contemplationis apprime edocti. Idem constat ex Richardo de S. Victore, qui de contemplatione lib. 4. cap. 23. ita scribit: *Eorum, qui in suis contemplationibus supra semetipsos ducuntur, alii hoc expectant, & accipiunt ex sola vocante gratia; alii vero, ut hoc possint, sibi comparant cum gratiæ tamen cooperatione ex magna animi industria: & illi quidem hoc donum quasi fortuitum habent; isti vero jam velut ex virtute possident. Quasi fortuitum exique est illud, quod quando vult, vel prout vult, nullo modo potest: velut fortuitum igitur hoc habent, qui in hoc nihil ex propria industria valent, sed solam vocantis gratiam expectant. Jam vero velut ex virtute ejusmodi gratia efficaciam habere dicendi sunt, qui ex magna jam parte id possunt, cum volunt.* Rursus lib. 5. cap. 1. ait: *Aliud est contemplationis gratiam divinitus percipere; atque aliud est hujusmodi donum Dei quadam cooperatione, & proprio exercitio comparare:* & clarius cap. 2. ad nostrum institutum docet in hæc verba: *Hos igitur contemplationis modos experimur, qui ad summam ejusmodi gratia arcem sublevari mrentur. Primus surgit ex industria humana, tertius ex sola gratia divina; medius autem ex utriusque permixtione, humanæ scilicet industriæ, & gratiæ divinæ.* Ad quæ verba laudatus P. Balthassar a S. Catharina ubi supra erudite advertit, secundum, & tertium gradum spectare ad contemplationem infusam, licet secundus admittat aliquam nostram cooperationem præcedentem, & industriam; tertium vero nullam hujusmodi nostram industriam requirere, primum autem ex nostra sola industria comparari, licet requiratur gratiæ generalis concursus. Hinc rite S. Thomas 2. 2. quæst. 45. art. 5. duplicem distinguit contemplationem: primam quidem communem esse ait omnibus gratia sanctificante præditis; secundam vero paucorum esse dicit. Proinde primam, dicendum est, esse contemplationem acquisitam cum adjutorio tamen divinæ gratiæ, alteram vero omnino infusam; ut explicat ibidem P. Balthassar laudatus. Verba Angelici Doctoris sunt ea, quæ subjicio: *Ex unione ad divina secundum diversos gradus aliqui sapientiam sortiuntur. Quidam enim tantum sortiuntur de recto judicio tam in contemplatione divinorum, quam etiam in ordinatione rerum humanarum secundum divinas regulas, quantum est necessarium ad salutem. Et hoc nulli deest sine peccato mortali existenti per gratiam gratum facientem; quia si natura non deficit in necessariis, multo minus gratia: unde dicitur I. Joan. 2. Unctio docet vos de omnibus. Quidam autem altiori gradu percipiunt sapientiæ donum, & quantum ad contemplationem divinorum, inquantum scilicet altiora quadam mysteria & cognoscant, & aliis manifestare possunt, & etiam quantum ad directionem humanorum secundum regulas divinas, inquantum possunt secundum eas non solum seipsos, sed etiam alios ordinare. Et iste gradus sapientiæ non est communis omnibus habentibus gratiam gratum facientem, sed magis pertinet ad gratias gratis datas, quas Spiritus Sanctus distribuit prout vult.* Rursus ad intentum nostrum idem Doctor Angelicus in 3. Sentent. dist. 34. quæst. 1. art. 2. adstruit, contemplationem oriri posse ex fide, sed connaturali, & humano modo. Accedit Dionysius Carthusianus, qui in lib. de fonte lucis cap. 1. seu art. 14. duplicem contemplationem, aliam quidem acquisitam, aliam vero infusam distinguit sub his verbis: *Cum Dei contemplatio amorosa, & mystica sit nobilissima, atque altissima operatio hominis, ad ipsam exigitur præcipua abstractio mentis ab exterioribus, ac summa recollectio ejus in se, & simplificatio sui in Deo purissima, quatenus nullo inordinato affectu, nulla consideratione circa creata, nulla occupatione distractiva impediatur, aut retrahatur a summo, & increato objecto. Itaque ad hanc unitiva sapientiæ mysticam contemplationem uno modo pertingit homo seipsum excitando, ac disponendo ad eam per abstractionem præfatam, per recollectionem, & simplificationem, per orationem, & meditationem, atque considerationem eorum, quæ divinæ dilectionis fervorem magis provocare, ac parere solent in animo . . . . . Alio modo ad contemplationem istam pertingit absque suo conamine, & præparatione prædicta, dum scilicet misericordissime desuper prævenitur, atque divinitus fortiter illustratur: & primus modus solet esse laboriosus; hic vero est facillimus. Hinc Beatus ait Bernardus. Quidam trahuntur, qui dicere possunt: Trahe me post te: alii ducuntur, qui dicunt: Introduxit me Rex in cellam vinariam: alii rapiuntur.* En, quam clare, diserteque tradit hic contemplativus propositam nuper distinctionem contemplationis in acquisitam, & infusam; ac proinde tum ob ejus sententiam, quæ magni habenda est in hac re, tum ob aliorum Doctorum auctoritates superius allatas, ambigendum haud est de eadem distinctione contemplationis.

Contemplatio infusa principalis, & perfectior acquisita a Cardinali Brancato opusc. 7. cap. 3. definitur hisce terminis: *Simplex est*, inquit, *intellectualis intuitus cum sapida dilectione divinorum, aliorumque revelatorum, procedens a Deo, speciali modo applicante intellectum ad intuendum, & voluntatem ad diligendum ea revelata, & concurrente ad eos actus per dona Spiritus Sancti, intellectum, & sapientiam, cum magna illustratione intellectus, & inflammatione voluntatis.* Explicatur hæc definitio. Dicitur *simplex intellectualis intuitus* (sic enim definiunt contemplationem in genere SS. Thomas & Bonaventura, ut vidimus supra §. 1.) ad differentiam meditationis, & Theologiæ speculativæ, quæ sunt discursivæ. Dicitur *cum sapida dilectione voluntatis*, quia in duobus his actibus, scilicet intellectus, & voluntatis, consistit contemplatio generice sumpta, ad differentiam Theologiæ, quæ considerat Deum sine affectu, seu dilectione; contemplatio vero divina utrumque necessario concludit, ut diximus loco citato. Additur præterea *divinorum, aliorumque revelatorum*, quia (ut dicemus Dissert. sequenti §. 1.) hæc sunt objecta contemplationis divinæ generice sumptæ, ad differentiam scientiarum naturalium, quæ intellectuales quidem sunt, at non habent pro objecto divina revelata. Dicitur ulterius *procedens a Deo, speciali modo applicante intellectum ad intuendum, & voluntatem ad diligendum ea objecta*, ad differentiam contemplationis acquisitæ, ad quam proprio labore, ac studio, licet cum Dei auxilio, homo se applicat, & distrahit se a cogitatione aliarum rerum. At pro infusa longe aliter accidit: nam sive homo legat, sive audiat aliquem loquentem de Mysterio revelato, sive de illo cogitet, sive meditetur illud; derepente Deus firmat, ac figit illum in ejus intuitu, ac dilectione, impediens omne aliud, sive causam, sive objectum, quod possit distrahere. Immo sæpius sine lectione, auditione, aut meditatione, Deus infundit cogitationem aliquam, movendo in intellectu speciem alicujus Mysterii, ac firmat, & figit intellectum in ejus intuitu, & voluntatem in ejus dilectione: sicque Deus immediate applicat has potentias ad eos actus, & prohibet, ne alio divagentur. Dicitur demum *Deo concurrente ad actus illos cum potentiis, per dona Spiritus Sancti, intellectus scilicet, & sapientiæ.* Præclarissime hæc omnia complectitur S. Thomas exponens auct. Apost. ad Rom. 8. scilicet: *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*: ubi ad institutum nostrum ita scribit: *Circa hoc duo consideranda sunt: primo quidem, quod aliqui aguntur a Spiritu Dei, & potest sic intelligi, Quicumque spiritu Dei aguntur, sicut quodam ductore, & directore; quod quidem in nobis facit Spiritus Sanctus, in quantum illuminat nos interius, quid facere debeamus Psal. 142. Spiritus tuus bonus deducet me; secundum quod ille, qui ducitur, ex seipso etiam operatur. Homo autem spiritualis non tantum instruitur a Spiritu Sancto, quid agere debeat, sed etiam cor ejus a Spiritu Sancto movetur: ideo plus intelligendum est in hoc, quod dicitur, Quicumque spiritu Dei aguntur; illa enim agi dicuntur, quæ quodam superiori instinctu moventur. Unde de brutis dicimus, quod non agant, sed aguntur: quia a natura moventur, & non ex proprio motu ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis, non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum secundum illud Isaiæ 59. Cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Dei cogit: & Lucæ 4. quod Christus agebatur a spiritu in desertum. Non tamen per hoc excluditur, quin viri spirituales per voluntatem, & liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrii Spiritus Sanctus in eis causat secundum illud ad Philipp. 2. Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere.* Ex allata Angelici Doctoris auctoritate colliges, hanc contemplationem infusam non immerito passivam, seu passionem vocari, atque ad eam elevatos, *Divina patientes*, dici. Idque illustratur a Ven. Bartholomæo de Martyribus Archiepiscopo Bracarensi 2. part. compend. cap. 11. §. 2. his verbis: *Quamvis hæc fervens dilectio eliciatur a voluntate, dicitur tamen passiva, quia ad illam non excitat seipsam voluntas, sicut ad primam,*

primam, nempe acquisitam, sed immediate excitatur a Deo fortiter. Idem egregie docet eximius P. Suarez tom. II. de Relig. lib. 2. cap. 12. n. 18. *Est ergo*, inquit, *vitalis illa passio, unde non est sine intellectus, & voluntatis efficientia. Denominatur passio potius, quam actio, quia principalis motor est Spiritus Sanctus, qui in animam tunc agit per specialissimum auxilium internum per dona sua, & non tantum per ordinarium modum operandi.* A speciebus, seu gradibus hujus contemplationis recensendis hic abstinemus, de iis dicturi Dissertatione X.

Contemplatio acquisita, altera species, est Divinæ veritatis simplex intuitus cum aliqua dilectione, & delectatione circa illam, in qua utraque causa, idest, Deus, & homo, communi modo, & ordinaria ratione concurrunt; nempe intellectus ita supernaturali lumine fidei a Deo infuso collustratus operatur, & voluntas ex divina motione ita amat, & delectatur in objecto cognito, ut id semper fiat modo humano, seu vires hominis supra humanam, & consuetam cum Deo agendi, eumque cognoscendi rationem non extollente, vel elevante. Facilem modum perveniendi ad hanc contemplationem per habitum meditandi, atque divinæ gratiæ adjutorium, tradit Gersonius tom. III. tract. de Mystic. Theolog. considerat. 24. *Contemplatio*, ait, *facilitatem habet tum ex habitibus per meditationem acquisitis, tum propter abstractionem, separationemque intelligentiæ a sensibilibus, tum sæpius propter divinæ gratiæ collustrationem in divina spectacula sublevantem. Meditatio nimirum, si debite fiat, transit in contemplationem, sicut cogitatio in meditationem: facta enim sedula inquisitione veritatis, denudatis insuper per vehemens studium rerum quidditatibus ac accidentalibus circumstantiis, generatur habitus, eu frequentatione depuratur lumen intelligentiæ, fitque lucidus, quanto est tenebrositati sensualis cogitationis impermixtus.*

Contemplatio acquisita alia est per affirmationem, alia vero per negationem. Prima ea est, quæ affirmat de Deo omnes perfectiones in creaturis repertas, seu ex perfectionibus creaturarum ad easdem, & majores de eo, seclusis imperfectionibus, affirmandas procedit. Secunda vero ea dicitur, quæ negat de Deo omne, quod reperit in creaturis, vel in mentem creatam venire potest; atque in modo procedendi testatur, Deum excedere in infinitum, quidquid per eam cognoscibile est. De utraque hac contemplatione mentionem facit S. Dionysius de Myst. Theolog. cap. 1. *Ei ut causa omnium*, inquit, *ea etiam omnia, quæ in naturis dicuntur, tribuenda sunt; eademque omnia magis proprie, ac verius, ut qui omnia multum, ac longe superet.* Quandoque tamen, qui vitæ contemplativæ statum assecuti sunt, Deum contemplantur, affirmationem negationi conjungendo, ut monet S. Augustinus lib. 5. de Trinitat. cap. 5. *Intelligamus*, ait, *Deum, si possumus, sine qualitate bonum, sine quantitate magnum, sine intelligentia creatorem, sine situ præsentem, sine habitu omnia continentem, sine loco ubique totum, sine tempore sempiternum, sine ulla sui mutatione omnia facientem.*

Perfectionis excessum contemplationis per negationem, seu remotionem supra aliam per affirmationem aperit nobis S. Dionysius laudatus, illis verbis: *Magis proprie, ac verius, ut qui omnia multum, ac longe superet*: quia in hac vita magis nobis manifestatur de Deo, quid non est, quam quid est. Hic vero perfectionis contemplationis per negationem excessus perfectiorem postulat modum attingendi objectum. Quamobrem contemplatio per affirmationem Deum attingit *per speculum creaturarum, & per ænigmata similitudinum*: contemplatio vero per remotionem, *symbolis, quæ sensum movent, divina Mysteria per se nuda, & puro oculo fidei intuetur*: ut dicit sæpe laudatus S. Dionysius, qui eamdem contemplationem per remotionem amplius commendans lib. cit. de Myst. Theolog. cap. 5. inquit: *De Dei conceptu dicamus, quod neque Deus est anima, neque intellectus, nec ratio, neque intelligentia, nec dicitur, neque intelligitur, nec stat, neque movetur, nec potentiam habet, neque potentia est, neque lumen, neque vivit, neque vita est, neque substantia est, nec scientia, aut veritas, neque sapientia, nec unum, nec unitas, nec spiritus est, neque filiatio, nec paternitas, neque aliud quid nobis, nec alicui entium cognitorum, neque quid non entium, neque quid entium est, neque entia eum cognoscunt, ut ipse est, neque ratio ipsius est, neque nomen, neque agnitio, nec lumen, nec error, nec veritas, neque est universaliter ipsius positio, neque ablatio: omnia quippe incomparabiliter, ac inexcogitabiliter excedit, & nec numero, nec specie, nec genere, quidquam cum eo communicat.* Nec minus clare de contemplatione per negationem disserit S. Thomas l. 1. contra Gent. cap. 14. *Est autem*, inquit, *via remotionis utendum præcipue in consideratione divinæ substantiæ: nam omnem substantiam, quam intellectus noster attingit, sua immensitate excedit; & sic ipsam apprehendere non possumus cognoscendo, quid est, sed aliqualem habemus ejus notitiam, cognoscendo, quid non est. Tanto enim ejus notitiæ magis appropinquamus, quanto plura per intellectum nostrum ab eo poterimus removere; tanto enim unumquodque cognoscimus, quanto differentias ejus ad alia plenius intuemur.* At multo clarius ad institutum nostrum idem Angelicus docet 2. 2. quæst. 8. art. 7. in hæc verba. *Duplex est Dei visio: una quidem perfecta, per quam videtur Dei essentia; alia vero imperfecta, per quam etsi non videamus de Deo, quid est, videmus tamen, quid non est: & tanto in hac vita perfectius Deum cognoscimus, quanto magis intelligimus, eum excedere, quidquid intellectu comprehenditur. Et utraque Dei visio pertinet ad donum intellectus: prima quidem ad donum intellectus consummatum, secundum quod erit in Patria; secunda vero ad donum intellectus inchoatum, secundum quod habetur in via.* Accedit P. Joseph a Jesu Maria, qui in Ascens. anim. ad Deum lib. 1. cap. 4. hunc excellentiorum procedendi modum animæ contemplativæ per negationem egregie, ac luculenter exponit his verbis: *Di questa guisa può sollevarsi l'anima alla contemplazione divina, levando da Dio tutte l'altre cose, per perfette che siano, e considerando in esso altra perfezione infinitamente maggiore; ed insieme con ardore spogliando l'animo di tutto ciò, che per via affermativa gli figurava Dio, andarlo vestendo d'un altissimo concetto di questa divina perfezione, ed eccellenza, tanto superiore a tutto ciò, che può l'intelletto nostro inquistare di essa, che intende non essere Dio tutto quello, che egli può conoscere, ma un'altra cosa maggiore. Perchè come nella creazione delle cose, ancorchè siano le più alte, e perfette, ad esse non comunicò Dio la sua essenza, ma la somiglianza sua, conforme che ciascuna era capace: che però dice S. Dionigio de divin. Nomin. cap. 1. §. 1. e 2. che di tal maniera è comunicativo alle sue creature, che egli resta separato da tutte loro, e collocato per virtù incomprensibile sopra tutte le sostanze benchè Angeliche. Di qui viene, che quando fossimo altamente illustrati con la cognizione di tutte le creature terrene, e celesti, ci resterebbe con tuttociò occultato tutto quello, che Dio è in se stesso. Che però disse l'istesso S. Dionigio Epist. ad Cat. §. 1. Se alcuno contemplando Dio intese quello, che vide, non vide Dio, ma qualche cosa di lui, di quelle, che si ponno conoscere. Perchè Dio è sopra ogni intelletto, e sostanza: e questo non conoscere cosa alcuna, è maggior conoscimento di Dio, che conoscerlo per mezzo di tutte le cose; perch'è sopra tutte le cose, che si possono conoscere. Questo dice S. Dionigio.* Hoc eodem modo eadem divina Mysteria intuetur contemplatio infusa: utraque enim in multis convenit, licet in multis discriminentur, ut dicemus infra §. 5.

Ex his colliges, contemplationem per affirmationem, & negationem esse vere, & proprie contemplationem, non tamen actum judicii enuntiativi, sed alterius judicii: quia affirmans, vel negans de Deo aliquam perfectionem, aliquem discursum saltem virtualem habuisse deprehenditur; qui enim ex perfectione rerum creatarum ad contemplandam Dei perfectionem consurgit, ita ratiocinatur: Quæcumque perfectio Creatoris excedit in infinitum quamlibet perfectionem in creatura repertam: sed hæc perfectio, quam admiror in creatura, est in Creatore: ergo in Creatore est infinite perfectior. Et hanc perfectionem per hunc discursum inventam in Deo contemplamur; ita tamen, ut nec discursus, neque affirmatio sint contemplatio, sed actus ad affirmationem, & negationem subsecutus: nec hujusmodi contemplatio dicitur affirmativa, sed per affirmationem, quia per affirmationem habetur. Quod clarius in contemplatione per negationem ostenditur, quia hunc discursus ejusmodi præcedit: Deus est supra omne id, quod possum cognoscere: ergo omne id, quod possum cognoscere, non est Deus. Et ex hac negatione, quam adhibet sic procedens, dicitur contemplatio per negationem, non quia ipsa negatio contemplatio sit: sed quia contemplatio est actus positivus, ac terminatur, dum sic procedit ad id, quod non posse in suam mentem cadere, percipit. Et ab hoc modo, quem habet, dicitur per negationem, ut pluribus exemplis confirmari potest, quæ a modo, quo habentur, denominationem sumunt: & ita ea, quæ habentur per generationem, genita dicuntur, & quæ per creationem, creata; quin aut generatio, aut creatio actu consistat.

Contemplatio insuper acquisita etiam partitur in rectam, obliquam, & circularem. Recta dicitur, per quam anima ex creaturarum consideratione ad Dei contemplationem transit, ibique sistit. Obliqua ea est, qua ex Dei consideratione anima transit ad ejus effectus contemplandos, atque ex iis ad Deum iterum contemplandum regreditur. Circularis tandem illa est, quæ Deum vel revelatum per lumen infusum, vel naturaliter per ipsius effectus inventum uniformiter contemplatur. Observa tamen, quod quamvis in quocumque statu ex laudatis contemplationibus reperiri queat, prima nihilominus est propria incipientium, secunda proficientium, tertia perfectorum.

§. IV.

§. IV.

De donis Spiritus Sancti, & modo quo influunt in contemplationem infusam.

Cum ad contemplationem infusam, ut innuimus, concurrant potissimum dona Spiritus Sancti, intellectus scilicet, & sapientiæ, modo videndum est, quid importent ejusmodi dona, & quomodo in eam influant, ut exponamus principium *quo* contemplationis infusæ. Dona Spiritus Sancti, juxta Doctores, Mysticos, & Scholasticos, sunt quidam habitus, quibus homo disponitur ad opera virtutum exercenda, secundum quod est mobilis a Spiritu Sancto: ut videre est apud D. Thomam 1. 2. quæst. 68. art. 1. & 3. Quapropter Sanctus Bonaventura loquens de dono intellectus lib. de Don. Spirit. Sanct. cap. 3. inquit: *Est lumen supernaturale, quo velamina veritatum revelatarum penetrantur, & veritates absconditæ manifestantur: quod utique Spiritus Sanctus facit, dum donum intellectus nobis inspirat*: & cap. 4. ejusdem libri ait: *Spiritus Sanctus per donum intellectus facit nos penetrare, & contemplari omnia velamina veritatis incarnatæ, & veritatis increatæ.* Insuper S. Thomas 2. 2. quæst. 8. art. 1. ita scribit: *Dicendum, quod nomen intellectus quamdam intimam cognitionem importat. Dicitur enim intelligere, quasi intus legere. Et hoc manifeste patet considerantibus differentiam intellectus, & sensus: nam cognitio sensitiva occupatur circa qualitates sensibiles exteriores; cognitio autem intellectiva penetrat usque ad essentiam rei . . . . & lumen supernaturale homini datum vocatur donum intellectus.* Hinc patet differentia inter fidem, & donum intellectus: quia donum intellectus modificat, & perficit fidem; cum tendat ad intelligentiam, & penetrationem veritatis, non quomodocumque, sed ex quadam experientia affectiva circa res divinas: fides autem, & actus ejus non oritur ex tali experientia, sed ex nudo testimonio dicentis; unde & datur in peccatore sine gratia, sine qua tamen dari nequit donum intellectus. Secundo distinguitur a fide, & perficit eam in hoc, quod ad fidem spectat credere, sive suis assentiri veritatibus propter divinam revelationem; ad donum vero intellectus non pertinet credere formaliter, sed jam credita mente penetrare, & ab erroribus discernere. Quare distinguendum est in donis istis intellectualibus id, quod se habet regulative, & quod se habet formaliter: regulative in via se habet fides, in patria vero visio. Quatenus hic per fidem, & ibi per visionem mens unitur, & conjungitur Deo; postea per dona Spiritus Sancti mens sic illi unita, & subjecta formaliter movetur ad proprios uniuscujusque actus ex præsentia, & impulsu Spiritus agente filios Dei, & spirante quocumque voluerit. Unde S. Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 8. ait: *Virtutes Theologicæ præferendæ sunt donis Spiritus Sancti, quia per eas unitur mens Deo, & subjicitur illi: & sicut virtutes intellectuales præferuntur moralibus, & regulant eas; ita virtutes Theologicæ præferuntur donis, & regulant ea.* Si ergo universaliter dona regulantur a virtutibus Theologicis; donum quoque intellectus regulatur ab illis, & maxime a fide, quia per hanc mens unitur veritati, & testimonio divino: deinde circa res creditas formaliter movetur, & illustratur dono intellectus, ut eas penetret, & intelligat, atque ab erroribus discernat. Quare S. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 32. ait: *Donum intellectus de auditis mentem illustrat.*

Loquendo autem de dono sapientiæ, hoc consistit in qualitate quadam infusa, per quam anima intuens objectum revelatum gustat saporem dulcissimum, ac suavissimum de cognitione veritatis illius cognitæ. Hinc S. Bonaventura de sept. itiner. æternit. itinere 3. dist. 2. inquit: *Primarium contemplationis objectum est ipse Deus, sub ratione qua verum, excitativum tamen voluntatis ad ejus saporosam delectationem; & ideo sapientiæ actus est contemplari Deum, non quocumque modo, sed cum dilectione, & cum quadam suavitate experimentali in affectu.* Rursus idem Doctor Seraphicus Tract. de dono intellectus, distinctionem inter hoc, ac donum sapientiæ expendens, cap. 5. ita disserit: *Summa hujus differentiæ est, quod donum intellectus est proprie penetrativum, sed donum sapientiæ est proprie saporativum.* Consone ad hæc S. Bernardus de amore Dei cap. 10. ita scribit: *Gustum autem, qui fit in sapientia, sequitur quædam saporis dulcedo, quam in interiori suo sentiens anima, modo quodam singulari cuncta discernit, & judicat, seque & omnes sensus vegetat, & confortat.* Idem quoque tradit satis luculenter Angelicus Doctor 1. part. quæst. 43. art. 5. ad 2. ubi ait: *Hæc proprie dicitur sapientia, quasi sapida scientia, secundum illud Ecclesiastici 6. Sapientia doctrinæ secundum nomen ejus est.* Itaque sapientia, quæ est Spiritus Sancti donum, supra fidem, & contemplationem ex illa dumtaxat procedentem, addit rationem notitiæ sapidæ, seu respicientis ex se divina per modum objecti noti, & gustati, juxta illud Psal. 33. *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus*: quod non competit fidei formaliter, sed tantum radicaliter; idque præstatur ab eadem sapientia eam illustrante, & modificante. In quo convenit cum dono intellectus; distinguitur tamen ab aliis virtutibus intellectualibus, quæ, prout & fides Theologica, simul esse possunt cum caritate ordinaria incipientium, & proficientium propria. Insuper sapientiæ donum, & contemplatio ab illa procedens addit supra fidem, & contemplationem ordinariam, sive acquisitam in illa fundatam, quod fides secundum se credendo, simplicem dumtaxat habet assensum ob divinam auctoritatem, absque eo quod inquirat, vel intelligat objecta credita per causas; sique contemplatio in illa fundata ea interdum intelligat, id solum accidit modo humano. At donum sapientiæ, cum sit summa, ac suprema scientia, habet illa intelligere, & scire per altissimas causas non humano, sed divino modo; sive non cognoscendo tales causas per quidditatem earum, sed, ut notabam, per experimentalem quamdam, & affectivam unionem, quæ est communis omnibus donis Spiritus Sancti, inseparabilisque ab illis, ubi operantur ex propriis, seu ex divino instinctu, qui ita contemplantur. Nam sola fides posita in intellectu, cum non deserviat nisi ad assentiendum revelatis a Deo, non autem ad penetrandam, & cognoscendam convenientiam, & conditionem eorumdem in ratione credibilium, sive quantum digna sunt creditu, quamvis elevata supra omnem naturam debeant imprimi cordi; immo nec etiam ratio humana, quantumvis per fidem elevata, aut alias quascumque virtutes, discursibus humanis, seu secundum modum humanum procedentibus, id possit sufficienter assequi: licet enim possit credibilitas ipsa Mysteriorum fidei per discursum evidenter ostendi; attamen etiam convictus intellectus de tali credibilitate, non afficitur sufficienter ad res fidei, tum ad credendum, tum ad inhærendum eis, & operandum juxta illas; propterea requiritur, quod eadem ratio humana elevata per fidem ex aliquo interiori spiritu, & instinctu, convenientia ipsa Mysteriorum ad credendum, & amandum, ac operandum moveatur. Illustratio itaque propria doni sapientiæ, eique correspondens, est illa, qua, ut diximus, mens in contemplatione elevata cognoscit rationes credibilitatis, & congruentias Mysteriorum fidei perspicaci oculo divini amoris, & judicat de illis per altissimas causas, sive tale judicium fiat per discursum objectivum, sive ex parte rei cognitæ, aut in alio, quod frequentius accidit, estque magis accommodatum sapientiæ; sive fiat per discursum formalem, seu ex parte cognoscentis, aut ex alio, quod ipsi non repugnat ex imperfectione nostra in hac vita. Sic ergo reducentes rem ad praxim se habet in divina contemplatione ex dono sapientiæ, quod fidei prompte assentienti Mysterio ad contemplandum proposito, absque alia rationum exquisitione, simplici tantum suasione alliciendo intellectum in obsequium revelatæ sub obscuritate veritatis, talis sapientia judicium superaddit multo perspicacius, atque perfectius juxta altissimas hujusmodi veritatis, aut Mysterii causas, rationes, & convenientias; ita ut mens contemplantis rerum sublimitate aliquando obruatur, & in quamdam sensim admirationem rapiatur, quæque inde sequitur in appetitu rationali oblectatio, & sapor exsuperans omnem sensum, soleat etiam redundare, cum est vehementior, in appetitum sensitivum. Objicies. Si modo hactenus explicato dona Spiritus Sancti modificando, & illustrando fidem Theologicam influerent in contemplationem infusam, idem esset credere, ac contemplari. Hoc autem dici non potest. Ergo non modo superius exposito dona Spiritus Sancti influunt in contemplationem infusam. Major est certa, quia actus fidei Theologicæ etiam donis illustratæ est credere; & ideo S. Augustinus, & cum eo omnes Theologi, actum fidei nihil aliud esse docent, quam *credere, quod non vides*. Ergo idem esset credere, ac contemplari.

Respondeo, distinguendo majorem. Idem esset credere absolute, & simpliciter sumptum, ac contemplari; nego majorem: idem esset credere illustratum donis Spiritus Sancti, ac contemplari, concedo majorem, & distinguo minorem. Non potest dici, quod credere absolute, & simpliciter sit contemplari; concedo minorem: quod credere illustratum donis Spiritus Sancti non sit contemplari; nego minorem, & consequentiam. Quamquam verum sit, quod credere absolute, & simpliciter sumptum non sit contemplari; immo sit ab eo separabile; non tamen credere illustratum donis Spiritus Sancti: unde non bene arguitur ex eo, quod credere simpliciter sit separabile a contemplatione, etiam credere illustratum donis Spiritus Sancti non sit contemplari, atque a contemplatione sejunctum. Exemplo res fiet clarior. Certum est, intelligere simpliciter tale non esse dictionem, immo ab ea posse separari; non vero intelligere secundum:

quia

quia intelligere absolute sumptum competit intellectui, ut intellectus est; at dicere convenit intellectui, ut fecundus est. Hæc doctrina fundamentum habet in S. Bonaventura, qui in suo Breviloquio 5. part. cap. 4. & seq. ut notat Thomas a Jesu lib. 1. de orat. divin. cap. 4. tres gradus fidei infusæ distinguit. *Primus est credere simpliciter*. Ecce credere, de quo loquitur argumentum, absolute, & simpliciter sumptum. *Secundus intelligere, & penetrare credita*. Animadverte fidem non tantum credentem, sed intima penetrantem, quod præstat fides donis illustrata. *Tertius videre intellecta*. Quomodo autem hæc ab eadem fide Theologica procedant, ita exponit Seraphicus Doctor: *In primo gradu reædificatur anima per virtutes Morales, & Theologales: in secundo per habitus donorum redditur expedita: in tertio vero per habitus beatitudinum dicitur videre intellecta juxta illud: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Quamobrem credere absolute, quod est primus actus, non est contemplatio; sed credere illustratum contemplatio est, qui est secundus gradus; & credere magis illustratum, quod est perfectius contemplari.

Instabis. Omnes justi in via habent gratiam sanctificantem, ac per consequens etiam dona Spiritus Sancti, proindeque fidem donis illustratam: ergo habiles essent ad contemplandum. Consequentia sequitur, quia supposito principio elicitivo divinæ contemplationis, datur habilitas ad contemplandum. Sed non omnes justi habent habilitatem ad contemplandum. Ergo falsum est, quod fides donis Spiritus Sancti illustrata influat in contemplationem.

Respondeo, distinguendo consequens. Omnes justi in via essent habiles cum requisita expeditione ad contemplandum; nego: sine requisita expeditione ad contemplandum; concedo, & explico distinctionem. Quamquam omnes justi, per fidem donis Spiritus Sancti illustratam, habeant principium quo proxime elicitivum divinæ contemplationis, non tamen requisitam habent expeditionem; unde mirum non est, quod non omnes justi possint contemplari.

Urgebis. S. Bonaventura loco citato asseruit, animam reddi expeditam ad contemplandum per dona Spiritus Sancti: *in secundo* anima *per habitus donorum redditur expedita*. Ergo cum omnes justi habeant gratiam sanctificantem, & fidem infusam illustratam donis Spiritus Sancti, habiles sunt ad contemplandum.

Respondeo, verum esse, animam habere per dona expeditionem ex parte principii quo proximi contemplationis; cæterum ut omnino habilis sit ad eum actum eliciendum, alia expeditio exigitur ex parte animæ, qua deficiente, anima omnino habilis non est ad contemplationem. Si quæras, in quo hæc expeditio consistat ex parte subjecti, seu animæ, ad contemplationem eliciendam? respondet S. Bonaventura de itiner. dist. 4. art. 1. *Oportet, quod mens, quæ Deum vult contemplari, primum purgetur, postea illuminetur, & deinde perficiatur; quia nisi præcederet purgatio, non sequeretur illuminatio*. Hoc ut clarius intelligas, observa, contemplationem dupliciter posse considerari. Primo, ut est propria status contemplantis; de qua contemplatione nos loquimur cum S. Bonaventura. Secundo, ut non est propria talis status: & hoc modo accepta non exigit expeditionem ex parte principii; ideoque aliquando imperfectis conceditur, quæ perfectis solet denegari, ut diximus Dissertat. V. §. 4.

Quæres. An etiam in contemplationem acquisitam influant aliquo modo dona Spiritus Sancti, sapientiæ, & intellectus? Fundamentum dubitationis est, quia omnes Mystici contemplationem infusam tantum, ex hujusmodi donis resultantem agnoscunt. Attamen dicendum est, in contemplationem acquisitam influere aliquo modo donum sapientiæ, & intellectus, ut expresse docet D. Thomas 2. 2. quæst. 45. art. 5. ubi inquit, omnibus gratiam sanctificantem habentibus concedi donum sapientiæ ad contemplationem divinorum; quod de contemplatione acquisita intelligendum est, quæ communis esse potest omnibus justis, licet quibusdam in altiori gradu concedatur, ut ibidem prosequitur Angelicus Doctor, quod de illis, qui contemplatione infusa donantur, explicandum est. Idem docet de dono intellectus ibidem quæst. 8. art. 4. ubi probat, donum intellectus omnibus habentibus gratiam gratum facientem communicari; & generatim 1. 2. quæst. 68. art. 2. docet, non sufficere virtutes Theologicas in ordine ad finem ultimum supernaturalem, nisi desuper adsit instinctus, & motio Spiritus Sancti, qui habetur per dona. Licet enim in eminenti gradu communicata ejusmodi dona influant in contemplationem infusam; hoc tamen non excludit, ut dicemus §. sequenti, quod aliquo modo, licet diverso ab influxu contemplationis infusæ, concurrant ad acquisitam: de quo præclare disserit P. Dominicus a Sanctissima Trinitate Carmelita Discalceatus in sua Theologia Mystica lib. 7. sect. 5. cap. 4. §. 1.

§. V.

In quibus conveniant, & differant contemplatio infusa, & acquisita.

Quamquam ex dictis superius constare possint ea, in quibus conveniant, & differant contemplatio acquisita, & infusa; inutile tamen prorsus non erit ea omnia singillatim ad completam, uberioremque notitiam fusiori calamo declarare. Ambæ itaque contemplationes conveniunt I. in essentialibus naturalibus: ambæ enim exigunt actus intellectus, & voluntatis, videlicet simplicem intuitum objecti revelati, & dilectionem, delectationemque ejusdem. Conveniunt II. in subjectis earum: ambæ enim subjectantur in eisdem potentiis immediate, intellectu scilicet, & voluntate; quia actus vitales in eisdem potentiis recipiuntur, a quibus eliciuntur, cum sint immanentes. Conveniunt III. in aliquibus subjectorum dispositionibus tam extrinsecis, quam intrinsecis: quia utrique contemplantes debent esse exercitati in vita activa, seu exercitio virtutum moralium. Utrique contemplantes pariter debent esse exercitati in meditatione, ac lectione, regulariter loquendo; nam posset Deus aliter disponere. Utrique debent esse in vita purgativa aliquantum probati; ideo diximus in aliquibus dispositionibus, quia plures, & majores prædictorum exercitationes, ut dicemus, requiruntur in contemplativis per infusam, quam in contemplativis per acquisitam contemplationem. Idem de intrinsecis dispositionibus patet, quia in utrisque requiritur munditics cordis, seu status gratiæ, motivum caritatis, auxilium Dei efficaciter moventis, & adjuvantis, illustratio aliqua in intellectu, & inflammatio quædam in voluntate; licet major exigatur illustratio & inflammatio pro infusa, quam pro acquisita: & demum actuum virtutum Theologicarum exercitium. Conveniunt IV. in objectis contemplabilibus, licet ad plura se extendat ex Dei favore infusa, quam acquisita: nam omnia revelata, ut dicemus, & per fidem credita, sive credenda, attingere potest contemplatio tam infusa, quam acquisita, eaque simplici, ac firmo intuitu intueri, & affectu prosequi cum ordine ad Deum, si creata sint; immediate vero, si divina sint. Dixi, ad plura se extendere infusam: quia Deus in hac aliquando revelat, & ostendit aliqua nova, nondum revelata, spectantia vel ad bonum privatum contemplantis: vel alterius personæ, aut etiam ad bonum publicum agendum: vel si illa, quæ aperit, jam revelata sunt; cum aliqua tamen nova, ac nondum revelata circumstantia ostendit, seu revelat in infusa. Conveniunt demum regulariter in mediis cognoscendi, seu intuendi objecta; quia utrique contemplantes cognoscunt, seu intuentur objecta non in seipsis, sed in speciebus ea repræsentantibus, intelligibilibus, seu imaginariis: si enim materialia sint objecta contemplanda, in imaginariis; si vero pure spiritualia, in intelligibilibus, ut dicetur suo loco.

Differunt tamen I. hæ duæ species contemplationis; quia regulariter infusa requirit in subjecto contemplante multo plures dispositiones, quam acquisita: nempe, ut per viam purgativam transierit, ac per multum temporis sese exercuerit in ea, donec motus concupiscentiæ, & iracundiæ domuerit, & per omnium virtutum moralium exercitium carnem, seu sensum rationi subjecerit, omniumque rerum, famæ, honoris, & gloriæ mundanæ desiderium compresserit; quæ quidem dispositiones non omnes sunt necessariæ in acquisita, sed aliquæ, & aliquatenus sufficiunt.

Differunt II. quia in acquisita homo proprio labore, & magna cum difficultate, prævia lectione, vel meditatione alicujus veritatis revelatæ, avocat sese a cogitatione aliarum rerum, ac animum intendit ad firmiter, & simpliciter intuendam illam, ac amandam; at in infusa homo etiam sine lectione, aut sine meditatione, sine suo studio, aut labore a Deo removetur a cogitatione omnium aliarum rerum, & ab eodem applicatur, ac detinetur sic applicatus, ad intuitum, & amorem alicujus divini objecti, cum admiratione, & delectatione.

Differunt III. quia lumen fidei cum auxilio supernaturali sufficit pro acquisita ad intuendum, & amandum objectum revelatum; at pro infusa hæc non sufficiunt, sed lumen majus concurrit, & quidem adeo magnum, ut interdum intellectus quodammodo offundatur a gloria, & lumine, ac sese non capiat, & simul ab eodem corroboretur.

Differunt IV. quod pro infusa Deus concedat animæ duo dona Spiritus Sancti in gradu eminenti, nempe donum intellectus, & donum sapientiæ, ut vidimus supra, quæ dona effective concurrunt cum potentiis, intellectu scilicet, & voluntate, ad contemplationem; at pro contemplatione acquisita Deus eadem dona non largitur, saltem in gradu eminenti.

Diffe-

Differunt V. quod in acquisita raro, vel numquam accidunt extases, vel alienationes perfectæ a sensibus omnibus; at in infusa sæpissime eveniunt.

Differunt VI. ex parte specierum, quia deservientes acquisitæ non solum sunt naturales quoad entitatem, sed etiam quoad modum, ex propria industria a phantasmatibus abstractæ, modoque connaturali ad contemplandum applicatæ; infusa vero utitur speciebus supernaturalibus, vel quoad entitatem, vel quoad modum, sive quia præexistentes naturales modo supernaturali ordinantur, sive quia de novo specialiter infunduntur, de quibus infra dicemus Dissert. seq. §. 3.

Differunt VII. in modo attingendi suum objectum, quia contemplatio infusa clarius, & perfectius illud attingit, quam acquisita: & ideo hæc dicitur speculatio, quia per ænigmata procedit, in speculo suum objectum cognoscendo; infusa autem absolute dicitur contemplatio, quia non jam ut a phantasmatibus repræsentatum, sed illud nudum, & apertum attingit: & sic ad cognoscendum dirigunt oculos suæ mentis, qui ad intima objecti ejusmodi penetranda elevati, jam non solo extrinseco divinæ revelationis testimonio contenti, altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei venerantur. Quamobrem S. Bonaventura de sept. itinerib. æternit. itin. 3. dist. 3. ait: *Quamvis contemplatio, & speculatio pro invicem soleant poni, & in hoc sæpe Scripturæ sententiæ proprietatem obnubilent, & involvant: apertius tamen, & expressius speculationem dicimus, quando per speculum cernimus; contemplationem vero, quando veritatem sine aliquo involucro, umbrarumque velamine in sua puritate videmus.* Idem docet S. Thomas in 3. dist. 34. quæst. 1. art. 2. *In his*, inquit, *quæ supra rationem sunt, perficit fides, quæ est inspectio divinorum in speculo, & ænigmate. Quod autem spiritualia quasi nuda veritate capiantur, supra humanum modum est; & hoc facit donum intellectus.*

Differunt VIII. quia acquisita valde distat ab unione mystica animæ cum Deo, in qua consistit perfectio, & beatitudo, quæ obtineri potest a Deo in hac vita mortali; at infusa est valde proxima hujusmodi unioni, immo est via regulariter, ut ad eam perveniamus.

Differunt IX. quod in acquisita nec statim, nec in magno aliquo gradu percipitur suavis, ac dulcis sapor, & jucunditas, quæ gustatur in infusa, eo quia in ejusmodi contemplativis adhuc frenati non sunt animi motus, nec communicentur eis in gradu eminenti dona Spiritus Sancti; at in infusa oppositum accidit, quia ea non conceditur nisi perfecte purgatis: & sic nulla in ei est molestia, nulla repugnantia, sed perfecta subjectio rationi, & Deo eam regenti: insuper communicantur in gradu eminenti dona Spiritus Sancti, ex quibus suavitas, dulcedo, & delectatio magna proveniunt.

Differunt X. quod pro comparanda contemplatione acquisita plures traduntur regulæ, & instructiones, quæ si diligenter observentur, pervenitur, cum aliquo tamen labore, ad hujusmodi contemplationem habendam; at pro infusa nullæ assignari queunt regulæ, & instructiones, per quas certo, & infallibiliter animæ perducantur ad illam, sed Deus pro sua benignitate concedit eam, cui vult, & quando vult: & licet vita activa etiam perfecta, ipsaque contemplatio acquisita sint dispositiones, ex quibus Deus moveri posset ad concedendam infusam; attamen nec infallibiliter, nec necessario perducunt ad illam: ideo rarissimi sunt, qui ad contemplationem infusam pertingant.

Differunt XI. quia in acquisita homo non ita supra se extollitur, & extra se rapitur, ut, dum in ea moratur, nihil aliud, neque seipsum cogitare possit, nec reflectere supra suos actus; at hoc accidit in infusa, in qua homo versatur cum magna oblivione omnium aliarum rerum, ac etiam sui ipsius, nec potest reflectere supra seipsum, & supra suos actus.

Differunt XII. quod post actum contemplationis acquisitæ potest homo recordari eorum, quæ contemplatus est, aliisque narrare; at post actum infusæ, qui eam assecutus est, raro recordatur de iis, quæ vidit, vel expertus est, & multo minus potest ea aliis narrare: de quo videatur S. Joannes a Cruce lib. 2. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 4. §. *Altre volte*.

Differunt tandem XIII. quia modus operandi contemplationis acquisitæ humanus est, prout sunt actus meditandi, credendi, sperandi &c. qui licet infusi sint quoad substantiam, quoad modum tamen humani sunt, & connaturali modo eliciuntur; at modus operandi infusæ est supra naturam, actusque ex illa procedentes supernaturales sunt, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad modum; ideoque de evectis ad contemplationem infusam dicitur ad Rom. 8. *Qui Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei:* nam a Deo anima in tali statu abstrahitur a consideratione aliarum rerum, & ab ipso rapitur, & applicatur ad intuitum objecti revelati, & amorem illius, atque ab eodem in ejus intuitu, & amore detinetur, quantum ei placuerit.

DISSERTATIO VIII.

De Objecto, & Speciebus Divinæ Contemplationis.

NE nobis in oceanum divinæ contemplationis vorticibus undequaque repletum ingressis, iter susceptum ad portum feliciter assequendum obruatur, vel retardetur, necessario agendum est primo de ejusdem objecto tam infusæ, quam acquisitæ. Licet vero objectum plurima sub se contineat, in quæ dividitur, de quibus disserit S. Thomas 1. p. quæst. 1. art. 3. & 2. 2. qu. 1. art. 1. nos tamen arma paraturi ad pugnandum contra Pseudo-Mysticos, solum ad controversiam revocabimus objectum *quod* cujuslibet contemplationis divinæ; necnon objectum *quo*, seu rationem formalem *sub qua* dictum objectum attingitur: deinde de speciebus contemplationi supernaturali deservientibus.

§. I.

Statuitur objectum quod divinæ contemplationis.

DIcendum est primo, objectum *quod* principale divinæ contemplationis tam infusæ, quam acquisitæ esse Deum Trinum, & Unum cum suis attributis, & perfectionibus. Ita Dionysius Carthusianus de Fonte luc. art. 11., Card. Brancatus opusc. 3. cap. 13. & opusc. 7. cap. 6. Dominicus a SS. Trinitate in sua Theolog. Myst. sect. 5. cap. 9. Prob. I. Objectum contemplationis præcipuum hujus vitæ est illud, quod erit principale objectum visionis intuitivæ in Patria. *Per contemplationem* (inquit S. Thomas 2. 2. qu. 180. art. 4.) *fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continuetur.* Objectum vero visionis intuitivæ in Patria erit Deus Trinus, & Unus cum suis attributis, & perfectionibus, ut habetur ex Concilio Florentino in Instruct. Armenorum. Ibi enim videbimus Deum intuitive, quia videbimus, sicuti est. Deus autem est Trinus, & Unus, immensus, omnipotens, misericors, & justus &c. Ergo objectum contemplationis præcipuum in via non est sola essentia nuda, & abstracta a Personis, & attributis, sed divina essentia cum suis proprietatibus personalibus, & essentialibus.

Probatur II. auctoritate Sancti Bernardi, qui libr. 5. de considerat. ad Eugenium in fine luculenter demonstrat, contemplationem non extendere dumtaxat sese ad divinam essentiam, sed etiam ad attributa divina tamquam ad præcipuum suum objectum. *Adverte*, inquit S. Doctor, *in quatuor istis, contemplationis species quatuor. Prima, & maxima contemplatio est admiratio Majestatis; hæc requirit cor purgatum, ut a vitiis liberum, & exoneratum peccatis facile ad superna levet, & interdum quoque vel per aliquas morulas stupore, & extasi suspensum teneat admirantem. Secunda autem species accessoria est huic: est enim intuens judicia Dei, quo sane pavido aspectu intuens judicia Dei, dum vehementius concutit intuentem, fugat vitia, fundat virtutes, initiat ad sapientiam; virtutum siquidem bonum, ac stabile fundamentum humilitas. Tertia contemplatio occupatur, vel potius otiatur circa memoriam beneficiorum, & ne dimittat ingratum, sollicitet memorantem ad amorem benefactoris:, de talibus dicitur Psal. 144. Memoriam abundantiæ suavitatis tuæ eructabunt. Quarta, quæ retro sunt, obliviscens, in sola requiescit expectatione promissorum; quæ, cum sit consideratio æternitatis, longanimi-*

pimitatem alit, & perseverantia dat vigorem. Pato, quatuor hae nostra quatuor illis Apostolum assignare, dum longitudinem comprehendit consideratio promissorum, latitudinem recordatio beneficiorum, sublimitatem contemplatio Majestatis, & profundum inspectio judiciorum. Ad quæ verba S. Bernardi S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 4. ad 2. inquit. *Dicendum, quod ex consideratione judiciorum manuducitur homo in contemplationem divinæ justitiæ; ex consideratione autem divinorum beneficiorum, & promissorum manuducitur homo in cognitionem divinæ misericordiæ, seu bonitatis, quasi per effectus exhibitos, vel exhibendos.* Vides, quod ex verbis utriusque Sancti Doctoris clare eruitur, contemplationem hujus vitæ habere pro objecto non solam, ac puram divinam essentiam, verum & attributa, & perfectiones essentiales. Rursus idem S. Bernardus Homilia infra Octavam Epiphaniæ ait. *Sunt enim multa genera contemplationis, ac spiritualium visionum, quæ tamen omnia vel ad Dei sapientiam, vel ad Dei benignitatem pertinere noscuntur: nam si cogitetur Deus respectu omnium, ut causa quorumdam, ut sint, quorumdam autem, ut rationales, & sapientiæ capaces sint, multorum etiam, ut beati sint; primum potentiæ, alterum sapientiæ, ultimum adscribam bonitati,* & post pauca: *Ego in rerum creatione contemplamur potentiam, in forma sapientiam, bonitatem in usu.* En iterum ex Sancto Bernardo, divina attributa esse objectum contemplationis.

Probatur III. auctoritate Richardi a S. Victore libr. 1. de contemplat. cap. 6. ubi distinguit sex species contemplationis, & assignatit quatuor speciebus, subdit in hunc modum. *Quinta autem est supra rationem, quando ex divina revelatione cognoscimus ea, quæ humana ratione comprehendi non possunt; puta, attributa, & divinas perfectiones. Sexta autem est supra, & præter rationem, quando scilicet ex divina illuminatione cognoscimus ea, quæ humanæ rationi repugnare videntur, sicut ea, quæ dicuntur de Mysterio Trinitatis.* Ad quæ verba Sanctus Thomas ubi supra ad 3. ait. *In quinto gradu ponitur contemplatio intelligibilium, quæ per sensibilia inveniri non possunt, sed per rationem capi possunt: in sexto gradu ponitur consideratio intelligibilium, quæ ratio nec invenire, nec capere potest, quæ scilicet pertinent ad sublimem contemplationem divinæ veritatis, in qua finaliter contemplatio perficitur.* Ex. S. Thoma igitur contemplatio hujus vitæ sese extendit ad attributa, & perfectiones divinas, quæ per sensibilia inveniri non possunt, sed per rationem percipi queunt. His addas, quod contemplatio nostra perficitur in contemplatione Sanctissimæ Triadis; quæ abs dubio est contemplatio sublimis, cum nec ratione inveniri, nec concipi queat: proinde contemplatio præsentis vitæ sese extendit ad divina attributa, & perficitur in contemplatione Trinitatis. Objectum igitur præcipuum nostræ contemplationis erit Deus Trinus, & Unus cum suis attributis, & perfectionibus.

Probatur IV. auctoritate D. Bonaventuræ, qui in tractatu Parvum bonum cap. 3. ita præclare scribit ad nostrum institutum. *Nota, quod aspectus veritatis debet esse erectus ad incomprehensibilia; & hæc sunt Mysteria Summæ Trinitatis, ad quæ erigimur contemplando ea: & hoc dupliciter, vel per positionem, vel per ablationem; primum ponit Augustinus, secundum Dionysius. Per positionem primo intelligimus in divinis esse quædam ut communia, quædam ut propria, quædam sunt appropriata, quædam sunt media inter hæc, & illa. Intellige ergo, & contemplare, si potes circa Deum communia, & vide, quoniam Deus est essentia prima, natura perfecta, vita beata quæ necessariam habent consequentiam. Iterum intende, & vide, si potes, quoniam Deus est æternitas præsens, simplicitas replens, subtilitas movens, quæ similiter consequentiam habent, & connexionem naturalem. Postremo attende, & vide, quoniam Deus est lux inaccessibilis, mens invariabilis, pax incomprehensibilis, quæ non tantum essentiæ unitatem, sed etiam includunt perfectissimam Trinitatem, quæ sunt propria divinarum Personarum.* Deinde subdit prædicata tum propria, tum appropriata eisdem divinis Personis. Quare ex S. Bonaventura contemplatio hujus vitæ vendicat sibi pro objecto primario non solum divina attributa, & perfectiones, sed etiam Trinitatem Personarum.

Sed audire placet Dionysium Carthusianum, qui in tract. de Font. luc. c. 11. Mysterium Sacrosanctæ Triadis objecto primario divinæ contemplationis manifeste adjudicat in hæc verba. *Quamvis species contemplationis a diversis diversimode assignentur, ista tamen, quam modo indicam, rationabilior, convenientiorque videtur: itaque prima species contemplationis est supernaturalis contemplatio adorandæ, atque altissimæ Trinitatis; cujus contemplationem supernaturalem appello, quia ex naturali ratione Trinitas Personarum in Deo numquam hominibus patuit, sed ex divina revelatione primo innotuit.* Ibique explicat Mysterium Trinitatis contemplandum, postea vero prosequitur in hunc modum. *Secunda species contemplationis est vera, ac simplicissimæ Deitatis speculatio naturalis: & hanc nomino naturalem, non quod naturalis, ac acquisitæ sapientiæ sit actus, aut sine caritate, & gratia queat haberi, sed quoniam ea de Deo conspectat, quæ per naturalem possunt rationem cognosci; ut quod Deus sit ens primum, æternum, incausatum, independens, perfectum, infinitum, immateriale, simplicissimum, adorandum, prima causa omnium gubernativa.* Ibique prosequitur exponere modum contemplandi divinas Personas, & attributa. Proinde juxta sensum hujus extatici Carthusiani objectum primarium contemplationis divinæ non puram dumtaxat complectitur essentiam Dei, sed attributa quoque, ac divinas perfectiones.

Dices. S. Joannes a Cruce (cujus auctoritate non raro plurimum abutuntur Pseudo-Mystici) pluries docet, divinam contemplationem consistere in *attentione, sive cognitione affectiva ad Deum præsentem generali, & indistincta, confusa, & pacifica*, ut eruitur præcipue ex lib. 2. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 14. Objectum igitur principale contemplationis erit sola divina essentia abstractive concepta sine attributis, & personis Divinis.

Ut perspectum habeas sensum verborum S. Joannis a Cruce, notes velim cum Eminentissimo Brancato opusc. 3. cap. 15. ex doctrina omnium Mysticorum, duobus modis posse Deum concipi in divina contemplatione, scilicet sub conceptu positivo, & sub conceptu negativo: sub conceptu quidem positivo concipimus Deum, quando illum contemplamur ut ens perfectissimum, sapientissimum, justissimum, immensum, Unum, & Trinum; sub conceptu vero negativo, quando illum consideramus ut non ens, sicut cætera entia creata, non perfectum perfectione nostra, non sapientem sapientia creaturarum. De quo mirifice S. Dionysius Areopagita Mysticorum omnium facile Parens in lib. de Myst. Theolog. cap. 5. ita disserit in hæc verba. *De Dei concepta dicamus, quod neque Deus est anima, neque intellectus, nec ratio, neque intelligentia, nec dicitur, neque intelligitur, nec stat, neque movetur, nec potentiam habet, neque potentia est, neque lumen, neque vivit, neque vita est, neque substantia est, nec scientia, aut veritas, neque sapientia, nec unum, nec unitas, nec spiritus est, neque filiatio, nec paternitas, neque aliud quid nobis, nec alicui entium cognitorum, neque quid non entium, neque quid entium est, neque entia eum cognoscunt, ut ipsa est, neque ratio ipsius est, neque nomen, neque agnitio, nec lumen, nec error, nec veritas, neque est universaliter ipsius positio, neque ablatio: omnia quippe incomparabiliter, ac inexcogitabiliter excedit, & nec numero, nec specie, nec genere quidquam cum eo communicat.* Ex qua præclarissima S. Dionysii doctrina compertum habes, nullum omnino conceptum, quem ex creaturis formare possumus de Deo, adæquate Deum explicare.

Consonat magno Areopagitæ S. Thomas libr. 1. contra Gentes cap. 14. ubi hunc modum cognitionis divinæ per remotionem, seu negationem mirifice exponit in hæc verba. *Est autem via remotionis utendum præcipue in consideratione divinæ substantiæ: nam omnem substantiam, quam intellectus noster attingit, sua immensitate excedit, & sic ipsam apprehendere non possumus, cognoscendo quid est, sed aliqualem ejus habemus notitiam, cognoscendo quid non est. Tanto enim ejus notitiæ magis appropinquamus, quanto plurima per intellectum nostrum ab eo poterimus removere; tanto enim unumquodque cognoscimus, quanto differentias ejus ad alia plenius intuemur.* Et 2. 2. quæst. 8. art. 7. inquit idem S. Doctor. *Duplex est Dei visio: una quidem perfecta, per quam videtur Dei essentia; alia vero imperfecta, per quam etsi non videamus de Deo, quid est, videmus tamen, quid non est. Et tanto in hac vita Deum perfectius cognoscimus, quanto magis intelligimus eum excedere, quidquid intellectu comprehenditur. Et utraque Dei visio pertinet ad donum intellectus: prima quidem ad donum intellectus consummatum, secundum quod erit in Patria; secunda vero ad donum intellectus inchoatum, secundum quod habetur in via.* Proinde in contemplatione Dei sub conceptu negativo concipimus Deum cognitione quadam generali, indistincta, & confusa; quia eum concipimus super omnes res imaginabiles, & cognoscibiles, concipiendo id quod non est, non vero id quod est, & sic ei quasi ignoto conjungimur, ut ait S. Thomas 1. part. quæst. 12. art. 13. ad 1.

Quibus prænotatis, dicendum, ad verba S. Joannis a Cruce, ubi docet, contemplationem consistere in *cognitione affectiva Dei generali, indistincta, & confusa*, Sanctum loqui de contemplatione Dei sub conceptu negativo, quam Mystici etiam vocant contemplationem in caligine (de qua S. Thom. in 4. sent. dist. 5. art. 2.) quia in ipsa non habemus cognitionem distinctam, & particolarem de Deo, ejusque attributis, & perfectionibus, sed generalem dumtaxat, confusam, & indistinctam. Hinc S. Theresia, cujus sensu, ac spiritu seraphico plene imbutus erat S. Joannes a Cruce, loquens de hujusmodi contemplatione in caligine, & sub conceptu negativo, cap. 18. suæ Vitæ ait: *Qui non ci è sentire, ma tutto è godere, senza intendere quello, che si gode; s'intende, che si gode un bene, che*

contiene in se tutti i beni insieme, ma non si comprende questo bene. Ubi est advertendum, quod, quando ait Sancta Virgo, non comprehendi hujusmodi bonum, negare non vult dumtaxat comprehensionem Dei, quam ipsismet Beatis in Patria intuitive Deum spectantibus merito denegant Theologi, sed etiam cognitionem distinctam, & particularem, quæ in contemplatione hujusmodi non habetur: at hoc non obstante, dari potest contemplatio sub conceptu positivo, ubi divinas perfectiones, attributa, & Personas distincte, ac peculiariter, quantum fas est in hac vita, per speciale lumen infusum, & phantasma in imaginatione divinitus efformatum aliquando cognoscimus, ut observat S. Thomas ibidem in corp. ad hæc verba. *Lumen naturale intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti, & interdum etiam phantasmata in imaginatione hominis formantur divinitus magis exprimentia res divinas, quam ea, quæ naturaliter a sensibilibus accipimus*. Unde idem S. Joannes sermonem instituens de hujusmodi contemplatione sub conceptu positivo cum cognitione distincta, & particulari divinitus infusa, quantam capere potest homo in hac mortali vita, in Cantico, cui titulus, *Exercitium amoris inter animam, & Christum Sponsum*, cant. 37. ait. *Dice la Sposa in questa stanza, che dopo essere entrata più addentro in questa sapienza andranno a conoscere i Misterj di Dio Uomo, che sono più alti in sapienza, ed ascosi in Dio, e che quivi l'anima s'ingolferà, ed internerà in essi, e godranno, e gusteranno il gaudio, e sapore, che causa il conoscimento di quelli degli attributi di Dio, e sue virtudi, che per mezzo di essi si scuoprono in Dio, come sono giustizia, misericordia, sapienza &c*. Et post pauca: *Li granati significano i divini Misterj di Cristo, gli alti giudizj di Dio, le virtù, e gli attributi, che dalla notizia di questi si conoscono in Dio*. Quid clarius, quid validius in medium produci poterat ex eodem S. Joanne ad demonstrandam in divina contemplatione cognitionem distinctam, & peculiarem Mysteriorum Dei, perfectionum, & attributorum divinorum, divinarumque Personarum? Quamobrem luculentissime infertur, non in omni contemplatione haberi cognitionem de Deo, & divinis confusam, indistinctam, & generalem. Præterea idem S. Joannes a Cruce in Cantico, cui titulus, *Flamma amoris vivi*, cant. 3. ait. *O lampade di fuoco, supponendo prima, che le lampade hanno due proprietà, che sono dar luce, ed ardere: per intendere questo verso si deve notare, che Iddio nel suo unico, e semplice essere, è ogni virtù, e grandezza de' suoi attributi, perciocchè è onnipotente, e savio, e buono, e misericordioso, e giusto, e forte, ed amoroso, ed altri attributi, e virtudi, che qua non conosciamo di lui; ed essendo esso tutte queste cose, quando stando unito con l'anima, gli piace di scoprirsele in alcuna molto particolar notizia, conosce ella in lui tutte queste virtù, e grandezze in un unico, e semplice essere perfetta, e profondamente, secondo la compatibilità, che qua ha con la fede. E siccome ciascuna di queste è l'istesso essere di Dio, che è Padre, Figlio, e Spirito Santo, essendo ciascuno attributo di questi il medesimo Dio, ed essendo Dio infinita luce, ed infinito fuoco divino; quindi è, che secondo ciascun attributo di questi arde, e riluce come vero Dio: e così secondo queste notizie, che quivi l'anima in unità ha conosciuto, è a lei il medesimo Dio molte lampade, poichè di ciascuna ha notizia, e ciascheduna nella sua maniera le dà caldo di amore*. Et post pauca addit: *Imperciocchè lo splendore che le dà questa lampada, in quanto è onnipotenza, le reca luce, e calor di amore di Dio, in quanto è onnipotente; e secondo questo già Dio è all'anima lampada di onnipotenza, che riluce, ed arde secondo questo attributo: e lo splendore, che le dà questa lampada, in quanto è sapienza, le reca calore di amore di Dio, in quanto è savio; e così degli altri attributi. Perchè la luce che le dà di ciascuno di questi attributi, cagiona insieme all'anima calore di amore di Dio, in quanto è tale; e così Dio è all'anima in quest'alta comunicazione, e saggio (che a mio parere è delle maggiori, che le può fare in questa vita) d'innumerabili lampade, che le danno luce, ed amore*.

Quæ cum ita sese habeant, quis plane non intelligat, Sanctum Joannem a Cruce aliquando agnoscere in contemplatione cognitiones distinctas, & peculiares divinorum attributorum, & virtutum? Proinde inconsequenter adstruitur, in quavis contemplatione non haberi de Deo nisi cognitionem indistinctam, confusam, & generalem, sed solum illa particulari contemplatione in caligine, & sub conceptu negativo.

Dicendum est secundo, Humanitatem Christi, ejusque Mysteria pertinere ad objectum *quod* divinæ contemplationis tam acquisitæ, quam infusæ.

Pro dilucidatione simul, & probatione hujus doctrinæ adeo inter Doctores Mysticos receptæ, ut oppositum asserere plane erroneum sit, advertendum est, Humanitatem Christi, ejusque Mysteria posse in oratione repræsentari vel imaginario, vel intellectuali modo. Imaginario modo repræsentantur, quando principaliter operante phantasia, & efformante in se distinctam Christi imaginem, vel instrumentorum Passionis ejus, vel locorum, in quibus passus est, quoad eorum figuram, & alias conditiones materiales, sensibiliter ei illa omnia consideranda exhibentur, ipsaque illis applicatur: ex qua applicatione, præsertim si fuerit vehemens, non potest non impediri, aut saltem retardari operatio intellectiva. Nam (ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 77. art. 1.) *cum omnes potentiæ animæ in una essentia animæ radicentur; necesse est, quod quando una potentia intenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur*. Repræsentantur vero intellectualiter, cum omnia prædicta, & similia, beneficio intellectus agentis a suis conditionibus materialibus depurata, per species intelligibiles, inde ab ipso principaliter, instrumentaliter autem ab imaginatione productas in intellectu possibili, intellectualiter cognoscuntur, ac redduntur proprium ejus objectum. Ut enim recte docet S. Thomas 1. p. quæst. 86. art. 1. ad 3. *Singulare non repugnat intelligenti, inquantum est singulare, sed inquantum est materiale; quia nihil intelligitur nisi immaterialiter. Et ideo si sit aliquod singulare, & immateriale, sicut est intellectus, hoc non repugnat intelligenti*: & quæst. 10. de verit. art. 4. ad 4. ait. *Quamvis in mente non sint nisi immateriales formæ, possunt tamen esse similitudines rerum materialium. Non enim oportet, quod ejusmodi esse habeat similitudinem, cujusmodi est id, cujus est similitudo; sed solum, quod in ratione conveniat: sicut forma hominis non habet tale esse in statua aurea, quale esse habet forma hominis in carnibus, & ossibus*. Igitur cum ex doctrina S. Thomæ singulare non repugnet intelligenti, nisi inquantum est materiale, seu conditionibus materialibus involutum, formæque, seu species intelligibiles, & immateriales possint esse similitudines rerum materialium, si semel efficiantur tales per depurationem objecti singularis a suis conditionibus materialibus, si quas habuerit; non potest hujusmodi singulare, V. G. Humanitas Christi, vel instrumenta Passionis ejus, non fieri objectum intellectus: quoniam sic purgata, & immaterialia reddita, jam sub universali, & immateriali, quod est proprium objectum intellectus, tamquam quid singulare continentur, quæque consequenter cognoscuntur absque ullo operationis intellectualis præjudicio, vel interpellatione a principali, & proprio objecto.

Hinc dubitari non potest, quin, si contemplans ita foret occupatus, intentusque in oratione repræsentationis imaginariæ Humanitatis Christi, & Mysteriorum ejus, ut intellectualem negligeret, contemplationem impediret. Et in hoc sensu debet intelligi, quod phantasmata impediant contemplationem, illaque ad hunc effectum sint deserenda, ut intellectuali tamquam perfectiori vacare queat; ut videtur expressa mens illuminatissimæ Virginis S. Theresiæ Magistræ orationis, quæ Mans. 6. cap. 7. modum contemplandi Christi Domini Humanitatem, ejusque Passionem per simplicem intuitum intellectus, relictis phantasmatibus imaginariis, mirifice docet, & efficaciter ad illam adhortatur animas contemplativas. Hujus doctrinæ rationem reddit S. Thomas in 3. Sentent. dist. 22. quæst. 3. art. 1. ad 5. dicens. *Corporalis præsentia Christi in duobus poterat esse nociva: primo quantum ad fidem, quia videntes eum in forma, id est, qua erat minor Patre, non ita de facili crederent eum æqualem Patri; secundo quantum ad dilectionem, quia eum non solum spiritualiter, sed etiam carnaliter diligeremus, conversantes cum ipso corporaliter; & hoc est de imperfectione dilectionis*. Argumentum proinde ducendo ad contemplationem, inferas necessum est, convenire quoque, ut contemplationi Christi Domini rite vacemus, quod relicta in oratione imaginaria Humanitatis, aut Mysteriorum ejus repræsentatione, intellectuali incumbamus, velut perfectiori, & ex se animæ magis utili, ad quam imaginaria debet ordinari sicut ad suum finem.

His necessario præjactis, probatur primo assertum, quoad contemplationem infusam Humanitatis Christi, & Mysteriorum ejus, ex illo Zachariæ 12. ubi Deus ait. *Et erit in die illa: effundam super domum David, & super habitatores Jerusalem spiritum gratiæ, & precum, & aspicient ad me, quem confixerunt, & plangent eum planctu, quasi super unigenitum, & dolebunt super eum, ut doleri solet in morte primogeniti*. Ecce infusa contemplatio, cujus objectum assignatur Christus Dominus, Deus, & Homo, crucifixus, ac mortuus pro salute nostra. Hinc S. Augustinus lib. de Virginit. sacras Virgines Deo adhærentes, cui casto & puro amore Virginitatem suam devoverant, ad vitam interiorem informans, tantum abest ut eas avertat a Christi contemplatione, atque in solius entis infiniti & immensi quiescere jubeat, quin potius ad passionis & Mysteriorum ejus considerationem contemplativam adhortetur. *Si ergo* inquit *nuptias contempsistis filiorum hominum, ex quibus gigneretis filios hominum; vacate vobis, liberum est cor a conjugalibus vinculis. Inspicite pulchritudinem amatoris vestri: cogitate æqualem Patri, sub-*

ditum

ditum & matri; etiam in cælis dominantem, & in terris servientem; creantem omnia, creatum inter omnia. Illud ipsum quod in eo derident superbi, inspicite quam pulchrum sit: internis luminibus inspicite vulnera pendentis, cicatrices resurgentis, sanguinem morientis, pretium credentis, commercium redimentis. Hæc quanti valeant cogitate, hæc in statera caritatis appendite, & quidquid amoris in nuptias impendendum habebatis, illi rependite. . . . . Bene, quod interiorem pulchritudinem vestram quærit, ubi dedit vobis potestatem filios Dei fieri: non quærit a vobis pulchram carnem, sed pulchros mores, quibus frenetis & carnem .... Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis est fixus in cruce: totum teneat in animo vestro quidquid noluistis occupari connubio. Præterea divinus Sponsus invitat animam sponsam ad contemplationem suorum vulnerum, mortis, & Passionis, Cantic. 2. in hæc verba. *Surge, amica mea, speciosa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ.* Quæ verba ad rem nostram explicat S. Bernardus serm. 16. in Cantica: & serm. 43. explicans sponsæ verba: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur:* luculentissime ustendit sanctas animas in contemplanda Christi passione suavissime recreari: *Quia inter adversa & prospera versans sponsa novit utrobique pericula non deesse, medium hujuscemodi uberum suorum vult habere dilectum, cujus adversus utraque continua protectione munitam, nec læta extollant, nec tristia dejiciant. Tu quoque si sapis, imitaberis sponsæ prudentiam, atque hunc myrrhæ tam charum fasciculum de principali tui pectoris, nec ad horam, patieris avelli, amara illa omnia quæ pro te pertulit, semper in memoria retinens, & assidua meditatione revolvens, quo possis dicere & tu: Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter ubera mea commorabitur. Et ego, Fratres, ab ineunte mea conversione, pro acervo meritorum quæ mihi deesse sciebam, hunc mihi fasciculum colligare, & inter ubera mea collocare curavi, collectum ex omnibus anxietatibus & amaritudinibus Domini mei. Primum videlicet infantilium illarum necessitatum: deinde laborum quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, vigiliarum in orando, tentationum in jejunando, lacrymarum in compatiendo, insidiarum in colloquendo: postremo periculorum in falsis fratribus, conviciorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clavorum, horumque similium, quæ in salutem nostri generis Silva Evangelica copiosissime noscitur pertulisse. Ubi sane inter tot odoriferæ Myrrhæ hujus ramusculos minime prætermittendam putavi etiam illa Myrrham, qua in cruce potatus est: sed neque illam qua unctus est in sepultura. Quarum in prima applicuit sibi meorum amaritudinem peccatorum; in secunda futuram mei corporis incorruptionem dedicavit. Memoriam abundantiæ suavitatis harum eructabo, quoad vixero. In æternum non obliviscar miserationes istas, quia in ipsis vivificatus sum . . . . . Hæc meditari dixi sapientiam, in his justitiæ mihi perfectionem constitui, in his plenitudinem scientiæ, in his divitias salutis, in his copias meritorum. Ex his mihi interdum potus salutaris amaritudinis, ex his rursus suavis unctio consolationis . . . . . Propterea hæc mihi in ore frequenter, sicut vos scitis: hæc in corde semper, sicut Deus scit: hæc stilo meo admodum familiaria, sicut apparet: hæc mea sublimior interim Philosophia, Scire Jesum, & hunc crucifixum. Non requiro sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem latus amplector inter ubera commorantem. Non requiro ubi pascat in meridie, quem intueor Salvatorem in Cruce. Illud sublimius, istud suavius; panis illud, hoc lac; hoc reficit viscera parvulorum, hoc replet ubera matrum: & ideo inter ubera mea commorabitur. Hunc & vos, dilectissimi, tam dilectum fasciculum colligite vobis, hunc medullis inserite cordis, hoc munite aditum pectoris, ut & vobis inter ubera commoretur. Habete illum semper non retro in humeris, sed ante præ oculis, ne portantes, & non odorantes, & onus premat, & odor non erigat.*

Sed mirifice suo more veritatem nostræ assertionis demonstrat Magistra orationis Sancta Theresia, quæ Mans. 6. cap. 8. & 9. per totum docet, & explicat contemplationem infusam ex visione intellectuali, vel imaginaria Christi Domini, ejusque Sanctissimæ Humanitatis, ex qua raptum, vel extasim consequi dicit. Quare omnis dubitandi ratio removetur, dari scilicet contemplationem infusam, cujus objectum sit Humanitas Christi Domini, vel intellectuali, vel imaginario modo divinitus repræsentata. Advertas tamen, cum dicimus, *imaginario modo divinitus repræsentata*, non esse intelligendum, quod anima sistat in ejusmodi imaginariis phantasmatibus, ut diximus supra; sed ex illis transeat ad intellectualem Christi Domini, ejusque Mysteriorum contemplationem, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 5. in hæc verba. *Intellectualis cognitio non sistit in ipsis phantasmatibus, sed in eis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis: & hoc non solum in cognitione naturali, sed etiam in eis, quæ per revelationem cognoscimus. Et sic intelligendum est, quod Gregorius dicit, quod contemplantes corporalium rerum umbras non secum trahunt, quia videlicet in eis non sistit eorum contemplatio, sed potius in consideratione intelligibilis veritatis.*

Ex hactenus dictis colliges, sub objecto *quod* divinæ contemplationis sive acquisitæ, sive infusæ comprehendi secundario omnes creaturas; quia in omni ente creato reperitur Divinitatis vestigium a Mystico contemplandum: & docet S. Thomas in 1. Sentent. quæst. 1. Prolog. art. 1. ubi de objecto Mysticæ Theologiæ disputans, triplici relata opinione, prima asserentium, esse Deum; secunda Hugonis a S. Victore super Dionys. de cælest. Hierarch. in Prolog. cap. 1. & lib. de Sacram. affirmantis, opera meritoria, quæ ad nostram reparationem conducunt, esse sacræ Theologiæ objectum; tertia Magistri Sentent. l. 1. Sent. dist. 1. docentis, objectum hujus scientiæ esse res, & signa: subdit Angelicus: *Si autem volumus invenire subjectum, quod hæc omnia comprehendat, possumus dicere, quod ens divinum cognoscibile per inspirationem est subjectum hujus scientiæ. Omnia enim, quæ in hac scientia considerantur, sunt aut Deus, aut ea, quæ ex Deo, & ad Deum sunt:* & 2. 2. quæst. 180. artic. 4. *Ad vitam contemplativam*, ait, *pertinet aliquid dupliciter. Uno modo principaliter; alio modo secundario vel dispositive. Principaliter quidem ad vitam contemplativam pertinet contemplatio divinæ veritatis: quia hujusmodi contemplatio est finis totius humanæ vitæ.* Unde S. Augustinus lib. 1. de Trinit. ait: *Hæc nobis contemplatio promittitur actionum omnium finis, atque æterna perfectio gaudiorum, quæ quidem in futura vita erit perfecta, quando videbimus Deum facie ad faciem; unde & perfecte beatos faciet. Nunc autem contemplatio divinæ veritatis competit nobis imperfecte, videlicet per speculum & in ænigmate. Unde per eam fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continuetur . . . . Sed quia per divinos effectus in Dei contemplationem manuducimur, secundum illud ad Rom. 1.* Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: *inde est quod etiam contemplatio divinorum effectuum secundario ad vitam contemplativam pertinet, prout scilicet ex hac manuducitur homo ad Dei cognitionem.* Divinæ autem veritatis nomine, cujus contemplationem ad vitam contemplativam pertinere docet S. Doctor, omnem veritatem a Deo revelatam intellige, quæ est objectum fidei Christianæ.

§. II.

Quid sentiendum sit de objecto quo, seu ratione formali sub qua, divinæ contemplationis tam acquisitæ, quam infusæ.

NOn desunt Auctores, qui pro diversitate graduum divinæ contemplationis plures distinguunt rationes formales sub qua. Quamobrem in hac sententia alia est ratio sub qua objectum attingit contemplatio acquisita: alia contemplationis procedentis per affirmationem: & alia illius, quæ dicitur per negationem, seu remotionem. Prima, inquiunt, objectum quod respicit sub ratione investigabilis per meditationem affectivam. Secunda sub ratione causalitatis, & dependentiæ, aut causabilitatis, quam dicunt Creaturæ a Deo. Ultima supremi gradus Mysticæ Theologiæ Deum attingit sub ratione gustati ab anima.

Displicet tamen hæc opinio non methodice se gerens, quia prius assignari debet ratio formalis sub qua omnes contemplationis species, seu gradus in attingendo objectum quod inter se conveniunt, quam ad particulares rationes, in quibus discriminantur, descendere: sicut si volens demonstrare, quid sit Theologia Scholastica, rationem, sub qua objectum attingit eam, ex tractatu de caritate, & fide desumeret; cum id, in quo conveniunt, & in quibus a cæteris discriminantur, prius assignare debuisset.

Dicendum itaque est, rationem formalem cujuslibet contemplationis tam acquisitæ, quam infusæ, sub qua attingit objectum quod, esse rationem gustati, seu experti.

Prob. primo ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ, ubi gustus, & suavitas, quam experitur anima divinæ vacans contemplationi, perspicue demonstratur. Psal. 33. *Gustate, & videte, quam suavis est Dominus.* Quod ita exponit Angelicus Doctor. *Hortamur ad experiendum. Primo enim hortatur ad experientiam divini consortii: secundo ad observantiam divini timoris.* Proverb. ult. *Gustavit, & vidit, quia bona est negotiatio ejus:* Sap. 12. *Quam suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis:* & Cant. 2. *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gutturi meo:* idest, ut ait inibi laudatus S. Thomas, *Divinitatis contemplatio, qua me satiari confido.* Ergo cum gustum attingere suum objectum idem sit ac illud experiri, & degustare, ratio formalis sub qua anima per contemplationem tam infusam, quam acquisitam attingit suum objectum quod, erit ratio gustati, seu experti.

Probatur secundo. Illa est ratio formalis sub qua

Theologiæ Mysticæ, quæ illam in esse talir constituit, atqua a Theologia Scholastica, Morali, atque Symbolica distinguit. Atqui hæc est ratio experti, & gustati, quia sola Theologia Mystica lato modo accepta, prout complectitur contemplationem tam infusam, quam acquisitam, Deum respicit ut dulcem, & suavem ab anima expertum. Scholastica siquidem agit de Deo, prout cognoscibilis est; Moralis vitia, & virtutes proponens, modum ostendit, quo ad Deum pergamus; Symbolica tractat de Deo sub symbolis, & hieroglyphicis. Ergo cum Theologia Mystica solum agat de Deo, prout amabilis est; sola ratio gustati, & experti erit ratio constituens objectum quod in essa attingibilis eam distinguens a Theologia Scholastica, Morali, & Symbolica.

Confirmatur. Theologia Mystica est cognitio affectiva spectans ad donum sapientiæ: unde S. Thomas 1. p. quæst. 64. art. 1. inquit. *Cognitio, quæ habetur per gratiam, est duplex. Una, quæ est speculativa tantum, sicut cum alicui aliqua secreta divinorum revelantur. Alia vero, quæ est affectiva producens amorem Dei; & hæc proprie pertinet ad donum sapientiæ.* Ergo respicit Deum sub rationa gustati, seu axperti ub anima. Consequentia probatur. Sive enim Theologia Mystica sumatur pro habitu, sive pro actu, qui est contemplatio actualis; debet objectum inspicere sub eadem ratione formali sub qua. Sed Theologia Mystica habitualis est sapida scientia, quæ attingit objectum sub ratione gustati: sapor enim haberi non potest, nisi de objecto gustato. Ergo Mystica Theologia objectum suum, seu rationam formalem attingit sub ratione gustati, seu experti ab anima.

Objicies I. Quod degustat, seu experitur anima de Deo, supponit actum intellectus attingentem ipsum objectum. Ergo gustatio, seu experientia non est ratio formalis sub qua contemplatio attingit Deum.

Respondeo distinguendo antecedens. Quod degustat, seu experitur anima de Deo, supponit actum intellectus procedentem ex motiona caritatis; concedo antecedens: non procedentem ex tali motione; nego antecedens, & nego consequentiam. Actus intellectus objectum attingens non ex motiona caritatis, non ast contemplatio religiosa, sed mere Philosophica, & speculativa; quia contemplationis religiosæ principium est caritas. *Dicendum, quod vita contemplativa* (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 7. ad 1.) *licet essentialiter consistat in actu intellectus, principium tamen habet in affectu: inquantum videlicet aliquis ex caritate ad Dei contemplationem excitatur.* Quata quemadmodum actus fidei infusæ debet supponere in voluntate habitum piæ affectionis, qui si non præcesserit, actus intellectus non erit fidei infusæ; ita contemplatio religiosa non datur, nisi præcedat habitus caritatis movens ad contemplationem. Nec ast inconveniens, si loquamur de actibus ad unam lineam pertinentibus, quod actus voluntatis præcedat actum intellectus illius lineæ, licet illemet voluntatis actus alio actu intellectus sit alias posterior. Et licet ad contemplationem perfectissimam sequatur suavissima delectatio, quæ non correspondet minus perfectæ; attamen ad hanc sequitur suavitas statui habentis contemplationem correspondens: quia cum habeat Deum pro objecto, nequit non esse delectabilis, & sapida.

Objicies II. Datur contemplatio perfectissima, quæ Deum non attingit sub ratione gustati, & experti. Ergo ratio formalis sub qua contemplationis non est ratio gustati, aut experti. Antecedens probatur. Datur contemplatio perfectissima, & afflictiva, qua spiritus purgatur, ut docent DD. Mystici, & signanter S. Joannes a Cruce lib. 2. Noct. obsc. Ergo Deum non attingit sub ratione gustati.

Respondeo negando antecedens: ad probationem dico, contemplationem perfectissimam dupliciter possa considerari: primo ex uatura sua; secundo in ordine ad contemplantem. Si primo modo consideretur, ex se ast suavissima, adeoque Deum respicit sub ratione degustati. Si vero secundo modo spectetur, fatamur esse afflictivam, ac purgarivam spiritus, quia subjectum, cui infunditur, non percipit, nec percipere potest suavitatem, donec exuat veterem hominem cum actibus suis, & reddatur proportionatum, axpurgando vetus fermentum, ut fiat nova conspersio. Quare quod perfectissima contemplatio quandoqua suavitatem actu non causet, quod alias habet de sui natura, provenit ex parte subjecti, quia proportionatum non ast; quod non prohibet, ut tendat in Deum sub ratione gustati. Exemplum habemus in ipsamet contemplatione, quæ est lux fulgentissima; & tamen si subjectum purgatum non sit, in ipsa meridiana luce cæcutit.

Objicies III. Contemplatio acquisita incipientibus correspondens, habens pro objecto Deum, est cognitio imperfecta. Ergo per attingentiam sui objecti non habet saporem, aut aliquam delectationem. Antecedens est certum. Consequentia probatur. Non appatet rationi consentaneum, ponere in incipientibus illud ipsum privilegium, quo perfecti post teterrimos devictos hostium cuneos decorantur, uti est gustum, delectationemque de Deo percipere. Ergo contemplatio acquisita per sui objecti attingentiam saporem non habet.

Respondeo, concesso antecedente negando consequentiam. Ad contemplationem perfectam sequitur quidem delectatio suavissima, quæ licet non habeatur ax contemplatione acquisita minus perfecta; non tamen negari potest suavitas, & delectatio de suo objecto statui eam habentis correspondens: idque ex Aristotele probat S. Thomas in 3. distinct. 35. quæst. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ubi loquens de imperfectione contemplationis viæ collata cum contemplatione Beatorum in Patria, subdit. *Hoc tamen infimæ mentis desiderio satisfacit, qui a (secundum quod Philosophus dicit in 2. de animal.) amans in prima comprehensione amati magis delectatur, quam in magna aliorum comprehensione. Et ideo, ut ipse dicit, illud parum, quod de substantiis separatis cognoscere possumus, plus desideratur, & delectat, quam quidquid de aliis rebus cognoscimus:* & 2. 2. quæst. 180. art. 7. inquit. *Ad tertium dicendum, quod contemplatio Dei in hac vita imperfecta est respectu contemplationis Patriæ: & similiter delectatio contemplationis viæ est imperfecta respectu delectationis contemplationis Patriæ, de qua dicitur in Psal. De torrente voluptatis tuæ potabis eos. Sed contemplatio divinorum, quæ habetur in via, etsi sit imperfecta, tamen est delectabilior omni alia contemplatione, quantumcumque perfecta propter excellentiam rei contemplatæ. Unde Philosophus dicit in primo de partibus animalium. Accidit circa illas honorabiles existentes, & divinas substantias, minores nobis existere theorias: sed etsi secundum modicum attingamus eas, tamen propter honorabilitatem cognoscendi delectabilius aliquid habent, quam quæ apud nos omnia. Et hoc est etiam, quod Gregorius dicit super Ezechielem. Contemplativa vita amabilis valde dulcedo est, quæ super semetipsam animam rapit, cælestia aperit, spiritualia mentis oculis patefacit.* Ex qua D. Thomæ doctrina potest sequens efformari pro nostra conclusione argumentum. Contemplatio viæ perfectissima magis distat a contemplatione Patriæ, quam contemplatio imperfecta a perfectissima contemplatione viæ. Contemplatio autem perfectissima viæ licet magis distet, specificatur tamen a gustu, & sapore, seu attingit objectum sub ratione gustati, seu experti; ut fatetur sententia opposita. Ergo si major distantia non impedit specificari a gustu, & sapore habito ex objecto, seu quod objectum attingatur sub ratione formali gustati, & axperti; a fortiori major distantia non obstabit.

§. III.

An species requisitæ ad contemplationem supernaturalem sint entitative naturales, vel supernaturales.

EXigi species ad contemplationem divinam certum est apud omnes Theologos tam Mysticos, quam Scholasticos: qua via enim intellectus posset suum objectum quod attingere, nisi secundaretur a speciebus impressis? Dubium proponimur de contemplatione supernaturali tam acquisita, quam infusa, cujus principium proximum quo diximus Dissertatione præced. §. 4. esse fidem Theologicam donis Spiritus Sancti illustratam.

Dicendum ast, ad contemplationem supernaturalem non axigi species entitative supernaturales, sed satis esse species entitative naturales modo supernaturali ordinatas. Assertio hæc defenditur a Cajetano 2. 2. quæst. 173. art. 3. a Philippo a SS. Trinitate in Myst. Theolog. tract. 3. p. 2. disc. 2. art. 4. Quæ probatur I. auctoritate Doctoris Angelici 2. 2. quæst. 173. art. 2. in quo apertissime ad attingendas intelligibiles veritates, etiam axcedentes hominis intellectum, dumtaxat species præexistentes docet sufficere, quantumvis per lumen supernaturale confortatas. *Ad tertium*, inquit, *dicendum, quod quascumque formas imaginatas naturali virtute potest homo formare, absolute hujusmodi formas considerando: non tamen ut sint ordinatæ ad repræsentandas intelligibiles veritates, quæ hominis intellectum excedunt, sed ad hoc necessarium est auxilium supernaturalis luminis.* Ergo juxta mentem S. Thomæ ad contemplationem supernaturalem non axiguntur species supernaturales, sed sufficiunt naturales ordinatæ modo supernaturali pet lumen supernaturale.

Probatur II. Contemplatio, de qua agimus, si species entitativa supernaturales axigeret, hoc esset, vel quia foret actus entitative supernaturalir, vel quia foret actus procedenr ex fide Theologica illustrata donis Spiritus Sancti. Sed ex nullo horum capitum exigit species entitative supernaturales. Ergo ad contemplationem supernaturalem non exiguntur specier entitative supernaturales. Major est certa. Minor probatur quoad primam partem. Etenim Prophetia ast actus entitative supernaturalis, ut habetur ex Epist. II. S. Petri cap. 1. *Non*

enim

enim voluntate humana allata est aliquando Prophetia, sed Spiritu Sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines. Prophetia vero non axposcit species enstiativa supernaturales, ut docet S. Thomas quæst. 8. de potentia art. 9. ad 5. his verbis: *Intellectus sine hoc, quod acquirat novas species intelligibiles, potest aliquando de novo intelligere per hoc, quod intellectus confortatur aliquo fortiori lumine: sicut ex eisdem formis in phantasia existentibus, superveniente lumine Prophetiæ, aliqua cognitio accipitur, quæ accipi non poterat per lumen naturale intellectus agentis.* Quoad secundam partem probatur aadem Minor. Supernaturalitas reperta in assensu fidei Theologicæ desumitur a lumine intellactum elavante, & species confortante citra specierum supernaturalitatem; non enim aliæ species ad fidei Theologicæ assensum requiruntur, quam ad apprehensionem terminorum, quæ ad assensum necessario præsupponuntur. Istæ autem non sunt entitative supernaturales, ut declaratur exemplo. Apprehensio præsupposita ad assensum, quo credimus, Leonem de Tribu Juda vicisse, & mundum a dæmonis captivitate liberasse, est actus cognoscens leonem animal fortissimum, Tribum Juda, & dæmonem humano generi tyrannice dominantem; termini anim omnes naturales sunt, minime indigentes speciebus entitativa supernaturalibus. Quod vero eædem species ad assensum fidei requirantur, ae ad apprehensionem, hoc habetur aa earum operationum natura: cum utraque compleat eumdem motum intallectualem, & in hoc inter apprehensionem, & assensum debeat dari proportio, quod assensus terminetur ad id, quod apprehensum est; quantumvis inter apprehensionem, & judicium detur diversitas, quia objectum formala assensus, & specierum sunt omnino diversa. Etenim motivum assensus fidei est sola divina ravelatio, adeoque supernaturale; objectum vero specierum sunt res naturales, ad quarum similitudinem connotantur objecta supernaturalia, quæ per fidei assensum attinguntur. Ergo aliæ species non requiruntur ad fidei assensum, quam requisitæ ad apprehensionam terminorum.

Probatur III. Contamplatio supernaturalis, quæ ast actus fidai Theologicæ illustratæ donis, non cognoscit quidditative objectum supernaturale. Ergo species ad aam requisitæ non sunt entitative supernaturales. Antecedens ast certum, & consequantia probatur. Species, quæ est vicaria objecti motivi, debet essa in eodem ordina cum objecto motivo. Objectum autem motivum hujusmodi contemplationis non est supernaturale; procedit enim per conversionem ad phantasmata. Ergo objectum motivum non est supernaturala entitative; adeoque neque species sunt entitativa supernaturales.

Objicies. Naquit intelligi, quomodo species entitative naturales possint influere in contemplationem supernaturalem; id enim, quod haberet contemplatio ab ajusmodi speciebus, asset quid naturale: quod de contemplatione entitative supernaturali dici non potest.

Respondeo. Licet species antitativa naturales, ut naturales sunt, non possint influere in contemplationem supernaturalam: secus vero, ut alevatæ ad ordinem supernaturalam; citra anim novitatam ex parte phantasmatum, ex adjutorio, & confortationa divini luminis phantasmata præstant, ut species repræsentent objectum, quod antea non repræsentabant. Et hic modus alevationis sufficiens est, ut actus contemplationis elicitus sit entitative supernaturalis propter supernaturalitatam refusam a lumine phantasmata confortante, & a principio proaime eliciente; ut ex S. Thomæ doctrina tradit Cajetanus 2. 2. quæst. 173. art. 2.

Instabis. Species entitative naturalis nequit elevari ad repræsentandum objectum supernaturala: ergo nequit influere in contemplationam supernaturalem. Antecedens probatur. Species non habet, nec habere potest a lumine, quod ea vi muneris ei competit. Sed quod species sit repræsentativa objecti, ei competit aa vi sui luminis: unda alevatio non facit, quod species sit in actu primo, vel in actu secundo objecti repræsentatio, ut patet in specie exprassa. Ergo species entitative naturalis nequit elevari ad repræsentandum objectum supernaturale.

Respondeo, negando antecedens: ad probationem, concessa majori, distinguo minorem Species non habet, nec habere potest, quod ei competit de sui natura in ordine ad objectum motivum, seu secundarium; concedo majorem: in ordine ad objectum sacundarium, seu terminativum, nego minorem, & consequentiam. Duo objectorum genera per species attingere possumus. Alia motiva potentiarum; alia vero terminativa. Motiva sunt, quæ speciem immittunt potentiæ, gerentes vicem eorumdem, cum quibus in eodem gradu immaterialitatis conveniunt; ac per consequens, ut species ex natura sua ea repræsentent, nec indigent alevatione ad ajusmodi repræsentationem. Terminativa vero, quæ speciem potentiæ non immittunt, nec species habent ajusdem immaterialitatis cum iisdem, & solum a speciebus repræsentantur connotative ad instar objecti primerii. Quare species illæ, quæ propriæ sunt quidditatum materialium, deserviunt ad duo objecta cognoscenda. Primum est quidditas materialis; & hoc ex natura sua repræsentant, ita ut elevatione non indigeant: aliud vero ast objectum terminativum, quod non ex natura sua, sed ex elevatione sibi accidentaria repræsentant. Hinc erues discrimen inter speciem expressam, & impressam, de qua est sermo. Siquidem impressa præcedit intellectionem, ad quam subsequitur expressa; ideoque intellectio speciei expressæ productiva, cum supponatur entitative supernaturalis, elevationa non indiget ad repræsentandum objectum supernaturale, sicut indiget species impressa, ut ultra quidditatem materialem primario, & tamquam objectum motivum repræsentatam, tamquam objectum terminativum repræsentet objectum supernaturala per connotationam.

§. IV.

An ad contemplationem, quæ ast actus scientiæ infusæ, requirantur species entitative supernaturales.

UNum in titulo supponimus, aliud ad controversiem revocamus. Tamquam certum supponimus, dari nobilissimam contemplationem, quæ sit actus scientiæ infusæ, quæ tantæ aminentiæ est, ut attingat quidditative entia supernaturalia, puta, gratiam sanctificantem, fidam, spem, & caritatem, atqua ipsius fidei Theologicæ perfectionem excedat; revocamus tamen ad dubium, quibus speciebus utatur, naturalibus scilicet entitative, vel supernaturalibus.

Dicendum est, species requisitas ad contemplationem, quæ alicitur a scientia infusa, esse entitativa supernaturales. Probatur. Ideo species requisitæ ad contemplationem supernaturalem, quæ ast actus fidei infusæ, sunt entitative naturales, quia non repræsentant objecta supernaturalia connaturaliter, & quidditative, sed connotativa virtute luminis supernaturalis eas elavantis. Sed species requisitæ ad contemplationem, quæ est actus scientiæ infusæ, repræsentant quidditative, & connaturaliter objacta supernaturalia. Ergo species requisitæ ad contemplationem elicitam a scientia infusa, sunt entitative supernaturaler. Major est certa, ut diximus paragrapho immediate antecedente. Minor probatur. Species repræsentant connaturaliter, & sibi propria ea objecta, quæ illas immittunt potentiæ, illorumque vicariæ sunt. Sed dictæ species immittuntur ab objectis supernaturalibus potentiæ, quia ea objecta supernaturalia sunt motiva potentiæ, iis speciebus utentis; in hoc enim hujus scientiæ eminentia sita ast, quod non cognoscat objecta supernaturalia per species alienas, ut tam Scholastici, quam Mystici Doctore fatentur. Ego species requisitæ ad contemplationem, quæ est actus scientiæ infusæ, repræsentant quidditative, & connaturaliter objecta supernaturalia.

Objicies I. Modus contemplandi in statu viæ est per acceptionem specierum a rebus: ergo etiam iste modus servandus est, cum homo contemplatur per scientiam infusam; quia contemplari oportet in statu viæ dependenter a phantasmatibus. Sed species a rebus acceptæ sunt entitative naturales: ergo species requisitæ ad contemplationem, quæ est actus scientiæ infusæ, sunt entitative naturales.

Respondeo, modum naturalem homini contemplandi pro statu viæ esse per acceptionem specierum a rebus, quæ cadunt sub sensibus: cum hoc tamen compatitur, quod ex impressione Dei contempletur, ut contingit in contemplatione, quæ est actus scientiæ infusæ, & speciebus a rebus sensibilibus acceptis non indigeat; immo non tam supereminens scientia poscitur, ut independenter ab actuali specierum sensibilium acceptione intellectus contempletur. Quamquam vero illæ species entitative supernaturales sint, in usu etiam scientiæ infusæ, & supernaturalium specierum, datur aliqua phantasiæ operatio, ut dicatur Dissert. seq. §. 3. quia illæ species debent recipi ad modum recipientis, cum debeat homo pro hoc statu viæ intelligere phantasmata speculando: semper tamen sunt entitative supernaturales, quia objecta supernaturalia non ex accidentaria elevatione, sed connaturaliter, & quidditative repræsentant.

Objicies II. Per sciantiam infusam cognoscuntur objecta naturalia. Ergo cognitio scientiæ infusæ est naturalis: sed ad cognitionem, quæ est actus naturalis, non exiguntur species entitative supernaturales: si enim pro contemplatione, quæ est actus fidai infusæ, sufficiunt species entitative naturales; quare ad cognitionam attingentem objectum naturale, dabitur necessitas specierum entitative supernaturalium?

Respondeo, objecta naturalia dupliciter posse considerari. In esse rei; & in esse objecti scientiæ infusæ. Conside-

ſiderata in eſſe rei, utique ſunt quid naturale; non tamen in eſſe objecti. Hoc enim modo conſiderata ſunt quid ſupernaturale; correſpondent quippe virtuti ſuperiori ſupernaturali, ac dicunt potentiam obedientialem, per quam ordini ſupernaturali, ejuſque auctori ſubduntur, proindeque fundant cognoſcibilitatem ſupernaturalem, & prout talia contemplantur a ſcientia infuſa. Unde ea objecta, quæ in eſſe entis ſunt quid naturale, ut quidditative repræſententur, exigunt ſpecies entitative ſupernaturales.

DISSERTATIO IX.

De Efficacia Divinæ Contemplationis.

POſt objectum & ſpecies divinæ contemplationi inſervientes, ut efficaciam & activitatem ejuſdem agnoſcamus, eam in hac Diſſertatione ad animæ vires comparamus. Quarum aliæ ſunt naturales, illæ ſcilicet, quibus nutrimur, & augemur: aliæ animales, quæ in exteriores, viſus, auditus, guſtus, odoratus, & tactus dividuntur; & in internas, cujuſmodi ſunt ſenſus communis, imaginativa, æſtimativa, & memoria: aliæ rationales, & ſunt intellectus, ac voluntas. Cum iſtis autem potentiis rationalibus non eodem modo conferimus prædominium, & activitatem contemplationis, ac cum cæteris viribus naturalibus, ac ſenſitivis, perinde ac inquirendum ſit: num contemplatio intellectum, & voluntatem ſuſpendat. Supra enim aſſeruimus Diſſert. VII. §. 2. contemplationem eſſentialiter in actu intellectus conſiſtere, cauſaliter vero, ac terminative in actu voluntatis. Quamquam autem a nobis rejecta ſit opinio aſſerens, contemplationem perfectiſſimam ita a facultatibus rationalibus abſtrahere, ut ſolius animæ actus ſit; quod & Philoſophiæ, & Theologiæ principiis adverſatur, & Quietiſtarum erroribus eſt affine: attamen locum damus quæſtioni, An contemplatio vehemens, ſeu extatica libera ſit, ac meriti capax, & indemnem relinquat contemplantis attentionem, reſpectu eorum, quæ ſunt ſuæ obligationis.

§. I.

An contemplatio vehemens impediat vires naturales.

NOtandum eſt ad difficultatis reſolutionem, poſſe, immo de facto ligari facultates ſenſitivas, & rationales, ſolutis remanentibus viribus naturalibus, ut patet in dormientibus; in iis quippe anima dumtaxat ad actiones vegetativas concurrit, nihil potentiis ſenſitivis, & rationalibus operantibus. Poteſt etiam intelligi ligamen facultatum naturalium, & animalium, ſolutis rationalibus; licet hoc a natura non fiat, tum quia in individui detrimentum redundaret, tam quia intelligere in nobis fit mediis phantaſmatibus. An autem id fieri queat a gratia, inferius ad examen revocabimus. Alia vero ligatio, quæ poſſit excogitari, ligatio ſcilicet facultatum naturalium, & rationalium, ſolutis remanentibus ſenſitivis, nec a natura fit, nec a gratia, ut conſideranti conſtabit.

Abulenſis in Geneſ. cap. 13. quæſt. 400. & ſeqq. exiſtimat, adeo eſſe efficacem contemplationem infuſam, ut omnino etiam vires naturales per ſe ſuſpendat.

Alii vero Doctores, & ſignanter S. Thomas 2. 2. quæſt. 175. art. 5. oppoſitum propugnant, a quibus non recedimus. Et probatur I. auctoritate, & ratione ejuſdem S. Doctoris. Si contemplatio vehemens ligaret vires naturales, adeo ut ad contemplationem infuſam evecta vegetabiles operationes non exerceret, hoc conveniret contemplationi perfectiſſimæ, quæ in via haberi poteſt. Hujuſmodi autem contemplationi non convenit ligare, aut ſuſpendere vires naturales. Ergo &c. Major patet, quia contemplatio perfectiſſima, quæ in via haberi poteſt, eſt cæteris vehementior. Minor probatur. Contemplatio perfectiſſima, quæ in via haberi poteſt rariſſime, eſt viſio Dei per eſſentiam tranſeunter, quam habuit S. Paulus in raptu. Atqui hæc non ſuſpendit vires naturales vegetabiles. *Ad videndum Deum per eſſentiam* (inquit S. Doctor art. 4. de Verit.) *nullo modo requiritur abſtractio ab actibus animæ vegetabilis, nec aliqua eorum debilitatio, ſed ſolum ab actibus ſenſitivarum potentiarum.*

Dices. Aliud eſt, quod nullo modo ad videndum Deum prout eſt in ſe, tranſeunter non requiratur ſuſpenſio actuum vegetabilium; aliud vero, quod ad hanc viſionem non ſequatur abſtractio ab illis actibus. Primum docet S. Thomas, non vero ſecundum.

Reſpondeo, Angelicum Doctorem, ubi adſtruit, nullo modo requiri ad Dei viſionem abſtractionem a viribus naturalibus, eam excludere abſolute tam per ſe, quam per accidens. Per ſe quidem, quia operationes vegetabiles per ſe impedire non valent claram Dei viſionem; & in hoc convenit cum cæteris minus perfectis contemplationibus obſcuris. Per accidens vero, quia ea perfectiſſima contemplatio phantaſmatibus non indiget; unde non intervenit conſumptio ſpirituum animalium, quæ vitales abſumat, adeoque perfectæ alimenti decoctioni, & nutritioni non adverſatur. Et in hoc eſt diſcrimen inter illam contemplationem cæteris vehementiorem, & alias minus perfectas: iſtæ enim non per ſe, ſed per accidens facultates vegetativas impediunt, quatenus faciunt, quod phantaſia eas torqueat, ut ſpiritus vitales habeat in ſupplementum conſumptorum. Et profecto S. Doctoris mentem eſſe, contemplationem obſcuram non impedire per ſe operationes vegetativas, habetur ex art. 4. quæſt. cit. ubi de contemplatione obſcura loquens ait: *Ad contemplationem non requiritur ligatio eorum, quæ vehementiam intellectivi actus nata ſunt impedire: ſed operatio animæ vegetabilis, & operatio animæ intellectivæ non ſe impediunt: ergo ad contemplationem non requiritur abſtractio ab operationibus animæ vegetativæ.*

Ex dictis habes ſolutionem ad difficultatem quæ fieri poſſet contra aſſertionem propoſitam; nempe quod contemplativi minus alantur, quam alii. Hoc enim provenit non per ſe, ſed per accidens, ut docet ſæpe memoratus S. Thomas quæſt. 13. de Veritate. *Per ſe loquendo*, ait, *operatio animæ vegetabilis, & operatio animæ intellectivæ non ſe impediunt. Per accidens tamen poteſt ex altera alteri impedimentum provenire, inquantum ſcilicet intellectus accipit a phantaſmatibus, quæ ſunt in organis corporalibus, quæ oportet per actum vegetabilis animæ nutriri, & conſervari. Et ita per accidens ipſius operatio impeditur, ſicut patet in ſomno, & poſt cibum. Et e converſo per hunc modum operatio intellectus impedit operationem animæ vegetabilis, inquantum ad operationem intellectus requiritur operatio vegetativæ virtutis, ad cujus vehementiam oportet caloris, & ſpirituum concurſum fieri: & ſic impeditur actus virtutis nutritivæ per vehementiam contemplationis.*

Probatur II. Informatio materiæ per animam rationalem non impedit contemplationem: ergo non impedit operationes vegetativas. Conſequentia ſequitur, quia ideo informatio materiæ contemplationem non impedit propter non ademptam propenſionem, & conatum in Deum, cum fiant per modum naturæ. Atqui etiam operationes vegetabiles fiunt per modum naturæ, nec per ſe minuunt propenſionem, & conatum in Deum. Ergo nec contemplatio impedit operationes vegetativas.

Objicies. Plures perſonæ divinis contemplationibus abſorptæ plurium dierum, immo annorum intervallo jejunarunt, ſine ullo prorſus cibo, & potu. Ergo per ſe contemplatio vehemens impedit vires naturales, ne fiant actiones vegetabiles. Antecedens probatur exemplis Moyſis, & Eliæ, quos habemus ex ſacris Literis tale jejunium uſque ad quadrageſimum diem traduxiſſe. Et propterea S. Auguſtinus Epiſt. 55. alias 109. Operum tom. II. col. 119. inquit: *Quadrageſima ſane jejuniorum habet aucto-*

rita-

ritatem, & in veteribus libris ex jejunio Moysis, & Eliæ, & ex Evangelio, quia totidem diebus Dominus jejunavit. Idem probant jejunia etiam longiora ab aliis sanctitate, & vita contemplativa præclaris a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV. relata tom. IV. de Serv. Dei Beatific. & BB. Canoniz. part. 1. cap. 27.

Respondeo, distinguendo antecedens. Plures personæ divinis contemplationibus absorptæ &c. ex natura contemplationis vehementis; nego: alias per miraculum suspensis per divinam virtutem functionibus vegetabilibus; concedo. Assertio nostra procedit attenta natura contemplationis infusæ, ad quam disperate se habent actiones virium naturalium, nec contemplantis arbitrio subjiciuntur; adeoque jejunium tam Moysis, quam Eliæ miraculo adscribendum est, sicut & aliorum contemplativorum, quæ in Historiis Ecclesiasticis reperiuntur: ut tradit Abulensis sup. cap. 4. S. Matthæi, diversitatem ponens inter jejunium Christi, Moysis, & Eliæ: *Dicitur 3. Regum 19. quia ambulavit Elias in fortitudine cibi illius quadraginta diebus: de Moyse secus fuit; quia ipse non mansit in fortitudine cibi alicujus quadraginta diebus incibatus, sed solum ex consortio divini sermonis. Exodi 34. cap. Ideo istud erat quasi magis supernaturale. Et tamen necesse est dici utrumque casum fuisse miraculose. Moyses tamen excessit Eliam in hoc, quia Elias solum semel mansit sine cibo quadraginta diebus: Moyses vero mansit quadraginta diebus bis, scilicet una vice pro primis tabulis, & alia vice pro secundis. Deuter. 9. cap. Christus autem mansit quadraginta diebus, non ex virtute alicujus cibi prius assumpti, sicut Elias, sed solum ex virtute Dei. Differt tamen a Moyse: quia Moyses consecutus est hoc ex consortio divini sermonis, idest, quia erat loquens cum Deo his diebus; Christus autem habuit hoc a seipso, quia verus Deus erat*.

§. II.

An contemplatio vehemens suspendat operationes sensuum externorum.

A Potentiis, seu viribus naturalibus vegetabilibus gradum facimus ad sensus externos, & inquirimus, an vehemens contemplatio suspendat naturaliter operationes sensuum externorum, ita ut non requiratur novæ gratiæ auxilium præter requisitum ad vehementem contemplationem. Non proponimus hoc dubium, quia inter Mysticos Doctores dissidium sit, sed ad explicandas, & solvendas aliquas difficultates, quæ ex nostra resolutione possunt emergere.

Dicendum est cum S. Thoma de Verit. quæst. 13. art. 3. Cajetano 2. 2. quæst. 75. art. 2. Suarez lib. 2. de Relig. cap. 15. Abulensi in Genes. cap. 13. quæst. 400. SS. Theresia & Joanne a Cruce, vehementem contemplationem suspendere naturaliter operationes sensuum externorum.

Probatur I. Nequeunt haberi sensuum externorum operationes, quin anima in eas influat: sed anima ad vehementem contemplationem elevata nequit influere in operationes sensuum externorum: ergo vehemens contemplatio suspendit naturaliter operationes sensuum externorum. Major est certa. Minor probatur. Virtus animæ est limitata, adeoque dum fertur vehementer ad superius speculabile, vel remittitur, vel potius cessat attentio ad inferiora; quanto enim magis applicatur ad unum, tanto magis segregatur ab alio: ergo si magna fuerit contemplatio, remittitur animæ influxus erga sensus externos; penitus vero cessat, si contemplatio fuerit vehemens. Explicatur hoc magis. Experientia nos docet, vehementer intentos ad aliquod visibile, nihil auditu percipere, etiamsi circa ipsum magni strepitus fiant. Rursus, ideo dubio immediate antecedenti dictum est, per vehementiam contemplationis non inferri suspensionem operationum vegetabilium, quia cum intentio ad eas non requiratur, non est necesse, ut anima totam suam activitatem adunet, ut impetum naturæ superioris sequatur, sicut sensus exteriores impedirent. Quamobrem S. Thomas quæst. cit. de Verit. docens, hominem in via non posse Deum clare intueri, quin suspendantur sensuum externorum operationes, affert rationem complectentem etiam vehementem contemplationem obscuram, quæ habetur in via. *Respondeo*, inquit, *dicendum, quod sicut ex auctoritate S. Augustini patet, quod homo in hoc mortali corpore constitutus non potest Deum per essentiam videre, nisi a sensibus corporis alienetur. Cujus ratio ex duobus potest sumi. Primo quidem ex hoc: quod est commune intellectui, & aliis potentiis; hoc enim in omnibus animæ potentiis invenimus, quod quando una potentia in suo actu intenditur, alia vel debilitatur in suo actu, vel ex toto abstrahitur; sicut patet in illo, in quo operatio visus fortissime intenditur, quod auditus ejus non percipit ea, quæ dicuntur, nisi forte sua vehementia ad se trahat sensum audientis. Cujus ratio est, quia ad actum cujuslibet cognoscitivæ potentiæ requiritur intentio, ut probat Augustinus lib. de Trinit. Intentio autem unius non potest fieri ad multa simul, nisi forte illa multa sint adunata ad invicem, ut accipiantur quasi unum: sicut nec alicujus motus, vel operationis possunt esse duo termini non ad invicem adunati. Unde cum sit una anima, in qua omnes cognoscitivæ potentiæ fundantur, unius, & ejusdem intentio requiritur ad omnium cognoscitivarum potentiarum actus. Unde cum totaliter anima intendit ad actum unius potentiæ, abstrahitur homo ab actu alterius potentiæ.*

Probatur II. paritate contemplationis naturalis, quæ si vehemens sit, infert sensuum externorum suspensionem, etiamsi fiat per solam speculationem: a fortiori ergo contemplatio supernaturalis, de qua agimus. Quod vero contemplatio naturalis vehemens, etiamsi fiat per solam speculationem, inferat externorum sensuum alienationem, sentit Cajetanus loco cit. cohærenter ad doctrinam S. Thomæ ibidem allatam, & suadent exempla Trismegisti, Socratis, & Platonis, quos in rerum speculabilium contemplatione suspensos remansisse tradunt historica monumenta: alia etiam habes ex Gersone opusc. de ment. contemplat. 31. Alphab. 74. lit. Q. Ea autem adscribere dæmonum virtuti non tenemur: quamquam enim dubium non sit, dæmonem vias spirituum animalium obstruendo posse sensuum externorum alienationem causare; ubi tamen signa non apparent, vel effectus operationis dæmonis, ut recte observat Suarez, non oportet ei semper ejusmodi alienationes adscribere.

Objicies I. Sensus externi sunt facultates naturales, quæ nullam animæ advertentiam exposcunt in ordine ad operandum: & exemplificatur in sensibus tactus, & gustus; quamobrem S. Thomas 1. p. quæst. 78. art. 3. in corp. inquit: *Tactus autem, & gustus sunt maxime naturales*. Ergo quemadmodum vehemens contemplatio non suspendit operationes vegetativas, ita nec sensuum externorum.

Respondeo, diversimode esse naturales facultates vegetativas, ac sensus externos. Facultates vegetativæ ita sunt naturales, ut cognoscitivæ non sint, nullamque dicant elevationem supra materiam: e contra sensus externi ita naturales sunt, ut sint potentiæ cognoscitivæ, & elevationem dicant supra materiam: & ideo exigunt animæ intentionem, ut habetur ex D. Thoma 2. 2. q. 175. art. 5. ubi ait: *Ad tertium dicendum, quod vires animæ vegetabilis non operantur ex intentione animæ, sicut vires sensitivæ, sed per modum naturæ: & ideo non requiritur ad raptum ab eis abstractio, sicut a potentiis sensitivis, per quarum operationes minueretur intentio animæ circa intellectivam cognitionem*.

Objicies II. Contemplatio perfectorum est contemplatio vehemens. Sed contemplatio perfectorum non suspendit operationes sensuum externorum. Ergo contemplatio vehemens non suspendit operationes sensuum externorum. Major probatur auctoritate S. Joannis a Cruce, qui Cant. 31. docet, sensuum alienationes locum habere in proficientibus, non in perfectis, easque cessare, adveniente statu perfectionis. *Nel tempo di tali visite provano questi sentimenti coloro, che non sono ancora arrivati allo stato di perfezione, ma che tuttavia per quello camminano de' proficienti: poichè gli altri, che vi son giunti, godono le loro comunicazioni in pace, ed amor soave, e cessano questi rapimenti, che ad una tale comunicazione disponevano*. Et S. Theresia Deum exoravit, ut ab ea sensuum alienationes auferret; adeoque non sunt proprietates contemplationis perfectorum: alias non prudenter se gessisset; rogasset enim Deum pro carentia perfectissimi amoris, & perfectissimæ lucis, a quibus prodeunt sensuum alienationes: ut habetur Vitæ cap. 20. *Supplicai dopo molto di cuore il Signore, che non volesse oramai farmi più grazie, che avessero segni, ed apparenze esteriori. Perocchè già io era stancha d'andar con tanto riguardo; e che quella grazia non poteva Sua Maestà farmela senza che si conoscesse da altri. Pare sia piaciuto alla sua bontà infinita esaudirmi, poichè d'allora in qua non l'ho più avuta. Vero è, che è poco tempo. Pareva, che quando voleva resistere, mi prendessero sotto i piedi, e m'inalzassero forze sì grandi, che non so io, a che cosa l'assomigliare*. Minor probatur. Vehementia divinæ contemplationis oritur ex abundantia lucis illustrantis intellectum, & ex ardore caritatis, qua flagrat voluntas: utraque autem in perfectis reperitur: ergo contemplatio perfectorum est contemplatio vehemens.

Ad gravissimæ hujus difficultatis solutionem, observare oportet primo raptus naturam, quæ in eo consistit (ut docet S. Thomas quæst. cit. 175. art. 1.) *ut sit motio spiritualis, qua anima subito fertur in objectum superius modo sibi non naturali cum sensuum alienatione, & violentia quadam*. Dicitur *motio spiritualis, subito affulgens*: non enim quæcumque motio, seu elevatio requiritur ad raptum, sed quæ subito affulgeat, seu animam elevet; insu-

Insuper quod per dictam motionem anima feratur in *objectum superius*: quia si subito feratur, non tamen in objectum superius, raptus non erit: Objectum autem superius non erit, quantum ad præsens instituum; nisi statum animæ illud attingentis excedat; modo sibi non naturali, seu modo non exacto, nec debito ipsi animæ pro tali statu: quia cum inter objectum attingibile, & animam attingentem proportio requiratur, ut hæc in illud feratur, & illud, ut ab anima attingatur, hac proportione deficiente, erit quidem animæ objectum, quod proponitur attingendum, sed non erit proxime attingibile. Et ideo Deus prout proxime attingibilis a proficiente est objectum superius respectu incipientis; & idem Deus prout est proxime attingibilis a perfectis, est objectum superius respectu proficientis. Quare cum S. Doctor in definitione raptus dicit in *objectum superius*, de superioritate inattingibilitatis proximæ est intelligendus. Prosequitur S. Thomas, *modo sibi non naturali*: non quia anima feratur in id, quod suæ naturæ repugnat; sed quod anima feratur in id, quod sibi connaturalissimum est, sed modo non debito, non exacto, prout est in eo statu. Et ideo potest Deus, prout est in se, videri ab anima vel separata a corpore, vel adhuc existente in corpore: si separata a corpore Deum videat, non erit raptus; sicuti datur, si videat eum in corpore existens, quia videt modo non naturali. Sequentia verba *cum sensuum alienatione* significant, non sufficere motionem, seu elevationem subitam animæ ad objectum, sed quod talis conditionis sit ob lucis activitatem, & efficaciam, ut pene totam animæ capacitatem absorbeat. Servatis itaque explicatis conditionibus, intervenit sensuum alienatio diversa ab ea, quæ in somno contingit; & si ea deficiat, non erit raptus proprie talis. Tandem redduntur ea vacua, *& violentia quadam*, per quam raptus ab extasi distinguitur, ut dicemus §. sequenti. Ex qua definitione raptus explicata colligitur, perfectos elevatos ad aliquid contemplandum, suum statum excedens, a sensibus alienari: quia illud superius est in esse intelligibilis, cum non feratur in illud modo sibi naturali, non supposito in eis principio, quod exigat talem perceptionem. Philippus a SS. Trinitate 2. part. Mystic. Theolog. tract. 3. art. 4. ob prajactam rationem, sensuum alienationes, & raptus pari perfectos his verbis declarat. *Contingit aliquando, quod in viris etiam perfectis fiant raptus, qui vere ex objecti manifestati nobilitate, vel ex interni luminis divinitus infusi splendore, et abundantia procedunt: dum scilicet vel sublimior aliqua veritas divina numquam prius ostensa, vel eadem clarius, & evidentius demonstratur. Quando igitur novum aliquod tale divinitatis Mysterium viris perfectis demonstratur, non mirum; si tunc ex objecti nobilitate raptum, & extasim præ admiratione rei tam sublimis visæ, præ ejus amore, & jucunditate possessionis aliqualis habitæ patiantur.*

Respondeo itaque ad argumentum ex observata doctrina, distinguendo majorem. Contemplatio perfectorum est contemplatio vehemens absolute; concedo majorem: respective ad contemplantem: nego majorem. Ex duabus causis potest contemplatio vehementiam habere: & absolute ex nobilitate objecti visi vel quoad substantiam, vel quoad modum, ex claritate luminis, ex admiratione, ex jucunditate, & ex ardentissimo amore; secundo respective ad contemplantem, quia ejus imperfectio præstat, ut contemplatio ex se non vehemens talis sit ob subjecti contemplantis imperfectionem. Quare licet contemplatio perfectorum ex parte subjectorum contemplantium vehemens non sit, vehemens tamen est absolute, & secundum sibi propria, propter rationes assignatas ratione superioritatis objecti: proindeque causat alienationes sensuum. Hinc percipies, S. Joannem a Cruce non loqui de omnibus, & quibuslibet sensuum alienationibus; ita ut ab iis eximat perfectos, sed de illis dumtaxat, quæ tales sunt respectu proficientium. Paucioribus verbis: sentit non habere contemplationes, quæ vehementes sint ex parte contemplantium, ac disponunt animam ad unionem cum Deo propriam status perfectorum; & ideo dicit, *Cessano questi rapimenti*. Cæterum non negat alienationes sensuum, quæ fiunt sine angustiis in viris perfectis propter divinas communicationes, quas ibi adstruit tranquillas, pacificas, & suaves.

Ad auctoritatem S. Theresiæ dices, potius ea nostram assertionem, & doctrinam confirmari, quam labefactari: quandoquidem si Sancta Virgo statum perfectionis assecuta, adhuc sensuum externorum suspensiones patiebatur; recte inferunt, perfectorum contemplationem, quantumvis sublimem, ex quo ardor suavis est, posse quandoque sensuum alienationes causare. Prudentissime tamen se gessit rogando Deum, ut a se ejusmodi alienationes auferret, tum quia in hisce gratiis perfectio non consistit; tum quia media non sunt ad consequendam perfectionem necessaria, atque minus valent, quam minimus actus humilitatis; tum quia eas elationis periculum comitatur.

Quæres. An Sanctissima Virgo Maria, quæ sublimissima contemplatione fruebatur, passa fuerit sensuum alienationes?

Respondeo. Quamquam excellentissimæ perfectioni, & sanctitati Beatissimæ Virginis non deroget, nobilissimi objecti repræsentatio, quandoque causans sensuum externorum alienationem; cohærenter tamen ad ea, quæ diximus, existimamus, eam numquam in ejusmodi contemplationibus passam fuisse sensuum externorum alienationes: quia licet fuerint vehementes, supponebant tamen ejus animam sanctissimam roboratam, ac proportionatam ad quamlibet veritatem, etiam excedentem, contemplandam ex privilegiis, & donis specialibus & excellentioribus, quam cæteris Sanctis viatoribus fuerint collata, quin a sensibus externis alienaretur.

§. III.

An dari queat contemplatio vehemens sine sensibus internis.

ALiis terminis, sed idem significantibus, hoc dubium proponitur, Num dari possit vehemens contemplatio sine operatione phantasiæ? Ex dicendis tamen, phantasiæ nomen tres sensus internos comprehendit, de quibus est principalis controversia; & procedit de homine puro viatore: Ideoque Angelos sensibus carentes, animas separatas, & Christum Dominum excludimus. Et quidem loquimur de homine viatore formaliter, prout in contemplando sive per contemplationem acquisitam, sive infusam explicat statum viatoris.

Observa tamen I. Quatuor esse sensus internos: nempe sensum communem, imaginativam, æstimativam, & memoriam. Sensus communis est, qui attingit omnes rationes sensatas cognitas a sensibus exterioribus, ita ut ea omnia, quæ a quinque sensibus externis attinguntur, a sensu communi cognoscantur, immo & eorum sensationes, puta videre, & tangere; non tamen servat species objectorum sensuum externorum, ita ut in eorum absentia nihil cognoscat, aut sentiat.

Observa II. Phantasiam, seu imaginativam dupliciter sumi. Primo particulariter, & est potentia cognoscitiva, & retentiva illatum intentionum, quas recipit sensus communis, easque propter suam humiditatem non retinet: & ideo Phantasia *thesaurus* dicitur, quia in ea sensatæ species conservantur. Secundo phantasia sumitur communiter, quo pacto sensus omnes internos significat præter communem: unde imaginativa phantasia dicitur, sicut etiam æstimativa, & memoria. Et profecto phantasiæ nomen memoratis tribus sensibus internis proprie convenit: quia est sensus formativus phantasmatis, in quo continetur objectum intellectus pro hoc statu. Hoc vero determinate alicui facultati non convenit privative, sed imaginativæ, quatenus efformat phantasmata sensata, eorum nempe, quæ a sensibus externis, & communi attacta sunt; pariter æstimativæ, quæ idola rerum insensatarum fabricat; tandem convenit memoriæ per hoc, quod ipsa insensata recipiat, conservet, & offerat speculanda.

Observa III. Non posse pro hoc statu intellectum suum objectum proportionatum, quod est quidditas materialis, cognoscere perfecte, quin ultimo ad individua terminetur, in quibus quidditas materialis subsistit; ac per consequens sensus requiruntur illas rationes materiales offerens, a quibus abstrahatur quidditas cognoscenda, & contemplanda. Quod adeo verum est, ut ipsas quidditates cujuscumque materiæ prorsus expertes non cognoscamus pro hoc statu perfecte, sine phantasmatum concursu; immo nec Deum ipsum, quin ad phantasmata corporum convertamur. Ex quo colligitur, dependentiam intellectus a sensibus non solum consistere in hoc, quod pro nunc intelligere nequeat, nisi per specierum receptionem a sensibus ministrantibus sensibilia; quin in eo, quod non valeat suum actum elicere, nisi aliquis ex dictis sensibus internis concurrat offerendo phantasmata. Hæc quippe deserviunt, ut ab ipsis abstrahatur species, qua mediante intellectus cognoscat, ac ad instar phantasmatum cognoscat naturam, quam species repræsentat: & per consequens duobus modis intellectus viatoris dependentiam dicit a sensibus. Primo in accipiendis speciebus; secundo in convertendo se ad phantasmata, ut naturam a speciebus repræsentatam contemplatur. A prima dependentia eximitur, si jam habeat species; immo liberatur omnino, si per species infusas contemplaretur. A secunda vero, saltem quando intelligit per species a rebus acceptas, liberum esse in contemplatione, quæ regulariter datur, certum non est: an vero ab illa exemptus sit, cum intelligit per species infusas, & aliquando per species a rebus acceptas, in præsenti examinandum est.

Observa IV. Dari diversitatem inter hæc: quod intellectus, ut intelligat, debeat converti ad phantasmata; & quod, ut intellectus intelligat, dependeat a phantasia actu phan-

phantasiante: quia potest phantasia jam explevisse munus suum, & quod intellectus phantasiæ exercitio non indigeat, sed dumtaxat phantasmate jam fabricato, & conservato. Insuper phantasmatum, & phantasiæ phantasiantis exercitium diversimode pro contemplatione habenda contingere: quia primo adeo manifeste concurrunt, ut secluso discursu, perspicue tum phantasmatum, tum phantasiæ concursus dignoscantur. Secundo in contemplatione magis subtili minus perspicue concurrant; adeo ut diligentiam adhibere necesse sit, ut discernantur. Tertio cum contemplatio adeo sublimis, suavis, & elevata est, ut quantumvis ad eam tum phantasiæ; tum phantasmatum concursus requirantur, tamen imperceptibilis fit: & ideo apud nonnullos Mysticos invaluit proloquium, in excellenti, sublimique contemplatione nec phantasiæ, neque phantasmatum concursum reperiri.

Observa V. In quacumque nostra cognitione attendendum esse id a quo incipit, & id ad quod deducitur: scilicet principium, & terminum. Principium ad apprehensionem spectat: terminus ad judicium, quia ibi cognitio percipitur. Principium semper est idem incipit enim ab apprehensione sensus, a quo oritur apprehensio phantasiæ, & ad hanc apprehensio intellectus. Non tamen quæcumque nostra cognitio eumdem terminum habet. Etenim si sermo fit de triplici partis speculativæ cognitione; naturalis terminatur ad sensum: quia accidentia per sensum cognita rei proprietates, & naturam sufficienter exprimunt; & tunc intellectus judicium conformari debet iis, quæ sensus de re demonstrat. Si cognitio fit de re abstrahente a re sensibili, sed non ab imaginabili, ut in mathematices cognitione; tunc cognitionis terminus non est sensus, sed imaginatio, ad quam secundum judicium terminat. Et quia dantur alia, quæ sensum, & imaginationem excedunt; nec a materia secundum esse, neque secundum considerationem, eorum judicium nec ad sensum, neque ad imaginationem debet terminari; sed ex iis, quæ sensu, vel imaginatione cognoscimus, in illorum cognitionem devenimus vel per viam causalitatis, vel per viam excessus, & remotionis, judicantes omnia, qua per sensum apprehendimus longe ab illis separari: adeoque Deum contemplantes possumus uti sensu, vel imaginatione, tamquam nostræ cognitionis principiis, non tamen ut terminis.

His observatis, omnes Doctores, qui per vehementem contemplationem existimant ligari operationes sensuum externorum, ex consequenti tenentur asserere, etiam ligari sensum communem. Etenim sensus communis non sentit, nec potest sentire, ligatis sensibus externis, quia nequit attingere sensibile absens; ligatis autem sensibus externis, quodlibet sensibile absens est relate ad sensum communem, qui ex sui natura non sentit, nec potest sentire nisi sensibile præsens. Sed remanet controversia principalis de aliis tribus sensibus internis, sub nomine phantasiæ, ut observavimus, non immerito comprehensis, & ad conciliandam eidem controversiæ claritatem varias afferimus sententias.

Prima adeo liberalis est in absolvendo intellectum contemplantis a dependentia a phantasmatibus, ut fere omnes contemplationes ab hac lege fateatur immunes. Et fortasse ex hac independentia tot errores in via spiritus serpere animadvertimus; ut notat, & deplorat Cajetanus 1. p. quæst. 48. art. 8. *Nota*, inquit, *hic diligentissime, & cautissime, quod quia judicium intellectuale ideo fallitur ligato sensu, quia non potest resolvere, quod judicat, in particulari sensibile; consequens est, quod multo magis intellectuale fallatur, quando despiciuntur particularia, nec est curæ, ut habeat judicium rationis testimonium a sensibilibus: & propterea in plurimos contingit labi errores, quia a superioribus inchoant judicium, & ordinant doctrinas suas, inconsultis sensibus. Unde Pater Philosophorum Aristoteles numquam a sensibus recedens, semper juxta veritatem judicavit.*

Secunda sententia affirmat, contemplationem acquisitam per affirmationem, sive naturalis sit, sive supernaturalis, haberi dependenter a phantasmatibus; secus vero contemplationem acquisitam per negationem, vel excessum. Ita Thomas a Jesu de contempl. divin. libr. 5. cap. 1. Dionysius Carthusianus de Mystic. Theolog. cap. 1. aliique relati a Nicol. a Jesu Maria in elucidat. phras. Mystic. S. Joan. a Cruce.

Tertia docet, contemplationem infusam esse omnino a phantasmatibus independentem, non vero acquisitam, quæcumque illa sit. Et huic sententiæ subscribit Magister Torre in 2. 2. quæst. 95. art. 6. disp. 14. aliique plurimi, qui omnes per hoc præcise, quod contemplatio infusa sit, phantasmatum necessitatem negant; vel fortasse quamlibet infusam vehementem esse adstruunt.

Quarta quamcumque contemplationem etiam infusam phantasmatibus indigere fatetur; non tamen esse necessarium pro qualibet concursum phantasiæ actu phantasiantis.

Quinta demum, inter contemplationem propriam status justitiæ originalis, & propriam nostri status distinguens, phantasmatum necessitatem pro primo negat, quam concedit, propugnatque pro secundo.

Nostra tamen sententia est, contemplationem religiosam, sive naturalis sit, sive supernaturalis, sive affirmativa, sive negativa, sive acquisita, sive infusa, si hominis viatoris sit, & secundum viæ conditionem procedat, non posse dari sine phantasmatibus.

Probatur I. a ratione. Quæcumque contemplatio, etiam infusa, hominis viatoris est actus intellectus, qui partim est intra materiam, partim extra materiam; qui est facultas animæ obligatæ corpori; cujus denique objectum etiam pro hoc statu extensivum est quidditas materialis. Ergo indiget phantasmatibus. Antecedens negari non potest propter ea, quæ observavimus. Consequentia probatur: quia actus debet sapere conditionem sui principii; at propterea si principium est aliquo modo materiale, non valet actus non concernere materiam. Rursus. Actus cujuslibet facultatis nequit ultra illius facultatis objectum se extendere; ideoque nec tactus potest audire, nec auditus tangere: & ut proximius ad rem nostram accedamus, non potest intellectus viatoris clare, & intuitive Deum cognoscere cognitione, quæ hujus status sit propria; licet Deus clare, & intuitive cognitus sit objectum viatoris. A pari ergo nequit intellectus sine phantasmatum concursu suum objectum contemplatione propria status viatoris sine phantasmatibus contemplari. Quemadmodum enim contemplatio Dei facie ad faciem excedit conditionem viæ; sic pariter sine phantasmatibus contemplari. Et ideo S. Dionysius relatus ab Alberto Magno ita loquitur, præsentis status contemplationem exponens: *Etenim neque possibile est aliter lucere nobis divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum anagogice circumvelatum, & his, quæ secundum nos sunt, providentia paterna connaturaliter, & proprie præparatum . . . . Quoniam nec est possibile nostro animo ad non materialem illam ascendere cælestium hierarchiarum imitationem, & contemplationem, nisi ea, quæ secundum ipsum est, materiali manuductione utatur.*

Ut objectionem præveniamus, observa, Paulum Apostolum, viatorem manentem, Deum clare & intuitive vidisse. Verum vel erat tunc habitu viator, non actu, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 45. art. 3. & 5. vel vidit non juxta, sed supra conditionem status viatoris. Immo quicumque ita raperetur, Deum minime contemplaretur contemplatione propria status viatoris.

Probatur II. ex S. Thoma, qui 1. p. quæst. 84. art. 7. inquit: *Respondeo dicendum, quod impossibile est, intellectum secundum præsentis vitæ statum, quo passibili corpori conjungitur, aliquid intelligere in actu, nisi convertendo se ad phantasmata*: & Opusc. 70. quæst. 5. art. 2. ad ultim. arg. ait: *Phantasmata comparantur ad intellectum ut objecta, in quibus inspicit omne, quod inspicit, vel secundum perfectam repræsentationem, vel secundum negationem; & ideo quando phantasmatum cognitio impeditur, oportet totaliter impediri cognitionem intellectus in divinis. Patet igitur, quod non possumus intelligere, Deum causam corporum esse, sive supra omnia corpora, sive absque corporeitate, nisi imaginemur corpora; non tamen judicium divinorum secundum imaginationem formatur: & ideo quantumvis imaginatio in qualibet divinorum cognitione sit necessaria secundum statum viæ, numquam tamen ad eam deduci oportet in divinis.* Clarius mentem suam aperit S. Doctor de contemplatione infusa agens disputat. de anima art. 15. *Manifestum est*, inquit, *quod in revelationibus, quæ nobis divinitus fiunt per influxum substantiarum superiorum, indigemus aliquibus phantasmatibus: unde dicit Dionys. 1. cap. cælest. Hierarch. quod impossibile est aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum velatum. Quod quidem non esset, si phantasmata nobis non essent necessaria, nisi ad convertendum nos ad substantias superiores. Et ideo aliter dicendum est, quod potentiæ sensitivæ sunt necessariæ animæ ad intelligendum non per accidens, tamquam excitantes, ut Plato posuit; neque disponentes tantum, sicut posuit Avicenna: sed ut repræsentantes animæ intellectivæ proprium objectum, ut dicit Philosophus 3. de anima, intellectivæ animæ phantasmata sunt sicut sensibilia sensui.* Ergo ex mente S. Thomæ tam contemplatio acquisita, quam infusa, de qua loquitur in hac ultima auctoritate *in (revelationibus, quæ nobis divinitus fiunt)* indigent operatione phantasiæ.

Ex dictis colligitur nedum phantasmatum necessitas pro quacumque contemplatione; verum etiam & cooperatio phantasiæ: quia in omni contemplatione, pro qua requiruntur phantasmata, datur conversio ad phantasmata, ac per consequens concursus phantasiæ. Et ex eo probari potest, tum quia juxta auctoritates allatas D. Thomæ conversio ad phantasmata non est actus solius intellectus, adeoque postulat actum phantasiæ; tum quia conversio ad phantasmata dicit actum potentiæ directe cognoscentis singularia, adeoque actum phantasiæ.

Objicies I. Nulla potentia etiam per miraculum egredi valet extra limites sui objecti extensivi. Vel ergo intellectus elevari non potest ad videndum clare, & intuitive Deum, cum non sit quidditas materialis; vel objectum intellectus hominis viatoris extensivum non est quidditas materialis.

Respondeo, duplex esse objectum extensivum alicujus potentiæ. Primum extensivum relate ad potentiam secundum se sumptam, prout abstrahit ab hoc, vel illo statu. Aliud extensivum relate ad potentiam prout in aliquo statu; quod non dicitur extensivum absolute, nec specificativum talis potentiæ. Et ideo, quia hoc magis late patet, quam primum; & respectu intellectus secundum se sumpti est ens, idcirco elevari potest ad videndum clare, & intuitive Deum; quod convenire non potest intellectui reduplicative, prout est hominis in statu viatoris.

Objicies II. Phantasia molestissima est quieti contemplationis: *Recedat procul* (inquit Richardus lib. 3. de contempl. cap. 1.) *ab hoc negotio tot phantasiarum formatrix imaginatio, quæ tot corporalium quotidie novas creat, antiquas reparat . . . Nihil hic prodest; immo multum obest suorum simulacrorum tam copiosa multitudo*. Et S. Theresia de insultibus, quibus eadem phantasia animam inquietat, differens, Deum enixe deprecatur, ut amentem hanc potentiam ligare dignetur, ut pacifice contemplationis dulcedine perfruatur. Ergo in contemplatione extatica ligatur imaginatio, ne contemplationem perturbet, ut exigit Richardus, ac postulat S. Theresia.

Respondeo, phantasiam duplici modo considerari posse. Primo, secundum substantiam sui ministerii, quatenus offert intellectui phantasmata, quæ speculetur. Secundo, juxta modum quo hoc ministerium exercet, qui quidem inquietus, ac tumultuosus est. Itaque a phantasia hoc secundo modo considerata ebstrahit vehemens contemplatio, eamque suspendit, non minus quam sensus omnes externos, & sensum communem. Nequit tamen abstrahere a phantasia priori modo considerata: quia operatio phantasiæ intellectui contemplantis subordinatur, & utraque potentia agit propter unum. Proinde sub hac consideratione prodest, non obest contemplationi, eique famulatur; & quandoque, ubi contemplatio valde perfecta est, pene imperceptibilis est. Ex quo habes, Richardum & S. Theresiam loqui de modo, quo exercet suum ministerium phantasia, quem obesse potius, quam prodesse asserunt, ab eoque postulat liberari S. Theresia, non vero e substantia ministerii phantasiæ.

Objicies III. contra nostram Assertionem. Species, quibus mediis habetur contemplatio activa, non solum habentur per phantasiam, sed etiam & prius per sensus externos, & sensum communem; adeoque etiamsi extatica sit, non posset haberi sine illis; vel dari poterit absque operatione phantasiæ. Ergo quemadmodum hoc non obstante abstrahit a sensibus externis, ita ab operatione phantasiæ. Corruit ergo fundamentum pro nostra sententiæ superius præjactum.

Respondeo, verum esse, contemplationem acquisitam initium habere, non quidem immediatum, sed remotum, & mediatum a sensibus externis, & communi. Cæterum sensus communis non conservat eas species, sed ad phantasiam transeunt, quæ efformat pantasmata, ac inde species impressæ intellectus ad contemplationem acquisitam deservientes producuntur. Quare a phantasia, non a sensu, aut aliis sensibus habet secum immediatum initium contemplatio: & ideo abstrahit ab aliis, qui immediatum principium contemplationis non sunt nedum extaticæ, quin & ejus, quæ extatica non est, non propter hoc, quod illos liget; sed quia proxime, & immediate non eget, licet eguerit mediate, ac præsuppositive.

Objicies IV. Etiamsi admittatur operatio in ordine ad objectum, quod removetur, non tamen erga objectum proprium contemplationis negativæ. Hoc quippe est veritas increata, ut excedens omne id, quod potest in mentem cadere; adeoque proponitur objectum contemplabile independenter a phantasmatibus: concipitur enim ut transcendens phantasmata, & omnia creata, & creabilia. Ergo in contemplatione extatica acquisita, quæ per negationem procedit, non datur necessitas phatasmatum.

Respondeo, Si respectu objecti removendi per contemplationem negativam, indiget intellectus operatione phantasiæ; exigit etiam pro contemplatione negativa: quia posito, quod negativa sit, necessario dari debet aliquid, quod neget, seu ab objecto sibi proposito removeat. Ac proinde ab ipsamet contemplatione necessario requiritur operatio phantasiæ, qua objectum, quod removetur, existat.

Objicies V. S. Bernardus Serm. 52. in Cant. inquit, *Moriatur anima mea morte etiam, si dici potest, Angelorum, ut præsentium memoriam excedens, rerum se inferiorum, & corporearum non modo cupiditatibus, sed & similitudinibus exuat. Talis, ut opinor, excessus, aut tantum, aut maxime contemplatio dicitur*: & Serm. 35. monuerat: *Transilisti carnis oblectamenta, ut minime jam obedias concupiscentiis ejus, nec tenearis illecebris. Perfecisti, & superasti te; nondum elongasti, nisi & irruentia undique phantasmata corporearum similitudinum transvolare mentis puritate prævaleas*. Ergo ex mellifluo Doctore non requiritur necessario phatasmatum concursus ad contemplationem negativam; alias ea deserere non suaderet.

Respondeo, observando, intellectum pro statu viæ duobus modis phantasmata speculari. Primo, cum imperat phantasiæ, ut imaginem Christi Domini, vel Paradisi cælestis efformet; quod exercitium pertinet ad incumbentes meditationi. Cæterum quando ex Dei clementia ad contemplationem ascendit; tunc debet hunc phantasmatum usum deserere, alias contemplationem non exerceret. Secundus modus speculandi phantasmata correspondet homini, prout spectat ad statum viatoris, ac consequenter proprius intellectus, prout est potentia hominis viatoris; qui modus certe elevatior est, ac proinde excellentior, atque sublimior, & in eo potissimum consistit, ut quis renuat divina in phantasmatibus cognoscere, ac consequenter ad divina in seipsis assurgat cognoscenda. Porro cum nequeat ea, prout sunt in seipsis, contemplari, exigit phantasmata, ad quorum similitudinem divina ipsa cognoscit. Quare primo illo modo quæruntur phantasmata, ut in ipsis, & per seipsa veritas attingatur; at secundo modo ipsa veritas quæritur in se, licet cum connotatione ad phantasmata. Hac præmissa observatione, dicendum S. Bernardum in utraque auctoritate loqui de phantasmatibus deserendis primo modo sumptis, secus de phantasmatibus secundo modo consideratis.

Objicies VI. ex S. Dionysio lib. de Mystic. Thelog. cap. 1. *Tu autem, o amice Timothee*, inquit, *circa mysticas visiones forti contritione sensus derelinque, & intellectuales operationes, & omnia sensibilia, & intelligibilia, & omnia existentia, & non existentia, & sicut est possibile, ignote consurge ad ejus imitationem, qui est super omnem substantiam, & cognitionem; etenim excessu tui ipsius, & omnium irretentibili, & absoluto, munde ad supersubstantialem tenebrarum radicem cuncta auferens, & a cunctis absolutus sursum ageris*. Quare cum phantasmata sint sensibilia, in eminenti contemplatione relinquenda sunt; adeoque habetur contemplatio in eminenti gradu sine conversione ad phantasmata. Idem docuit S. Augustinus loquens de contemplatione infusa lib. 12. de Genes. ad Liter. cap. 12. & 26. *Ibi*, ait, *sine ulla corporis similitudine perspicua veritas cernitur, nullis opinionum falsarum nebulis offuscatur; ibi virtutes animæ non sunt oppressæ, & laboriosæ*: & Tract. 12. in Joann. *Cum vero spiritualis cœperit omnia judicare, ipse autem a nemine judicatur, etiamsi in hac vita adhuc per speculum ex parte perspiciat; tamen non ullo corporis sensu, non ulla imaginaria cogitatione, qua capit, aut fingit qualescumque similitudines corporum, sed mentis certissima intelligentia Deum intelligit non corpus esse, sed spiritum*. Ubi, ut vides, habetur secundum Augustinum contemplatio infusa sine phantasmatum subsidio.

Respondeo ad auctoritatem S. Dionysii, ubi præcipuum suæ assertionis fundamentum constituit Carthusianus, eum loqui de contemplatione acquisita, & infusa: quia esto prima, quæ est ex gratiæ auxiliantis adjutorio, sit in potestate contemplantis; attamen quidquid contemplativi observare debeant ad apicem activæ contemplationis attingendum, præscribit. Secunda vero, quamquam nostro non subsit arbitrio, possumus tamen eam impedire: & quidem pluribus impeditur, videlicet sensuum sensationibus erga sua sensibilia; operatione connaturali intellectiva ipsius intellectus, & etiam intelligibili modo connaturali, & non ex lumine divino cognito; omnibus creatis existentibus, & non existentibus, si ad contemplationem habendam non conducant, aut admittantur eo modo, quo non conducunt; tandem ipsa specie intelligibili, si in illam veluti in objectum contemplandum intellectus dirigatur. Et propterea monet S. Dionysius, verum contemplatorem debere ab iis omnibus segregari, ad obtinendam contemplationem infusam. Quare, ut dixi, de utraque loquitur, & signanter de negativa, ut ibidem ait: *Tunc contemplator & ab ipsis absolvitur visis, & videntibus, & ad caliginem ignorantiæ intrat. Quæ caligo vere est Mystica, in qua claudit omnes cognitivas susceptiones, & impossibili omnino, & invisibili fit omnis existens ejus, qui est super omnia, & nullius, neque sui ipsius, nec alterius omnino aut ignoto, vacatione omnis cogitationis, secundum melius unitur, & eo, quod nihil cognoscit, supra mentem cognoscens*. Venio ad S. Augustinum, qui in allatis auctoritatibus loquitur de contemplatione, ad quam ex industria non construuntur imagines, sed excluduntur. Et ideo in prima inquit: *Virtutes animæ non sunt oppressæ, & laboriosæ*: in contemplatione enim per negationem anima non procedit ut pictor addendo, sed ut sculptor auferendo. Unde sermo est de contemplatione, ad quam non

desi-

desiderantur phantasmata specialiter constructa, & elaborata, sed qualitercumque habita.

Objicies ultimo. Lumen, & species, ex quibus procedit contemplatio infusa, non dependent a phantasmatibus: ergo contemplatio infusa ligat phantasiam. Antecedens probatur. Lumen illud, & species infunduntur a Deo: ergo non dependent lumen, & species, ex quibus procedit contemplatio, a phantasmatibus.

Respondeo. Quidquid sit, an contemplatio infusa dumtaxat aliquando, an vero semper, & ex necessitate procedat ex speciebus infusis (de qua re vide dicta Dissert. VIII. §. 3.) verum est, lumen, & species, contemplationi infusæ inservientes, ratione sui non dependere a phantasmatibus: ab hac tamen dependentia absolvi non possunt ratione subjecti ea recipientis, quia unumquodque recipitur ad modum recipientis. Exemplo res declaratur. Gratia habitualis Christi, Angelorum, & hominum nonne est ejusdem speciei? Et nihilominus in Christo nec fidem, nec spem radicat, quas radicavit in Angelis: item in nobis radicat habitum pœnitentiæ, quem non radicat in Angelis.

Quæres pro hujus dubii satis implexi coronide, num contemplatio Adami in statu justitiæ originalis fuerit sine phantasmatibus?

Respondetur affirmative contra Scotum in 1. dist. 3. quæst. 3. dub. 2. asserentem, intelligere per conversionem ad phantasmata datum fuisse hominibus in pœnam peccati originalis. Quia intelligere dependenter a phantasmatibus est omnino connaturale, naturaliter conveniens homini per intellectum cognoscenti. Ergo nec ei competit per peccatum originale, nec illi per peccatum inflictum est; cum in gratuitis dumtaxat per peccatum Adam fuerit spoliatus, ac vulneratus dumtaxat in naturalibus.

§. IV.

An contemplatio vehemens liget appetitum sensitivum.

SI appetitus sensitivus supposita vehementi contemplatione influere nequeat, nec in suos actus prodire, necesse est, ut ligetur: quia cessat animæ influxus, sine quo ille agere non potest.

Dicendum est, contemplationem vehementem ligare appetitum sensitivum in ordine ad objecta inferiora, ad quæ naturaliter inclinat, non tamen circa objecta superiora, ad quæ attingenda elevatur, atque fertur aliquo modo supra seipsum. Quamobrem quando hoc modo fertur ad illa, dicitur extasim pati, non quia operationem auferat omnino, sed quia quodammodo extra se supra se feratur. Ita eximius P. Suarez lib. 2. de orat. Mental. cap. 19 num. 3. qui ita ratiocinatur. Quod ait S. Thomas 2. 2. quæst. 175. art. 2. per contemplationem scilicet, & amorem Dei causari extasim secundum appetitum, non ideo dictum est, quia contemplatio impediat motum omnem appetitus sensitivi; sed quia impedit, ne appetitus feratur in ea objecta inferiora, in quæ naturaliter inclinatur, sed ut elevetur aliquo modo ad divina, quæ ipsum appetitum superant. Et ideo, quando ad illa fertur, dicitur extasim pati, non quia operari sinat, sed quia quodammodo extra se rapiatur. Rursus, sicut contemplatio etiam vehemens hominis, prout est in statu viæ, & juxta modum intelligendi proportionatum animæ conjunctæ corpori passibili, non abstrahit ab operatione phantasiæ, licet a sensibus externis alienationem patiatur; ita non impeditur appetitus sensitivus, ut voluntati operanti cooperetur in ordine ad effectum voluntati proportionatum vel voluptatis, vel timoris, per se loquendo, & seclusis impedimentis. Illa siquidem operationum pluralitas non impedit intensionem motus voluntatis, sed potius juvat, ob naturalem inter illos affectus connexionem, quantumvis fiat abstractio ab appetitu sensitivo, prout inclinat ad inferiora.

§. V.

An contemplatio vehemens vel in raptu, vel in extasi sit meritoria.

HActenus contemplationem vehementem cum viribus naturalibus animæ, sensibus externis, & internis, ac cum appetitu sensitivo comparavimus: modo eam cum viribus rationalibus conferimus, inquirendo, an libera sit, & meritoria in extasi, vel raptu; quia a Doctoribus Mysticis non raro pro eodem usurpantur. Unde S. Thomas de Verit. quæst. 13. art. 2. inquit: *Respondeo dicendum, quod excessus mentis, extasis, & raptus, omnia in Scripturis pro eodem accipiuntur, & significant elevationem quamdam ab exterioribus sensibilibus, quibus naturaliter intendimus ad aliqua, quæ sunt supra hominem.* Dum enim mens hujusmodi excessibus elevatur, ordo ille inter animam, ejusque potentias prætermittitur, quia non solum anima sensibus externis non utitur, quin etiam velut exanimes eos deserit. Et in hoc violentia ab his excessibus causata consistit; quamvis alia differentia accidentalis inter utrumque excessum versetur ex parte modi. Etenim raptus ex duplici causa violentiam causat. Quia illum patiens primo per ejus impulsum extra suam ordinationem ponitur, præter separationem a sensibus, & sensibilibus. Secundo raptus violentiam causat ex modo impetuoso, & subitaneo, quo animam invadit; in quo discriminatur ab extasi: per hanc quippe benigno, sereno que afflatu infima quæque transcendit, ad instar avis, quæ velut immota aera secat.

Supponendum tamen est ante resolutionem dubii, liberum non esse homini assumi ad contemplandum superna in extasi, vel raptu, ut communiter docent Doctores Mystici. Libertas siquidem actualis dicit influxum potentiæ liberæ suam libertatem exercentis. Hic autem influxus locum non habet in raptu, vel extasi: est enim (ut verbis utar S. Thomæ) *motio spiritualis, qua anima subito fertur in objectum superius modo sibi non naturali cum sensuum alienatione, & violentia quadam.* Ergo liberum non est homini assumi ad contemplandum in extasi, vel raptu.

Supponendum est secundo, nos loqui in præsenti de sola contemplatione, si sive in extasi, sive in raptu habita, exercita per influxum intellectus, & voluntatis, quæ est infra fidem, non de illa, quæ supra fidem est, sicut fuit S. Pauli contemplatio in raptu; sive naturalis sit, sive supernaturalis; sive per affirmationem, sive per negationem; sive mediis speciebus acquisitis, sive infusis. Seu, ut clarius loquamur, dubium ad intellectum, & voluntatem revocamus in raptu, vel extasi: An nimirum utraque potentia in ejusmodi contemplatione libera sit? atque eodem modo disceptamus in ordine ad contemplationem extaticam, habitam in somno, vel vigilia.

Sententiæ negativæ subscribit Thomas a Jesu de contempl. Divin. lib. 6. cap. 5. quantumvis excipiat, ubi Deus in casu rarissimo volens animam exaltare, libertatis jura conservaret; ea potissimum ductus ratione, quia sine perfecto judicio non stat libertas, nec perfectum judicium datur cum sensuum ligatione: quia cognitio a sensibus, & sensibilibus incipit. Quare, sensibus ligatis, nequit intellectus cognoscere, nec perfectum efformare judicium, ut experimur in somno corporeo.

Oppositum tamen asserimus cum Suarez tom. II. de Relig. lib. 2. cap. 19. & 20. cum SS. Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Bernardo, ac Thoma, nec non aliis Doctoribus. Et probatur I. ratione fundata in S. Th. doctrina, evertendo prajactum alterius sententiæ fundamentum. Tantum contemplatio vehemens habita in extasi, vel raptu, non esset libera, nec meritoria, quia non daretur in homine viatore contemplante perfectum judicium rationis: sed hoc est falsum: ergo contemplatio vehemens vel in raptu, vel in extasi est meritoria. Probatur minor, quia S. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 3. ad 2. negat in somno corporali inveniri perfectum judicium, quod concedit extatico, & prophetico; atque in ejusmodi somno, de quo habetur 3. Reg. 3. *Apparuit Dominus Salomoni nocte dicens: Postula, quod vis:* arbitratur, Salomonem perfectam habuisse rationem, & libertatem. *Ille somnus* (loquitur S. Thomas loc. cit.) *non fuit naturalis, sed somnus prophetiæ, secundum quod dicitur Num. 12. Si quis fuerit inter vos Propheta Domini, per somnium, aut in visione loquar ad eum. In quo casu aliquis usum liberi arbitrii habet.* Rursus alienatio a sensibus exterioribus propter somnum naturalem simul & extaticum, major est, quam alienatio a solo extatico somno causata. Sed alienatus utroque somno habet perfectum judicium rationis; ut patet in sopore Adæ Gen. 2. v. 21. *Immisit ergo Deus soporem in Adam: cumque obdormisset* &c. ut notat Abulensis ex communi Patrum expositione. Unde Rupertus ibi: *Sopor*, ait, *quem Deus Adamo immisit, non claudere vigilias rationis debuit, sed obseratis quinque sensibus corporis, sensum mentis liberum reliquit, ut scire posset, quid erga se faceret omnium artifex sapientia.* Ergo alienatio ex solo somno extatico procedens non adimit perfectum judicium rationis, ac per consequens neque libertatem.

Probatur II. Nulla datur contemplatio, ut diximus, ac statuimus superius, hominis inquantum pure viatoris, quæ non sit per conversionem ad phantasmata. Ergo omnis contemplatio hominis viatoris extatica, vel in raptu, habita elicitur cum perfecto judicio rationis. Consequentia probatur. Quia etsi sensus externi in extatica contemplatione ligati sint, cum jam suum munus obierint, atque species ministratæ in phantasiæ thesauro reserventur; poterit intellectus media phantasiæ operatione tunc non suspensæ ad cogitationem illorum singularium sensibilium redire: quod sufficit ad efformandum perfectum rationis judicium. Ergo omnis contemplatio homi-

nis viatoris extatica, vel in raptu habita, elicitur cum perfecto judicio rationis.

Objicies I. S. Augustinus lib. 12. super Genes. ad Lit. cap. 14. sentit, S. Petrum non fuisse liberum in ea extasi relata Auctor. cap. 19. in qua deceptus est, *putans*, ut ipse loquitur, *ea ipsa, quæ in disco demonstrabantur, tamquam vera animalia*. Ubi, ut vides, negatur Apostolo libertas; cum hæc stare nequeat sine perfecto judicio, nec perfectum judicium cum deceptione. Rursus S. Hieronymus Prolog. in Habac. inquit: *Qui autem in extasi, idest, invitus loquitur, nec tacere, nec loqui in sua potestate habet*. Ex quo infertur, idem esse aliquem esse extaticum, ac liberum non esse ad tacendum, & loquendum. Idem sentit S. Bernardus, cum serm. 2. de Ascens. ubi sepultam in extasi libertatem videtur agnoscere: *Alii*, inquit, *trahuntur, qui possunt dicere, Trahe me post te. Alii ducuntur, qui dicunt, Introduxit me Rex in cellaria sua. Alii rapiuntur, sicut Apostolus raptus est ad tertium cælum. Et primi quidem felices: secundi feliciores; tertii felicissimi, qui in profundissima Dei misericordia quasi quodammodo sepulta jam arbitrii potestate in divitias gloriæ in spiritu ardoris rapiuntur*. Ergo sentit S. Bernardus, esse sepultam in raptu arbitrii potestatem.

Resp. ad S. Augustini auctoritatem, prænotando, judicium perfectum esse duplex: aliud perfectum perfectione cognitionis; aliud perfectum perfectione libertatis. Primum fertur de re, prout est in se: & hoc ex duabus causis potest impediri. Primo ex errore interjecto in intellectu, quo non habetur judicium de re, prout ipsa est, sed prout a judicante existimatur: puta, si quis hominis peritissimi statuam Sancti alicujus imaginem reputaret. Secundo propter sensuum ligationem: quia esto per phantasiam cognoscatur singulare materiale, non tamen cognoscitur, prout est in se, sed prout in phantasmate repræsentatur. Quapropter quandocumque per somnum materialem sensus externi suspenduntur, aut per somnum propheticum, non datur judicium perfectum perfectione cognitionis. Aliud vero judicium perfectum perfectione libertatis est cognitio certissima habita de re sive in seipsa, sive in sua imagine, seu phantasmate, ut quicumque illud phantasma consideret, rem ipsam se considerare præsumat. Dicimus ergo, S. Petrum in ea visione non habuisse judicium perfectum perfectione cognitionis juxta S. Augustinum, sed passum fuisse deceptionem, putando, animalia a se visa ipsorum esse animalium similitudines. Habuit tamen judicium perfectum perfectione libertatis beneficio impulsus ipsum rapientis, cujus virtute suppletum est id, quod sensus communis faceret, conducens ad perficiendum illud judicium. Venio ad S. Hieronymum, sentientem, ita in extasi constitutum invitum loqui, hoc est, vehementer impelli, quatenus eodem modo se gerat quoad infallibilitatem, & efficaciam, ut pene expers libertatis videatur, non tamen reveta sit. Sanctus vero Bernardus loco citato fatetur, animam in raptu positam habere libertatem sepultam *quasi quodam modo*. Cæterum hic loquendi modus mellifilui Doctoris non adimit, sed potius confirmat libertatem.

Objicies II. S. Thomas pluribus in locis, ac præsertim quæst. 28. de Verit. art. 3. ad 6. & in 4. Sent. dist. 0. quæst. 1. art. 4. quæstiunc. 1. ad 2. apertissime docet, hominem ligatis sensibus non posse habere perfectum judicium; & rationem affert hujus rei in II. ad Corinth. cap. 12. lect. 1. *Sciendum*, inquit, *quod modus naturalis humanæ cognitionis est, ut cognoscat simul per viam mentalem, quæ est intellectus; & corporalem, quæ est sensus. Et inde est, quod homo non habet in cognoscendo liberum judicium intellectus, nisi quando sensus fuerint in suo vigore vere dispositi absque aliquo ligationis impedimento; alias cum impediuntur, etiam judicium intellectus impeditur, sicut in dormientibus patet. Tunc ergo homo efficitur extra se secundum cognoscitivam, quando removetur ab hac naturali dispositione cognitionis, quæ est, ut intellectus ab usu sensuum, & sensibilium rerum abstractus ad aliqua videnda moveatur*. Ergo in via D. Thomæ contemplatio extatica, seu in raptu habita, libera non est.

Resp. Angelicum Doctorem loqui de judicio perfecto perfectione cognitionis, quam exigit, ut voluntas libere operetur, libertate correspondente modo naturali operandi hominis; non autem denegare ibi judicium perfectum perfectione libertatis per miraculum habere possibilis in somno mere materiali, & quæ virtute gratiæ phantasmatis ex natura sua confortantis habetur in raptu juxta superius dicta. Et hanc solutionem Sancti Doctoris mentem attingere, deprehendes ex relata auct. in II. ad Corinth. *Sciendum, quod modus naturalis humanæ cognitionis*. Quare doctrina ibidem inserta quam maxime propria est pro modo naturali cognitionis humanæ: unde, ligato sensu, implicat judicium perfectum, regulans actum liberum libertate correspondente modo naturali operandi hominis. Nos vero loquimur hic de modo supernaturali humanæ cognitionis, qui solum dependet ab operatione phantasiæ. Quare etiamsi ligentur sensus externi vi raptus, datur humana supernaturalis cognitio libera.

Objicies III. a ratione. Gratia non invertit naturam, quam decorat: sed natura hominis viatoris talis est, ut nequeat elicere perfectum judicium sine usu sensuum externorum: ergo, iis ligatis in contemplatione extatica non habet homo perfectum judicium. Confirmatur. Raptus causat violentiam in ratione: ergo non datur libertas; violentia enim infert necessitatem operandi. Rursur, raptus ligat rationem: & quidem si causatus per defectum virtutis hoc præstat; quare idem non præstabit, si ejusmodi excessus ortum habeat ex virtute divina, quæ est potentior?

Respondeo, hominem nedum esse aptum adoperandum juxta modum sibi connaturalem, sed etiam habere capacitatem, ut elevetur ad operandum supra modum sibi connaturalem. Quare licet homo, attenta præcise sua natura, debeat species sensibus utendo accipere, iisque ligatis, non detur locus perfecto judicio; secus dicendum est, ubi elevatur ad operandum supra modum sibi connaturalem in ordine ad judicium perfectum perfectione libertatis. Et observa, ligationem rationis duplici modo intelligi posse. Primo ita ut ratio ligetur relate ad actus imperfectos, uti sunt meditatio, inquisitio, & discursus. Alio modo, ut ligetur in ordine ad actum perfectissimum. Non inficior, in raptu intellectum ligari quoad illos actus imperfectos; cum enim clarissima lux illum rapit, suspenditur intellectus, ne possit inquirere, & discurrere, non tamen intellectus, sicut nec voluntas, quoad actum perfectissimum, quo Deum intensissime contempletur.

Ad confirmationem Resp. violentiam per raptum animæ contemplanti illatam in nullo alio consistere, quam ut avellatur a sensuum exercitio, quibus naturaliter utitur. Quod profecto non tollit libertatem, nec inducit necessitatem operandi in extasi, aut raptu: siquidem, ut docet P. Suarez, voluntas a nullo objecto potest necessitari quoad exercitium, præterquam a Deo clare viso, quod non est objectum contemplationis, de qua agimus; neque potest necessitari necessitate quoad specificationem, quia hac necessitate a nullo objecto sibi inadæquato potest necessitari, nisi a Deo intuitive cognito. Non negamus, Deum posse libertatem auferre ab homine extatice contemplante; sed non decet, divinam benignitatem præstare, quod ita elevet hominem, ut nihil operetur in Dei obsequium, aut ad spiritualem contemplantis utilitatem conducens.

§. VI.

An vehemens contemplatio frequenter impediens prolationem verborum, quando urget præceptum orationis vocalis, suspecta sit.

ANtequam ultimam manum huic capiti de efficacia divinæ contemplationis imponamus, præsens dubium discussioni committimus; quia nonnulli ex auditione, vel lectione exemplorum deprehendentes, quosdam evectos ad perfectionis apicem, post exactum mortificationis, & virtutum exercitium, ita ad felicitatis culmen pervenisse, ut viderentur pro suo veluti arbitrio habere, quod a Deo in Deum divinitus raperentur (ut legitur de S. Francisco Assisiensi, qui sub lucis crepusculum Dominicam orationem incipiebat, eisque verbis, *Pater noster, qui es in cælis*, adeo cor ejus divini amoris incendio conflagrabat, ut tota nocte in illius Dominicæ orationis recitatione persisteret) viam spiritualem ingressi supernas delicias vel degustantes, vel se degustare existimantes, Confessariis, animarumque directoribus suadere nituntur, Deum ita eorum mentes ad se attrahere, ut orationem vocalem, etiam obligatoriam, fundere nequeant. Hoc sane malum, ut experientia docet, ex falsa Pseudo-Mysticorum quiete originem trahens, utinam in animarum perniciem non serperet, nec quandoque animarum directores deciperet!

Loquimur de contemplatione vehementi, seu extatica; quia certum est, contemplationem divinam, si vehemens non sit, non impedire verborum prolationem: & licet verborum prolatio non sit actus elicitus a potentia rationali, quam diximus in contemplatione vehementi non ligari; ab ea tamen est effectus intentus, intimeque connexus cum actu ab eadem potentia rationali elicito, ex quo, & ex prolatione verborum consurgit oratio vocalis.

Certum est, Deum de potentia absoluta posse animam a sensibus alienare, quando anima se disponeret ad implendam obligationem orationis vocalis, aut jam eamdem impleret. Sed quod difficultate non vacat, est, an Deus soleat hoc facere juxta modum regularem, & suavem,

quo

quo nititur in animarum directione ad finis consecutionem. Et idcirco dubium proponimus de contemplatione frequenter impediente prolationem verborum, quando vocaliter oratur, ut satisfiat huic obligationi; quæ si suavem, ac regularem modum operandi divinum excedat, procul dubio propter ejus irregularitatem ejusmodi a sensibus alienatio suspecta erit.

Supponimus, quod si quis accedens ad vocaliter orandum, ut præceptum impleret, voluntarie, modo quo potest, alienetur a sensibus, ita ut verba non proferat, hic profecto non tamquam suspectus habendus est, sed ut revera a malo spiritu ductus existimandus: quia (ut probat Antonius ab Annuntiatione Quodlib. 14. art. 3.) ex quo voluntariam alienationem a sensibus aut admitteret, aut procuraret, non vellet vocaliter orare, cum ad id teneretur.

Dicendum est, contemplationem frequenter a sensibus alienantem, ut verba non proferantur, cum urget præceptum vocaliter orandi, esse suspectam. Ita sentiunt Suarez tom. II. de Relig. lib. 3. cap. 4. Gabriel lect. 62. in Canon. Lit. M. & videtur de mente S. Theresiæ lib. Vitæ cap. 33. §. ultim.

Probatur I. Revelationi dubiæ credendum non est contra obligationem certam, nisi miraculo confirmetur, ut docent tam DD. Mystici, quam Scholastici. Atqui raptus orationem vocalem obligatoriam impediens, procedit contra obligationem certam, & indubitatam. Ergo raptui impedienti orationem vocalem obligatoriam credendum non est, nisi aliunde miraculo comprobetur. Ergo contemplatio frequenter a sensibus alienans, ut verba non proferantur, cum urget præceptum vocaliter orandi, est suspecta. Confirmatur exemplis. Numquam legimus, Sanctos Franciscum Assisiensem, Thomam Aquinatem, Theresiam, aliosque tam veteres, quam recentiores ad sublimem, & extaticam contemplationem elevatos, a sensibus fuisse alienatos tempore orationis vocalis obligatoriæ; immo in choro Deo maxime intentos verba ad persolvendum Officii divini pensum protulisse. Habemus S. Gertrudem de seipsa lib. 2. Revelation. cap. 21. dicere: *Quadam vice cum Psalmodiæ tota intenderem, tu, Domine, dedisti decem vicibus, & amplius dulcissimum osculum ori animæ meæ. O osculum longe exsuperans omnem aromatum fragrantiam, & omnem mellis dulcedinem!* Et tamen non legitur, hanc Sanctam Virginem omisisse per Officii divini recitationem vocaliter orare, etiam dum ejusmodi altissimos favores reciperet. Ergo si ille est stilus, & regularis modus divinæ providentiæ pro animarum directione ad finis assecutionem, ubi contemplatio vehemens frequenter per sensuum alienationem impedit orationis vocalis obligatoriæ verborum prolationem, suspecta æstimanda est.

Probatur II. Dubitandum non est, causam raptus, urgente præcepto orationis vocalis, esse posse dæmonem: quia raptum absolute causare potest. Et est speciale motivum de hoc dubitandi in præsenti casu: quia solet avertere animam ab oratione vocali ad mentalem invitans, ut laqueum ad spiritualem ejus ruinam præparet, atque injiciat. Ergo contemplatio frequenter a sensibus alienans, ut verba urgente præcepto vocaliter orandi, suspecta habenda est. Consequentia sequitur. Si enim sufficit, ut in raptibus caute ambulemus, eos posse a dæmone causari, ne lateat anguis in herba, erit suspectus, ubi esset impeditivus adimpletionis præcepti.

Dices. Quicumque raptus potest a dæmone causari: ergo quicumque raptus, etiamsi non eveniat animæ, quando tenetur implere orationis vocalis præceptum, erit pariter suspectus.

Respondeo, observando doctrinam Seraphici Doctoris proc. 3. Relig. ubi docet: *Aliæ consolationes, sicut non sunt necessariæ saluti, ita etiam suspectæ sunt, & sæpe falsæ, fictæ, & deceptoriæ; ut visiones, revelationes, prophetiæ, sensuales consolationes, oblectationes, miraculorum operationes, maxime modernis temporibus: licet quandoque reperiantur veræ, sed in paucis.* Hac præmissa observatione, a Confessariis, & animarum directoribus mente retinenda, dicimus, raptus, cæterosque favores speciales generaliter ob rationem nobis objectam esse suspectos; & quamvis nullam obligationem impediant, propter illam generalem rationem suspicioni subjacere. Cæterum, si tempore adimpletionis præcepti eveniant, & maxime si frequenter, circumscripto quocumque alio, specialiter suspecti sunt, etiam in animabus perfectissimis.

Objicies I. Potest Deus hominem eximere ab obligatione vocaliter orandi. Ergo potest eum eximere ab obligatione proferendi voces. ergo quando contingit hominem a sensibus alienari, quantumvis urgeat præceptum vocaliter orandi, raptus censeri non debet suspectus.

Respondeo, negando ultimam consequentiam. Concedimus, Deum absolute hominem posse absolvere ab obligatione vocaliter orandi, nec oppositum statuimus; sed dumtaxat, quod si certo non constet, raptum esse a Deo, raptum esse suspectum, ubi esset impeditivus obligationis implendæ. Si enim constaret, raptum esse a Deo, reputari deberet tamquam bonus, & utilitati illum patientis proficuus; sed adhuc alienatus a sensibus teneretur ad vocalem recitationem, quam durante alienatione adimplere non potuit. Duo quippe hic reperiuntur. Primum, obligatio vocaliter orandi: secundum, tempus vocaliter orandi. Et cum possit Deus propter fines sibi notos alienatum a sensibus absolvere ab obligatione temporis, quin absolvat ab obligatione orationis vocalis; hinc est, quod animadvertens se rapiendum tempore orationis vocalis, teneretur vel raptum prævenire, vel post raptum illam recitare; nisi forte certo cognosceret, se a Deo ab utroque dispensari.

Objicies II. Alienatio a sensibus, ad verba orationis vocalis attentionem impediens, non est suspecta: ergo nec alienatio a sensibus orationem vocalem obligatoriam impediens. Consequentia videtur sequi ex antecedente: quia raptus impediens attentionem ad orationem impedit vocalem orationem, ad quam verba attente prolata requiruntur. Antecedens probatur auctoritate Hugonis a S. Victore lib. de modo orandi cap. 2. *Pura est oratio*, inquit, *quando ex abundantia devotionis mens ita accenditur, ut cum se postulatura ad Deum se convertit, etiam suæ petitionis obliviscatur.* Adeoque etiamsi detur verborum prolatio sine attentione ad ea, adhuc quia anima esset tota Deo dedita, daretur perfecta oratio.

Respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Auctoritas Hugonis intelligenda est de prolatione verborum, cui annexa est attentio ad orationis finem. Unde in casu ab eo proposito daretur proprie oratio vocalis; quia haberetur suprema attentio, quæ in Deum haberi potest: vocalis autem oratio haberi non posset, si raptus prolationem verborum impediret.

DISSERTATIO X.

De Gradibus Contemplationis infusæ, eorumque effectibus.

NOn omnes aggredimur contemplationis infusæ gradus, seu species & effectus exponendos, sed apud Doctores Mysticos dumtaxat usitatiores, Quietis nempe, Recollectionis, Unionis, & Impulsus spiritus, quorum aliqui, ut cum debita distinctione procedamus, hic necessario præ oculis habenda, spectant pariter ad contemplationem acquisitam. Primo igitur inquirimus, An dentur diversi gradus contemplationis infusæ: & unde eorum diversitas desumatur. Secundo, An inter gradus contemplationis infusæ detur oratio Quietis: & an hæc ortum ducat ex oratione Recollectionis. Tertio, An dari possit oratio Quietis acquisita? Quarto denique, Quid sint oratio Unionis, & Impulsus spiritus.

§. I.

§. I.

An dentur diversi gradus contemplationis infusæ: & unde eorum diversitas desumatur.

CErtum est, consentientibus communiter Doctoribus Mysticis, in contemplatione plures gradus reperiri: quosdam scilicet aliis perfectiores per majorem claritatem cognoscendi, & majorem fervorem diligendi, ipsimet actui contemplationis conjunctos: de quibus S. Bonaventura in opere de Sept. itinerib. æternitat. itiner. 3. dist. 4. art. 1. ait: *Gradus contemplationis sunt quidam progressus, & profectus intellectualis cognitionis, & saporosæ dilectionis ad contemplandum Deum sub ratione boni, & veri. Unde Gregorius lib. 22. Moral. dicit, gradus dicuntur mensuræ crescentium virtutum: tales autem gradus profectuum sunt innumerabiles.* Exinde pluribus in locis docet, quod quidam sunt gradus disponentes intellectum, & affectum ad contemplandum; & hos gradus cum eodem S. Gregorio dicit esse opera virtutum: & gradus proprios contemplationis dicit esse ipsosmet actus contemplandi cum majori lumine, quo magis clare cognoscuntur divina, & cum majori inflammatione diligitur Deus. Hinc bene Cardinalis Brancatus Opusc. 7. cap. 16. ait, quod diversitas graduum in contemplatione dispositive oritur ex diversitate, & graduatione minori, vel majori in exercitio virtutum Moralium, & Theologicarum. Quo enim magis homo spiritualis se exercet in virtutum actibus, eo magis ex sua benignitate movetur Deus ad eum consolandum, juxta illud Jo. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit; & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Diversitas vero graduum contemplationis effective desumenda est ex diversitate graduum donorum intellectus, & sapientiæ, quæ ad eam concurrunt. Demum diversitas formalis graduum, de qua loquimur, in contemplatione desumenda est a diversitate ipsorum actuum contemplandi, juxta majorem, vel minorem intensionem, & claritatem in intuendo, & majorem inflammationem, suavitatem, delectationem, ac dulcedinem in diligendo objectum divinum manifestatum contemplanti. Hinc idem S. Bonaventura in Tractat. de Sept. grad. contemplat. varietatem horum graduum prolixo quidem, sed digno discursu percenset his verbis. *Contemplativorum aquilinos obtutus acui, & ipsorum spirituale palatum perfundi dapibus supernæ dulcedinis affectans, septem gradus eo gloriosissimos, quo scientia experientiæ probatissimos, in medium censui deducendos, relatione quorum odorifera confido, quod tam intellectui splendoris copia, quam affectui deifici dulcoris affluentia pientissimæ Matris Thearchicæ exultabit. Primum igitur dicamus ignem, secundum unctionem, tertium extasim, quartum speculationem, quintum gustum, sextum quietem, septimum gloriam. Primo igitur anima ignita ungitur, uncta rapitur, rapta speculatur, vel contemplatur, contemplans gustat, gustando quiescit. Hæc in via possunt acquiri, non tamen subito, sed gradatim: citius autem hæc experitur, qui frequentius in spiritualibus se exercet. Septimus in Patria confertur.* Incipit deinde declarare proprietates horum graduum. Et si quæras fortasse, an ejusmodi gradus sibi vendicet contemplatio tam infusa, quam acquisita? respondet Cardinalis Brancatus Opusc. 4. cap. 4. etiam in contemplatione acquisita quosdam gradus perfectiores, vel minus perfectos contineri.

§. II.

An inter gradus contemplationis supernaturalis infusæ detur oratio Quietis: & an oriatur ex oratione Recollectionis.

DIcendum est, inter gradus contemplationis infusæ quemdam reperiri gradum, qui rite vocatur a Mysticis oratio Quietis.

Probatur I. auctoritate S. Bernardi, qui Serm. 23. in Cant. verba faciens de hujusmodi contemplatione, seu oratione Quietis, ait: *O si durasset! Iterum, iterumque visita me, Domine, in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ. O vere Quietis locus, & quem non immerito cubiculi appellatione censuerim! in quo Deus non quasi turbatus ira, nec velut distentus cura prospicitur; sed probatur voluntas ejus bona, & beneplacens, & perfecta. Visio ista non terret, sed mulcet; inquietam curiositatem non excitat, sed sedat; nec fatigat sensus, sed tranquillat. Hic vere quiescitur. Tranquillus Deus tranquillat omnia; & quietum aspicere, quiescere est. Cernere est Regem post diurnas forensium quasi lites causarum, dimissis a se turbis, curarum molestias declinantem, petentem de nocte diversorium, cubiculum introeuntem cum paucis, quos hoc secreto, & hac familiaritate dignatur, eo certe securius, quo secretius quiescentem; eo serenius se habentem, quo placidius solos intuentem, quos diligit. In hoc arcanum, & in hoc sanctuarium Dei si quem forte vestrum aliqua hora sic rapi, & sic abscondi contigerit, ut minime avocet, aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe, quæ difficilius amoventur, irruentia imaginum corporearum phantasmata; poteris quidem hic, cum ad nos redieris, gloriari, & dicere:* „ Introduxit „ me Rex in cubiculum suum. " Manifestissime igitur ex S. Bernardi doctrina infertur oratio Quietis in anima, in qua Deus sponsus quodammodo quiescit, & per suam quietem pacatam efficit animam, eique in sinu suo frui divina pace concedit, juxta illud Psal. 84. vers. 9. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor:* & juxta aliud Psal. 126. vers. 4. *Cum dederit dilectis suis somnum* &c.

Sed clarius S. Bonaventura laudato in Tractatu de Septem gradibus contemplationis, ubi sexto loco statuit Quietem, declarans subinde, quid sit, & quibus contemplativis conferatur, ait: *Quies est totius animæ mira quædam, & suavis tranquillitas per infusam nobis ex frequentia orationis dulcedinem concreta. Solis valde spiritualibus experientia hujus Quietis conceditur, quibus & datur etiam ipsas supercælestes substantias transcendere: superignota enim bonitas ipsis familiaris, seipsam eis immittit, & ipsi tota virtute dilatata sinu sancti desiderii, potenter suscipiunt beatas immissiones, animalibus, & præsumptuosis omnino incognitas. Sic igitur puris sanctiorum contemplativorum animabus tam insueto nutrimento ditissime adimpletis, splendescit ipsorum mens, dulcescit concupiscentia, hilarescit irascibilis, ex dilectione quorum deificam illam Quietem non ambigimus emanere.* Hæc Seraphicus Doctor, ubi hujusmodi Mysticam Quietem docet haberi in ratione concupiscibili, & irascibili. Quod sic explicat Joannes Gerson consid. 42. Theologiæ Mysticæ dicens: *Cum res qualibet sit in quiete, dum perfectionem suam adepta est, illique conjuncta, & spiritus noster uniatur, ac conjungatur summo perfectibili per amorem perfectum; necesse est, ut exinde quietetur, satietur, & stabiliatur. Sic materia in forma habita, sic lapis in centro positus, sic res qualibet in adepto fine suo quietatur. Anima quippe rationalis, dum conjungitur, & unitur Deo, copulatur suo summo bono: est enim Deus summum bonum ejus, & centrum ejus, finis, totaque ipsius perfectio. Quid ergo aliud ipsa reciperet, aut ad quid aliud ipsa inhiaret? Porro in ipsa anima considero tres tendentias principales proportionabiliter ad triplicem vim ejus, sive potentiam; quarum una est concupiscibilis, altera rationabilis, tertia irascibilis nominatur. Concupiscibilis tendit in bonum, rationalis in verum, irascibilis in arduum. Sic anima per has vires tendentiam habet in benedictam & Sanctam Trinitatem; nimirum quia ad eam, & ejus similitudinem facta est, ejusque imago constituta. Attribuimus itaque Spiritui Sancto bonitatem; & ad hanc tendit concupiscibilis: attribuimus Filio veritatem; & ad hanc tendit vis rationalis: attribuimus Patri potentiam, majestatem, & gloriam; & ad hanc tendit vis irascibilis. Oportet igitur, ut his viribus satiatis, per conjunctionem cujuslibet cum suo supremo appetibili, anima rationalis totaliter satietur, quietetur, & stabiliatur.* Habes igitur ex doctissimo & piissimo Gersone Mysticam Quietem in anima contemplante per unionem suorum appetituum ad Deum, & ad Divinas Personas. Ex quibus proinde fit evidens, dari non solum hujusmodi Quietem in anima, sed esse causam hujusmodi Quietis inductivam.

Gersonis doctrinam de oratione Quietis tradiderat S. Thomas in 1. Sent. dist. 1. quæst. 4. art. 1. ad 5. ubi de hujusmodi Quiete animæ Deum contemplantis inquit. *Est duplex quies: scilicet quies desiderii, & quies motus. Quies desiderii est, quando desiderium sistit in aliquo, propter quod omnia facit, & quærit, & non desiderat aliquid ulterius; & hoc modo voluntas justi quiescit in via in Deo. Quies autem motus est, quando pervenitur ad terminum quæsitum; & ista quies voluntatis erit in Patria. Hæc autem quies facit perfectam fruitionem; sed prima imperfectam.* Quare satis constat, dari hujusmodi Quietem Mysticam in anima, dum in via per contemplationem Deo fruitur.

Ad hæc opportune scribit S. Laurentius Justinianus in libello de conflictu interiori cap. 10. his verbis: *Intellectus contemplatur Deum pure, vel in caligine per simplicem quamdam intuitionem; deinde quod fide antea ut certissimum habebat, veluti per experientiam intelligit, se nimirum a Deo videri, afflari, manuduci, se prope Deum consistere, illi adhærere, illius beneficia vivere, illum ad exaudiendum promptissimum esse: atque ideo gaudet, & quiescit tamquam puerulus in sinu matris receptus, aut in ulnis bajuli. Sentit etiam se ad laudandum Deum incita-*

ri,

vi, internis facultatum rationalium actibus: jubilat corde, non ore; petit non verbis, sed desideriis; postulat non gutturis, sed pectoris gemitibus, non dolorem, sed inexplicabilem, liquidissimamque voluptatem testantibus. Hactenus S. Laurentius Justinianus de oratione Quietis, ejusque mirabilibus, ac divinis effectibus. At nemo melius orationem Quietis docuit, & explicavit, quam S. Theresia, quæ pluribus in locis suorum Operum, & præcipue in Via perfectionis cap. 31. de illa sermonem instituit, ubi ita loquitur: *Voglio dunque, figliuole, tuttavia dichiararvi (come ne ho udito ragionare, o ha voluto il Signore darmelo ad intendere, forse perchè ve la dica) questa orazione di Quiete, nella quale parmi, che il Signore cominci a dimostrare, che ha udita la petizione, ed a darci già qui il suo Regno, acciocchè daddovero lo lodiamo, e santifichiamo, ed anco procuriamo, che tutti lo facciano. Questa è già cosa soprannaturale, e che non possiamo noi con le nostre forze conseguire per diligenza, che facciamo: perch' è un mettersi l'anima in pace, o per dir meglio metterve la il Signore con la sua presenza, perocchè tutte le potenze si quietano. Intende l'anima per una maniera molto differente dal modo d'intendere co' sensi esteriori, che già si trova appresso al suo Dio, e che con un pochetto più arriverebbe a trasformarsi in lui per union d'amore. Questa non è, perchè lo vegga cogli occhi del corpo, nè dell'anima; ma intende qui l'anima, sebbene non con quella chiarezza, perchè nè ella ancor intende, come l'intende, se non che si vede nel Regno (almeno a canto al Re, che glielo ha a dare) e pare, che la medesima anima stia con tal riverenza, che nè anche ardisce di chiedere cosa alcuna. E' come uno svenimento interiore, ed esteriore, che non vorrebbe quest' uomo esteriore (cioè il corpo; perchè meglio m'intendiate) dico che non si vorrebbe punto muovere, ma a guisa di chi è quasi arrivato al fin del cammino, si riposa, per poter meglio proseguire il viaggio; atteso che quivi gli si raddoppiano le forze per questo effetto. Si sente grandissima diletto nel corpo, e gran soddisfazione, e contento nell'anima. Sta ella così contenta di solamente vedersi a canto alla fonte, che anco senza bere è già sazia, nè stima, che vi sia altro che desiderare. Le potenze stanno quiete, che non si vorrebbero muovere un tantino, perchè tutto pare, che le disturbi l'amare. Sebbene non istanno le potenze perdute, perchè possono pensare a canto a chi stanno: atteso che le due, cioè la memoria, e l'intelletto, sono libere; la volontà però è qui prigiona, e se alcuna pena può sentire stando così, è di vedere, che ha da tornare ad avere libertà. L'intelletto non vorrebbe intendere più d'una cosa; nè la memoria occuparsi in altro: qui veggono, che questa sola è necessaria, e che tutte l'altre la disturbano. Non vorrebbono, che il corpo si dimenasse, perchè par loro d'avere a perdere quella pace; e così non ardiscono di muoversi un tantino. Dà loro pena il parlare: in dire una volta, Padre nostro, si passerà loro un'ora: stanno così vicine, che veggono, che s'intendono a cenni: stanno nel Palazzo a canto al loro Re, e veggono, che già incomincia dar qui loro il suo Regno. Qui vengono alcune volte certe lagrime dolci, e con gran soavità. Pare che non istanno nel mondo, nè vorrebbon vedere, nè udire altro, se non il loro Dio. Niuna cosa dà loro pena, nè pare, che l'abbia a dare. In somma per quel tempo, che dura, con la soddisfazione, e diletto, che sentono dentro di loro, stanno così inzuppate, ed assorte, che non si ricordano, che ci sia altro da bramare; ma direbbono volentieri con S. Pietro: Facciamo qui tre Mansioni*. Quæ confirmari possunt ex discussione, & censura habita super hujusmodi oratione Quietis tradita a S. Theresia, occasione Beatificationis ejusdem Sanctæ, a doctissimis Alvarez ex Ordine Prædicatorum Archiepiscopo Tranensi, & Joanne Rada Ordinis S. Francisci Episcopo Pacensi: fuitque admissa, & approbata, ut constat ex Historia Carmelitarum Discalceatorum Romæ typis edita Tom. I. lib. 2. cap. 44. Censura XII. ubi fuse adducitur animadversio in contrarium data, & responsio laudatorum Theologorum.

Consonat etiam S. Theresiæ S. Franciscus Salesius in Tract. divini Amoris part. 1. lib. 6. cap. 8. ita disserens. *Essendo dunque l'anima così raccolta dentro se stessa in Dio, o avanti a Dio, rendesi talora così gagliardamente attenta alla bontà del suo amato bene, che le pare, che la sua attenzione non sia attenzione: tanta è semplice, e delicatamente esercitata. Siccome avviene in certi fiumi, che scorrono così dolce, ed agevolmente, che pare a quelli, che gli risguardano, o navigano sopra di loro, di non vedere, o sentire alcun moto, non vedendosi punto ondeggiare, nè fluttuare. E questo è quell' amabilissimo riposo dell' anime, che l'avventurata Vergine Teresa di Gesù chiamava orazione di Quiete. Certo che gli amanti umani si contentano talora di essere appresso, o alla vista della persona che amano, senza parlarle, e senza trattare nè tra loro, nè di quella, nè delle sue perfezioni: saziati, mi pare, e soddisfatti di assaporare questa amata presenza, non per alcuna considerazione, che facciano sopra di quella; ma per una certa tranquillità, e riposo, che il loro spirito prende in essa . . . . Questo riposo talora passa così avanti nella sua tranquillità, che tutta l'anima, e tutte le sue potenze stanno come addormentate senza far alcun moto, nè alcuna azione, eccetto la sola volontà, la quale parimente non fa alcuna altra cosa, se non ricever il gusto, e la soddisfazione, che le dà la presenza del suo amato bene. E quello che è ancora più maraviglioso, è, che la volontà non vede, e non considera punto il gusto, e contento, che ella riceve, godendo insensibilmente di esso; perchè essa non pensa punto a se stessa, ma a quello, la cui presenza le dà questo piacere: come occorre spesso, che sorpresi da un sonno leggiero, noi traintendiamo solamente ciò che dicono i nostri amici attorno a noi, e quasi insensibilmente sentiamo le carezze, che ci fanno, senza accorgerci, che noi sentiamo*. Et fusius prosequitur ibidem Sanctus Episcopus declarare hujusmodi Quietis contemplationem, & gradus, qui in illa tum intensi, tum remissi reperiuntur. Ubi tamen est advertendum, quod quando Sanctus loco supra adducto ait, quod potentiæ in hujusmodi oratione sint quasi sopitæ, nullum omnino motum, vel actionem elicientes, hoc est intelligendum tum de motu connaturali, non vero supernaturali; tum de actione discursiva, non vero attentiva: ut ex fusius dicendis inferius constabit.

Objicies. Omnis contemplatio infusa parit quietem in anima. Quare opus non est, ut adstruamus peculiarem contemplationem in quiete, cum quiete. Antecedens constat ex eo, quod docet S. Gregorius Homil. 14. in Ezechiel. ubi ait. *In contemplatione jam quietis internæ gustus contingitur. Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo: quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum aurem animus apponat. Sed quia hæc quies mentis in hac vita perfecta esse non potest, nequaquam hora integra factum in cælo silentium dicitur: sed quasi media hora, ut neque ipsa media hora plene sentiatur, cum præmittitur quasi, quia mox ut se animus sublevare cœperit, & quietis intimæ lumine perfundi, redeunte citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, & confusus cæcatur*. Et S. Thomas 2. 2. quæst. 182. art. 1. ubi enumerans vitæ contemplativæ excellentias supra vitam activam, ait: *Sexto, quia vita contemplativa consistit in quadam vacatione, & quiete, secundum illud Psal.* 45. *Vacate, & videte, quoniam ego sum Deus*. SS. Patrum Gregorii & Thomæ testimonio accedit ratio. Quies enim animæ potissimum habetur, cum objectum, quod amore prosequimur, Deum videlicet, possidemus: ut docet S. Thomas laudatus in 1. Sent. dist. 1. quæst. 4. art. 1. ad 5. Sed in quacumque divina contemplatione possidetur Deus aliquo modo per actus intellectus, & voluntatis, juxta eumdem S. Thomam 2. 2. quæst. 180. art. 1. Ergo per quamcumque divinam contemplationem habetur oratio Quietis.

Respondeo cum S. Th. 2. 2. quæst. 180. art. 6. ad 2. omnem contemplationem duplicem animæ quietem includere. Prima est ab exterioribus motibus, seu ab exterioribus occupationibus: quare primo debet anima colligere seipsam intra se, de qua animi recollectione mirum in modum loquitur S. Theresia Mans. 4. cap. 3. Secunda vero quies est a discursu. Verba sancti Doctoris sunt: *In anima, antequam ad contemplationem perveniatur, exigitur, quod duplex ejus difformitas amoveatur. Primo quidem illa, quæ est ex diversitate exteriorum rerum, prout scilicet relinquit exteriora; & hoc est, quod primo ponitur in motu circulari animæ introitus ipsius ab exterioribus ad seipsam. Secundo autem oportet, quod removeatur secunda difformitas, quæ est per discursum rationis; & hoc idem contingit secundum quod omnes operationes animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis: & hoc est, quod secundo dicitur, quod necessaria est uniformis convolutio intellectualium virtutum ipsius, ut scilicet, cessante discursu, figatur ejus intuitus in contemplatione unius simplicis veritatis*. Cæterum licet omnis contemplatio quies animæ dici generaliter possit; illa tamen quies, de qua loquimur (ut advertit Cardinalis Biancatus Opusc. 4. cap. 5.) est peculiare Dei donum, & magis præcipua quies peculiari perfectione decorata, proveniens a speciali divina præsentia, qua Deus modo magis speciali fit præsens in anima per donum sapientiæ: de qua S. Thomas 2. 2. quæst. 5. art. 2. ad 1. & S. Theresia loco supra citato. Et de hac speciali Quiete in contemplatione ait S. Thomas in 1. Sent. dist. 1. quæst. 4. art. 1. ad 5. *Quod voluntas justi quiescit in via in Deo*. Quare de hac speciali Quiete loquens P. Thomas a Jesu Carmelita Discalceatus in lib. 3. de oratione infusa, ait: *Demum est alia contemplationis species, quæ Quies in Deum vocatur, in qua Deus infusa, & eminenti amore possidetur, & ipse in animam cum dilectione prolabitur, alterque alterius in possessione, & quie-*

te

te mutua requiescit. In ea spiritus clarificatur, & totus divino lumine, ac fulgore perfunditur, & Deus cum ipso, & ipse cum Deo mira caritatis adhæsione, & jucunditate ad invicem con-intimantur.

Quamquam vero in contemplatione detur quies a discursu, attamen non datur quies ab actibus intellectus, ac per consequens neque ab actibus voluntatis; ut docuit Angelicus in supra laudata auctoritate. Convenit cum Angelico nuper laudato Magistra orationis S. Theresia, quæ mirifice docet, quod antequam anima perveniat ad orationem Quietis, in qua sita est supernaturalis contemplatio, debeat habere orationem ad interiorem animi recollectionem pertinentem, quæ est via ad orationem Quietis, ut colligitur ex cap. 3. Mansionis 4. Quod & supra innuit S. Thomas dicens, quod in motu circulari primo ponitur introitus animæ ab exterioribus ad seipsam. Deinde vero loquens de ipsa oratione Quietis cap. 31. Viæ perfectionis ait: *Intende l'anima per una maniera molto differente dal modo d'intendere co' sensi esteriori, che già si trova appresso a Dio, e che con un pochetto più arriverebbe a trasformarsi in lui per union di amore. Così intende qui l'anima, sebbene non con quella chiarezza, perchè nè ella ancor intende, come l'intende, se non che si vede nel Regno (almeno a canto al Re, che glielo ha a dare) e pare, che la medesima anima stia con tal riverenza, che nè anche ardisce di chiedere cosa alcuna. Sebbene le potenze non istanno perdute, perchè possono pensare a canto a chi stanno: atteso che le due, cioè la memoria, e l'intelletto, sono libere; la volontà però è qui prigiona, e se alcuna pena può sentire stando così, è di vedere, che ha da tornare ad avere libertà. L'intelletto non vorrebbe intendere più di una cosa; nè la memoria occuparsi in altro: qui veggono, che questa sola è necessaria, e che l'altre la disturbano.* Ex quibus verbis illuminatissimæ Virginis fit evidens, in oratione Quietis minime quiescere omnino intellectum, & voluntatem; cum aperte dicat, animam cognoscere se esse prope Deum satum, & voluntatem captivam esse amoris divini. Quapropter in oratione Quietis non datur omnigena quies potentiarum, sed solum ab exterioribus occupationibus, & ab interioribus etiam, sed discursivis. Quocirca doctissimus P. Dominicus a SS. Trinitate Carmelita Discalceatus, loquens de hujusmodi oratione Quietis in sua Theologia Mystica, sect. 4. cap. 6. §. 1. ait. *Igitur quemadmodum sabbatismus legalis non erat quæcunque quies, aut vacatio ab omni opere absolute, sed a servili tantum, quatenus dies Sabbati erat dedicatus divino cultui: ita quoque Quies mystica, vel sabbatismus, iners otium putari non debet, aut vacatio ab omni prorsus actu animæ contemplativæ. Sed est vacatio jucundissima ab omni actu, qui molestiam, vel laborem possit parere, quales sunt actus incipientium, & proficientium proprio labore, & industria, non tamen sine divina gratia exerciti; ut exerceat illos dumtaxat, ad quos in Quiete mystica, tanta cum suavitate, tamque a Spiritu Sancto facilitate movetur; ut quasi otiari, nihilque agere videatur, cum tamen tunc in excellentissimis tum intellectus, tum voluntatis actibus occupetur.*

Ad solutionem secundæ partis dubii in titulo propositi asserimus, Quietem infusam ab oratione Recollectionis prodire. S. enim Theresia cap. 31. cit. Itin. Perfection. tradit, ex Recollectione quandoque in anima quietem, & pacem internam adeo dulcem, ac deliciosam haberi, ut sibi nihil ultra desiderandum appareat; immo cap. 15. suæ Vitæ orationem Recollectionis quietem inchoatam appellat. Verum ut memoratam Recollectionis orationem inter gradus contemplationis a Mysticis recensitam, ac principium, & dispositionem orationis Quietis, intelligamus; observa eam esse recessum, quo anima cum omnibus suis potentiis ab exterioribus elongatur, atque ad interiora recipitur. Et duplex est. Una est activa ex propria industria; alia vero est passiva ex peculiari divinæ gratiæ auxilio liberaliter concesso. Prima habetur, cum anima intra seipsam Deum considerat, quin illum quærat per vicos, & plateas; tunc enim intra seipsam Deum invenit, & amplectitur. Ad hunc orandi modum, Dei adjuvante gratia, ex propria industria, cura, & studio effectum, opus est ut, dimissis occupationibus externis, saltem ad breve tempus, ubi longius negotia non permittunt, divinam quæramus societatem, ibique anima in sacro silentio Deum loquentem audiat, atque cum Deo auscultante quandoque loquatur.

Recollectio passiva, seu infusa tunc datur, cum antequam quis de Deo cogitet, ejus potentiæ interius colliguntur, Pastoris voce convocatæ; ut eam describens loquitur S. Theresia Mans. 4. cap. 3. his verbis: *Alcune volte prima che si cominci a pensare di Dio, si sente un ritiramento soave all'interiore, come ben conoscerà, chi passa per questo.* In hac Recollectione passiva non suspenduntur potentiæ, sed liberæ manent, ut cum Deo libere, ac suaviter occupentur. Hanc gratiam specialem iis impertitur omnipotens, qui priori modo Recollectionis vacaverint; si se sentiant divina virtute collectos, si Deum præsentem inspiciant, atque auscultantem intelligant, cum suavi potentiarum silentio, & interna mentis tranquillitate eidem adhæreant, & amoroso quodam intuitu potius quam discursu cum Deo colloquantur, & caveant ne sensus externi per sua objecta, interni per suas operationes, intellectus per discursum, & voluntas per actuum sollicitudinem, animæ tranquillitatem Deique operationem per supernaturale lumen instruentis impediant. Tunc quippe magis brevi tempore Deo loquente discitur, quam ex longo discursu propria industria elaborato. *Ubi enim*, ut loquitur S. Ambrosius, *Deus magister est, cito discitur quod docetur*. Aliquos tamen actus exercere debent veræ humilitatis, vel gratitudinis ob tantum beneficium sibi collatum; suaviter tamen, ne ulterioris divinæ gratiæ impediantur argumenta. Signum hujus Recollectionis est, quod anima mundi illecebras, ac quascumque res temporales arbitretur ut stercora, etiam illas, quas ante in deliciis habebat. Mire descriptum habes hunc gradum contemplationis a S. Theresia in Relation. exarata a P. Francisco Ribera lib. 4. cap. 3. suæ Vitæ in hæc verba. *E' un raccoglimento interiore che si sente nell'anima, che pare ch'ella abbia dentro di se altri sensi, come ha di fuori gli esteriori, i quali sentendosi alcune volte venir dietro, le viene voglia di chiudere gli occhi, e non vedere, nè udire, nè intendere, se non quello, in che ella allora s'occupa; ch'è poter trattare con Dio a solo a solo. Qui non perde alcun senso, o potenza, che tutto si conserva nel suo essere intiero, per impiegarli in Dio. E questo sarà agevolmente inteso da colui, a cui l'avrà nostro Signore dato; che altrimenti per darlo ad intendere, sarebbono almeno di bisogno molte parole, e comparazioni.*

§. III.

An dari possit oratio Quietis acquisita.

IN hujus Quæstionis limine statim gravium Doctorum occurrit disceptatio, qui in diversas partes abeuntes oppositas videntur protulisse sententias: alii quidem dubio proposito affirmative respondent; alii vero negative. Affirmativæ sententiæ subscribunt Cardinalis Brancatus Opusc. 4. cap. 6. de orat. P. Joseph a Jesu Carmelita Discalceatus in suo Ingressu animæ in Paradis. Spiritual. cap. 6. §. *Un'altra Quiete ec.* P. Magister Antoninus Massoulie Ordinis Predicatorum in suo Tractatu de vera Orat. contra Quietistarum errores part. 1. cap. 15. quorum auctoritates dabimus inferius. Negativæ vero plures PP. Discalceati, ut P. Thomas a Jesu, P. Dominicus a SS. Trinitate, P. Balthassar a S. Catharina. Verum si eorum sensus, & intentio penitus investigetur, verbis potius quam rebus inter se dissentire deprehenduntur. Enimvero summa animorum consensione conveniunt non tam in asserenda duplici contemplatione, una scilicet acquisita, altera infusa; quinimmo in stabilienda oratione Quietis infusæ, ejusdemque principiis. Quamobrem pari jure ac ratione in excipienda pariter oratione seu contemplatione Quietis acquisitæ consentire necesse est. Supposita siquidem differentia atque distinctione duplicis, immo triplicis Quietis inter se valde diversæ, qualibet disceptatio; & maxime disceptatio verborum penitus evanescit.

Certo certius est, atque a nemine in dubium revocari potest ac debet, omnem contemplationem suapte natura, & essentia suam præseferre, & conferre animi *Quietem* sibi propriam, & proportionatam. Qua ratione ductus S. Thomas 2. 2. quæst. 182. art. 1. in corp. & alibi pluribus in locis, pro inconcussæ veritatis canone hanc adoptavit propositionem: *Vita contemplativa consistit in quadam vacatione, & Quiete.* Quod profecto evidentissime in omni genere, gradu, & statu contemplationis deprehenditur. In altissima enim perfectissimaque Beatorum contemplatione altissimæ quoque, absolutissimæ, atque beatissimæ Quietis fruitio reperitur: in quorumdam viatorum contemplatione divinitus infusa immiscetur, & immixta est sua Quies propria, a solo Deo immissa, & donata: in communi, & consueta justorum contemplatione humanitus acquisita sua Quies proportionata, & præcedit, & subsequitur. Ipsa quoque Ethnicorum Philosophorum contemplatio (quamvis pure, & simpliciter naturalis tum quoad modum, tum quoad substantiam, atque multo inferioris ordinis ac gradus, quæ proinde *Speculatio* potius dicenda est quam contemplatio) sua non caret animi Quiete, & pace sibi commensurata. Propterea Aristoteles 10. Ethic. cap. 8. de hac naturali Philosophica contemplatione loquens, eam animi *Quietem* appellat, & otium delectabile, in quo naturalis hominis felicitas constituitur. *Videtur*, inquit, *etiam in otio felicitas ipsa consistere: negotia enim suscipimus ut otium habeamus, & bellum gerimus ut in pace degamus.* Non dissentit ab Aristotele Sanctus Thomas 3. Sent. dist. 35. quæst. 1. art. 2. quæstiunc.

stinne. 3. *Felicitas*, ait, *contemplativa de qua Philosophi tractaverunt, in contemplatione Dei consistit: quia secundum Philosophum consistit in actu altissimæ potentiæ, quæ in nobis est intellectus; & in habitu nobilissimo, qui est sapientia; & etiam in objecto dignissimo, qui est Deus. Unde Philosophi ultimum tempus vitæ suæ reservabant, ut dicitur, ad contemplandum divina . . . ut videlicet in hoc conquiescerent.* Itaque juxta Angelicum Præceptorem ex triplici capite animi *Quies*, & *Requietio* in Dei divinorumque contemplationem derivatur: ex dignitate, & suavitate actus; ex habitus sublimitate; ex objecti celsitudine, & perfectione. Cumque hæc omnia, servata proportione, cuilibet contemplationi tum divinitus infusæ, tum humanitus acquisitæ non desint, oportet etiam quamlibet contemplationem suam Quietem propriam, & peculiarem præseferre.

Distinctio itaque Quietis infusæ, & acquisitæ minime est arbitraria, & imaginaria, sed solidis innixa rationibus, immo & auctoritati Sacræ Scripturæ, quæ alicubi nobis indicat, & commendat Quietem & pacem, ex industria, studio, & opere proprio exquirendam, & acquirendam: ut Psal. 33. vers. 15. *Diverte a malo, & fac bonum: inquire pacem, & persequere eam:* & alibi laudat *Quietem*, & *pacem* a solo Deo expetendam, & expectandam, velut donum pure gratuitum. Ita ad Philippens. 4. vers. 6. *Petitiones vestræ innotescant apud Deum, & pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra, & intelligentias vestras.*

His itaque constitutis, dicendum est, admittendam esse orationem, seu contemplationem *Quietis*, Dei ope, & propria industria acquisitam. Probatur veritas assertionis ex Sacræ Scripturæ auctoritatibus tum veteris, tum novi Testamenti. Deus enim ipse pias alloquens animas, sibique devotas, & contemplativas, eas hortatur consilio, & præcepto excitat ac extimulat ad spiritualem mentis, & cordis quietem, & vacationem procurandam, ut liberius atque libentius suam gloriam, majestatem, & bonitatem intueantur, & suspiciant, indeque eum confiteantur, & tamquam Deum optimum maximum collaudent: Psal. 45. vers. 11. *Vacate, & videte, quoniam suavis est Deus.* Quam auctoritatem ita interpretatur S. Bernardus serm. 70. de interior. Domo: *Qui vult contemplationi vacare, debet quiescere non solum ab operibus malis, sed a cogitationibus supervacuis. Multi siquidem, etsi sciant vacare corpore, nesciunt tamen vacare corde, nescientes facere sabbatum ex sabbato; & ideo non valent implere illud Psal. 45.* „ Vacate, & videte quam suavis est Deus." Ubi piissimus Doctor Mellifluus sermonem instituit non de vacatione, & Quiete infusa, & donanda; sed de vacatione, & Quiete per humanam industriam, divina gratia cooperante, procuranda, & acquirenda. Idem brevius docet S. Tomas 2. 2. quæst. 182. art. 1. supra cit. *Vita contemplativa*, inquit, *consistit in quadam vacatione, & Quiete, secundum illud Psalm. 45.* „ Vacate, „ & videte, quoniam suavis est Deus." Luculentius prælaudata verba Psal. 45. exponit Dionysius Carthusianus: *Ecce*, ait, *quam pie, & dulciter exhortatur nos Deus noster. Vacate, inquit, a rebus vanis, & malis, & inutilibus: abstrahite corda vestra, & mihi tota mente adhærete; mihi intendite in me vestra desideria figite; in me vestras occupationes simplificate, & colligite. Et videte per affectuosam contemplationem, experimentalemque gustum, quoniam ego sum Deus Creator, Provisor, & Salvator, & Rector vester, qui incessabilem curam de vobis habeo, vobisque semper succurrere, & consolationem infundere paratus existo; ita ut experimentaliter agnoscatis, me esse Deum vestrum.* Plura subinde adjicit ad institutum de quo agimus, utiliter perlegenda. Idem confirmat Ugo Cardinalis in comment. Psal. 45. his verbis: *Vacate, & videte. Non otium vacare Deo, immo negotium negotiorum . . . . Vacandum est igitur ab actionibus exterioribus propter sapientiam addiscendam: Eccl. 38.* „ Sapientiam scribe in tem„ pore vacuitatis . . ." *A sæcularibus negotiis II. ad Timoth. 2.* „ Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus . . ." *A vitiis propter virtutes, Isaia 1.* „ Quiescite agere perver„ se." Tandem Gillebertus Abbas serm. 9. in Cant. *Vacate*, inquit, *& videte, quoniam ego sum Deus. Bonum est otium: sed sapientiam scribe tempore otii tui; scribe illam super latitudinem cordis; imprime in imo cordis tui literas, quæ non deleantur; & exara in tabulis spiritualibus signa sapientiæ, ut dicere possis:* „ Signatum est super nos „ lumen vultus tui, Domine, dedisti lætitiam in corde meo." *Lætare, & diem festum age cum dilecto, exultare, age sabbatum delicatum, & sanctum, & gloriosum . . Si vacas, sabbatum habes; si vacas, & vides, & contemplaris delectationes Domini, jam sabbatum tuum delicatum est, sanctum, & Domini gloriosum, sabbatum ex sabbato, idest, vacatio de vacatione. Prima vacatio est bona, si mundo non vacas: secunda quidem melior, si tibi ipsi & vaces, & cogites quomodo placeas Deo: tertia est optima, si tui oblitus soli Deo vaces, & cogites quæ Domini sunt, & quomodo tibi placeat ipse Deus. Non sit desidiosum sabbatum tuum, operare in sabbato tuo opera Dei . . . . Ideo vaca, ut videas; delicatum plane opus est visio, & visio Dei.* Ergo hæc quæ præcipiuntur agenda, ut vacatio, & Quies exquiratur, & acquiratur, minime possunt *Quieti Infusæ* convenire, quam maxime vero *Quieti Acquisitæ*.

Eadem veritas ex Christi Domini doctrina Matthæi 6. vers. 6. confirmatur, ubi unusquisque nostrum instruitur quomodo Patrem in spiritu oporteat contemplari, & orare, ut ei placeat oratio, & contemplatio, atque nos sua pace, & Quiete perfundat. *Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso super te ostio, ora Patrem tuum in abscondito, & Pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi.* Audiamus S. Ambrosium lib. de Cain, & Abel ita super hunc textum evangelicum disserentem. *Salvator ait:* „ Intra in cubiculum" *non inclusum parietibus, quo tua membra claudantur; sed cubiculum, quod intra te est, quo includuntur cogitationes tuæ, in quo versantur sensus tui. Hoc orationis cubiculum ubique tecum est, & ubique secretum, cujus arbiter nullus est, nisi solus Deus.* Elegantius in rem nostram loquitur S. Augustinus de serm. Domini in Monte lib. 2. cap. 3. *Cubiculi nomine conscientiæ secretum intelligitur. Quæ sunt ista cubicula, nisi ipsa corda? quæ in Psalmo etiam significantur, cum dicitur:* „ Quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus „ vestris compungimini." *Et clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito. Parum est intrare in cubicula, si ostium pateat importunis, per quod ostium ea quæ foris sunt, improbe se immergunt, & interiora nostra appetunt. Foris autem sunt omnia temporalia, & visibilia, quæ per ostium, id est per carnalem sensum in cogitationes nostras penetrant, & turba vanorum phantasmatum orantibus obstrepunt. Claudendum est ergo ostium, id est carnali sensui resistendum, ut oratio spiritualis dirigatur ad Patrem.* Hoc idem confirmat S. Gregorius Papa lib. 22. Moral. in Job cap. 18. *In evangelio*, ait, *Dominus dicit:* „ Intra in cubiculum „ tuum, & clauso ostio tuo, ora Patrem in abscondito." *Clauso quippe ostio, petit in cubiculo, qui tacente ore in conspectu supernæ pietatis fundit affectum mentis. Et vox auditur in abscondito, cum per sancta desideria silenter clamatur. Unde recte quoque per Psalmistam dicitur:* „ Desiderium pauperum exaudivit Dominus: præparatio„ nem cordis eorum audivit auris tua." Et B. Albertus Magnus in Matth. 6. „ Intra in cubiculum tuum & clau„ so ostio, ora Patrem tuum:" inquit. *Duo tangit: locum secreti, & custodiam. Locum secrete tangit per cubile, ubi in secreto mentis cum Deo cubandum est; Cant. 2.* „ Introducam eum in cubiculum genitricis meæ:" *hoc est sapientiæ, Sap. 4.* „ In domum meam conquiescam cum sa„ pientia." *Et clausa ostia. Ecce tutela secretorum cordis. Sicut ut enim cubiculum est secretum cordis, & spiritus, ita clausura ostii est firmatio sensuum ab ingressu phantasmatum . . Ab his ostium cordis firmandum est, & intra cubiculum manendum; sicut dicitur Judith. 8. quod in superioribus domus suæ longe a strepitu sensuum, in altitudinem spiritus fecerat sibi secretum cubiculum, & ibi morabatur meuta cum puellis, idest donis sapientiæ, & intellectus.* Ita quoque eumdem Matthæi locum exponit Ugo Cardinalis: *Intra in cubiculum tuum . . . . ut totus homo interior colligatur in se, qui debet Deo offerri in oratione, ut vis rationalis contempletur Dei sapientiam, vis irascibilis magnitudinem, vis concupiscibilis bonitatem. Et clauso ostio, id est sensibus extrinsecis, & inferioribus, ora Patrem in abscondito, qui adoratur in spiritu, & veritate.* Demum rem totam absolvit Dionysius Carthusianus in Matth. 6. *Intra*, ait, *in cubiculum tuum, id est locum secretum, & quietum . . . Locus enim secretus, & quietus plurimum confert ad orationis puritatem, & fervorem: quia tunc homo securior est, nec a sensibus totus inquietatur. Unde imaginatio ejus quietior est, & intellectus stabilior; voluntas quoque tanto ardentius fertur in Deum, stabiliusque in eo permanet fixa, quanto amplius a multis abstrahitur. Potest enim per cubiculum spiritualiter accipi cor hominis. Sic ergo debemus intrare in cubiculum animæ, idest cor nostrum intra se colligere, juxta illud:* „ Audiam quod lo„ quatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pa„ cem."

Hæc omnia confirmat pluribus in locis S. Mater Theresia, & signanter c. 29. in Itin. perfection. *Quando l'anima vuol entrarsene dentro di se in questo Paradiso col suo Dio, si serra dietro la porta a quanto è nel mondo. Dico vuole, acciocchè intendiate, che questa non è del tutto cosa soprannaturale; ma che sta nel nostro volere, e che possiamo noi farlo coll'ajuto di Dio, senza cui niente si può, nè anco avere da noi stessi un sol pensiero buono. Percioechè questo non è silenzio delle potenze, ma rinchiudimento di quelle in se medesime. Si va acquistando questo in molte maniere, come in alcuni libri vien insegnato, che abbiamo a disoccuparsi da ogni cosa per poter interiormente accostarsi a Dio . . . . Quello che vorrei darvi ad intendere, è, che per andarci avvezzando di quietare con facilità*

l' intelletto, perchè attenda a quello che dice, e con chi parla, è di bisogno raccorre, e ritirare questi sensi esteriori a noi medesimi . . In somma è necessario, che ci avvezziamo a gustare della sua presenza, ed a credere che per parlargli non bisogna alzare la voce, e gridare ; atteso che Sua Maestà si darà a conoscere come sta quivi. Di questa maniera faremo orazione con molta pace, ed è un levarsi di fatica ; perchè non passerà molto, che sforzandoci noi di stare appresso a questo Signore, c' intenderà, come suol dirsi, a cenni. Et cap. 28. Questo modo di orare, benchè sia vocalmente, con molta maggior brevità raccoglie l' intelletto, ed è orazione che porta seco molti beni, e chiamasi di raccoglimento, perchè raccoglie l' anima tutte le sue potenze, e se n' entra dentro di se col suo Dio, e viene il suo divino Maestro ad istruirla con più brevità che d' altra maniera, e a darle orazione di Quiete . . . . Dopo molte di queste entrate dell' anima in se stessa, già si compiace il Signore, che si rimanga del tutto in contemplazione perfetta.

Sapientissimæ pissimæque Matri, & Magistræ subscribit fidelissimus filius, & discipulus Joseph a Jesu Maria lib. 1. Ingress. in Parad. spirit. cap. 6. §. Un' altra ec. his verbis. Un' altra Quiete si trova non infusa, ma procurata dall' anima per meglio applicarsi a Dio. E questa, come già si disse altrove, la chiama il Dottor Angelico (de Verit. qu. 13. art. 2. ad 9.) sospensione intenzionale, cioè prefissa, e voluta dall' intenzione, per distinguerla dalla sospensione infusa. E questa è quella che serve per la contemplazione ordinaria, che comunemente chiamiamo Astrazione ; senza la quale non resterebbe l' anima disposta per ricevere l' operazione divina, ed i suoi effetti soprannaturali, a che deve ordinarsi tutto il filo della nostra orazione mentale. Così ad ogni linea lo dicono i Santi, ed in quella fonda l' Areopagita (cap. 1. 7. de Divin. Nomin.) Perchè, come ponderò S. Gregorio (lib. 5. Moral. cap. 33.) mai la contemplazione vera andò insieme con la inquietudine : e della maniera che l' aria ingombrata con vapori c' impedisce il calore del Sole, e nell' acqua torbida non si rappresenta bene l' immagine di chi in essa si specchia ; così lo stesso succede al nostro intelletto in riguardo alla contemplazione divina, e suoi effetti. Quando si trovasse inquieto, ed occupato fra l' ombre di figure ed immagini distinte; dove che da questo lo libera la sospensione (o per meglio dire, astrazione) intellettuale, e lo costituisce a vista dell' eternità conforme al suo oggetto, acciocchè contemplar possa ed amare le cose divine ed eterne, e lasci ormai d' applicarsi alle terrene, e temporali. Per questa sorte di sospensione senz' alienazione de' senzi intende S. Tommaso (1. Sent. dist. 15. quæst. 5. art. 5. ad 3.) ciò che disse l' Apostolo : Che la nostra conversazione deve essere ne' Cieli. Poichè sebbene l' essere sostanziale dell' anima consiste nell' unione al corpo, contuttociò, dice il Dottore Angelico, si verifica che in questa contemplazione conversa ne' cieli, essendo trasportati in essi col mezzo dell' altezza de' propri atti ; con che s' arriva all' ultima perfezione. E questo è l' esser suo assai più nobile, e più riguardevole, onde è che diceva S. Agostino: Che l' anima è più dove ama, che dove anima. L' utilità sopraddette della sospensione intellettuale dalle cose caduche, per attender meglio all' eterne, le provò abbondantissimamente la nostra Maestra Teresa : e con esse conchiuse il periodo a que' si dolorosi tormenti, che patiti aveva per lo spazio di vent' anni, ne' quali riferisce non aver ritrovato mai alcun Maestro che l' intendesse ; e così ci lasciò quel si ben assicurato avviso nel capit. 13. della sua Vita dicendo : Che mettiamo silenzio all' intelletto, e che stia lo spirito attento in Dio con gli occhi della fede, che s' umilii avanti a lui, e con esso si goda fregnentando atti d' amore.

Eamdem veritatem confirmat S. Franciscus Salesius Introd. ad vit. devot. p. 2. cap. 12. Ricordatevi, inquit, Filotea, di far sempre molte di queste ritirate nella solitudine del vostro cuore . . . . Nostro Signore ispirò a S. Caterina di Siena a fare un picciolo oratorio interiore nel suo spirito, dentro al quale ritirandosi mentalmente essa, poteva in mezzo agli affari esteriori occuparsi in questa santa solitudine cordiale. . . Ritirate dunque tal volta il vostro spirito dentro il vostro cuore, ove separata da tutti gli uomini, voi possiate cuore a cuore trattare con Dio delle cose dell' anima vostra, per dir con Davide: Sto vegliato, e mi son fatto simile al pellicano della solitudine, e mi son fatto come un alloco, e civetta dentro le macerie, o come il passero solitario nel tetto. Et volens hanc spiritus, & mentis recollectionem distinguere, quæ propria deliberatione, studio, & industria procuratur, & acquiritur, ab ea quæ omnino gratuito a Deo donatur, & infunditur, ita prosequitur tract. Amor. Dei lib. 6. cap. 7. Io qui, Teotimo, non parlo del raccoglimento, col quale si mettono nella presenza di Dio quelli che si vogliono preparare rientrando in se stessi, e ritirando, per modo di dire, l' anima loro dentro i loro cuori per parlare a Dio : perchè questo raccoglimento si fa col precetto dell' amore, che provocandoci all' orazione ci fa prendere questo mezzo di operar bene ; di modo che noi stessi facciamo questo ritiramento del nostro spirito. Ma il raccoglimento, del quale intendiamo di parlare, non si fa col precetto dell' amore, ma con l' amore stesso ; cioè noi lo facciamo per elezione : perchè non è in nostro potere di averlo, quando vogliamo, e non dipende dalla nostra diligenza ; ma lo fa Iddio con noi colla sua santa grazia, quando gli piace. Quegli, dice la Beata S. Teresa di Gesù, la intende bene, che ha lasciato scritto, che l' orazione del raccoglimento si fa come quando un porco spino, o una tartaruga si ritira dentro di se : eccetto che queste bestiole ritiransi dentro di loro, quando vogliono ; ma il raccoglimento non è in nostra volontà, ma ci avviene, quando piace a Dio di farci questa grazia.

Hinc Cardinalis Brancatus Opusc. 4. cap. 6. per totum totis viribus probare nititur dari hujusmodi orationem Quietis acquisitam, quam ibi describit his verbis. In hoc ergo dicitur consistere oratio Quietis acquisita, quæ gradus seu species contemplationis est, ut justus spiritualis aliquo tempore, vel magno, vel parvo, juxta devotionis spiritum, ab omni temporalium cura se abstrahens, & ab omni alia cogitatione, sive præcedenti aliquo meditationis, alteriusque præparationis actu, sive cum sola Spiritus Sancti invocatione semetipsum in se, id est in animo suo recolligens, sibi præfigat in se, sicut revera est, Dei præsentiam, eamque credendo firmiter, omne phantasma seu imaginationem fugans, quia nequit Deus per imagines phantasticas repræsentari, Deo præsenti inhæreat per fidem intuendo, eoque perfruetur amando. In hoc ergo consistit gradus hic acquisitæ contemplationis, dictus præsentiæ Dei, vel silentii, seu orationis Quietis. Quod probat auctoritate S. Theresiæ, ac demum concludit in hunc modum. Neque de illa in se spectata (hoc est oratione Quietis acquisita) cum suis debitis circumstantiis, aliqua potest esse controversia : quia est actus honestus veræ Religionis, & vera contemplatio, tam ratione objecti, quam ratione principiorum ad eam concurrentium. Sicut enim quis capax, & expertus in contemplatione acquisita potest contemplari Deum in se, figendo intuitum mentis in ea veritate, quod Deus sit, eum amando ; ita quis præfigens sibi Deum præsentem, potest intuitum mentis in eo figere, illumque amare, in illo quiescere, nihil aliud tunc nec mente, nec imaginatione cogitando. In hoc actu adest objectum principale contemplationis, Deus ibi præsens, adest intuitus fixus in eum, adest saporosa dilectio. Igitur est verus actus contemplationis. Idem novissime docuit P. Antonius Massoulie Ordinis Prædicatorum in suo Tract. de vera orat. contra Quietistarum errores ; ubi part. 1. cap. 16. postquam monuerat, orationem Quietis, de qua loquitur S. Theresia, esse supernaturalem, nec a nobis proprio conatu acquiri posse, hæc addit. Vi può essere un' orazione di riposo, e di Quiete, puramente acquistata coll' opera della grazia ; e quest' orazione può essere simile in certo modo a quella che è infusa, e straordinaria, nella stessa guisa, che gli atti delle virtù morali ed acquistate sono similissimi agli atti delle virtù soprannaturali ed infuse. E' necessario mostrar qui, in che consiste quest' orazione di Quiete puramente acquistata, ed in qual maniera ella deve esser praticata, affinchè si possano conoscere, e schivare gli errori che vi si possono introdurre per mancanza d' intelligenza. Probat autem dari hujusmodi Quietem acquisitam ex eo, quod cum anima naturaliter habeat inclinationem totiem ad Deum, non potest non delectari, gaudere, & quiescere, cum familiariter in oratione conversatur cum Deo. Et licet per passionum rebellionem, ac per imaginationis elevationes possit ea pacifica conversatio cum Deo impediri ; attamen per virtutum moralium exercitium passionum pugna devincitur, atque per frequentem orationem mentalem evagatio mentis moderatur. Unde ejusmodi Quies acquisita in oratione potest haberi. Ita laudatus P. Massoulie.

Ex tam unanimi uniformique Sanctorum tum veterum Patrum, tum recentiorum Theologorum doctrina colligitur primo, ab eisdem mirabili consensione fuisse approbatam (ideoque ab omnibus, qui eos sectantur, admittendam, & excipiendam esse) orationem illam contemplativam, quam hic Recollectionis nomine donamus, velut pium, & devotum christianæ pietatis exercitium, quæ caritate movente & imperante, prælucente & præeunte fide, spe concomitante, & auxiliante religione, aliisque virtutibus tam acquisitis, quam infusis inservientibus, simulque ex proprio studio, cura, & industria conficitur.

Secundo. Hanc orationem, in contemplatione acquisita sitam, minime nomen Spiritualis Quietis demereri, eo modo loquendi, quo Patres, & Theologi prælaudati animi quietem, vacationem, & otium appellant quidquid dispositive, affective, vel consecutive se habet ad animi tranquillitatem, & pacem, in qua, & ex qua quietius Deus per fidem conspicitur, & ardentius per caritatem diligitur.

Tertio. Nullam esse inter Auctores ex una parte negantes, & ex alia affirmantes, disceptationem, & pugnam ; quinimmo summam in eis consensionem, & concordiam. Siquidem affirmantes hanc dari orationem Quietis, de quie-

quiete connaturali loquuntur inferiori, quæ inseparabilis ait ab omni contemplatione acquisita. Qui vero negant, loquuntur de quiete supernaturali perfecta, & superna, quæ peculiaris est, atque contemplationis infusæ privilegium, & donum.

Quarto demum, id quod ab omnibus uno corde, & ore tenendum, & confitendum est, quamlibet veram, rectam, & legitimam Quietem, sive humanitus acquisitam, siva divinitus infusam, esse unice ordinatam, & intentam ad nobilissimos actus tam intellectivos, quam affectivos coram Deo, & in Deum, & in Deo exercendos, juxta Sanctorum Patrum, & Scripturarum doctrinam.

In otio tamen non iners vacatio delectare debet, sed aut inquisitio, aut intentio veritatis, ut in ea quisque proficiat, & quod invenerit, teneat. *Quamobrem Otium sanctum quærit caritas veritatis* (inquit S. Augustinus de Civit. Dei lib. 19. cap. 19.) *& negotium justum suscipit necessitas caritatis*: & in Jo. cap. 13. Tract. 57. *Proinde in his, qui vitam quietam in studiis dulcibus, & delectabilibus agunt, Sancta deliciatur Ecclesia, & dicit: Ego dormio, & cor meum vigilat. Quid est, Ego dormio, & cor meum vigilat: nisi ita quiesco, ut audiam? Otium meum non impenditur nutrienda desidia, sed percipienda sapientiæ. Ego dormio, & cor meum vigilant: vaco, & video, quoniam tu es Dominus: quia sapientia scribe in tempore otii; & qui minoratur actu, ipsa percipiet eam. Ego dormio, & cor meum vigilat: ego requiesco a negotiosis actibus, & animus meus divinis se intendit affectibus.* Cohæret S. Augustino S. Gregorius Papa in Ezechiel. lib. 2. Homil. 2. *Cum quies*, ait, *contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo: quia terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ut ad secretum intimum auris animum apponas. Sed hæc quies mentis esse in hac vita perfecta non potest.* Et Homil. 7. in Ezechiel. *In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea. In lectulo enim dilectum quærit, quando in ipso suo otio, & vacatione, quem appetit jam videre, anima Dominum concupiscit.* Demum in Job lib. 5. Moral. c. 6. & 7. *Potest autem silere, & quiescere adhuc subtilius perscrutari. Silere namque est mentem a terrenorum desideriorum voce restringere . . . Quiescunt quoque, qui terrenorum actuum strepitus pro divino amore postponunt . . . Silent, quia nullis pravæ affectionis clamoribus perstrepunt . . . Quiescunt vero, cum nullo cupiditatum temporalium turbulento appetitu rapiuntur.* Tandem S. Bernardus serm. 85. in Cant. inquit: *Sapientiam scribe in otio, ait Sapiens. Ergo sapientiæ otia negotia sunt: & quo otiosior sapientia, eo exercitatior in genere suo.* Has Patrum auctoritates expendens S. Tumas 2. 2. quæst. 180. art. 6. ad 1. ait: *Actus intelligibilium operationum ad ipsam quietem contemplationis pertinet.*

§. IV.

Quid & quotuplex sit gradus orationis Unionis.

QUamquam cujuscumque orationis proprium sit orantem cum Deo unire; hæc tamen, de qua loquimur, ob singularem modum uniendæ animæ cum Deo, antonomastice dicitur oratio Unionis: non ita, ut anima suum esse amittat, & in Deum convertatur; sed per hoc, quod unia in intellectu, & voluntate celebretur. Quæ quidem duplex est: activa, & passiva, seu infusa. Prima proprio animæ studio divinis auxiliis roboratæ obtineri potest, atqua in generali nostræ voluntatis conformitate cum Divina consistit; ad quam obtinendam, fovendamqua sæpius anima dicere debet cum Apostolo Actor. 9. *Domine, quid me vis facere?* atque illa Dominicæ orationis verba usurpare: *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.* Quamobrem S. Theresia Mans. 5. cap. 3. inquit: *La vera unione si può col favore di Nostro Signore molto ben conseguire, se ci sforzaremo di proccurarla con non aver volontà, se non unita con quella di Dio.* In hac nostra voluntatis conformitate cum Divina summam vitæ Christianæ perfectionem, non in extasibus, raptibus, aliisque divinis communicationibus sitam esse, declarat Jacobus Alvarez inclytæ Societatis Jesu lib. de vita Spirit. Tom. III. lib. 4. p. 3. cap. 1. in introd. *La perfezione della vita Spirituale non dipende della contemplazione sublimissima; senza la quale sussiste la perfetta carità di Dio, e del prossimo, la quale è l'istessa perfezione. Laonde, sebbene il Signor Iddio solleva molti de' perfetti a quella somma auge di contemplazione; altri nondimeno, quantunque anime di purità cospicua, non gli estolle all'esperienza di simil dono. Egli è Signor omnipotente, che non è astretto a legge veruna, che non in solo pane di tanta dolcezza ciba le anime a se molto care; ma in altri modi le inalza alla perfezione della carità. Inoltre il suo governo è soavissimo, nè vuole con questo dono, che ricerca lunghezza di tempo, ritardare quell'anime, che chiama alla vita molto attiva, ed al guadagno, ed acquisto degli altri.* Et profecto fundatur in caritate Dei, & proximi. Ideoque interdum orationis exercitium, & gratiæ sensibilis gustums dimittere debemus, ad vacandum proximorum saluti: *Quia* (ut dicit S. Gregorius Papa Homil. 3. in Ezechiel.) *sine contemplativa vita intrare possunt ad patriam cælestem, qui bona, quæ possunt operari, non negligunt; sine activa autem intrare non possunt, si negligant bona operari, quæ possunt.*

Ex hac unione plures oriuntur effectus. Primus est maximus meritorum cumulus. Nihil enim magis ad merendum cooperatur, quam sui abnegatio, atque perfecta Divinæ voluntati resignatio. Secundus est summa pax interna, & externa. Quia divinum in omnibus intendens beneplacitum, approbat cuncta, ut recte facta; omnia tolerat, ut recte permissa: unde nullam tam in prosperis, quam in adversis animi inquietudinem experitur. Tertius est internæ suavitatis ubertas, adeo ut de iis animabus verificentur verba Psal. 35. v. 9. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Quartus tandem ast profectus magnus in omnibus virtutibus, juxta illud Eccli. 2. v. 3. *Conjungere Deo, & sustine.*

Unio vero passiva, sic dicta, quia a nostra non dependet industria, est specialissimum Dei donum, mediis Spiritus Sancti charismatibus collatum, vel alio lumine superiori excitante potentias ad Dei cognitionem, ejusdemque ardentem amorem. Unde dulcis, & sapida est ad distinctionem unionis activæ, solum importantis simplicem Deo adhæsionem, vix multiplicatis nominibus ob excellentiam, & nobilitatem exponenda, ut observa Gersonius Tract. 9. super Cant. qui eam vocat, *Mansionem Dei in homine, vivificationem, & habitationem saltem in radice*, juxta illud *Apostoli ad Rom. 6. v. 23.* „Gratia „Dei vita æterna." *Divini oris osculum, vinum, unguentum, & oleum effusum, introductionem in divina cellaria, amati conjunctionem inter ubera sponsæ, fasciculum myrrhæ*: &c., ut omnia in unum complectatur, *unionem mysticam, & extaticam.*

Inter orationem Quietis passivam, & hanc Unionis, quamdam distinctionem notandam proponit S. Theresia: quod in prima intellectus, & imaginatio huc atque illuc discurrant; in hac vero omnes animæ potentiæ sæpe a sua connaturali operationa suspenduntur, atque in hoc sensu unitæ dicuntur, quatenus nullam habent operationem impedientem unionem intellectus, & voluntatis cum Deo (aliter enim uniri non possent) & quatenus aliquid participant supernæ dulcedinis, ita ut detur unio totalis. *Qui mancano tutte le potenze* (verba sunt S. Theresiæ cap. 5. suæ Vitæ) *e si sospendono di maniera, che in nessun modo si conosce, che operano*; cum humana cesset industria, & anima potius pati, quam agere videatur: & cap. 18. *Qua non c'è sentire, ma tutto godere* (loquitur hic de alia unionis gratia) *senz'intendere quello, che si gode. S'intende, che si gode un bene, che contiene in se tutti i beni insieme, ma non si comprende questo bene.* Prosequitur exponere differentiam inter Unionem totalem, & orationem Quietis, quæ solum affert voluntatis unionem, atque regulariter dicitur unio inchoata: *Occupansi tutti i sensi in questo gaudio di maniera, che nessuno di loro rimane disoccupato per poter attendere ad altre cose interiormente, ed esteriormente. Prima si dava loro licenza, come ho detto, che facessero qualche dimostrazione, e dessero segno del godimento grande, che sentono: ma qui gode l'anima assai più senza comparazione, e molto meno si può dar ad intendere, e dimostrare; perchè non rimane potere nel corpo, nè l'anima lo tiene per comunicare quel godimento. In quel tempo le sarebbe d'intrigo, tormento, e disturbo del suo riposo: anzi dico, che s'è unione di tutte le potenze* (*stando dico in essa*) *non può; e se può, non è più unione.*

Diximus, omnes animæ potentias sæpe a sua connaturali operatione suspendi: quia quandoque superiores non tanto fervore, ac luce illustrantur, ut suspensæ maneant inferiores; in quibus eventibus voluntas & intellectus manent Deo unitæ, non tamen potentiæ sensitivæ inferiores. Quamobrem tunc datur unio dumtaxat partialis. Eamdem distinctionem tam ab oratione Quietis, quam ab aliis gradibus contemplationis infusæ observat Thomas a Jesu de Div. Contemplat. cap. 6. *Hæc unio*, ait, *omnium felicissima est, quæ ab omnibus aliis in eo potissimum differt, quod illæ mentem Deo tantum per affectum conjungunt; hæc vero ipsi Deo in affectu, & in effectu reali, & immediata voluntatis conjunctione animam connectit.*

Ea, quæ diximus ex S. Theresia, quemdam statum unionis concernunt, seu unionem puram, simplicem, & totalem, non vero subliniores unionis gradus, quos Mystici vocant desponsationis, & spiritualis connubii animæ cum Deo, hic necessario exponendos. In ferventi siquidem amore caritatis quidam sunt hospites, qui eunt, & redeunt; quidam vero sunt quasi inseparabiliter

Deo adhærentes, vel inchoata illius apprehensione gaudentes, de quibus loquitur Sponsa Cantic. 3. *Inveni, quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam*: ut ex hoc loco docet S. Thomas memuratus unionis gradus. Desponsatio itaque (ut proximius ad utriusque unitatem describendam accedamus) est quædam unio actualis animæ cum Deo, non in animæ centro, sed in superiori ejus parte illabente, afferens extases, & raptus. *Qui vedrete* (inquit S. Theresia Mans. 6. cap. 4.) *quello, che fa Sua Maestà per concludere questo sposalizio, che penso io debba essere, quando con estasi, e ratti la leva da' suoi sensi: perchè se stando in quelli si vedesse così d'appresso a Maestà sì grande, non sarebbe forse possibile, che rimanesse con vita. S'intende de' veri ratti, e non di certe debolezze di Donne, come aver sogliamo, che tutto ci pare ratto, ed estasi: e come credo aver detto, vi sono complessioni tanto fiacche, che con un' orazione di quiete par che si muojano*.

Assertus sublimioris unionis gradus fundamentum agnoscit in reali desponsatione Adæ cum Heva, inviolabili divinæ legis ordinatione firmata, Genes. 2. *Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*: ab Apostolo ad Ephes. 5. ad metaphoricam desponsationem inter Christum & Ecclesiam deducta: *Ego autem dico vobis in Christo, & Ecclesia*: quam Doctores Mystici per analogiam trahunt ad animam, gratia sanctificante, & caritate decoratam, & signanter ad contemplativam; ut innuit Mysticus Propheta Psal. 44. eamdem animam alloquens Deo uniendam: *Audi, Filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviscere populum tuum, & domum patris tui*; ac proinde, prævia hac oblivione populi, domus, paternæque familiæ, *concupiscet rex decorem tuum*, seu sponsalia celebrabuntur, *quia ipse est Dominus Deus tuus*. Hac itaque oblivione supposita in gradibus extaticis, atque relictis rebus temporalibus, parentibus, carne, & sanguine, ac domo paterna, quantum ad sensuum externorum officia, ad Sponsi præsentiam admittitur, eique jungitur per unionem amoris cum amore. *Excessum puræ mentis* (inquit S. Bernardus Serm. 31.° in Cantic.) *in Deum, sive Dei pium descensum in animam nostram, quibus possumus, exprimimus verbis, spiritualibus spiritualia comparantes. Itaque in spiritu fit ista conjunctio, quia spiritus est Deus, & concupiscit decorem animæ illius, quam forte adverterit in spiritu ambulantem, & curam carnis non perficientem in desiderio, præsertim si sui amore flagrantem conspexerit*.

Verum, quamquam anima tunc ardentem experiatur caritatis fervorem, ac cælestis dulcedinis suavitatem, Deique splendorem in animæ essentia commorantis; non tamen ipsummet ferventissimi caloris, fecunditatis, ac lucis uberrimum fontem. Ideoque cum amor sit valde unitivus (est enim *quasi junctura quædam*, ut verbis S. Augustini 8. de Trinit. cap. 10. utar) *duo aliqua copulans, vel copulare appetens, amantem scilicet & amatum*, non tantum affective, sed etiam realiter, ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 27. art. 2. his verbis: *Amor non requiescit, non est contentus superficiali apprehensione amati; sed intendit rem amatam perfecte habere*) idcirco anima non sine dulci pœna ad intimiorem unionem, seu totalem sui in Sponsum transformationem anhelat, ut per contactum substantialem Dei ad animam, quo præsens & unitus sentitur, intellectu & voluntate per contemplationem quasi evidentem, & per amorem fruitivum ipsimet Deo adhærente, in ejus brachiis se reclinet, ejusque osculo recreetur. In quo profecto juxta Doctores Mysticos spirituale connubium animæ cum Deo non quidem perfecte consummatum, quod solum in Patria obtineri potest; sed dumtaxat inchoatum in hac peregrinationis via constituitur: idque mentis intentioris amoris indiciis, clarioribusque sinceræ fidelitatis argumentis assequitur, ut habetur Cant. 2. v. 10. *Surge, propera, columba mea, formosa mea, & veni*. Unde S. Bernardus serm. 83. in Cantic. ait: *Talis conformitas maritat animam Verbo, cum videlicet, cui similis est per naturam, similem nihilominus ipsi se exhibet per voluntatem, diligens sicut dilecta est. Ergo si perfecte diligit, nupsit*. Et infra: *Propterea ut dixi, sic amare, nupsisse est: quoniam non potest sic diligere, & parum dilecta esse, ut in consensu duorum integrum stet perfectumque connubium*. Osculum Sponsi, ab anima in illius brachia reclinata perceptum, ita describit Richardus a S. Victore in Psal. 4. *Cum cælestis ille sponsus Sponsæ suæ caritatis amplexibus conjungitur, & ad ejus osculum inclinatur; ad ejus attactum subita cælesti quadam dulcedine anima perfunditur, quam quidem sentire potest, sed nulla sermonis latitudine explicare potest. Ille enim divinorum labiorum favus distillans sixie sponsæ labiis fortiter expressus, incipit distillare dulcedinem, & emanare suavitatem. Influens itaque ille cælestis suavitatis dulcor, incipit prima quidem sponsæ interiora replere; postmodum autem usque ad os effluere; tandem vero per labia emanare in tantum, ut a Sponso suo statim audire mereatur: Mel, & lac sub lingua tua, favus distillans labia tua; eo quod ex abundantia cordis os loquatur*. Cohæret Richardo a S. Victore D. Thomas Opusc. 6. *Cum senseris*, inquit, *tactu, qui cognoscit de proximo, labia illa Jesu, anima tua labia non abominari, sed mirabiliter ipsis imprimi, ineffabiliter osculari* . . . . *In hoc gradu anima quodammodo, & indicibili modo rapit, & rapitur; tenet, & tenetur; stringit, & stringitur; & una uni per amoris copulam sociatur*. Luculentius arctissimum hunc amoris nexum inter Sponsum & sponsam ostendit Dionysius Carthusianus lib. de Fonte lucis art. 16. *Hic Deus sublimis, cum viderit mentem hominis spirituali zelo justitiæ penetratam, caritate flammigeram, puritate ac omni virtute fulcitam, ad divina fortiter aspirantem; mox dignantissime, exuberantissime, amorose, ac frequentissime ei occurrit, ac cooperatur, seque ei communicat, manifestat, infundit, eam ad se elevat, intra se rapit, deosculatur, amplectitur, atque ei se intuendum, gustandum, fruendum offert, ac exhibet, habetque complacentiam inequam in ea, & tamquam amicam, & sponsam apprehendit, fecundet, & sibi stringit: eamdemque lucem quoque quam in manibus suis tenet absconsam, ei propalat ad horam, aut horulam, prout sibi omnium sapientissimo moderatori placuerit*.

Ex quibus infertur, in utroque sublimioris unionis gradu animam divini Sponsi præsentia, diversimode tamen, recreari. Fruendum se exhibet Deus, per desponsationem existens in animæ centro, potentiis superioribus intellectus & voluntatis, per descensum ad illas, quin ejus societatem, & unionem sentiant. In hoc vero spirituali connubio (ut loquitur S. Theresia Mans. 7. cap. 1.) *fissando se stesso nell' interiore dell' anima*, tota anima cum potentiis memoratis ad intimum essentiæ ingreditur, & elevatur, ut ibi Deo perfruantur, atque actualem cum eo conjunctionem percipiant. *Nelle fruizioni di questa vita* (ita P. Balthassar a S. Catharina Senensi Mans. 7. Splend. 2. reflex. 4. loquitur ex doctrina S. Theresiæ, aliorumque Doctorum) *dove sono diversi gradi l'uno più sublime dell'altro, Sua Divina Maestà favorisce l'anima, e l'unisce nelle sue potenze, e parte superiore a se, ora discendendo ad esse, ora elevandole alla sua Mansione, e nel proprio centro. E questo è quello, che dice qui la Santa, che Dio sempre unisce a se l'anima, così nell'Unione semplice, come nello Sposalizio. Ma in queste due non eleva le potenze a se, acciocchè l'anima per esse goda Dio nel proprio centro, ed essenza dell'anima; ma solo esistendo egli nel centro si fa godere nell'istesse potenze, quasi discendendo ad esse. Ma nell'unione presente, spettante al matrimonio Spirituale, tutta l'anima entra colle sue superiori potenze nell'interno dell'essenza a godere di Dio in quel centro. Tutta questa dottrina, che va in conseguenza dell'esempio dell'Angelico nella fruizione beata di Gesù Cristo, e dei detti della Santa in conformità dell'Angelico Maestro, dichiarasi dal fama e dottissima Abate Bernardo, il quale parlando di questo divino matrimonio, dice, che Iddio s'unisca all'anima sì per descenso, ed inclinandosi ad essa, come per elevazione dell'istess' anima a se*. Præ oculis tamen habenda est distinctio, seu divisio animæ a Doctoribus Mysticis recepta in tres partes: infimam, seu sensitivam; animalem, mediam in potentiis spiritualibus memoriæ, intellectus, & voluntatis consistentem; & supremam, in ipsam scilicet animæ essentiam (ex qua prædictæ potentiæ suam trahunt originem) vel intimum penetrale, aut Sponsi cælestis thalamum, ubi hoc spirituale connubium celebratur, & consummatur, de quo meminit S. Laurentius Justinianus lib. de cast. connub. cap. 25. *Thalamus quidem nuptialis est*, inquit, *in quo casta Verbi & animæ connubia consummantur, & tamquam in sede propria suaviter residet sapientia. In eum non audent irrumpere adversarii propter Angelorum custodiam vigilem. A Sponsi inhabitantis velut a facie gladii fugiunt aspectu. Ibi jucce celebratur convivium, & vitulus comeditur sæpissime saginatus*. Quare in hoc thalamo dormit, ac requiescit pacificus rex Salomon, hic introducitur sponsa in cellam vinariam, ut ebrietate spiritus absorbeatur.

Ut hujusmodi spiritualis connubii modum, necnon admirabiles tum ex parte Dei, tum ex parte animæ operationes intelligas, operæ pretium est meminisse, Deum speciali modo ad animam descendere, ut habetur Jo. cap. 14. vers. 18. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*. Volens enim Deus, cujus deliciæ sunt cum filiis hominum, singularibus favoribus illos cumulare, duas ad eos mittit personas, adeoque animæ per divinum illapsum sapientiam Filii, & amorem Spiritus Sancti recipiunt. Non quod in eis non sit tota Trinitas aut per immensitatem, uti est in omnibus creaturis; aut per gratiam, & caritatem, ut in omnibus justis: sed quia divinæ Personæ ibi specialiter sint, & operentur per sapientiam, & amorem, illustrando, & accendendo. Quare ex hoc speciali Dei illapsu, vel novo modo essendi,

di, & operandi divinarum Personarum, sapientiæ & amoris in voluntate, atque omnipotentiæ æterni Patris, sequitur in intellectu lumen illuminans, & obruens, in voluntate amor unitivus accendens, & uniens: ita ut anima elevata, ac Dei præsentis radio illustrata, primo divinam ingrediatur caliginem; secundo divinam illam caliginem jam ingressa sibi inhabitet; tertio inhabitantis privilegiis decora, Sponso suo dilectissimo copuletur non jam per unionem affectivam, sicuti in aliis gradibus præcedentibus, sed per unionem effectivam experimentalem: quia Deus in caligine est, id est, in luce inaccessibili, *quia* (ut ait S. Dionysius in Epist. ad Doroth.) *dicitur divina caligo, quia est inaccessibile lumen, in quo habitare Deus dicitur, invisibilis quidem existens propter excedentem claritatem, & inaccessibilis propter excessum supersubstantialis luminis effusionis*. Sicuti solarem sphæram ingredienti contingeret, tunc enim clarius Solem natura sua lucidiorem, magisque visibilem attingeret, quantumvis a coruscantibus radiis reverberatus minus videret, quo magis eum visibilem agnosceret; & quemadmodum in monte Thabor Christus gloria repletus apparuit Apostolis per nubem lucidam, & tamen nubes lucida obumbravit eos: ita divinæ sapientiæ majestas intellectui per amorem ostensa, nubes evadit, intellectus viatoris capacitatem excedens. Nubes tamen lucida est, quia modo incognito, & arcano mirabiliter præstat, ut cognoscatur, quanta sit ejus sublimitas in hoc, quod perfecte attingi non possit, atque objecti incomprehensibilis radiis succumbens, experimentaliter tamen, & apertius, quam antea, claritatem, & incomprehensibilitatem ejusdem percipiat. Et ideo S. Theresia, cum a Deo enixe flagitaret, quomodo intellectus in ejusmodi gradu Unionis se gereret? cap. 18. suæ Vitæ hoc se refert obtinuisse responsum. *Come non può comprendere quello ch' intende, e non intendere intendendo*. Cum enim intellectus immensam lucis claritatem, & incomprehensibilem plenitudinem comprehendere nequeat; idipsum est non posse intellectum conspicere Deum sub ratione incomprehensibilitatis: quod est Deum, quid sit, non intelligere, eumdemque sapientissime ignorare. Voluntas vero intimius, ac immediatius, quam intellectus, per experimentalem notitiam Deo ut summe bono, summeque delectabili conjungitur, in ipsomet amoris fonte divinæ suavitatis fluenta degustans. Affabre S. Gregorius lib. 4. in 1. Reg. ad cap. 10. hæc omnia describit, loquens de divina contemplatione ad incircumscriptum lumen terminata. *Quidquid enim de omnipotenti Deo humana mens potest cogitare, Deus non est. Sed dum cogitando cuncta transcendit, dum quidquid potest intimæ lucis, quidquid internæ suavitatis & dulcedinis, quidquid spiritualis delectationis sibi fingere, minus illa esse creditur: ad quamdam lucem tamen pervenit, quæ non est Deus, sed quam inhabitat Deus. Et quia tunc electi anima mirabiliter inflammatur, mirabiliter reficitur, ineffabiliter delectatione fruitur: cogitare compellitur, quam ineffabilis lux, dulcedo, & delectatio sit, qua ipse est, si tam immensa lux est illa, quam inhabitat, & non est ipse. Ad Dominum quippe in Bethel Moyses ascenderat, quando eum eo in monte loquebatur. Sed qui ad lucem pervenerat, quam inhabitat Deus, lucem, quæ ipse Deus erat, quærebat, dicens:* „ Ostende mihi faciem tuam. “ *De quo etiam scriptum est:* „ Quia loquebatur Moysi Dominus facie ad „ faciem. “ *Quid est, quod facie ad faciem Moyses cum Domino loquitur, & tamen Dominum obsecrat, ut faciem suam Dominus ostendat? Sed facies Dei cognitio ejus est. Cognoscitur autem Deus per speculum, cognoscitur per seipsum. Per speculum hic, per semetipsum in cælo. Speculum vero est illa lux, quam inhabitat Deus: ipse autem lux illa, qua ipse est. Moyses autem, qui facie ad faciem Deum videre dicitur, & ejus faciem ad videndum postulare, quid rectius designat, quam perfectionem electorum, qui jam speculum illius summæ lucis intuentur, sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt? Ista quidem cognitio lucis electorum desideria satiare non novit, sed excitare; illa vero & satiare, & excitare. Nam tam jucunda res est, ut ineffabiliter concupiscatur; & tam plena, ut qui jam semper hanc in magno desiderio viderunt, semper ineffabili plenitudine satientur*. Majorem voluntatis, quam intellectus cum Deo conjunctionem ita ex Doctoribus Mysticis tradit S. Bonaventura itin. 5. his verbis. *Ex his igitur patet plane, quod actus dilectionis excellit, & præcedit actum cognitionis intellectualis in aliquo gradu. Inquantum autem eum excellit, intantum eum excedit attingendo Deum in aliquo gradu dilectionis, ad quem actus intellectualis extendi non potest, quæ superintellectualis est, saltem in hac vita: quia in Patria videbimus Deum sicuti est; ut dicit Joannes. Nec obstat, quod dicit Augustinus: Incognita nequaquam possunt amari: quia est notitia aliqua non intellectualis, seu affectualis; sed experimentalis, ut statim patebit. Cum prædictis concordat Hugo Commentator Dionysii dicens sic: Intelligas, quanta est vis amoris, & dilectionis, si tamen intelligi potest, quoniam dilectio supereminet scientiæ, & major est intelligentia: plus enim diligitur, quam intelligitur. Intrat dilectio, & appropinquat, ubi scientia foris stat. Et reddit rationem: Quia amor, inquit, præsumens, & confidens amato, suo acumine penetrat omnia, impetum sequens ardentissimi desiderii sui, nec dissimulare valens, donec ad amatum perveniat, & eo ipso amplius adhuc sitiens intrare ipsum, & esse cum ipso, & esse tam prope, ut si fieri possit, hoc idem ipsum sit, quod ipse. Ecce expresse dicit, quod verus amor Dei unit Deo immediatius, quam intellectio, & quod intellectus non capit. Sic ergo talis notitia affectualis est superior intellectuali. Cum his concordat per omnia Vercellensis super Cant. dicens, quod affectus, & intellectus simul coambulant usque ad novissimum defectum intellectus, ubi habet suæ cognitionis, & sui luminis consummationem, Affectus autem adhuc continet principalia in Deum suspiria, superintellectuales extensiones, & immissiones, fervidos fulgores, & fulgidos fervores, ad quorum omnium sublimes excessus, & excedentes sublimitates intelligentia trahi non potest, sed solum principalis effectus Deo visibilis*.

Hinc mirum non est, ex recensita admirabili unione animam quodammodo cum Deo fieri unum spiritum, ut tradunt Doctores Mystici. Ita sentit S. Theresia, atque exemplis ostendit Mans. 7. cap. 2. distinctionem observans inter desponsationem, & hoc spirituale connubium.

Apparisce il Signore in questo centro dell' anima non con visione immaginaria, ma intellettuale, sebbene più delicata, che le narrate, come apparì agli Apostoli senz' entrare per la porta, quando disse loro: „ Pax vobis. “ *E' un segreto sì grande, ed una grazia tanto sublime quella, che Dio quivi comunica all' anima in un istante: ed è così grande, e soave il diletto, ch' ella sente, che non sa io a che somigliarlo; se non che voglia il Signore per quel momento manifestarle la gloria, ch' è nel Cielo, per più alto modo, che per qualsivoglia visione, o gusto spirituale. Non si può esprimere (per quello che si può conoscere, ed intendere) quanto rimane lo spirito di quest' anima fatto una cosa con Dio: che come anch' egli è spirito, ha voluto Sua Maestà mostrar l' amore, che ci porta, nel dar ad intendere ad alcune persone, sin dove arriva, acciò lodiamo la sua grandezza, che di tal maniera s' è compiaciuta unirsi con la creatura; che siccome nel matrimonio i conjugati non possono più separarsi, così non vuol egli separarsi da lei.* (Ubi loquitur de inseparabilitate hujus spiritualis connubii, quantum est ex parte Dei, non vero ex parte animæ ob liberi arbitrii vertibilitatem.) *Lo sposalizio spirituale è differente, attesa che molte volte si separano, come anch' occorre nell' unione: perchè sebbene unione è unirsi due cose in una, finalmente si possono dividere, e rimanersi ciascheduna da per se; com' ordinariamente vediamo, che presto passa questa grazia del Signore, e l' anima rimane dopo senza quella compagnia, cioè di maniera che la conosca. In quest' altra grazia del Signore non è così, perchè sempre rimane l' anima col suo Dio in quel centro. Diciamo, che l' unione sia come di due candele di cera, le quali s' unissero così perfettamente, che il lume d' ambedue fosse tutt' uno; o che lo stoppino, il lume, e la cera s' unissero in uno, ma che poi ben si potesse dividere una candela dall' altra, e restassero due candele distinte, e lo stoppino dalla cera. Ma nel matrimonio spirituale è come cadendo acqua dal Cielo in un fiume, o fonte, dove l' una e l' altr' acqua di maniera s' uniscono, che già non si può discernere, qual sia quella del fiume, e qual quella che cadde dal Cielo: o come un picciolo ruscelletto, ch' entri nel mare, tra le cui acque non sarà rimedio di far divisione: ovvero come se in una stanza fossero due finestre, per le quali entrando una gran luce, benchè entri divisa, dentro nondimeno si fa tutt' una. Sarà forse questo quel che dice S. Paolo, che Chi s' accosta a Dio, si fa seco uno spirito: accennando questo sopramo matrimonio, dove presuppone essersi accostato Dio all' anima per unione.* Alia non dissimilia exempla transformationis animæ in Deum, seu unionis quodammodo in eodem spiritu, nobis exhibet S. Gregorius Nazianzenus Oration. 21. his verbis. *Quomodo stilla aquæ modica multo infusa vino deficere a se tota videtur, dum & saporem vini induit, & colorem; & quomodo ferrum ignitum, & candens, igni simillimum fit, pristina propriaque forma exutum; & quomodo Solis luce perfusus aer in eamdem transformatur luminis claritatem, adeo ut non tam illuminatus, quam ipsum lumen esse videatur: sic omnem tunc in Sanctis humanam affectionem, quodammodo ineffabili modo necesse erit a seipsa liquescere, atque in Dei penitus transfundi voluntatem*. Non dissentit a Nazianzeno Richardus a S. Victore de Amor. inseparabil. cap. 4. qui cordis liquefactionem, dilatationem, & purgationem esse omnino necessariam ostendit, ut cor amantis transfundi possit, & in amatum mutari, atque alteri uniri, non aliter (ut loquebatur Nazianzenus) quam aquæ stilla infusa vino deficere a se tota videtur,

detur, dum vino unitur, ac in illud transformatur. *Ut autem*, ait, *hac unitiva virtute concurrere possint affectus amantium, cor amantis a se liquefieri necesse est, ut transfundi, & transformari, & in illum, quem amat, mutari, & uniri alteri; quemadmodum aqua stilla infusa vino deficere a se tota videtur, dum alterius saporem induit, & colorem* : & infra : *Factum est* (ait ille) *cor meum tamquam cera liquescens. Res liquescendo mollitur, dilatatur, purgatur. Et nunc hunc triplicem effectum considera in amore, qui vere ignis divinus est corda resolvens, purgans, & constans in massam unitatis, quemadmodum varia metalla soluta igne concurrunt in unum* . . . . *Et vide tu, ne forte Propheta senserit idipsum, qui, cum cor suum cera liquescenti comparasset, protinus adjunxit, In medio ventris mei. Liquidum ergo fuit, sed extra se non effluebat. Solus effluit, qui sic intendit aliis, ut sibi non attendat. Videte, ait Apostolus, ne forte perfluatis. Neque etiam necesse est, ut in his excessibus, quibus humani spiritus lutosis sensibus divino munere avelluntur, extra se esse dicamus; cum Paulus in suo raptu, an in corpore, an extra corpus fuerit, se dicat prorsus ignorare. Ubi ergo sunt ? inquis. In eo, quod internum est sui. Profundum est cor hominis, & inscrutabile. Homo enim ita secretus sibi est, quod solus sui ipsius noscat, quod interius. Non ergo educuntur, sed inducuntur spiritus in illo interiori cenaculo, quodque & illinc clausis seorsum sensuum ostiis securius, secretiusque castissimo complexu conveniant cum dilecto, & ibi melius secum sunt, & sic ibi sunt simul, tutius se habent. Porro cor liquefactum purgari necesse est, & ad purum excoqui, si quam habet scoriam, ipso amore, qui ignis consumens est, palens ignorantia, & delicta juventutis purgans, & purgatissimam animam faciens, divino dignam conjugio, non habentem maculam, neque rugam.* Allatæ tamen similitudines, in describenda actuali unione spiritualis connubii apud Doctores Mysticos familiares, pie interpretandæ sunt, sicut aliæ locutiones, aliique modi dicendi (cujusmodi sunt, animam mori : propriam formam amittere : spirituum viribus, atque affectionibus destitui) qui, inspecta rerum natura, falsi omnino sunt; si vero effectum expendimus, a veritate non discrepant. Et profecto Philosophus mendacii non redarguitur (ut observat Thomas a Jesu loco cit. cap. 14.) quod dixerit, animam potius esse, ubi amat, quam ubi animat : nec Paulus, quod se viventem non vivere, quasi ejus vitam Christi præsans vita perimeret, affirmarit.

Spiritum hominis amore quodammodo effectum spiritum Dei, speculi admistar tersi sine macula divino Soli convenienter objecti, recipere in intellectu per infusionem species altioris ordinis, fidei Orthodoxæ mysteria repræsentantes, necnon alias veritates sublimiori modo attingendas, quam ex creaturis visibilibus attingi possint, tradit Harphius lib. 2. Myst. Theol. *Inde spiritus hominis*, inquit, *jam factus est tamquam vividum spirituale speculum, in quo Deus format spiritum veritatis, in quo & ipse per plenitudinem gratiæ suæ inhabitat. Ostendit etiam se Deus in illo speculo vivido, non sicut est in sua essentia, sed in eminentissimis, & nobilissimis imaginibus, ac similitudinibus, adeo ut illuminatus, sublevatusque intellectus, sine omni errore clare cognoscat in imaginibus intellectualibus omnia, quæcumque audire potuit de Deo, de fide, & de omni occulta veritate : videlicet, quomodo Deus est summa majestas, veritas, bonitas, sapientia, misericordia, justitia, & amor. Deinde, quomodo sit differentia Personarum, & quod unaquæque Persona est Deus omnipotens. Cognoscit etiam unitatem divinæ naturæ in Sanctissima Trinitate, & Trinitatem in natura unitate, & unamquamque Personam esse Deum in unitate essentiæ. Agnoscit etiam, esse fecunditatem in divina natura, & simplicem otiositatem in ejus essentia : quia intellectus ita sublevatus, & clarificatus spiritu veritatis, Deum videt in proprio speculo in tam multis modis, formis, & imaginibus, sicut excogitare potest, aut videre desiderat.*

Ex actuali unione, qua intellectus per cognitionem veluti evidentem, & voluntas per amorem quodammodo satiativum Deo adhærent, manat in anima alia quædam unio habitualis, qua mediante, actuali unione cessante, adhuc intellectus (licet non tanta claritate, ac quando erat actualiter unitus) Deum sibi esse præsentem sentiat. Non aliter (ut exponit S. Theresia Mans. 7. cap. 1.) ac si duo essent in eodem cubiculo, clausis fenestris: quia etiamsi unus alterum non videret, quem media luce clarissime radiante, & per fenestras ingrediente, conspexerat; certo tamen sibi esse præsentem intelligeret. Voluntas vero ita manet sigillata, ut licet aliis rebus vacare teneatur, nihilominus quia se in ordine ad summum bonum, quo per unionem actualem fruebatur, sentit propensam, continue appetit Deo, ut antea, actualiter inhærere. Et ideo utramque unionem, actualem & habitualem, animabus hisce contemplativis convenire, docent communiter Doctores Mystici, qui hoc spirituale animæ cum Deo connubium unionem *actualem*, & *habitualem* appellant. Quapropter anima, quæ antea per actualem cum Deo unionem in cellam vinariam introducta ebria fuerat, sobria egreditur; & quandoque divino se pandente lumine, quod veluti in manibus portat, iterum ad actualem unionem degustandam suavissime rapitur, ita ut dulcissimus fiat circulus cum ingenti lucis & amoris augmento. *Insunt cordi*, ita Dionysius Carthusianus de Font. luc. cap. 25. hanc unionem habitualem describit, *interna munditia, & caritas Dei pura, & fortis, fixa, & fervida; sicque ad omne bonum, & illuminationes altissimas, ac frequentes, & quasi continuas, ad inflammationes æstuantissimas, ad transformationem deificam, ad raptum, ad extasim, ad exercitationem secretissimam, tranquillatione dulcissimam, immo ad vitam Angelis proximam est anima tunc disposita, statque veluti in contactu continuo Solis æterni, Solis justitiæ, ut exuberantissime, & indesinenter illustretur, calefiat, penetretur, impleatur, ac inundetur ab illo* . . . . . . *Idcirco non cessat Sol ille liberalissimus stillicidia gratiæ, fluenta sapientiæ, caritatis scintillae in illam diffundere.* Has uberrimas luminis & amoris divitias non obscure innuit Isaias cap. 58. *Et requiem tibi dabit Dominus semper, & implebit splendoribus animam tuam, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ:* & Jeremias cap. 1. Thren. *Immisit ignem in ossibus meis, & erudivit me.*

Hinc anima assequitur perfectam passionum mortificationem, atque labentium creaturarum contemptum, in rerum divinarum ubertate quiescens, ut ostendit Macharius Homil. 4. *Anima*, inquit, *quæ ob summum desiderium, & expectationem, fidem, atque dilectionem digna fuerit habita, quæ recipiat illam supernam virtutem* (nempe cælestem spiritus dilectionem) *& quæ cælestem ignem immortalis vitæ fuerit adepta, ab omni dilectione hujus mundi solvitur, ex omni laqueo nequitiæ liberatur. Quemadmodum enim ferro, plumbo, auro, vel argento in ignem conjectis, resolvitur eorum dura natura, & in meliorem mutatur, quantoque diutius in igne permanserint, tanto magis solvuntur, & mutantur a sua naturali duritia per virtutem ignis calidam; sic & anima, quæ mundo abrenuntiaverit, solum Dominum desiderans, omni pervestigatione, studio, atque contentione, & ex fide, atque spe suam expectationem in illum contulerit, illum ignem cælestem divini, atque spiritualis amoris consecuta, tum vere a mundo exsolvitur, & ab omni vitio affectionum liberatur, & cuncta procul a se repellit, mutato naturali ipsius habitu, atque peccati duritie, reliqua omnia pro superfluis habens, in solo Sponso cælesti, quem recipit, quiescens per ardentem, & inenarrabilem ipsius dilectionem.* Hinc perfecta divinæ voluntati conformitas, necnon æstuans Vitam, & Christi Passionem imitandi desiderium : gratum quippe est amanti pro amato magna pati, atque adversa tolerare, ut expendit S. Theresia Mans. cit. cap. 3. *Il secondo effetto*, inquit, *è un gran desiderio di patire, ma non di maniera, che l'inquieti, come soleva; atteso che è così eccessivo il desiderio, che resta in quest'anime, che in loro si faccia la volontà di Dio, che tutto quello che Sua Maestà fa, tengono per bene* : & infra : *Onde i desiderj di quest'anima non son più d'accarezzamenti, nè di gusti, mentre hanno seco il medesimo Signore, ed egli è quel che vive in loro. Chiara cosa è, che come la vita di lui non fu altro che un continuo tormento, così fa, che sia la nostra, almeno co' desiderj.* Idem confirmat Thomas a Jesu lib. 4. cap. 25. §. 3. his verbis : *Cum hunc solum*, scilicet Deum, *anima diligat, ejus honorem, & voluntatem quærat, spectat, & intendit in omnibus exemplo Jesu Christi, qui tempore Passionis hæc duo studiosissime observavit, nobisque imitanda reliquit. Inclinando etenim sese in oratione instar pauperis cujusdam homuncionis honoravit Patrem, dicendoque :* „ Non mea, sed tua voluntas fiat : “ *ejusdem quæsivit voluntatem. Sic igitur anima per hoc lumen exemplum sequitur Christi Domini sui : ut si id, quod occurrit, cum honore, & voluntate Dei consentiat, prompto illud animo exequatur; sin vero alteri eorum, seu utrique sentiat esse adversum, exspuat, ac detestetur, nec pro re qualibet, aut pro cujusquam gratia illud admittat, faciatque. Hac de causa a verbis otiosis, pravis cogitationibus, & vitiis, atque peccatis cavet sibi pro viribus; cum sciat illa omnia divino honori, ac voluntati esse contraria :* Et §. 8. *Paulus post raptum in Paradisum in tribulationibus, & Christi Cruce libentius, quam in revelationibus acceptis gloriabatur. Unde nihil appetunt animæ, quam Christi imaginem, & exempla in omnibus sectari, eique fieri conformes in omni pressura, ignominia, & afflictione intus, & foris.* Et ideo, quamquam anima absorpta in spiritu videatur, non tamen ab operibus ad Dei honorem peragendis retrahitur. *Vi parrà* (ita S. Theresia Mans. 7. cap. 1.) *che l'anima stia fuori di se, e tanto assorta, che non possa attendere a cosa veruna. Anzi per tutto quello, che è servizio di Dio, è ora in sa*

più

più che prima. Immo vehementi ardet desiderio juvandi proximum in ordine ad Deum, ut velit uniri fideles ut plura corpora, velut unus mentis, & cordis instrumenta, ad divinam æmulandam caritatem, juxta illud Jo. 7. *Rogo, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint*. Quamobrem observat Thomas a Jesu lib. 4. cap. 25. §. 2. etiam gratias gratis datas huic animæ conferri: quia cum hæc Spiritus Sancti charismata ad eum finem infundantur, ut animæ ad bonum aliorum verbis, exemplisque cooperentur, eosque ad divinorum mandatorum semitam calcandam inducant; conveniens est illis locupletari. Iis accedit omnium virtutum in gradu sublimissimo cumulus, & ornatus, ut non immerito anima id quod habetur Sap. 7. possit usurpare: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius*. Quæ quidem virtutes, ob excellentiam, & nobilitatem, *animi purgati* a Theologis nuncupatæ, non sunt cæteris justis communes; sed iis dumtaxat, qui in hac vita statum perfectionis sunt assecuti, peculiares. *Sunt enim virtutes* (sic docet S. Thomas 1. 2. quæst. 61. art. 5.) *jam assequentium divinam similitudinem: & ob eam causam vocantur virtutes jam purgati animi, ita ut prudentia sola divina intueatur, temperantia terrenas cupiditates nesciat, fortitudo passiones ignoret, justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur, eam imitando. Quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.*

Hæc tamen non ita volumus intelligi, ut animæ post assecutum in via spirituale cum Deo connubium, vel statum perfectionis, sint omnino a passionibus, intellectum, & voluntatem perturbantibus, exemptæ. Quamdiu enim non exuimus fragilis carnis indumentum, peccati fomes perseverat (quem solum in Beatissima Virgine Maria numquam extitisse ex singulari Dei privilegio deprehendimus) & nequeunt passiones non insurgere, quæ etiamsi rationi subjectæ sint, non raro tamen ad peccata venialia ea subreptione saltem inducunt, ad fovendam illarum animarum humilitatem, ne propriæ conditionis immemores evadant, ut docet S. Theresia Mans. 7. cap. 4. *Vuole il Signore* (loquitur de anima Deo unita spirituali connubio) *che non si dimentichi del suo proprio essere; acciocchè sempre stia umile, e che conosca quello, che deve a Sua Maestà, e la grandezza della grazia, e lo lodi. Nemmeno crediate, che per aver quest' anime sì gran desiderio, e fermi propositi di non far un' imperfezione per cosa del mondo, lascino di farne molte, ed anco de' peccati veniali; che da' mortali, per quanto elle conoscono, sono intere, sebbene non sono sicure, atteso che ne potranno avere alcuni, che non conoscono.*

Tandem per redundantiam ex spiritualibus communicationibus in anima corpus præter deliciarum saporem, & gustum juxta suam aptitudinem participatum, mira agilitate admittat spiritus quandoque sublevatur; & licet natura sua grave, & ponderosum sit, trahitur tamen a spiritus vi, & efficacia, ut Ecclesiasticæ Historiæ de S. Thoma Aquinate, ac de SS. Maria Magdalena & Maria Ægyptiaca pœnitentibus, ad sublimem hujus unionis gradum evectis, enarrant. Cæteras admirabiles corporis alterationes ex redundantia spiritus provenientes describit S. Bonaventura Process. Relig. cap. 15. & 19. *Quandoque*, inquit, *corpus quasi obrigescit, & membra inhabilia, & inflexibilia fiunt ex subita ferveris, & suavitatis influentia. Et hoc potest esse, quia spiritus omnes distenduntur, corpore inflammato: quia extensione nervorum, & obstructione nervorum spiritualium membra amittunt habilitatem officiorum suorum, ut lingua loquelæ, manus operationum, & pedes & crura gradiendi, quousque fervor iterum remittatur, & viæ spirituum apertæ fiant, ut prius. Nec mirum, si hæc divina affectiones possunt efficere, quarum virtus fortior est; cum etiam humana affectiones id interdum valeant, ut subitus terror, & subita & immoderata lætitia, & subitus dolor, & odium immensum, & intemperatus amor: sicut sæpe compertum est, & in extasim, vel stuporem, vel phrenesim alios ex hujusmodi raptus fervore esse; & membra in rigorem versa, vel etiam infebres ex vehementi molestia incidisse*. Et infra: *Quia virtus divinæ dulcedinis intolerabilis est imbecillitati terreni corporis, sicut si ignem intro immittas. Unde legimus Sanctos ex divinis visionibus, & revelationibus caruisse, & viribus emarcuisse, de quo legitur in Daniele:* „ Visionem „ hanc grandem vidi: & non remansit in me fortitudo, „ & emarcui, nec habui quidquam virium, & jacebam „ consternatus super faciem meam. "

Quæres, an anima in ea actuali unione fruitiva certitudinem habeat se esse in statu gratiæ?

Respondemus, durante actuali ea unione fruitiva, animam certam esse de suo statu gratiæ; sive hoc fiat per specialem Dei revelationem, sive per divinum illum contactum, quo animam uti sponsam dilectissimam amplexatur. Nulla siquidem ratione potest dubitare, se divini oris osculo recreatam, non esse illi acceptam & gratam: turpe enim est cogitare, Deum animam peccati letalis labe maculatam tam amicabiliter pertractare. Hæc doctrina roboratur auctoritate S. Laurentii Justiniani Tract. de cast. connub. Verb. & Anim. cap. 14. ubi ait. *Propria efficitur certus salutis, lumine gaudet veritatis, præsentia exultat sponsi, gustu pinguescit caritatis, experientia nutritur amoris*: & cap. 25. ejusdem Tract. *Sponsa frequenter de thalamo ascendit in cælum, & de cælo jugiter Sponsus descendit in thalamum. Non pavida, non de salute incerta ingreditur Sponsa in supernorum mansiones; sed tamquam in Dilecti domum, & in propriam possessionem.*

Dixi, *durante ea actuali unione fruitiva*: quia, recedente tam sublimi exercitio, etiam abest illa notitia certa, cælesti Sponso ita disponente ad majus meriti incrementum, ad hoc ut anima cum timore & tremore salutem suam operetur, juxta Apostoli consilium.

Inter gradus unionis enumerant nonnulli Theologi Mystici orationem *impulsus*, seu Volatus spiritus, qui a S. Theresia in relatione suæ Vitæ describitur his verbis. *Impeto chiamo io un repentino desiderio, che alcuna, e più volte si solleva nell' anima, senza che prima sia preceduta orazione, da una subita ricordanza di trovarsi assente da Dio*. Cæterum revera ab ipsamet unionis essentia distinguitur, & potius pertinet ad extases, & raptus unionem concomitantes; ut ex dicendis constabit. Adeo præpotens est hæc subita Dei memoria, ut anima extra seipsam ferri videatur, sicut cum improvisum nuncium audimus aliquod infortunium referentem. Ut vero substantiam, modum, & originem hujus mirabilis impulsus, seu Volatus spiritus, intelligas, duo observanda sunt. Primum, animæ statum unionis actualis, quo anima quiete, & tranquille divinis fruitur amplexibus. Secundum, amoris conatum ad intimiorem fruitionem, & ad sublimitatem purissimi, atque divinissimi amoris habendam. Et ideo Joannes a Jesu Maria Theol. Myst. cap. 6. geminum amorem distinguit: primum, quem fruentem appellat, dum voluntas, & anima jam Deo unita reperitur, & ardens amore, cum Deo unus quodammodo spiritus efficitur; alterum vero affectivum, & ferventem, quo anima liquescit, atque ad intimiorem unionem usque ad consummatam excitat, & impellit. Ex quibus percipitur, quid sit impulsus, seu Volatus spiritus, qui in raptibus unionis fruitivæ solet evenire, quem S. Theresia explicans utitur exemplis ignis, & flammæ. *Siccome un fuoco, s'è grande* (ita loc. cit.) *e s'è ito disponendo per abbracciare, quando in un tratto si accende, produce una fiamma, che va in alto; la quale così è fuoco, com' è l'altro, che sta nel basso: nè perchè questa fiamma s' inalza, cessa il fuoco di rimanersi fuoco. Così l' anima per la disposizione, che ha con Dio, pare che produce di se una cosa tanto di subito, e tanto delicata, che s' inalza alla parte superiore, e va dove vuole il Signore, che più non si può dichiarare*. Clarius idem exponit Vit. cap. 18. *L' anima esce talvolta da se medesima a guisa d' un fuoco che sta ardendo, ed è divenuto fiamma: ed alcune volte cresce questo fuoco, ma non per questo è cosa differente, ma la medesima fiamma, che sta nel fuoco . . . . Accade venire quest' elevazione di spirito, o congiungimento coll' amor celeste; che, a mio parere, è differente l' unione dall' elevazione in questa medesima unione. Ma a mio giudizio, benchè sia tutt' uno, opera però il Signore in diversa maniera, benchè, come dico, sia tutt' uno, e lo paja. Ma anche un fuoco picciolo è così fuoco, come un grande; eppure si vede la differenza, che vi è dall' uno all' altro. In un picciol fuoco prima che un picciol ferro s' infuochi, passa molto tempo; ma se il fuoco è grande, benchè il ferro sia maggiore, in molto breve spazio di tempo perde, al parere, tutto il suo essere*. Ubi habetur, sanctam Virginem, sumpta metaphora ignis, ejusque flammæ, unionem igni, elevationem seu impulsum flammæ comparare: atque sentire, quod quemadmodum flamma est in ipsomet igne, immo idem videtur cum igne, pluries tamen supra ignem elevatur; ita anima in unione, quæ ignis amoris est, illico in flammam amoris impetu sublevatur, ut volatus spiritus videatur.

Cognoscit anima in eo statu, quam bonum sit pro amante mortem obire. Unde vivere est illi maxima pœna ad Creatorem tendere desideranti: & quia mortem sibi ex ardenti moriendi desiderio sentit illatam; idcirco extraordinarios patitur cruciatus ob dilatam Sponsi cælestis visionem, ut majores in hac vita experta non fuerit laudata S. Theresia. Quamquam enim sentire, videre, & loqui valeat; languidum tamen remanet corpus, membra, & vires adeo fractæ, ut nec stare, nec incedere possit.

Primus effectus orationis impulsus, seu Volatus spiritus, est maximus mundi contemptus: quia cum anima sit divino lumine perfusa, ac rerum omnium merita cognoscat, clamat cum Ecclesiaste cap. 1. v. 2. *Vanitas vanita-*

nitatum, & omnia vanitas: & cum Apostolo ad Philip. 3. v. 8. *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Tunc vellet omnibus mortalibus aperire quæ novit, eosque ab amore rerum visibilium abstrahere, atque ad invisibilium desideria transferre.

Secundus effectus est amor laborum propter Deum: animadvertens enim anima, se nondum posse ad consummatam unionem cum Sponso pertingere, labores vehementer appetit, quibus ei se placituram confidit.

Parum differt ab oratione Impulsus oratio Vulneris animæ, quæ tunc evenit, cum anima nihil de cælestis Sponso cogitans se sentit ab eo velut per sagittam in intima parte transfixam: quia (ut docet S. Thomas in 3. dist. 27. q. 1. art. 1. ad 4.) *amans quodammodo penetrat in amatum. Et secundum hoc amor dicitur acutus; acuti enim est dividendo ad intima rei devenire. Et similiter amatum penetrat amantem, ad interiora ejus perveniens: & propter hoc dicitur, quod amor vulnerat, & quod transfigit jecur.* Meminit hujus vulneris Richardus a S. Victore in gradib. amor. violenti, ubi, aliquibus enumeratis, addit. *Supra tamen omnes gradus dilectionis est amor iste ardens, & fervens, qui cor necessitat, & medullitus transfigit, ut veraciter dicat: Vulnerata caritate ego sum . . . . . Cogitemus ergo, quæ sit supereminentia caritatis Christi, quæ dilectionem parentum vincit, amorem prolis superat, affectum carnis transcendit, vel extinguit, insuper & animam suam in odium vertit. O violentia dilectionis! O violentia caritatis Christi! Hoc est, de quo loqui volumus, de vehementia caritatis, de supereminentia perfectæ æmulationis, ascendendo ad opera violentæ caritatis: & invenio, quod caritas vulnerat . . . . Hæc tibi animæ vulneratæ certa sunt signa, gemitus, & suspiria, vultus pallens, atque tabescens, quæ omnia operatur amor vehemens.* Hæc oratio Vulneris animæ vehementem in anima causat dolorem, ut in lamentationes erumpat; adeo tamen dulcem, atque jucundum, ut numquam sine eo manere vellet. Porro dolor, & vulnus aliquando non ab extra, sed ab intimo animæ prodire videntur. Undecumque vero vulnus hoc proveniat, quando non ita vehementer infligitur, ad liniendum dolorem aliquod mortificationis remedium potest adhiberi: nullum vero ad sanandum; sed sola mors est sufficiens. At si vehemens sit, nullum superest remedium ad illum temperandum.

Omni ex propria experientia luculenter exponit S. Theresia Vitæ cap. 29. his verbis. *Non procura l'anima, che dolga questa piaga dell' assenza del Signore, ma le vien ficcata alcune volte una saetta nel più vivo delle viscere, e del cuore, che non sa ella quello s'abbia, nè che si voglia. Ben conosce, che vuole Dio, e che la saetta vien temperata con un veleno da far odiar se stesso per amor di questo Signore, e che volentieri perderebbe la vita in suo servizio. Non si può abbastanza magnificare, nè dire il modo, con che Dio piaga l'anima, e la grandissima pena che dà; facendole ignorar, e trascurare se stessa. Ma è tanto gustosa questa pena, che non c'è diletto in questa vita, che dia maggior contento. Vorrebbe l'anima (come ho detto) star sempre morendo di questa infermità. Questa pena, e gaudio insieme, mi teneva fuori di me quasi impazzita, non potendo io capire, come ciò esser potesse. O che cosa è vedersi un' anima ferita, cioè, che si conosca di maniera, che possa chiamarsi ferita per così eccellente cagione: e veda chiaro, che non fece ella cosa alcuna, per cui meritasse, che le venisse quest' amore; se non che dal grandissimo, che il Signore le porta, sia caduta subitamente in lei quella favilla, che la fa ardere. O quante volte mi ricordo, quando sto di questa maniera, di quel verso di David:* „Quemadmodum desiderat „cervus ad fontes aquarum" *parendomi appunto adempiersi in me. Quando questo non viene così gagliardo, pare che si mitighi alquanto (almeno cerca l'anima qualche rimedio, perchè non sa che fare) con alcune penitenze, le quali non più si sentono, nè apporta più dolore, lo spargere il sangue, che se il corpo fosse morto. Va cercando modi, e maniera per far qualche cosa, che le dia pene per amor di Dio; ma è sì grande il primo dolore, che non so io qual tormento corporale lo levasse via. Come non consiste quivi il rimedio, sono molto basse queste medicine per così alto male. Qualche poco si mitiga, e se la passa alquanto in questo, chiedendo a Dio, che le dia rimedio pel suo male; e nessuno ne vede, se non la morte, pensando con questa di godere totalmente il suo bene. Altre volte viene sì gagliardo, che nè questo, nè altro si può fare, atteso che rompe, e pesta tutto il corpo di maniera, che nè piedi, nè mani può maneggiare; anzi se sta in piedi, si pone a sedere, come una cosa abbandonata, non potendo pur rifiatare. Dà solamente alcuni gemiti non grandi, perchè non può; ma sono grandi nel sentimento. Volle il Signore, che alcune volte io vedessi qui questa visione.*

Consona sunt tradita a S. Theresia doctrinæ S. Basilii, qui in Regul. fus. disput. Respons. ad interrog. 2. animam hoc vulnere sauciatam his verbis describit. *Quid, quæso, pulchritudine divina admirabilibus? Quæ notio Dei majestate excogitari gratiosior potest? Quod cujusmodi desiderium quis secum comminisci queat, cujusmodi est illud, quod animæ, vitiis omnibus perpurgatæ, divinitus ingeneratur, adeo vehemens, adeoue intolerandum? Quæ vere, sincereque dicere illud potest: Ego amore langueo, & vulnerata caritate ego sum. Inexplicabiles prorsus, nec ulli pro dignitate ennarrabile, quæ a fulgurantissimo fonte illo divinæ pulchritudinis intermicant, & prosiliunt fulgetræ. Nulla eas oratio digne repræsentet, nullus percipiat auditus, licet Luciferi prænitidum jubar, licet Lunæ splendorem, licet Solis radiantissimam claritatem dicas . . . Tanta istius pulchritudinis dignitatem nemini licet corporis oculis contemplari. Siquidem animo tantum, & cogitatione utrumque apprehenditur. Ea, si quando Sanctorum virorum quempiam circumfulsit, intolerabilem illorum in animis defixum desiderii aculeum reliquit; quippe qui cum vehementer eos vita hujus tæderet, in voces illas erumpere soliti essent: Heu mihi, quia incolatus meus prolungatus est! &, Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei? &, Dissolvi, & esse cum Christo, longe melius est: &, sitivit anima mea ad Deum fortem vivum. Vehementer enim vitam hanc velut tetrum quemdam carcerem abhorrebant: usque adeo difficiles ad cohibendum animum erant ii, quorum mentes Dei amor perstrinxerat. Cum enim inexplicabili intuendæ divinæ pulchritudinis cupiditate flagrarent, illud exoptabant, ut æquata infinito sempiternæ vitæ curriculo, sibi jucunditatis Domini contemplandæ facultas præberetur.*

Vulnus, de quo hactenus locuti fuimus, redditur quandoque sensibile, ita ut corpus in uno aut pluribus membris vel vulneratum, vel signis visibilibus impressum remaneat. Plura hic subjicimus exempla ad rem, de qua agimus, apertius illustrandam. Certum enim est, Seraphicum virum Franciscum Assisiensem in manibus, pedibus, ac latere dextero fuisse ad Christi similitudinem mirabiliter sauciatum, ut, præter Summorum Pontificum Gregorii IX. Alexandri IV. & Nicolai III. Diplomata (relata ab Emmanuele Roderico in *Collect. Privilegior. Apostolicor.*) testatur S. Bonaventura, post recensitam Seraphici Servi Dei visionem Cherubin alati Christi Crucifixi imaginem repræsentantis: *Disparens itaque visio* (inquit in Legend. S. Francisci cap. 13.) *post arcanum ac familiare colloquium, mente ipsius Seraphico interius inflammavit ardore: carnem vero Crucifixo conformi exterius insignivit effigie, tamquam si ad ignis liquefactivam virtutem præambulam, sigillativa quædam esset impressio subsecuta. Statim namque in manibus, & pedibus ejus apparere cœperunt signa clavorum, ipsorum capitibus in inferiori parte apparentibus, & eorum acuminibus existentibus ex adverso. Dextrum quoque latus quasi lancea transfixum rubra cicatrice obductum erat; quod sæpe sanguinem sacrum effundens, tunicam, & femoralia respergebat.* Et ideo Benedictus XI. ut specialis hujus beneficii memoria recoleretur, festum Sacrorum Stygmatum S. Francisci instituit, ut tradit Baronius, in Not. ad Martyrolog. Rom. ad diem 17. Septembris, & particulare tandem Officium, eadem die recitandum, primo concessum Religiosis S. Francisci, extensum subinde ad alia loca, & Diœceses, postremo a Paulo V. ad Ecclesiam universalem fuit propagatum. In Vita S. Catharinæ Senensis Tertii Ordinis S. Dominici, a B. Raymundo Capuano Ordinis Prædicatorum Generali Magistro exarata, necnon ejusdem S. Virginis Confessario, edita a Bollandianis tom. III. Aprilis, legitur Beatam Catharinam Pisis commorantem, & in extasim raptam, vidisse Jesum Christum Crucifixum luce plenum supra se descendentem, & a sacris vulneribus quinque radios emittentem coloris sanguinei, qui ad suas manus, pedes, & cor dirigebantur, eumque humillime exorasse, ne in suo corpore cicatrices apparerent; atque ideo tunc radios mutasse colorem sanguineum, coloremque puræ lucis assumpsisse, & ad suas manus, pedes, latusque sinistrum supra cor devenisse maximo cum dolore. Duæ aliæ sanctæ Virgines ex eadem Dominicana Familia afferri possunt, iisdem supernis charismatibus insignitæ. S. Catharina de Riccis, de qua in lectionibus secundi Nocturni a Sacra Rituum Congregatione approbatis pro Officio, a memorata Religione recitando, sub die 10. Martii 1736. legitur: *Supernorum charismatum copia singularis in ea enituit, annulo desponsationis, sacrisque stygmatibus, quæ non semel spectanda se exhibuerunt, acceptis.* Necnon Beata Lucia Narniensis, ut colligitur ex Lectionibus propriis pro Officio, recitando in Festo ejusdem Virginis tam ab universo Prædicatorum Ordine, quam a Diœcesibus Ferrariensi, Narniensi, & Viterbiensi, approbatis a Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV. sub die 22. Septembris 1742. *Quare, habitu Tertii Ordinis Prædicatorum devote suscepto, Romam profecta, inde Viterbium a Superioribus missa, sacris ibi stygmatibus, iisdemque conspicuis, ac cruentis, a Christo Domino mirabiliter insignita est*: & infra: *Ejus Corpus Ferrariæ adhuc in-*

corruptum, sacrorumque stygmatum cicatricibus in eo conspicuis, anno millesimo septingentesimo decima repertum est, cum ex eo decisum Crus ad Civitatem Narniensem delatum est, ubi magnifico sacello exceptum religiosissime colitur. Inter præclara divinæ gratiæ munera, quibus S. Virginem Theresiam locupletaverat Dominus, illud erat (ut ex Bulla Canonizationis Gregorii XV.) *quod adeo divini amoris incendio conflagraverit, ut Angelum viderit ignito jaculo sibi præcordia transverberantem.* Quare cum Carmelitarum Excalceatorum Religio postea ostenderit, Cor laudatæ Sanctæ Virginis, adhuc integrum, & incorruptum in Ecclesia Sanctissimæ Incarnationis Monialium ejusdem Ordinis Albæ, cicatricem visibilem retinere, approbante Benedicto XIII. sub die 25. Maji 1726. concessum fuit Officium Trasverberationis Cordis ejusdem, memoratæ Sanctæ Virginis cum Lectionibus propriis secundi Nocturni, desumptis ex cap. 29. Vitæ ab ipsamet S. Theresia exaratæ. In Martyrologio Romano inscriptum reperies elogium hoc pro Beata Clara de Montefalco. *In Montefalco Umbriæ, Beatæ Claræ Virginis, Monialis Ordinis Eremitarum S. Augustini, in cujus visceribus Dominicæ Passionis Mysteria renovata, magna devotione venerantur.* Thomas Bosius de Sign. Eccles. lib. 5. cap. 49. testatur, se oculis propriis vidisse corpus Beatæ Claræ, & cor ipsius, in quo est insculptus Christus cruci affixus ex eadem carne, flagra quibus est cæsus, columna cui alligatus, omnia denique simulacra, quibus ejus passiones referuntur; subditque idem Bosius, se tres globulos carneos ex ejus corpore eductos vidisse, qui & singuli, & bini, eterni idem omnino pondus haberent. Sentiunt nonnulli Scriptores hos globulos in corde fuisse repertos; alii vero in cystibiliaria, quod verosimilius est. Ad uberiorem hujus prodigii notitiam vide Fortunium Licetum de secundo quæsitis per Epist. cap. 43. per tot. Tandem in corde S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, Monialis Ordinis Carmelitarum, fuerunt inscripti hi characteres, *Verbum caro factum est*; ut constat ex lectionibus Officii pro secundo Nocturno, in Festo ejusdem Sanctæ Virginis ab universo Carmelitarum Ordine recitandis, de mandato Congregationis Sacrorum Rituum recognitis, & approbatis a Card. Bona sub die 5. Aprilis 1672.

Hæc omnia, quæ superius in oratione Vulneris quandoque diximus evenire, prodire nequaquam possunt ex causis naturalibus: cum sphæram activitatis naturalis excedant. Ut enim docent Philosophi, hæc ad effectus ejusdem naturæ, vel specificæ, vel individuali debitos, dumtaxat extenditur. Neque causari possunt ex vehementia amoris supernaturalis animarum erga Deum. Omnia siquidem, quæ ex ejusmodi amoris excessu, vel aliis virtutibus derivant, sunt commotiones spirituum vitalium; ineptæ proinde vel ut corporum membra physice saucient, vel ut characteres, aliaque signa sensibilia impressa, vel insculpta ibi relinquant. Tam in oratione Vulneris animæ, quam in enunciato Impulsu spiritus sentit anima aliquando vocem Sponsi cælestis ad eam consolandam, necnon instruendam, ad majorem sui, vel aliorum profectum: quandoque etiam Deum sibi communicari per visiones, & revelationes, sive corporeas, sive imaginarias, sive intellectuales.

DISSERTATIO XI.

Propositiones Molinosii referuntur, & impugnantur.

AD Propositionum impugnationem observare necesse est, Molinosium annihilationem Mysticam in remotione, & cessatione cujuscumque operationis collocare, quam lib. 1. num. 14. vocat *Otium sanctum, & quietem beatam Deo, gratissimam, & fructus infiniti.* Rursus, duplicem viam statuere: unam imperfectam, & externam; alteram internam, seu contemplationis. Per primam arbitratur incedere devotas personas, corporis macerationibus voluntarie susceptis, orationibus vocalibus, cæterisque ejusmodi operibus addictas, a piis Christifidelibus fieri consuetis: aliam vero, quam perfectissimam dicit, iis dumtaxat convenire arbitratur, qui orationi Quietis incumbunt per contemplationem sive acquisitam, sive infusam; ut tradit doctissimus æque ac piissimus P. Segneri in suo egregio Opusculo *concord. int. lab. C & quiet.* adversus Quietistas exarato.

Præmissa utriusque viæ declaratione, in via Ascetica tironibus suadet incedere per unicum, ac simplicem actum a fide elicitum, quo credant Deum sibi esse præsentem, eique se totaliter consignent, qui in ipsis dignetur suam implere voluntatem: eumdemque simplicem actum semel elicitum arbitratur (ut advertit Bossuetus Episcopus Meldensis de Statib. Oration.) habitualiter per menses & annos, immo per totam vitam extraneis operationibus non interruptum perdurare, nisi per peccatum, vel per actum contrarium revocetur; quia actuum multiplicatio divinam operationem impediret, ac in sancto otio, & Mystica annihilatione anima non se haberet velut corpus mortuum. In hac annihilatione existimat, animam se totam divinæ voluntati regendam committere, nihil ab ea petendum, omnemque propriæ salutis curam, spem, timorem, desideria quæque esse deponenda. Consone ad hæc affirmavit, animam etiam somno abreptam in hac quiete occurrentibus adhuc cogitationibus impuris persistere; immo dum vel dæmonis instinctu, vel alterna maris & feminæ sollicitatione carnales actus exercentur: propter eaque hæc omnia licet sine mentis obfuscatione, & in vigilia contingant, superiorem partem neutiquam commaculare illius, qui semel Deo proprium subjecit arbitrium.

Quid de Contemplatione senserint Beguardi a Clemente V. in Concilio Viennensi anno MCCCXI. proscripti, tradit Gersonius lib. de Mystic. Theolog. eos nempe asseruisse, summam animarum perfectionem in sublimissima contemplatione consistere, quæ sibi Deum præsentem agnoscerent citra ullam ab eis elicitam operationem, divinum in eadem contemplatione expectantes influxum, ut inde pacem, & quietem imperturbabilem obtinerent. *Quam pacem*, subdit laudatus Gersonius, *causabat Angelus Satanæ transfiguratus in Angelum lucis*: & Ludovicus Bayl eruditissimus Scriptor in Annotat. ad Conc. Vienn. de Illuminatis loquens, in Beguardorum errores prolapsis, inquit: *Sectantur quamdam otiositatem, quam ut conservent, etiam exercitia virtutum postponunt.*

Quamobrem si hæc cum doctrina superius exposita de annihilatione, & via interna conferantur; perspicue colligitur, Molinosium a Beguardorum & Illuminatotum systemate non deviasse, iisdemque prætjactis fundamentis, stravisse incautis ruinam, ac muscipulam parasse pedibus insipientium. Singulis ejusdem Auctoris Propositionibus, quas rejiciendas suscipimus, dabimus censuras a Sacræ, Supremæ, & Universalis Inquisitionis Theologis illatas.

§. I.

PROPOSITIO I.

Oportet hominem suas potentias annihilare, & hæc est via interna.

TOtus est hic Molinosius, ut sternat fundamentum ad suam vitam internam fusius in sequentibus Propositionibus tradendam. Quid vero per annihilationem intellexerit, superius visum est.

Propositio, quæ, ut jacet, juxta memoratorum Theologorum censuram, *est male sonans, & periculosa*, impugnatur I. quantum ad primam partem ex Angelico Doctore 2. 2. quæst. 180. art. 3. ubi ita scribit. *De vita contemplativa nunc loquimur, secundum quod ad hominem pertinet. Hæc autem est differentia inter hominem, & Angelum (ut patet per Dionys. cap. 7. de Divin. Nomin.) quod Angelus simplici apprehensione veritatem intuetur; homo autem quodam processu ex multis procedit ad intuitum simplicis veritatis. Sic ergo contemplativa vita unum quidem actum habet, in quo finaliter perficitur; scilicet contemplationem veritatis, a quo habet unitatem. Habet autem multos actus, quibus pervenit ad hunc actum finalem, quorum quidam pertinent ad acceptionem principiorum, ex quibus procedit ad contemplationem veritatis; alii autem pertinent ad deductionem principiorum in veritatem ejus, cujus cognitio inquiritur. Ultimus autem completivus actus est ipsa contemplatio veritatis.* Habes igitur ex S. Thoma diversitatem inter contemplationem Angelicam, & nostram, quod illa in simplici, & unico actu consistat; nostra vero nonnisi mediantibus pluribus actibus haberi possit. Ergo nostra contemplatio non potest consistere in unico, & simplici actu: ergo minime oportet hominem potentias suas annihilare, ad hoc ut maneat in contemplatione. Confirmatur hoc ex eo, quod scribit idem S. Thomas 1. 2. quæst. 5. art. 7. dicens: *Eorum quæ nata sunt habere bonum perfectum, aliquid habet ipsum sine motu, aliquid uno motu, aliquid pluribus motibus: Deus sine motu, Angelus uno motu operationis, homo multis motibus operationum.* Ergo contemplatio in homine haberi non potest in hac vita unico actu, sed multis motibus operationum. Rursus ibidem sanctus Doctor quæst. 3. art. 2. ad 4. ait: *In Angelis beatitudo est ultima perfectio secundum aliquam operationem, qua conjunguntur bono increato: & hæc operatio est in eis unica, & sempiterna. In hominibus autem secundum statum præsentis vitæ est ultima perfectio secundum operationem, qua homo conjungitur Deo. Sed hæc operatio nec continua potest esse, & per consequens nec unica est; quia operatio intercisione multiplicatur: & propter hoc in statu præsentis vitæ perfecta beatitudo ab homine haberi non potest. Unde Philosophus in 1. Ethicor. ponens beatitudinem hominis in hac vita, dicit eam imperfectam, post multa concludens. Beatos autem dicimus ut homines; sed promittitur nobis a Deo beatitudo perfecta, quando erimus sicuti Angeli in cælo, sicut dicitur Matth. 22. Quantum ergo ad illam beatitudinem perfectam cessat objectio: quia una, & continua, & sempiterna operatione in illo beatitudinis statu mens hominis Deo conjungitur. Sed in præsenti vita quantum deficimus ab unitate, & continuitate talis operationis, tantum deficimus a beatitudinis perfectione. Est tamen aliqua participatio beatitudinis: & quanto operatio potest esse magis continua, & una; tanto plus habet rationem beatitudinis.*

Habes itaque ex S. Thoma, contemplationem hujus vitæ non posse esse continuam, & consequenter nec unicam. Ergo falsum est, quod contemplatio consistat in unico, & continuo actu, ut contendunt Quietistæ, quo credimus Deum in nobis præsentem, eique nos ipsos consignamus totaliter, & resignamus, ut adimpleat in nobis suam voluntatem sine nobis.

Confirmatur ex eo, quod scribit ibidem S. Doctor 2. 2. quæst. 180. art. 8. ad 2. ubi loquens de contemplatione hujus vitæ, ait ad nostrum intentum. *Nulla actio potest diu durare in sui summo. Summum autem contemplationis est, ut attingat uniformitatem divinæ contemplationis, ut dicit Dionysius. Unde quantum ad hoc, contemplatio diu durare non potest.* Ergo contemplatio nostra non potest consistere in unico, & continuo actu.

Ulterius, valde errant Quietistæ asserendo, hujusmodi prætensum actum contemplationis esse continuum, quia sit habitualis: confundunt enim actum cum habitu. Licet enim ex pluribus actibus, & forsan ex uno tantum valde intenso, possit generari habitus; attamen actus, cum sit operatio vel voluntatis, vel aliarum potentiarum, a ratione imperatus, non potest esse subsistens: cum nulla operatio creaturæ, sed solius Dei sit subsistens (ut bene docet S. Thom. Part. 1. quæst. 54. art. 1.) consequenter non poterit esse continua, & habitualis. Unde neque actus contemplationis dici poterit continuus, vel habitualis; quippe, ex eodem S. Thoma in 1. dist. 15. quæst. 4. art. 2. quæstiunc. 4. *quod in habitu est, neque in virtute, neque per essentiam actus est.* Insuper (ut ait D. Thom. Part. 1. quæst. 112. art. 1. ad 3.) *in nobis exterior occupatio puritatem contemplationis impedit, quia actioni insistimus secundum sensitivas virtutes, quarum actiones cum intenduntur, retardantur actiones intellectivæ virtutis:* & clarius 1. 2. qu. 5. art. 4. in corp. ait: *Si loquamur de beatitudine imperfecta, qualis in hac vita potest haberi; sic potest amitti. Et hoc patet in felicitate contemplativa, quæ amittitur per aliquas occupationes, quibus totaliter abstrahitur aliquis a contemplatione.* Demum 2. 2. quæst. 181. art. 4. ad 3. ita disserit sæpe laudatus Doctor Angelicus: *Durabilitas vitæ activæ in statu præsenti, excedens durabilitatem vitæ contemplativæ, non provenit ex proprietate utriusque vitæ secundum se consideratæ; sed ex defectu nostri, qui ex corporis gravitate retrahimur ab altitudine contemplationis. Unde ibidem subdit Gregorius: Quod ipsa sua infirmitate ab immensitate tantæ celsitudinis repulsus animus in semetipso relabitur.* Ergo falsum est, quod per exteriores occupationes, aliasque necessarias operationes, hujusmodi prætensus actus contemplationis continuus, & habitualis non impediatur, & non destruatur.

Tandem, dato, & non concesso, quod per supradictum actum valde intensum, vel per plures ejusmodi actus acquiri possit contemplatio habitualis, hoc est, dispositio quædam ad facile contemplandum; attamen cum hæc consistat in habitu, & non in actu, dici non poterit contemplatio actualis, sive continuus actus contemplationis. Nam ex D. Thoma contemplatio consistit in actu, & non in habitu. Hinc 1. 2. qu. 3. art. 2. ait: *Necesse est dicere, quod beatitudo hominis sit operatio. Est enim beatitudo ultima hominis perfectio. Unumquodque autem intantum perfectum est, inquantum est in actu; nam potentia sine actu imperfecta est. Necesse est ergo, beatitudinem hominis operationem esse.* Rursus cum ex principiis Quietistarum prohibeatur renovatio hujusmodi actuum, sequitur plane, habitum etiam per cessationem actuum diminui, & totaliter corrumpi; ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 53. art. 3. ubi inquit: *Per cessationem ab actu diminuitur, vel etiam corrumpitur intellectualis habitus.* Ergo semper stat, quod necessaria sit renovatio actuum ad contemplationem in actu, vel in habitu habendam. Ergo falsum est, quod contemplatio nostra consistat in unico, & continuato actu, qui habitualiter perseveret, non obstantibus occupationibus hujus vitæ, sine renovatione actuum. Ad hæc facit Articulus XIX. inter 34. articulos Issiacenses celebres, editos, & publicatos in Gallia a pluribus Episcopis ad avertendas novas, & perniciosas Quietistarum doctrinas, ut diximus supra suo loco, in quo sic habes: *Perpetua oratio non consistit in actu perpetuo, & unico, qui perennis, nec interruptus supponatur, quique ideo iterari non debeat; sed in habituali quadam, atque perpetua dispositione, ac præparatione animi, ut nihil faciamus nisi ad placendum Deo. Propositio contraria, quæ in quovis statu etiam perfecto excluderet omnem pluralitatem, & successionem actuum, est & erronea, & omnium Sanctorum traditioni repugnans.*

Dices. Contemplatio potest virtualiter permanere in somno, & in aliis occupationibus necessariis, dum hæc ordinantur ad contemplationem. Ergo saltem contemplatio virtualis poterit esse continua: ergo a fortiori contemplatio habitualis. Antecedens habetur ex D. Thoma 1. 2. quæst. 3. art. 2. ad 4. in fine, ubi ait: *Etsi aliquando homo actu non operetur hujusmodi operationem contemplandi; tamen quia in promptu habet eam, semper potest operari. Et quia etiam ipsam cessationem, puta somni, vel occupationis alicujus naturalis, ad operationem prædictam ordinat, quasi videtur operatio continua esse.* Consequentia est legitima. Ergo &c. Respondeo, distinguendo antecedens. Contemplatio potest virtualiter perdurare in somno &c. idest, intentio contemplandi; concedo antecedens: idest, contemplatio actualis, vel virtualis; nego antecedens. Ergo contemplatio virtualis poterit esse continua; distinguo consequens: idest intentio contemplandi; concedo consequentiam; contemplatio virtualis; nego consequentiam, & explico distinctionem. Permanentia virtualis soli intentioni, seu volitioni conceditur. V. G. Si quis longo operi se accingat, vult illud facere, ac incipit facere, & utitur mediis ad illud faciendum; si distrahatur, & tamen prosequitur usum mediorum, dicitur virtualiter intendere: quia in usu mediorum residet virtus primæ intentionis. V. G. Si in recitatione Officii, in celebratione Missæ, ejusmodi accidat distractio; omnes illæ operationes virtualiter intentæ dicuntur. At hoc non competit ulli alteri actui aliarum potentiarum: si enim oculus videt, auris audit, tactus tangit; cessantibus his actibus, nullus eorum perseverat virtualiter. Sic cum intelligimus, vel contemplamur; cessante ejusmodi actu, non remanet virtualiter: quia in nullo medio imperato residet virtus ejusdem actus. Cum igitur contemplatio essentialiter sita sit in actu intelle-

tellectus (ex S. Thoma 2. 2. quæst. 180. art. 7. ad 1.) cessante hujusmodi actu, hic non remanet virtualiter: quia in nullo medio ab illo imperato residet virtus ejus. Igitur sine fundamento asseritur, quod contemplatio, sive actus contemplandi, cessans per distractionem, vel per aliam operationem, possit virtualiter remanere vigore primi actus jam eliciti: nihil enim imperavit, aut fecit, in quo virtualiter sit. E contra intentio voluntatis, ordinantis aliqua media ad talem finem intentum, licet actualiter cesset; perseverat tamen virtualiter in hujusmodi mediis ducentibus ad finem intentum. Consequenter licet possit dari intentio virtualis contemplandi in somno, vel in aliis occupationibus necessariis, quando homo ordinat illas ad finem contemplandi; non poterit tamen dari contemplatio virtualis: quia in hujusmodi occupationibus non perseverat virtualiter actus contemplationis. Ita Cardinalis de Laurea Opusculo 4. de Oratione Christiana cap. 7. Ad auctoritatem vero S. Thomæ dicendum primo, ibidem sanctum Doctorem scribere, somnum, aliasque operationes necessarias, dum ordinantur ad contemplationem, esse *quasi* operationem continuam contemplationis; non autem vere esse contemplationem: nam ibidem argum. 6. dixit, contemplationem vel somno, vel aliqua alia occupatione interrumpi. Secundo, quod ejusmodi operationes, si ordinentur ad hoc, ut quis suo tempore possit contemplari, sint quasi opera continua contemplationis; quia ordinata sunt ad talem operationem: proinde arguunt solum intentionem continuam virtualem contemplandi; non vero virtualem contemplationem. Hinc 2. 2. quæst. 180. art. 1. ait: *Vita contemplativa illorum esse dicitur, qui principaliter intendunt contemplationi veritatis. Intentio autem est actus voluntatis; quia intentio est de fine, qui est objectum voluntatis. Et ideo vita contemplativa quantum ad ipsam essentiam actionis pertinet ad intellectum; quantum autem ad id, quod movet ad exercendam talem operationem, pertinet ad voluntatem, quæ movet omnes alias potentias, & etiam intellectum ad suum actum.* Proinde quando voluntas ordinat somnum, & alias occupationes necessarias ad finem suo tempore contemplandi; hujusmodi operationes pertinent aliquo modo ad vitam contemplativam, quia ordinantur ad illam, ut ait idem S. Thomas ibid. quæst. 179. art. 2. ad 3. *Omnia studia humanarum actionum si ordinentur ad præsentis vitæ necessitatem secundum rectam rationem, pertineat ad vitam activam. Si vero humana studia humanarum actionum ordinentur ad considerationem veritatis, pertinent ad vitam contemplativam.* Proinde, posita hujusmodi ordinatione, dabitur in illis virtualis intentio contemplandi, & tales operationes pertinebunt virtualiter ad vitam contemplativam; non erunt tamen, nec dici poterunt contemplatio actualis, vel virtualis.

Dices II. Molinosius, quando in præsenti Propositione asseruit, quod oporteat hominem potentias annihilare, & quod hæc sit via interna, intelligi debet de tempore, quo anima manet in oratione Quietis, ad quam astruendam ipse scripsit, & præsentem Propositionem cum aliis sequentibus docuit. De ratione autem Quietis videtur esse, quod anima cesset ab omni actu: *Quies enim est finis motus*, ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 1. Consequenter illo tempore oportet hominem potentias annihilare: & hæc est oratio Quietis.

Sed contra est primo, quod docet idem S. Thomas 2. 2. quæst. 179. art. 1. ad 3. dicens: *Contemplativa habet quidem quietem ab exterioribus motibus; nihilominus tamen ipsum contemplari est quidam motus intellectus, prout qualibet operatio dicitur motus, secundum quod dicit Philosophus 3. de anima, quod sentire, & intelligere sunt motus quidam, prout motus dicitur actus perfecti. Et hoc modo Dionysius cap. 4. de divin. Nomin. ponit tres motus animæ contemplantis; scilicet rectum, circularem, & obliquum.* Et quæst. 180. art. 6. ad 1. ait: *Dicendum, quod motus corporales exteriores opponuntur quieti contemplationis, quæ intelligitur esse ab exterioribus occupationibus; sed motus intelligibilium operationum ad quietem ipsam contemplationis pertinent.* Ergo in oratione contemplativa, quæ dicitur oratio Quietis, datur motus intellectus, immo & voluntatis, ut infra videbimus. Proinde anima non cessat, nec cessare potest ab omni actu: unde nec oportet potentias annihilare. Confirmatur ratione: quia oratio Quietis est gradus quidam contemplationis, ut dictum est supra Dissert. X. §. 3. & docet S. Bonaventura in Tractatu de septem gradibus contemplationis, inter quos sexto loco ponit Quietem, & consonant omnes Mystici cum Cardinali de Laurea Opusc. 4. cap. 5. Atqui in contemplatione habetur non solum actus intellectus, sed etiam voluntatis, scilicet cognitio, & amor; ut docet item Seraphicus Doctor in Tract. de septem itineribus æternitatis p. 3. dist. 2. & in tractat. de Meditat. Vitæ Christi cap. 50. & tradit S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 1. ad 1. & art. 7. ad 1. Ergo in oratione Quietis non cessatur ab omni actu, immo in ea actus intellectus, & voluntatis exercentur.

Contra est secundo doctrina S. Theresiæ, quæ describendo orationem Quietis cap. 14. Vitæ suæ ita loquitur. *Questo modo applicare all' orazione, che dicono di Quiete, è quello, che ora intendo trattare. Qui comincia l'anima a raccogliersi, e già questo è cosa soprannaturale, perchè non può ella in modo veruno per sè stessa con tutte le diligenze che faccia, acquistarlo. Questo è un raccogliersi le potenze dentro di se per godere di quel contento con più gusto; ma non si perdono, nè si addormentano. Sola la volontà si occupa in maniera, che senza saper come, si vede presa, e divenuta schiava; dà ella solamente il consenso, che Dio la imprigioni, come quella, che ben sa, che è prigioniera dell' Amato suo. Le altre due potenze ajutano la volontà a farsi abile per godere di tanto bene. Sicchè tutto questo, che qui si passa, è con grandissima consolazione, e con sì poca fatica, che l'orazione, benchè duri molto tempo, non istanca: perciocchè l'intelletto qui opera molto a poco a poco, e cava assai più acqua, che non cavava, dal pozzo.* Vides Sanctam docere, in oratione Quietis potentias, præcipue voluntatem, & intellectum, operari, neque cessare a suis actibus. Quomodo igitur verum erit, quod in hujusmodi oratione oporteat potentias annihilare, prout perperam docuit Molinosius? Rursus eadem Sancta in Via perfectionis cap. 31. hæc habet: *Voglio dunque, figliuole, dichiararvi questa orazione di Quiete, nella quale parmi, che cominci il Signore a dimostrare, che ha udita la petizione, ed a darci già qui il suo Regno; acciocchè daddovero il lodiamo, e santifichiamo, ed anche procuriamo, che tutti lo facciano. Questa è già cosa soprannaturale, e che non possiamo noi con le nostre forze conseguire, per diligenza che facciamo: perchè è un mettersi l'anima in pace, o per dir meglio, mettervela il Signore con la sua presenza. Così l'intende qui l'anima, sebbene non con quella chiarezza, perchè nè ella ancor intende come l'intende, se non che si vede nel Regno (almeno a canto al Re, che glielo ha a dare) e pare, che la medesima anima stia con tal riverenza, che nè anco ardisce di chiedere cosa alcuna. E' come uno svenimento interiore, ed esteriore, che non vorrebbe quest' uomo esteriore, cioè il corpo, punto a muoversi; ma a guisa di chi è quasi arrivato al fine del cammino, si riposa, per poter meglio proseguire il viaggio, atteso che quivi gli si raddoppiano le forze per tale effetto. Le potenze stanno tanto quiete, che non si vorrebbono muovere un tantino; perchè tanto pare, che le disturbi l'amare. Sebbene non istanno le potenze perdute, perchè possono pensare a canto di chi stanno: atteso che le due, cioè l'intelletto, e la memoria, sono libere; la volontà però è qui prigione, e se alcuna pena può sentire, stando così, è di vedere, che ha da tornare ad avere libertà. L'intelletto non vorrebbe intendere più d'una cosa; nè la memoria occuparsi in altro: qui veggono, che questa sola è necessaria, e che tutte l'altre le disturbano.* En iterum ex S. Theresia in oratione Quietis exercitium potentiarum, intellectus præcipue, & voluntatis. Falsum est itaque, quod in hujusmodi oratione oporteat hominem potentias suas annihilare.

Consonat S. Theresiæ V. P. Balthasar Alvarez Soc. Jesu, qui fuit a Confessionibus ejusdem Sanctæ, quique a Deo mirabiliter elevatus est ad hujusmodi orationem Quietis, de qua rationem reddens suo Præposito Generali, ita scribit in sua Vita cap. 14. §. 1. *Questa orazione chiamosi di Quiete, o di Raccoglimento interiore, perchè in essa la moltitudine, varietà, e tumulto dell' immaginazione, e de' discorsi, e le potenze superiori dell' anima, memoria, intelletto, e volontà, stanno raccolte e fisse in Dio, e nella contemplazione de' suoi Misteri con quiete, ed appagamento de' suoi atti . . . . Chiamasi eziandio orazione di Silenzio, perchè in lei Iddio parla, e l'anima tace, e sta ascoltando con grande attenzione ciò che il suo celeste Maestro le dica al cuore, e le insegna; e manifesta alcune cose di se, e de' suoi Misteri. Ma non si dee pensare, come immaginano alcuni ignoranti, che tacer l'anima, e fermarsi aspettando in silenzio, sia cessar in tutto, e per tutto gli atti delle potenze interiori; perchè questo è impossibile, se non sia dormendo: e sarebbe molto penoso, ed anche molto dannoso, perchè sarebbe uno stare oziosa, e perder tempo, e porsi a pericolo, che l'immaginazione si svagoli in mille cose impertinenti; e che il Demonio ingerisca pensieri cattivi. Onde è cosa certa, che mentre Iddio non opera cosa alcuna nell' anima, ella dee operare, ancor che col suo intelletto, e colla sua volontà, ed anche quando Iddio opera, ella altresì fa qualche cosa con lui; alla maniera che il discepolo, quando sta udendo in silenzio la lezione, sta operando interiormente, perchè sta conoscendo, ed intendendo, ed ascoltando ciò che il suo Maestro gl' insegna. Che sì questa orazione si dica di Silenzio, non è perchè la lingua solamente il custodisca, poichè in tutte le orazioni mentali ciò si osserva; nè perchè tacciano del tutto le potenze interiori: ma perchè ciò che operano all' ora, è*

ricevendolo da Dio, alle maniera che dice Davide: Ascolterò ciò che parla in me il Signore .... Nel sagro Libro de' Cantici si chiama Sonno spirituale; perchè il cuore sta di maniera svegliato per conoscere, amare, e trattare col suo Dio, che l'anime è come addormentata in quel che appartiene all'esteriore, senza udire, o vedere, o intendere ciò che altri le dica, e succeda al fuori. Et infra: *In tutte queste sospensioni, e rapimenti, quando sono di Dio, lo spirito non sta ozioso, nè addormentato; ma sempre vede, ode, e intende alcuna cosa, ed e ammira, o gode, o ama: e quando non fa, o non riceve nulla, debbesi dire inganno, o sonnolenza di capo fiacco, e svanita; o fraude, o illusione del Demonio.* Hactenus illuminatissimus Pater Balthasar Alvarez. Ex quo manifeste constat, quam falso, quam ignoranter, quam perniciose docuerit Molinosius, quod in oratione Quietis oporteat hominem potentias suas annihilare.

Contra est tertio, quia Molinosius in præsenti Propositione cum absolute, & simpliciter asseruerit, *quod oporteat hominem potentias suas annihilare, & quod hæc sit via interna*; non modo tempore prætensæ orationis Quietis, verum etiam extra orationem ejusmodi, docere voluit annihilationem. Hinc cessationem ab omnibus actibus virtutum, ad quos tenemur etiam extra orationem, inducere prætendit, ut patebit ex aliis ejusdem Propositionibus infra referendis, atque refellendis. Igitur hujusmodi intollerabilem errorem impugnare modo debemus: cujus falsitas est manifesta, tum quia homo tenetur ad eliciendos aliquando actus fidei, spei, & caritatis; ut constat ex damnatione Propositionis primæ inter 28. facta ab Alexandro VIII. quæ sic habebat: *Homo nullo umquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actus fidei, spei, & caritatis, ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.* Tum quia tenetur ad actus virtutum Moralium, præcipue insurgentibus contra eas tentationibus; ut patet ex damnatione Propositionis 37. ejusdem Molinosii, de qua nos infra suo loco. Tum quia tenetur ad recitationem aliquando orationis Dominicæ; de qua Bellarminus Tom. III. Controversia 3. l. 1. c. 4. & nos demonstrabimus ad propositionem damnatam 34. supradicti Molinosii. Atqui in oratione Dominica habentur multi actus petitionis ad Deum. Ergo tantum abest, quod homo debeat pro vita interna suas potentias annihilare, quin potius actus intellectus & voluntatis teneatur elicere. Tum denique quia via interna est via perfectionis Christianæ, juxta sensum Catholicum. Atqui ad perfectionem Christianam principaliter requiritur exercitium caritatis; secundario vero exercitium aliarum virtutum, uti docet S. Thomas 2. 2. quæst. 184. art. 3. in corpore. Ergo incedentes per viam internam nec possunt, nec debent annihilare suas potentias; sed debent eas in actibus virtutum, ad quos aliquando tenentur, exercere. Hinc inter celebres Articulos Issiacenses in Gallia, ut præfati sumus, promulgatos, adsunt sequentes, qui mirabiliter confirmant veritatem, quam propugnamus. Primo: *Quivis Christianus quovis in statu tenetur ad conservandum fidei, spei, & caritatis exercitium, & ad earum actus producendos, sive eliciendos, ut virtutum distinctarum actus.* Secundo: *Quivis Christianus tenetur ad fidem explicitam habendam in Deum omnipotentem, Creatorem Cæli, & Terræ, qui inquirentibus se remunerator sit, & in ejus alia attributa æque revelata; & ad ejus fidei actus producendos quovis in statu, etsi non quovis momento.* Tertio: *Quivis Christianus pari jure obligatur ad fidem explicitam in Deum Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum, & ad hujus fidei actus producendos quovis in statu, licet non momento quovis.* Quarto: *Quivis Christianus pariter obligatur ad fidem explicitam in Christum, Deum & hominem, tamquam in Mediatorem, sine quo nemo potest appropinquare Deo, & ad hujus fidei eliciendos actus quovis in statu, licet non quovis momento.* Quinto: *Quivis Christianus quovis in statu, licet non momento quovis, tenetur velle, desiderare, & postulare explicite salutem æternam, ut rem quam ipse Deus vult, & vult etiam velle nos propter suam gloriam.* Sexto: *Vult Deus, ut quivis Christianus quovis in statu, licet non quovis momento, ab ipso expresse postulet remissionem peccatorum, gratiam non peccandi, virtutum augmentum, & alia quævis ad salutem æternam requisita.* Septimo: *Quivis in statu Christianus concupiscentiam habet oppugnandam, quamquam non semper æqualiter; quo jure obligatur quovis in statu, licet non quovis momento, ad postulandas vires adversus tentationes.* Octavo: *Supradictæ septem, Propositiones omnes sunt de fide Catholica, expresse contenta in symbolo Apostolorum, & in oratione Dominica, quæ communis, & quotidiana est oratio omnium filiorum Dei; aut etiam in Conciliis Carthaginensi, Arausicensi, & Tridentino expresse definita ab Ecclesia, ut illa de postulanda remissione peccatorum, & dono perseverantiæ, deque pugna adversus concupiscentiam. Quare contrariæ Propositiones sunt formaliter hæretica.* Ex quibus evidenter constat, quam falso, & erronee dixerit, & asseruerit Molinosius, quod oporteat hominem annihilare suas potentias, & quod hæc sit via interna.

Objicies. In Sacra Scriptura quandoque de Sanctis Viris ambulantibus per viam internam fit mentio de annihilatione. Job 30. v. 15. *Redactus sum in nihilum*: & Psal. 72. v. 22. de seipso inquit David: *Ad nihilum redactus sum, & nescivi.* Ergo non videtur impugnanda doctrina de necessitate annihilationis animarum in esse operativo, ut ad apicem perfectionis pertingant.

Respondeo, admittendo fieri mentionem quandoque in Sacra Scriptura de mystica annihilatione, ad quam fuisse redactos constat Jobum & Davidem: non tamen ideo Molinosium impugnamus, ac reprehendimus, quia eam admiserit; sed modum, quo sub religionis pallio suum virus nititur evomere. Quem sane modum, non est nobis peregrinandum, ut investigare possimus; cum doceat, ex vi suæ annihilationis explicatæ animam omnino ab operando sejungi, ut habetur ex secunda Propositione: *Velle operari active, est Deum offendere*: ex quarta: *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & perfectionem*: & ex quinta: *Nihil operando anima se annihilat.* Quare hæc annihilatio est satis diversa ab ea, de qua fit mentio in Sacra Scriptura locis citatis, quam Canticorum Sponsa prædicat; Patres ac Theologi docent; quamque ut anima consequatur, pluribus activissimis operationibus indiget gratiæ adjutorio roborari; cujus causa potissima Deus est, secunda ipsemet qui annihilatur: hic quippe, mediis suis actibus gratia valoratis, meritorie seipsum annihilat ad imitationem illius, qui *cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit.* Philipp. cap. 2. vers. 7. Ad hujus imitationem, & ipsius adjutorio, seipsum, suasque potentias, memoriam, intellectum, voluntatem, & alias annihilat, faciens eas modum suum connaturalem operandi transcendere, & supra illum operari, ut oportet ad intimam cum Deo unionem obtinendam. Unde nullum habet commercium, nisi phantasticum, annihilatio memorata in Sacra Scriptura cum annihilatione, seu modo annihilationis Molinosii. De prima sub nomine liquefactionis loquitur Sponsa Cant. 5. vers. 6. *Anima mea liquefacta est, ut dilectus meus locutus est.* Quæ verba ita exponit S. Thomas: *Quanto vicinius adventum Sponsi mei persensi ad tactum secreta inspirationis, tanto magis, quidquid in me erat frigidum, incaluit; ita ut nihil mihi libeat jam nisi lacrymis resolvi. Loquitur enim Sponsus interna sua inspiratione, cui Christus sanctam animam inspirat, eique caleste desiderium suggerit, & ita eo loquente, quiescit: quia quo magis calestibus desideriis afflatur, eo amplius terrenis emoritur, & quasi insensibilis mundo efficitur, solumque desiderio calesti vivit.*

Dices. Per illum actum, quo nos totaliter Deo consignamus, & resignamus, exercemus actum perfectissimæ caritatis. Atqui hujusmodi actus eminenter continet omnes, & quoscumque actus aliarum virtutum, ad quos tam in oratione, quam extra illam tenemur; juxta illud ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio.* Ergo per illum actum exercemus omnes, & quascumque virtutes, ad quas tam intra orationem, quam extra illam teneremur.

Respondeo. Omissa majore, nego minorem. Nam actus caritatis est actus specialis virtutis, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 4. dicens: *Nullum generale connumeratur speciali. Sed caritas connumeratur specialibus virtutibus, scilicet spei, & fidei, secundum illud I. ad Corinth. 13.* „ Nunc autem manent fides, spes, cari„ tas: tria hæc. " *Ergo caritas est specialis virtus.* Dicitur autem continere omnes virtutes, non *quia essentialiter sit omnis virtus*, ut ait ibidem ad 1. S. Thomas; sed *quia dependent ab ea aliqualiter omnes virtutes*: proindeque per actum caritatis non exercemus omnes, & quascumque virtutes, ad quas tenemur. Ad illud autem quod additur ex Apostolo ad Romanos, dicendum, quod dilectio dicitur plenitudo legis, non quia per illam solam lex impleatur, nullosque aliarum virtutum actus exercere debeamus: sed quia dilectio præstat, quod cæteræ virtutes sint Deo gratæ, ac meritoriæ; quodque ipsa dilectio causa sit movens voluntatem nostram ad exercendas cæteras virtutes, quando ad has obligamur. Nam qui diligit Deum, mandata ejus servat (ut habetur Jo. 14.) & studium adhibet, ne Deo in cæterorum præceptorum transgressione displiceat: & ideo S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 8. ad 1. ait: *Caritas dicitur forma aliarum virtutum non quidem exemplariter, aut essentialiter; sed magis effective: inquantum scilicet omnibus virtutibus formam imponit, quatenus per caritatem ordinantur actus aliarum virtutum ad ultimum finem.* Hinc in Articulo XXI. inter Articulos Issiacenses ita habetur: *Oratio simplicis præsentiæ Dei, sive quietis, ex S. Francisco Salesio, aliisque spiritualibus in Ecclesia re-*

ceptus,

cepit, & approbatis, sine gravi temeritate abjici, ac pro suspecta haberi non potest; neque omnino prohibet, quaminus anima semper præparata maneat ad producendos opportuno tempore memoratos actus. Quos quidem redigere ad actus implicitos, sive eminentes in gratiam perfectarum animarum, eo obtentu, quod eos amor Dei certo modo contineat, nihil aliud est, quam eorumdem actuum eliciendorum obligationem eludere, eorumque distinctionem a Deo revelatam tollere.

Sed priusquam huic primæ Propositionis confutationi metam statuamus, cum Auctor harum Propositionum viam eorum, qui in meditatione exercentur, ac nondum ad contemplationem pervenerunt, viam sensuum; sicut viam spiritus, viam internam appellet: falsitatis, & erroris convincitur ex S. Thoma, qui Part. 1. quæst. 75. art. 4. ad 1. ait: *Pars intellectiva secundum rei veritatem dicitur homo interior; pars vero sensitiva cum corpore secundum æstimationem quorumdam, qui solum circa sensibilia detinentur, dicitur homo exterior.* Ergo quando homo operatur secundum partem intellectivam, scilicet per intellectum & voluntatem, erit homo interior; quando vero operabitur secundum sensus corporales, erit homo exterior. Proinde cum meditatio non sit aliud, quam actus mentis, seu intellectus, quo attente cogitatur, seu consideratur aliquod objectum revelatum, per partes, & accidentia ejus, cum aliquo affectu circa tale objectum, vel Deum, si objectum sit increatum (ut bene docet ex sensu, & sententia omnium Mysticorum, Cardinalis Brancatus Opusc. 2. cap. 5.) sequitur, quod qui incedunt per viam meditationis, incedunt, & operantur secundum partem intellectivam; consequenter incedunt, & sunt in via interna: qui vero indulgent sensibus corporeis, & secundum illos operantur & ambulant; sunt, & incedunt per viam externam, *qui terrena sapiunt, quorum Deus venter est.* Ad Philipp. 3. Nam certum est, meditationem fieri non posse nec auribus, nec oculis, nec naribus, qui sunt sensus externi, & corporales; sed per mentem. Unde ait S. Bernardus in Scala Claustralium: *Meditatio est studiosa mentis actio, & occultæ veritatis notitiæ ductu propriæ rationis investigatio.*

Confirmatur I. quia illuminatissima Virgo S. Theresia Magistra orationis, ad status, sive gradus orationis explicandos, edidit tractatum, quem appellavit Castrum internum, vulgo *Castello interiore.* Atqui in hujusmodi Castro plures distinxit mansiones, & in primis collocavit eos, qui per viam meditationis incedunt, ut videre est Mansione 2. & 3. Ergo qui per viam meditationis incedunt, ambulant per viam internam. Ergo ruit omnino doctrina Molinostica, utpote nova, ac in errorem inducens. Confirmatur II. quia (ut videbimus infra in confutatione Propositionis 26.) dantur tres viæ orationis, scilicet purgativa, illuminativa, & unitiva; quæ viæ juxta D. Thomam 2. 2. quæst. 183. art. 4. ad 2. pertinent ad internum profectum hominis, vel animæ. Atqui in prima via, scilicet purgativa, sunt illi, qui exercent se in meditatione, ut docent omnes Mystici. Ergo qui exercent se in meditatione, incedunt per viam internam. Confirmatur demum, quia meditatio fit per actus interiores intellectus, & voluntatis, ut est irrefragabile. Atqui ex D. Thoma 2. 2. quæst. 81. art. 7. *Interiores actus pertinent ad cor; & exteriores actus pertinent ad membra carnis.* Ergo meditatio pertinet ad cor, & ad internum. Ergo qui incedunt per meditationem, per viam internam incedunt. Hinc bene S. Bernardus in Scala Claustralium ait: *Meditatio est secundum interiorem intellectum.* Quare ambigendi locus non est, quod meditantes incedant per viam internam.

§. II.

II. *Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse solus agens. Et ideo opus est seipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.*

IV. *Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem: quia Deus operari vult in nobis sine nobis.*

Post assertam exoticam annihilationem, quam esse viam internam, seu contemplationis tradidit Molinosius; clarius aperit suum sensum in his Propositionibus. Inimicitiam inter naturalem animæ activitatem, & Deum suæ gratiæ adjutorio in anima operantem, callide satagens introducere, ejusdem liberi arbitrii cooperationem ab actibus supernaturalibus excludit; de qua inimicitia pariter loquebatur Lutherus, ut advertit Ven. Cardinalis Bellarminus de grat. & lib. arbitr. lib. 6. cap. 9. *Quia*, ut ait, *absurdissime concursum activum liberi arbitrii in actibus supernaturalibus sub gratiæ motione denegavit.* Ex quo prædamnato principio colligit Molinosius, liberum arbitrium se habere velut corpus exanime, cum Deus in nobis sine nobis velit operari. Idemque ostendit Propositione XXII. inferius referenda, & impugnanda; ubi ait, *fidem, & amorem non esse actus ab anima elicitos, sed eidem a Deo immediate traditos.* Quapropter Illuminatorum errorem instaurat, quos Cardinalis Brancatus Opusc. 2. de Oratione docuisse refert, *quod homo in oratione quoad intellectum alienus debeat esse ab omni cogitatione rerum corporalium, & spiritualium: & sperare, & expectare debeat cogitationes illas, quas Deus illi imprimet, & infundet.*

Secunda Propositio, ut jacet, *est periculosa, erronea, & hæresim sapiens.*

Quarta vero *est male sonans, periculosa, erronea, & sapiens hæresim respective.*

Ad harum Propositionum primam impugnationem plura afferimus Sacræ Scripturæ momenta. I. ad Corinth. cap. 15. Paulus Apostolus non soli gratiæ, nec soli libero arbitrio operationem supernaturalem attribuit, dicens: *Non ego, sed gratia Dei mecum:* & Cant. 1. vers. 3. anima devota ad Deum ait: *Trahe me, post te curremus.* Ex quibus fit manifestum, quod in actibus supernaturalibus Deus non est solus agens, neque operatur in nobis sine nobis. Item Apostolus II. ad Corinth. 6. scribit: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei accipiatis.* Quid est autem recipere in vacuum gratiam Dei, nisi ad illam non cooperari, sed resistere, & mere passive se habere? Unde fatetur idem Apostolus I. ad Corinth. 15. *Gratia ejus in me vacua non fuit, sed abundantius illis omnibus laboravi.* Ergo tantum abest, quod velle operari active, sit Deum offendere; quin potius, qui Deo excitanti, & vocanti ad bonum active non cooperatur, ille Deum offendat. Unde S. Thomas lect. 1. in cap. 12. I. ad Corinth. scripsit. *Dicendum, quod quantum ex Spiritu Dei, homo non facit peccatum, sed magis retrahitur a peccato. Potest tamen peccatum facere, ex defectu voluntatis humanæ, quæ Spiritu Sancto resistit, secundum illud Actor. 7.* „ Vos autem semper Spiritui Sancto re„ sistitis. "

Obstat secundo definitio tum Concilii Arausicani II. tum Tridentini. Arausicanum enim can. 9. ait: *Quoties bona operamur, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.* Audiat Molinosius, Deum non operari in nobis sine nobis. Et clarius Tridentinum sess. 6. can. 4. definit: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, & vocanti, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.* En, quod liberum arbitrium cooperatur divinæ motioni, nec mere passive se habet; ut asserit Molinosius. Proinde Deus non operatur in nobis sine nobis. Ergo Deus non vult esse solus agens; ac consequenter activitas naturalis non est gratiæ inimica, nec impedit Dei operationes, sed cooperatur divinæ gratiæ, & divinæ operationi. Et ratio est: quia (ut ait D. Thomas 1. 2. quæst. 113. art. 3. in corp.) *Deus movet omnia secundum modum uniuscujusque; sicut in naturalibus videmus, quod aliter moventur ab ipso gravia, aliter levia propter diversam naturam utriusque. Unde & hominem ad justitiam movet, secundum conditionem naturæ humanæ. Homo autem secundum propriam naturam habet, quod sit liberi arbitrii. Et ideo in eo, qui habet usum liberi arbitrii, non fit motio a Deo ad justitiam absque motu liberi arbitrii; sed ita infundit donum gratiæ justificantis, quod etiam simul cum hoc moveat liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, qui sunt hujus motionis capaces.* Nihil melius adduci poterat contra Molinosium, adstruentem, activitatem naturalem esse gratiæ inimicam, & impedire Dei operationes: *quia Deus* inquit, *operari vult in nobis sine nobis.* Aliam quoque rationem, non minus validam, proponit idem sanctus Doctor Part. 1. quæst. 105. art. 4. ad 3. dicens: *Si voluntas ita moveretur ab alio, quod ex se nullatenus moveretur; opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum: sed quia per hoc quod movetur ab alio, non excluditur, quin moveatur ex se; ideo per consequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti.* Quærendum est itaque a Molinosio, an anima in oratione mereatur, necne? Si primum elegerit: ergo ita movetur a Deo, ut etiam cooperetur motioni, movendo seipsam erga Deum; ac proinde velle operari active, non est Deum offendere, nec Deus in hujus motionibus vult esse solus agens. Ergo anima non debet permanere velut corpus exanime; sed debet active cooperari ad eliciendos actus supernaturales, ad quos a Deo movetur. Si vero dixerit secundum, animam scilicet in oratione non mereri: manem profecto, ac phantasticam propugnat orationem noster Pseudo-Mysta, procul amandandam a mentibus fidelium.

Pugnat tertio cum præfatis Propositionibus Molinosii auctoritas SS. Patrum. Et primo quidem Augustinus ad illud Psal. 26. *Adjutor meus esto:* de peccator. merit. & remiss. lib. 2. cap. 5. ad nostrum intentum scribit. *Adjutor*

jutor noster Deus dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam aliquid sponte conatur. Quia non sicut in lapidibus insensatis, aut sicus in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis. Ergo anima sub motione gratiæ non debet permanere velut corpus exanime: quia Deus non vult esse solus agens, prout absurdissime somniat Molinosius. Rursus idem Augustinus Serm. 169. de Verbis Apostoli ad Philipp. 3. cap. 11. ait: *Totum ex Deo, non tamen quasi dormientes, non quasi ut non conemur, non quasi ut non velimus. Sine voluntate tua non erit in te justitia Dei. Voluntas quidem non est nisi tua, justitia non est nisi Dei. Esse potest justitia Dei sine voluntate sua, sed in te esse non potest nisi per voluntatem tuam. Qui ergo fecit te sine te, non te justificabit sine te.* Ergo, ut vides ex Augustino, activitas naturalis non est gratiæ inimica, nec impedit Dei operationes: quia Deus operari non vult in nobis sine nobis, ut per solemnem errorem contendit Molinosius.

Consonat Augustino D. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 11. ubi ait: *Superna pietas prius agit in nobis aliquid sine nobis, ut subsequente quoque nostro libero arbitrio bonum, quod appetimus, agat nobiscum.* Et S. Bernardus, vel alius Auctor sub ejus nomine, in Scala Claustralium ita scribit. *Omne datum optimum, & omne perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, sine quo nihil possumus facere, sed ipse in nobis facit opera, non tamen omnino sine nobis: cooperatores enim Dei sumus, sicut dicit Apostolus. Vult siquidem Deus, ut eum adjuvemus, & ut ei advenienti, & præstolanti ad ostium, aperiamus sinum voluntatis nostræ, & ei consentiamus. Hunc consensum exigebat a Samaritana, quando dicebat, Voca virum suum: quasi diceret, Volo tibi infundere gratiam; tu applica liberum arbitrium.*

Demum S. Thomas 1. 2. quæst. 55. art. 4. ad 6. inquit: *Virtus infusa causatur in nobis a Deo sine nobis agentibus, non tamen sine nobis consentientibus. Et sic est intelligendum, quod dicitur, Quam Deus in nobis sine nobis operatur. Quæ vero per nos aguntur, Deus in nobis causat non sine nobis agentibus: ipse enim operatur in omni voluntate, & natura.*

Constat itaque falsum esse, Deum operari in nobis sine nobis veram perfectionem orationis Quietis internæ, aliosque actus supernaturales, ipsumque Deum esse solum agentem. Pro cujus majori dilucidatione advertendum est, quod motiones internæ, quibus Deus nos excitat, & movet ad actus supernaturales eliciendos, fiunt quidem in nobis sine nobis libere cooperantibus; quia sunt motus, seu passiones animæ ab ea libere acceptatæ, non autem actiones ab ea elicitæ, & electæ (pressius sunt sine electione prævia, sed non sine consensione subsecuta, vel concomitante) sunt tamen ordinatæ a Deo ad agendum, ipsique cooperandum. Dicuntur autem hujusmodi motus fieri in nobis a Deo sine nobis, & soli Deo attribuuntur aliquando a Patribus, & Conciliis: quia non est in potestate hominis, ut exoriantur, sed pendent ex speciali Dei providentia, & misericordia: & quia homo, ut homo est, cum agens liberum sit; operationes, quæ ab ipso fiunt tamquam ab agente naturali, ab eodem, quatenus homo est, non procedunt. Per hujusmodi autem motus intellectus, & voluntatis, quibus interioris gratiæ auxilium continetur, Deus excitat, & movet nos ad actus supernaturales libere eliciendos; quos tamen cum elicimus, cooperante gratiæ auxilio cum nostro libero arbitrio efficimus, & operamur. Ex quibus fit manifestum, quam falso, & temere in damnatis Propositionibus asseratur, quod Deus velit esse solus agens, & manere debeat anima velut corpus exanime; sive quod activitas naturalis sit gratiæ inimica, impediatque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus operari velit in nobis sine nobis. Sed de hoc satis. Nam in re adeo clara, quæque, præcisa fide, & ratione naturali, negari non potest, non libet amplius immorari: dicta enim sufficiunt ad errores, ac Propositiones Molinosticas refellendas, ac confutandas in sensu objectivo, & proprio terminorum.

Postquam ostendimus, liberum arbitrium in actibus supernaturalibus se habere non posse velut corpus exanime, aggredimur perversæ orationis Quietis fundamentum, a Molinosio, aliisque Pseudo-Mysticis elapsi sæculi propugnatum: scilicet, quod anima in oratione elicito primo actu, quo se totam, & totaliter in Deum consignet, debeat postea permanere velut corpus exanime, non eliciendo alios actus, neque renovando primum; alias impediret Dei operationem in se ipsa, quia Deus operari vult in nobis sine nobis, & ipse vult esse solus agens. Ad hujusmodi absurdissimam, ac perniciosissimam doctrinam configendam sufficeret id, quod mirifice scribit ad nostrum intentum S. Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 4. ad 3. ubi docet, ac dicit. *Dicendum, quod animus hominis non movetur a Spiritu Sancto, nisi ei secundum aliquem modum uniatur; sicut instrumentum non movetur ab artifices, nisi per contactum, aut per aliquam aliam unionem. Prima autem unio hominis ad Deum est per fidem, spem, & caritatem. Unde ista virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum.* Ex quo argui potest contra Molinosticam doctrinam. Anima ad hoc ut fiat disposita ad divinam illustrationem, & communicationem accipiendam in oratione, debet esse unita Deo per actus fidei, spei, & caritatis. Ergo non debet manere in oratione velut corpus exanime, nullum actum eliciendo; immo debet elicere actus fidei, spei, & caritatis. Insuper ita Deus operatur in anima, ut ipsa etiam propriam habeat operationem: *quia* (ut ait S. Thomas Part. 1. quæst. 105. art. 5. in corp.) *intelligendum est, sic Deum operari in rebus, quod tamen ipsæ res propriam habeant operationem.* Unde homo sic agitur a Spiritu Sancto, quod etiam ipse agit; ut prosequitur idem Doctor Angelicus 1. 2. q. 68. art. 3. ad 2. Ergo Deus in oratione non vult esse solus agens; nec activitas naturalis impedit Dei operationes, quia ipse operatur in nobis sine nobis, ut absurdissime docuit Molinosius. Tum denique, quia dispositio proxima ad divinam contemplationem ex S. Thoma duplex est. Prima est recollectio animæ ab exterioribus intra seipsam; secunda est cessatio discursus, & fixus intuitus in aliquam veritatem revelatam, ex quibus progreditur anima, sive a lumine supernaturali introducitur ad contemplationem ipsius Dei; ut egregie docet S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 6. ad 2. ibique Cajetanus omnino legendus est. Verba Angelici sunt. *In anima, antequam ad uniformitatem contemplationis perveniatur, exigitur, quod duplex ejus difformitas amoveatur. Primo quidem illa, quæ est ex diversitate exteriorum rerum, prout scilicet derelinquit exteriora; & hoc est, quod primo ponitur in motu circulari animæ, introitus ipsius ab exterioribus ad seipsam. Secundo autem oportet, quod removeatur secunda difformitas quæ est per discursum rationis; & hoc idem contingit, secundum quod omnes operationes animæ reducuntur ad simplicem contemplationem intelligibilis veritatis, ut scilicet, cessante discursu, figatur ejus intuitus in contemplatione unius simplicis veritatis. Et tunc, istis duobus præmissis, tertio ponitur uniformitas conformis Angelis, secundum quod, prætermissis omnibus, in sola Dei contemplatione persistit.* Habes igitur ex doctrina Angelici Præceptoris, quod ad hoc ut anima fiat capax, & proxime disposita ad contemplationem Dei, primo ipsa debeat recolligere seipsam ab exterioribus intra seipsam. Et hæc est illa Recollectio, vulgo *Raccoglimento*, de qua loquitur S. Theresia Magistra orationis in Mansione 4. c. 3. ubi ait, ejusmodi Recollectionem esse dispositionem ad audiendum, quid loquatur in nobis Dominus; scilicet ad supernaturalem contemplationem; ut supra vidimus Dissert. X. §. 2. juxta illud Psal. 84. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor.* Et iste est motus quidam animæ, ut per se patet. Secundo debet anima cessare a discursu: non tamen manere sine ullo actu, vel sine ullo motu, sed figere suum intuitum in contemplatione unius, sive alicujus simplicis veritatis, puta, quod Deus sit sibi intime præsens. Quod & divinitus instructa docet S. Theresia loc. cit. dicens: *Procuri rompere, e troncare il discorso dell'intelletto, ma non sospenderlo, come nè anche il pensiero, se non che è bene, che si ricordi, che sta dinanzi a Dio.* Ecce iterum anima cum suo actu, & suo motu. Demum anima, prætermissis omnibus, ut ait S. Thomas, pervenit ad contemplationem ipsius Dei. Ex quibus sic efficaciter arguitur contra Molinosium. Dispositio ad contemplationem consistit ex D. Thoma in quibusdam actibus, & motibus animæ activis, quibus fit capax perveniendi ad divinæ contemplationis actum. Ergo anima in oratione non debet, postquam se totam, & totaliter in Deum consignavit, permanere velut corpus exanime, ita ut sic posita in oratione Quietis, vel in vita interna, & contemplativa esse dicatur; nec activitas naturalis impedit Dei operationes, & Divinam contemplationem: immo disponit ad illam, quia Deus in hujusmodi negotio non vult esse solus agens, nec operari vult in nobis sine nobis.

Accedit auctoritas S. Theresiæ, quæ cap. 12. Vitæ suæ ad nostrum intentum ita scribit: *Il presumere, o pensare di sospendere noi l'intelletto nell'orazione, è quello, che io dico, che non si faccia, nè si lasci d'operare con esso; perchè altrimenti ne rimarremo balordi, e freddi, e non faremo nè l'uno, nè l'altro. Imperocchè quando Dio lo sospende, e ferma, gli dà di che si maravigli, ed in che si occupi, e che senza discorrere intenda egli più in un Credo, che non potremmo noi intendere in molti anni con tutte le nostre diligenze di terra. Occupar poi le potenze dell'anima, e pensare di farle stare chete, è sproposito; e torno a dire, che quantunque non si conosca, è*

poca

poca umiltà, e sarà fatica buttata, e l'anima rimane con un certo disgustuccio, a guisa di colui, che va per saltare, e si trova poi legato per di dietro: perocchè già pare, che abbia fatto ogni sforzo, e trovasi senza poter effettuare quel che con tale sforzo pretendea fare. Prosequitur idem mirifice declarare S. Theresia in Mans. 4. cap. 3. quasi prævidens divinitus, ac confutans Molinosii doctrinam, & ita scribit: *Se conosciamo nell' orazione, che il nostro Re non ci ha uditi, nè ci vede* (juxta sensum ejusdem Sanctæ infrà explicandum) *non abbiamo da stare come balordi; che pur troppo rimane l'anima così, quando ha proccurato questo, e resta assai più fredda, e per avventura più inquieta l'immaginativa con la forza che si è fatta di non pensare cosa veruna. Ma vuole il Signore che gli dimandiamo, e consideriamo di stare alla sua presenza, che ben sa egli quello che ci conviene. Io non mi posso persuadere, che vagliano le umane industrie in quelle cose, alle quali pare, che Sua Maestà abbia posto termine, e le vuole riserbare per se: il che non ha fatto in molte altre, che noi con il suo ajuto possiamo, così di penitenze, come di orazioni, ed altre buone opere, fin dove può la nostra miseria arrivare. Le opere interiori sono tutte soavi, e pacifiche, ed il fare cosa penosa, fa piuttosto danno, che utile: chiamo penosa qualsivoglia forza, che ci vogliamo fare, come sarebbe il ritenere il fiato. Quando Sua Maestà vuole, che cessi l'intelletto di discorrere, l'occupa in altra maniera, e gli dà una luce, e conoscimento tanto sopra a quello, a cui possiamo noi arrivare, che lo fa rimanere assorto, e sospeso; ed allora senza saper come, resta molto meglio ammaestrato, che non sarebbe con tutte le sue diligenze, con le quali piuttosto può ricevere nocumento, ed isviarsi. Poichè avendoci Iddio date le potenze, acciocchè con esse operassimo, ed ogni cosa ha il suo premio; non occorre inquietarle, ma lasciare; che facciano il loro offizio, finchè Dio le ponga in altro maggiore. Quello che io conosco, che più conviene debba fare l'anima, che Dio ha voluto mettere in questa mansione, è quello che ho detto, e che senza veruna forza o strepito proccuri rompere, e troncare il discorso dell' intelletto, ma non sospenderlo, come nè anche il pensiero, se non che è bene si ricordi, che sta innanzi a Dio, e chi è questo Dio. Se il medesimo, che sentirà in se, lo sospenderà; in buon' ora*. Pro intelligentia hujus admirabilis doctrinæ advertendum est cum doctissimo P. Balthasare a S. Catharina Carmelita Discalceato, qui in suo egregio Opere, sub titulo *Splendori riflessi*, ad elucidationem Mansionum ejusdem Sanctæ ad Mansionem 4. cap. 3. Reflexione 7. cum Sancta ait: *Se conosciamo, che il nostro Re non ci ha uditi, nè ci vede*. Intelligit id, cum anima non illustratur a divino influxu, nec sentit, mediante oratione Quietis infusæ, divinam præsentiam in se, & quod Deus illam intendit; ut bene se explicat Sancta Cap. 31. & 34. Vitæ suæ. Quando igitur anima hujusmodi supernaturali communicatione non perfunditur, vult Sancta, ac graviter monet, quod anima minime suspendat intellectum, nec cesset operari cum ipso: licet consulat pro dispositione ad divinam communicationem, ut anima, quæ jam a Deo elevata est ad supernaturalem recollectionem, vulgo, *tirata da Dio al raccoglimento soprannaturale* (de qua loquitur in laudato cap. 3.) sine violentia, & strepitu cesset a discursu; sed non cesset operari cum ipso, figendo illum in Deum præsentem. Ex quibus constat iterum liquido, quam falso, ac perniciose docuerit Molinosius, animam debere in oratione permanere velut corpus exanime, nullum actum sive intellectus, sive voluntatis eliciendo; & non modo cessare a discursu, verum etiam ab omni actione intellectuali: quod quam absurdum sit, & contrarium doctrinæ illuminatissimæ Virginis, nemo non videt.

Ad hæc faciunt, quæ docent duo doctissimi Carmelitæ Discalceati, qui antequam Quietistarum errores insurgerent, ac damnarentur, de Mystica Theologia scripserunt. Primus est P. Joseph a Jesu Maria, qui cum magna sanctitatis laude floruit in Hispania. Hic in suo Opusculo *Ascensus animæ ad Deum*, satis commendato a piis, & doctis Viris, lib. 1. cap. 33. ita ad nostrum intentum loquitur. *Non è buon modo di contemplare Dio, quello che alcuni consigliano, dicendo che si ponga l'anima nell' orazione, come una tavola rasa, nella quale niente sia dipinto, acciocchè Dio dipinga quello che vorrà, in essa. Perchè questo non si può ricevere come suona, ma intendolo delle pitture particolari, e distinte del conoscimento naturale, e non del concetto semplice di fede, che tiene di Dio l'intelletto in questa contemplazione, al quale corrisponde un' altro simile nella volontà; che così ce l'insegnò S. Dionigio in tutti i luoghi. Perchè in tutti questi luoghi non solo presuppone il conoscimento semplice di fede, ma ancora lo nomina con alcuno di quei nomi, con che significa la luce della fede; come lo dichiarò S. Tommaso esponendo alcuni di questi luoghi, particolarmente nel capo settimo nella lezione prima, e sopra il capo quarto nella lezione nona de' nomi divini, contra quelli che sognarono, che S. Dionigio nella contemplazione negava ogni operazione intellettuale. Poichè solo nega quella, che impedisce l'illuminazione divina, che è l'operazione discorsiva; e non quella della fede, che dispone l'anima per questa illuminazione. Perchè se Dio non istesse in questa maniera dipinto, diciamolo così, in questa tavola rasa dell' anima, non istarebbe occupata in Dio, nè disposta per ricevere l'influenze sue: e però resterebbe oziosa del tutto, e come se stasse addormentata, quanto al suo esercizio, e molto disposta per suo gran danno; perchè il Demonio si approfitterà di questa disposizione oziosa, per dipingere in lei i suoi inganni*. Adeo clare adversantur hæc Molinosticæ doctrinæ, ut ulteriori argumentatione non indigeant ad convincendum nostrum Pseudo-Mystam falsitatis.

Alter Carmelita Discalceatus est laudatus P. Balthasar a S. Catharina, qui ad elucidandam doctrinam S. Theresiæ, quam sæpe laudavimus, loco citato Splendore 2. Reflexione 7. distinguit inter suspensionem totalem intellectus, scilicet ab omni actu tam discursivo, quam non discursivo; & inter suspensionem tantum ab actibus discursivis. Et primam docet fuisse doctrinam Illuminatorum Hæreticorum, & nullo modo procurandam, etiamsi foret opportuna ad prætensam dispositionem pro contemplatione infusa; aliam vero, scilicet suspensionem non totalem, sed a solo discursu, docet esse juxta mentem S. Theresiæ, respective tamen ad illas animas, quæ jam a Deo elevatæ sunt ad supernaturalem Recollectionem, quæ juxta doctrinam sanctæ Virginis est dispositio ad orationem Quietis, & ad supernaturalem contemplationem. Unde loco citato loquens Sancta de hujusmodi Recollectione ait, esse dispositionem ad audiendam internam vocem divinam: *E' disposizione per potere attentamente udire quello, che internamente dice il Signore*. Sunt verba laudatæ sanctæ Virginis, juxta illud Psal. 84. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus, quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor*. Demum doctissimus Pater, postquam fuse hæc omnia, etiam juxta sensum laudatæ Magistræ orationis, comprobavit, Reflexione 6. concludit ad nostrum intentum per hæc verba valde notanda contra Molinosticam doctrinam. *Non occorre dire altro circa al fine intento dell' anima in simile sospensione oziosa. Poichè o sia proccurata per solo godere di quella infingarda quiete; e questo è l'errore dannato degli eretici Illuminati, o almeno principio di tutti i loro errori, come si è veduto: ovvero è proccurata in ordine ad udire quello, che Dio parla in noi internamente, di che parla qui la nostra Santa; ovvero per disporsi alla divina influenza. E l'uno, e l'altro è riprovato, come abbiamo detto, perchè le illustrazioni divine non si danno mediante l'oziosità, come si è provato; nè può l'ozio essere disposizione per ricevere calore, o lume: ma da quello resta l'anima raffreddata, e l'abitazione divina nell' anima ragionevole non è come quella dell' altre Creature, ma per cognizione, amore, e riverenza*. Quare luculenter apparet tum ex mente S. Theresiæ orationis Magistræ, tum ex sensu doctissimorum Theologorum Mysticorum, suspensionem totalem ab omni actu intellectus, quam adstruit Molinosius in Propositionibus a nobis confutatis, esse errorem Hæreticorum Illuminatorum, nec posse admitti etiam sub prætextu, ac nomine dispositionis ad infusam contemplationem: cum e contra hujusmodi dispositio, licet possit esse cessatio ab actibus discursivis (& hoc solum in illis animabus, quæ jam a Deo elevatæ sunt ad supernaturalem Recollectionem, de quibus dumtaxat loquitur S. Theresia, dum consulit eis, ut sine strepitu, ac violentia procurent cessare a discursu; non vero indiscriminatim de omnibus animabus, quæ affectant contemplationem, ut loquitur Molinosius) non potest umquam consistere in cessatione ab omnibus omnino actibus intellectus, & voluntatis; cum revera hæc dispositio sita sit in actibus fidei circa Deum præsentem, amoris, & reverentiæ ad hujusmodi fidem consecutivis. Exeat modo noster Pseudo-Mysta, & dicat, si potest, quod anima in oratione debeat manere velut corpus exanime; quod activitas naturalis impediat Dei operationes in nobis; quod Deus sit solus agens in hujusmodi communicationibus; quodque velit operari in nobis sine nobis. Excipitur enim ejusmodi doctrina ab animabus piis, experientia & studio commendatis, cum execratione, & damnatione.

Sed objiciunt Quietistæ auctoritatem S. Joannis a Cruce, qui pluribus in locis videtur docuisse, animam in oratione, ad hoc ut disponatur ad divinam illuminationem debere vacare ab omni actu, nihilque ex se operari. Unde lib. 1. Noctis obscuræ cap. 9. ait: *Se l'anima volesse operare per propria abilità, e mettere niente del suo, piuttosto impedirebbe l'opera, che va Iddio facendo in essa, che dare ajuto . . . . . Quanto di suo può mettere, ed operare l'anima, non serve ad altro, che per turbare la pace interiore, e l'opera che fa Iddio nello Spirito*. Et cap. 10. ejusdem libri scribit: *Se di suo vogliono niente operare con le po-*

le potenze interiori, sarà un' impedire, e perdere i beni, che Dio per mezzo di quella pace, ed ozio dell' anima sta ponendo, ed imprimendo in essa. Ergo, ajunt Quietistæ, anima debet manere in oratione veluti corpus exanime. Ergo activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes; quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

Respondeo, toto cælo distare doctrinam S. Joannis a Cruce a perniciosis assertis Molinosticis. Hæc enim, cum loquantur absolute, æquivalent universali: unde significant, quod omnis activitas naturalis, in omni tempore, & in quovis orationis statu sit gratiæ inimica, impediatque Dei operationes; quod omnino falsum est, & erroneum. Doctrina vero S. Joannis a Cruce intelligi debet dumtaxat de illo tempore, & in illo gradu, & exercitio orationis, in quo Deus communicat animæ infusam contemplationem. Nam tunc certum est, debere animam cessare a discurso, & ab aliis actibus sibi connaturalibus; ut bene docet S. Theresia loco supra citato dicens: *Quando per segrete vie ci pare d' intendere, che Dio ci ascolta* (hoc est, communicat supernaturalem contemplationem, ut se explicat cap. 31. & 34. Vitæ suæ) *allora è bene di tacere, e non sarà male proccurare di non operare coll' intelletto*. Ad quæ verba laudatus P. Balthasar a S. Catharina ubi supra Reflexione 7. ait: *Dice benissimo la Santa, che in tal caso l' anima deve tacere, a proccurare di non operare con l' intelletto; il che è sospensione per parte dell' anima da ogni operazione. Ma questo non lascia l' anima sospesa altrimenti da ogni atto; ma solo che non opera per propria industria umana, e per sua parte si porta solo passivamente, mossa non per se stessa, ma mossa dall' influenza divina, sospendendo ogni azione propria connaturale, ed operando a modo soprannaturale. Sicchè quantunque sospenda ogni suo conato, atto, ed operazione connaturale, resta l' anima non sospesa, ma in attuale esercizio di contemplazione soprannaturale*. Quodque anima in contemplatione hujusmodi non se habeat veluti corpus exanime, sed habeat actus, ac motus divinos, bene explicat S. Joannes laudatus in Cantico Flammæ Amoris vivi mansione 3. ubi ait: *I movimenti non li fa solamente l' anima, che sta trasformata in fiamma dello Spirito Santo; nè li fa egli solo: ma lo Spirito Santo e l' anima insieme, movendo Dio l' anima, come fa il fuoco l' aere infiammato. E così questi movimenti di Dio e dell' anima insieme, sono come glorificazioni, che fa Iddio all' anima*. En actus, & motus animæ, licet divini, in contemplatione infusa. Quod autem extra illud tempus, in quo Deus elevat animam ad infusam contemplationem, debeat ipsa uti discursu, aliisque operationibus suis connaturalibus in oratione, notabiliter expendit idem S. Joannes loco supra in objectione adducto cap. 10. Noctis obscuræ, ubi inquit: *Ma non vorrei, che di qua si cavasse regola generale di lasciare la meditazione, ed il discorso. Che il lasciarla ha da essere per più non potere; e solo per lo tempo, che o per via di purgazione e di tormento, o per molta perfetta contemplazione, il Signore l' impedirà: che in altro tempo, ed occasioni si deve sempre avere questo appoggio, e riparo*. Quo nihil melius, ac clarius proferri poterat adversus Molinosium, ejusque perversam doctrinam confutandam elucidandamque mentem S. Joannis a Cruce, quem falso, ac perperam ad partes suas trahere satagebat.

§. III.

III. *Vota de aliquo faciendo sunt perfectionis impeditiva.*

NIhil magis vitæ internæ, ab Auctore harum Propositionum excogitatæ, contrarium est, quam votorum emissio, asserta in hac Propositione, velut Christianæ perfectionis impedimentum: cum non permittat animas in otio torpescere velut corpus exanime; sed potius sollicitudinem ingerat ad ea implenda per actus virtutum.

Lutherus (ut refert Bellarminus lib. 2. de Monachis c. 15.) vota quæcumque de operibus consilii, & supererogationis fieri posse denegavit; a quo alienum non se ostendit Calvinus docens, vota Monastica pie, & sancte fieri non posse. Hunc errorem a Gerardo Segarelli, & a Pseudo-Apostolis, sub prætextu, quod emissa vota Religiosa Christianam perfectionem impedirent, receptum, & evulgatum, ab Ecclesia tamen reprobatum, innovavit Molinosius.

Hæc Propositio, ut jacet, *est damnata inter errores Gerardi Segarelli, hæretica Pseudo-Apostolorum, & est ejus error 17. qui sic habet: Perfectior vita est vivere sine voto, quam cum voto. Direct. p. 2. quæst. XI.*

Falsitas hujus Propositionis ostenditur ex duplici syllogismo. I. Ea, ad quæ nos hortatur Spiritus Sanctus, non possunt esse perfectionis Christianæ impeditiva; atqui Spiritus Sanctus hortatur nos ad vovendum: ergo vota de aliquo faciendo non sunt perfectionis impeditiva. Major est de fide. Minor est evidenter nota ex illo Psal. 75. *Vovete, & reddite Domino Deo vestro*. Consequentia est legitima. II. Ecclesia approbat vota Monastica tamquam conducentia ad perfectionem Christianam: atqui Ecclesia non potest fallere, aut falli in his, quæ pertinent ad directionem fidelium: ergo si Ecclesia approbat vota Monastica tamquam conducentia ad perfectionem Christianam; vota de aliquo faciendo non erunt perfectionis impeditiva. Major est evidenter nota; Minor de fide, Consequentia est legitima. Confirmantur hæc ex eo, quod scribit S. Thomas 2. 2. quæst. 88. art. 4. ubi quærit, An expediat aliquid vovere? & resolvit, dicens: *Votum est promissio Deo facta. Alia autem ratione promittitur aliquid homini; & alia ratione Deo. Homini quidem promittitur aliquid propter ejus utilitatem, cui utile est, & quod ei aliquid exhibeamus, & quod eum de futura exhibitione prius certificemus; sed promissionem Deo facimus non propter ejus utilitatem, sed propter nostram. Unde Augustinus dicit in Epistola ad Armentarium, & Paulinam: Benignus exactor est, & non egenus, & qui non crescat ex redditis, sed in se crescere faciat redditores. Et sicut id, quod damus Deo, non est ei utile, sed nobis, quia quod ei redditur, reddenti additur, ut Augustinus ibidem dicit; ita etiam promissio, qua Deo aliquid vovemus, non cedit in ejus utilitatem, qui a nobis certificari non indiget, sed ad utilitatem nostram, inquantum vovendo voluntatem nostram immobiliter firmamus ad id, quod expedit facere: & ideo expediens est vovere*. Jamvero si ex S. Thoma expedit vovere, votum de aliquo faciendo non est perfectionis impeditivum; alias non expediret vovere. Unde rursus idem Sanctus Doctor ibid. art. 6. egregie docet, esse magis laudabile, & meritorium facere aliquid ex voto, quam sine voto, dicens: *Triplici ratione facere idem opus cum voto est melius, & magis meritorium, quam facere sine voto. Primo quidem, quia vovere est actus latriæ, quæ est præcipua inter virtutes morales. Nobilioris autem virtutis est opus melius, & magis meritorium: unde actus inferioris virtutis est melior, & magis meritorius, ex hoc quod imperatur a superiori virtute, cujus actus fit per imperium; sicut actus fidei, vel spei melior est, si imperetur a caritate. Et ideo actus aliarum virtutum moralium (puta, jejunare, quod est abstinentiæ; & continere, quod est actus castitatis) sunt meliores, & magis meritorii, si fiant ex voto: quia sic jam pertinent ad divinum cultum, quasi quædam Dei sacrificia. Unde Augustinus dicit in libro de Virginitate, quod neque ipsa virginitas, quia virginitas est, sed quia Deo dedicata est, honoratur, quam fovet, & conservat continentia pietatis. Secundo, quia ille, qui vovet aliquid, & facit, plus se Deo subjicit, quam ille, qui solum facit. Subjicit enim se Deo, non solum quantum ad actum, sed etiam quantum ad potestatem, quia de cætero non potest aliud facere; sicut plus daret homini, qui daret ei arborem cum fructibus, quam qui daret ei fructus tantum, ut dicit Anselmus in libro de similitudinibus. Et inde est, quod etiam promittentibus gratiæ aguntur, ut dictum est. Tertio, quia per votum immobiliter voluntas firmatur in bonum. Facere autem aliquid ex voluntate firmata in bonum, pertinet ad perfectionem virtutis; ut patet per Philosoph. 2. Ethicor. Sicut etiam peccare mente obstinata, aggravat peccatum, & dicitur peccatum in Spiritum Sanctum*. Prosequitur ibid. S. Thomas quæst. 189. art. 2. ubi cont. dicens: *Sed contra est, quod in Psalmo 75. dicitur, Vovete, & reddite Domino Deo vestro: ubi dicit Glossa, quod quædam sunt vota singulorum propria; ut castitas, virginitas, & hujusmodi. Ad hæc ergo vovenda invitat nos Sacra Scriptura, quæ non invitat, nisi ad id, quod est melius. Ergo melius est, quod aliquis vota se obliget ad aliquid*. Et ibid. in corp. *Bonum opus est laudabilius ex hoc, quod procedit ex voluntate confirmata in bonum per votum*. Constat igitur ex admirabili doctrina S. Thomæ, esse magis meritorium aliquid facere ex voto, quam sine voto; ac proinde erit magis conducens ad perfectionem. Ergo vota de aliquo faciendo dici non possunt perfectionis impeditiva. Confirmantur ulterius. Quia licet perfectio Christiana primo, & principaliter consistat in caritate; attamen secundario sita est etiam in exercitio aliarum virtutum. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 184. art. 1. ad 2. ait: *Secundum caritatem attenditur simpliciter perfectio Christianæ vitæ; sed secundum alias virtutes, secundum quid*. Sed qui elicit votum de aliquo faciendo, exercet actum Religionis. Ergo hoc non potest esse impeditivum Christianæ perfectionis; cum talis actus secundum quid pertineat ad perfectionem Christianæ vitæ.

Si objiceres vetus Sectariorum argumentum; nimirum vota libertatem auferre, & necessitatem imponere, adeoque obesse perfectioni, & sanctitati: habemus promptam ex Ven. Bellarmino solutionem lib. 2. de Monachis: votum scilicet non auferre libertatem illam, quæ requiritur

ad

ad laudem, sanctitatem, & meritum, immo ad virtutum heroicitatem; cum ut plurimum libentius fiat, & promptius, quod fit ex voto, quam quod fit sine voto. Votum siquidem ex se lætitiam gignit; cum ex magna caritate procedat, juxta illud Paralip. ult. v. 9. *Lætatusque est populus, cum vota sponte promitteret: quia corde suo offerebat ea Domino.*

§. IV.

V. *Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, & divinizata, & Deus tunc in seipso remanet; quia tunc non sunt amplius duæ res, sed una tantum: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & anima seipsam annihilat in esse operativo.*

AD suam annihilationem rediens Molinosius tria docet in hac Propositione. Primum, quod anima nihil operando, & seipsam annihilando in esse operativo, uniatur, & transformetur cum Deo; quod esse Begnardorum errorem, asserentium, *animam in unione Mystica remanere sine ulla prorsus operatione*, in confutatione primæ Propositionis superius observavimus. Secundum, quod, posita hujusmodi unione, & transformatione, non amplius sint duæ res, sed una tantum. Tertium demum, quod per hujusmodi annihilationem, & transformationem Deus vivat, & regnet in nobis. In his autem postremis partibus convenit cum Raymundo Lullo, damnato a Gregorio XI. anno MCCCLXXII. (ut dictum est Dissert. I. §. 3. ex Eymerico in Director. Inquisitor. cap. 2.) ob hanc doctrinam: *Homo justus, & Deus, in quibus non est parvus amor, sed magnus, possunt esse, immo sunt ipsamet essentia, & natura divina indistincta, & indivisibilis sine ulla contrarietate, & sine ulla diversitate essentiæ.* Quinimmo idem Molinosius redditur de Almerici errore suspectus, reprobato in Concilio Lateranensi IV. Generali XII. celebrato anno MCCXV. qui inter alia impia dogmata, recensita a Roberto Lagnino lib. 6. sub Philippo Rege, a Genebrardo lib. 4. Chronolog. & a Natali Alexandro Sæc. XIII. cap. 3. art. 2. asseruit, *per contemplationem, seu unionem Mysticam animam contemplantis converti in aliquod divinum, sive in ideam sui, quæ est in mente Dei.*

Propositio, ut jacet, *est male sonans, periculosa, erronea, & hæresim sapiens respective.*

Impugnatur Propositio, quoad primam partem, ex eo quod tantum abest, quod unio, & transformatio cum Deo fiat per essentiam, & potentiarum annihilationem in esse operativo; quin potius necessario, & indispensabiliter exigat actus intellectus & voluntatis: cognitionis scilicet & amoris. *Dicendum* (inquit D. Thomas Part. 1. quæst. 20. art. 2. ad 1.) *quod amans sic fit extra se in amatum translatum, inquantum vult amato bonum, & operatur per suam providentiam, sicut & sibi:* & 2. 2. quæst. 81. art. 7. ait: *Mens hominis excitatur ad spirituales actus, quibus Deo conjungitur:* & clarius Part. 3. quæst. 6. art. 6. ad 1. dicit: *Unio animæ cum Deo est per operationem; inquantum scilicet eum cognoscimus, & amamus:* fortius demum in 3. Sent. dist. 2. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3. scribit: *Conjunctio animæ cum Deo per fruitionem, consistit in operatione intellectus, & voluntatis.* Et hæc est illa unio per amplexum, quam anima expetebat a Sponso Divino, dicendo Canticorum 2. *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quem locum ibidem exponit Cornelius a Lapide ad nostrum intentum dicens: *Mystici omnes hæc intelligunt de unione animæ cum Deo, quæ habetur in summo contemplationis gradu, quo anima intime Deo per contemplationem intellectus, & per ardorem voluntatis unitur, eumque quasi hisce brachiis stringit, & amplectitur. Tunc enim Deus cor allicit, suisque quasi illuminationis, & inflammationis brachiis mulcendo trahit ad altiorem quemdam, & puriorem amoris amplexum.* Ex quibus satis constat, unionem Mysticam minime haberi per annihilationem potentiarum; sed e contra per actus intellectus, & voluntatis humanæ.

Ad hæc faciunt, quæ scribit S. Theresia Magistra orationis cap. 16. & 17. Vitæ suæ, loquens de hujusmodi Mystica unione, ac dicens. *Stanno le potenze in effetto quasi del tutto unite, ma non tanto ingolfate, che non operino. Hanno solamente abilità per occuparsi tutte in Dio, nessuna di loro pare che ardisca di muoversi, nè possiamo fare noi, che si dimeni: se però non volessimo noi con molto studio divertirci; e nè anco mi pare, che si potrebbe allora totalmente fare ...... Questa maniera d' unione, che voglio dire, accade molte volte così, che raccoglie Iddio la volontà, ed anche l' intelletto, a mio parere; perchè non discorre, ma sta occupato godendo di Dio, come chi sta mirando fisamente, e vede tanto, che non sa verso dove mirare, ed un per l' altro se gli perde di vista.* Demum cap. 18. ejusdem Vitæ suæ, loquendo de ejusmodi Mystica unione, ait: *Qui non v' è sentire, ma tutto è godere, senza intendere quello, che si gode: s' intende, che si gode un bene, dove insieme si racchiudono tutti i beni; ma non si comprende questo bene. Occupansi tutti i sensi in questo godimento, di maniera che nessuno rimane disoccupato per attendere ad altra cosa, interiormente, ed esteriormente.* Ad quæ verba sanctæ Virginis laudatus P. Balthasar ubi supra Reflexione 7. scribit: *Vuol dire in questo parlare la Santa, che stanno l' intelletto e la volontà tanto uniti, ed occupati in Dio, che ingolfati ed assorti in quella somma luce, e bontà, ed in quello che vedono, amano, e godono, non possono per allora avvertire, ed intendere quello che godono: imperocchè il grande assorbimento in Dio, e l' ammirazione di quello che hanno presente, le sospende, per non intendere, nè avvertire il bene, in cui allora stanno occupate.* En iterum ex S. Theresia operationes intellectus & voluntatis in Mystica unione, sive transformatione cum Deo.

Accedit ad hæc auctoritas S. Joannis a Cruce, qui in Opusculo suo sub titulo, Flamma amoris vivi, Mansione 1. loquendo de anima elevata a Deo ad hujusmodi transformationem, ait: *I movimenti di cotal anima sono divini, e sebbene sono di Dio, sono eziandio di lei: perchè li fa Iddio in lei, e con lei, dando ella la sua volontà, e consenso.* Unde paulo infra in eadem Mansione, anima, explicando hujusmodi motus divinos, quos habet in Mystica transformatione, dicit cælesti Sponso: *O infocato amore, che dolcemente, e teneramente mi stai glorificando co' tuoi amorosi movimenti, nella maggior capacità, e forza dell' anima mia, cioè dandomi divina intelligenza, secondo tutta l' abilità del mio intelletto; e comunicandomi l' amore secondo la maggior larghezza, e capacità della mia volontà: cioè elevando altissimamente con divina intelligenza, l' abilità del mio intelletto in un fervore intensissimo della mia volontà, ed in unione sostanziale.* Demum Mansione 3. explicans actus animæ in hujusmodi divina transformatione ait: *L' anima colle sue potenze sta illustrata dentro gli splendori di Dio. Ed i movimenti di questa fiamma, che sono vibramenti, o vampe, non li fa solamente l' anima, che sta trasformata in fiamma dello Spirito Santo; nè li fa egli solo: ma lo Spirito Santo, e l' anima insieme, movendo Dio l' anima, come fa il fuoco l' aere infiammato. E così questi movimenti di Dio, e dell' anima insieme, sono come glorificazioni di Dio, che fa all' anima.*

Consequenter ad hæc doctissimus P. Dominicus a SS. Trinitate Carmelita Discalceatus in sua Theologia Mystica l. 7. Sect. 4. capit. 3. ait: *Octavo dico, contemplationem perfectorum, seu, ea mediante, unionem eorum propriam, aut viæ unitivæ, consistere in actibus intellectus, & voluntatis per dona Spiritus Sancti, specialemque motionem illis correspondentem, extraordinarie elicitis.* Quod fuse, & erudite probat, ostendendo animam in Mystica transformatione, sive unione cum Deo elicere actus intellectus, & voluntatis, & in hisce consistere hujusmodi transformationem; sed per dona Spiritus Sancti, & specialem Dei motionem, & elevationem. Unde Cardinalis Brancatus in Opusc. 8. cap. 4. explicans transformationem animæ cum Deo, præclare docet, ac dicit: *Dico I. Ex parte animæ justæ contemplativæ, unitæ, sive uniendæ mystice, ac supernaturaliter cum Deo, causæ morales, & immediatæ talis unionis regulariter sunt duæ: scilicet perfecta contemplatio, ac perfecta caritas, sive amor Dei. Illæ duæ sunt causæ unionis beatificæ in patria ex parte animæ. Ergo etiam in via. Antecedens est clarum. Eo enim modo Angeli, & animæ beatæ sunt perpetuo unitæ cum Deo, scilicet per visionem, & fruitionem, seu caritatem consummatam, aut amorem, quæ idem sunt. Consequentia est evidens. Nam ex S. Gregorio Homilia 14. in Ezechiel. habetur, quod beatitudo in hac vita per contemplationem inchoatur, & in alia vita perficitur. Ergo eædem sunt causæ utriusque ex parte animæ.*

Hinc Dionysius Carthusianus de Fonte lucis cap. 12. loquens de causis divinæ hujus unionis ait: *Consistit hæc vis unionis in hoc, ut ex contemplatione Dei mens divino amore tota accendatur, & velut ignita, ac seraphica efficiatur, seque ipsam, & cuncta creata relinquens, transcendens, ac obliviscens, superincomprehensibili Deo uniatur.* Igitur duæ illæ operationes intellectus, & voluntatis, intuitus nempe & contemplatio, & amor Dei sunt causæ ipsius unionis; neque qualibet contemplatio, aut quilibet amor, sed perfecta contemplatio, & perfectus amor, ut in conclusione dixi, idest infusa contemplatio, in caligine, quæ maxima est, & ardentissimus amor.

Demum pro coronide confutationis primæ partis hujus Propositionis Molinosticæ addendum est, quod mirifice ad nostrum intentum scribit supra laudatus P. Balthasar Carmelita Discalceatus loc. cit. Reflex. 9. dicens: *E' certissima l' opinione de' Teologi sì Scolastici, come Mistici, ed*

ed è dottrina comunissima, che nell' esercizio della Teologia Mistica, e singolarmente nell' unione, che è la più sublime di detta Teologia, non solo l' anima contemplativa passivamente riceve, ma che veramente operi attivamente con l' intelletto, e volontà. E sarebbe pericolosa, a mio parere, l' opinione contraria a' nostri tempi, dopo gli errori degl' Illuminati, eretici di sopra da noi osservati, e rejetti, che pretendevano nello stato di somma perfezione stare l' anima in un ozio mero, senza alcuna sorte d' operazione, che è stato più volte dannato.

Ex adductis usque modo evidens est, in divina unione sive traosformatione animæ cum Deo, illam elicere actus intellectus, & voluntatis, licet excitatos a Deo, & per specialem motionem divinam ab aoima productos; immo per ejusmodi actus haberi uuionem animæ cum Deo, & cum Deo transformationem: proindeque constat falsitas, & temeritas Propositionis Molinosticæ, in qua absolute, & simpliciter asseritur, quod anima nihil operando, & se annihilando in esse operativo, Deo uniatur, & in illum transformetur.

Sed objiciunt Quietistæ auctoritatem S. Joannis a Cruce, qui pluribus in locis, & præcipue in tractatu Flammæ amoris vivi Mansione 3. §. 6. docet, divinam unionem, seu transformationem, non obtineri ab anima, nisi pee annihilationem suarum operationum. Unde scribit ibidem: *Ricerca questa unione lo spirito tanto libero, ed annichilato, che qualunque cosa, che allora l' anima volesse fare di particolare pensiero, o discorso, o gusto, a cui voglia appoggiarsi, basterà per impedirla.* Idem habent alii Mystici, quos adducit laudatus P. Balthasar a S. Catharina, ubi supra ad Mansionem 5. cap. 1. Reflex. 9. Ergo ajunt Quietistæ, quod anima nihil operando, & se annihilando transformetur, & uniatur cum Deo.

Respondeo cum laudato Patre, quod, his non obstantibus, certissima est sententia Doctorum Scholasticorum, & Mysticorum, quod in unione animæ cum Deo hæc non mere passive se habeat, sed active operetur cum intellectu, & volontate. Pro cujus dilucidatione advertendum est cum S. Thoma in 3. Sent. dist. 34. quæst. 1. art. 1. quod anima donis supernaturalitee informata, aliquando operatur modo humano, directa, & mota a ratione; aliquando operatur modo supernaturali, & divino per specialem Spiritus Sancti instinctum. Quando ergo operatue ex speciali divina motione; tunc operatio animæ dicitur potius passio, quam operatio (ut dictum est supra Dissert. VII. §. 3. & advertit Suarez tom. II. de Religione lib. 2. de oratione cap. 12. n. 18.) attamen tunc etiam operatio est actus vitalis ipsius animæ, elicitus ab intellectu, & voluntate ejusdem. Hinc quando Mystici dicunt, quod anima ad hoc ut ad divinam unionem perveniat, debeat suas operationes annihilare; intelligi debent de opeeationibus ex propria electione, iodustria, & discursu, quemadmodum innuit idem S. Joannes a Cruce sub hisce verbis. *Qualunque cosa allora l' anima volesse fare di particolare pensiero, o discorso, o gusto, a cui voglia appoggiarsi, basterà per impedirla.* In tali casu, & statu possent impedire divinam communicationem. Non vero intelligi debent de operationibus ex speciali instinctu, & motione Spiritus Sancti elicitis, in quibus, & ex quibus vidimus supra haberi ab anima divinam transformationem. Hinc idem S. Joannes ibidem loco nobis objecto se explicat dicens: *Sicchè è chiaro, che se allora l' anima non lasciasse il suo modo ordinario di discorrere, non riceverebbe quel bene, se non scarsamente, ed imperfettamente.* Cæterum quod pro illo tempore transformationis habeantur ab anima actus supernaturales, pee specialem instinctum Spiritus Sancti eliciti, vidimus supra ex eodem S. Joanne, qui in declaratione primæ Mansioois ejusdem Tractatus ita scribit: *I movimenti di cotal anima sono divini, e sebbene sono di Dio, sono eziandio di lei: perchè li fa Iddio in lei, e con lei, dando ella la sua volontà, e consenso.* Quo nihil melius dici potest pro intelligentia verborum, quæ ex eodem Sancto objecta sunt a Quietistis. Unde ad hoc laudatus P. Balthasar a S. Catharina loco citato Reflexione 10. scribit. *L' annichilazione poi, che attribuiscono all' unione, e contemplazione i Padri, non può suffragare punto all' opinione contraria, che nega l' operazione attiva all' anima: perchè troppo sarebbe fuor di senno il persuadersi, che talmente si abbia meramente passiva, che anche non solo senza l' operazione, ma annichilata, e senza essere, restasse l' anima in questa unione. Dicono dunque, che perde l' operare suo elettivo, discorsivo, o proprio, e quanto a questo resta in niente, come più volte replica il nostro Ven. P. F. Giovanni della Croce. E questa non è cosa nuova, ed è quell' istesso, che di sopra provammo con S. Tommaso: cioè che l' anima non opera all' umana, ed al suo modo connaturale, ma alla divina per modo sovrumano.*

Deveniendo modo ad secundam ejusdem Propositionis partem, qua adstruitue, quod posna unione, sive transformatione animæ cum Deo, non sint amplius duæ res, sed una tantum; ita falsitatis convincitur. Nulla in hac unione fit conversio, sive mutatio essentiæ animæ, aut Dei; sed utrumque extremum remanet impermixtum, & fit unio quædam dumtaxar accidentalis perfecte cognoscentis, & cognitæ, perfecte amantis, & amati. De hac enim unione Mystica animæ cum Deo disserens S. Bernardus Serm. 71. io Cant. inquit: *Homo & Deus, quia unius non sunt substantiæ, vel naturæ, unum quidem dici non possunt; unus tamen spiritus certa & absoluta veritate dicuntur, si sibi glutino amoris inhæreant. Quam quidem unionem non tam essentiarum cohærentia facit, quam convenientia voluntatum.*

Sed egregie S. Thomas 1. 2. quæst. 28. art. 1. in corp. & ad 2. pro casu nostro scribit, dicens: *Dicendum, quod duplex est unio amantis ad amatum. Una quidem secundum rem; puta cum amatum præsentialiter adest amanti: alia vero secundum affectum ...... Primam ergo unionem amor facit effective; quia movet ad desiderandum, & quærendum præsentiam amati, quasi sibi convenientis, & ad se pertinentis: secundam autem unionem facit formaliter; quia ipse amor est talis unio, vel nexus .... Unio realis, quam amans quærit de re amata, est secundum convenientiam amoris. Ut enim Philosophus dicit 2. Polit. Aristophanes dixit, quod amantes desiderarent ex ambobus fieri unum: sed quia ex hoc accideret aut ambos, aut alterum corrumpi, quærunt unionem, quæ convenit, & decet; ut scilicet simul conversentur, & simul colloquantur, & in aliis hujusmodi conjungantur.*

Ex SS. Bernardi & Thomæ auctoritatibus hoc contra Molinosii doctrinam efformatur argumentum. Unio realis, quam effective facit amor, consistit solum in præsentia amati ad amantem, & in conversatione, & collocutione amantis ad amatum, & e contra; non vero, quod ex amante & amato fiat unum individualiter, sive substantialiter. Ergo in unione animæ cum Deo dantue quidem duæ res unitæ accidentalitee; non vero una tantum individualiter, & substantialiter, ut perperam asseruit Molinosius.

Ad hæc faciunt, quæ scribit Cardinalis Bona in Via compendii ad Deum cap. 10. ubi ad casum nostrum ait. *Sextus est status transformationis per donum sapientiæ, per quam intelligimus non substantialem transformationem (absit, ut consentiamus errore jampridem damnato, quo quidam opinati sunt, animam hominis a proprio esse desinere, & in ipsam Dei essentiam transire) sed arctissimam unionem cum summo bono, qua Mysticus, divinæ consors naturæ factus, modo perfectissima in eamdem imaginem transformatur de claritate in claritatem, tamquam a Domini Spiritu, ita ut in ejusmodi felicitate perfecta ratio Mysticæ possessionis inveniatur.* Hinc P. Dominicus a SS. Trinitate ad nostrum intentum scribens in sua Theologia Mystica Sect. 1. cap. 3. ait. *Dico per transformationem, vel Deificationem, quæ fit in unione Mystica, non debere intelligi transformationem, vel conversionem propriæ naturæ in divinam, aut quod accipiat anima amorem divinum substantialiter, quo amet Deum; hoc enim, & similia sunt impossibilia: sed quod præter gratiam sanctificantem, qua dicitur fieri consors divinæ naturæ, adeo ut accidentaliter sit, quod Deus est substantialiter, quæque est communis omnibus justis, insuper habet ex singulari, & speciali motione Dei perfectissimos intellectus & voluntatis actus, per quos etiam specialiter dicitur in Deum transformari, aut deificari. Quemadmodum enim, qui terram intelligit, qui terram diligit, in esse intelligibili, & affective terra est:* „ Similes illis fiant, qui faciunt ea, & omnes, qui „ confidunt in eis: " *Psal. 113. sic qui Deum intelligit, & diligit, erit Deus. Quod describens D. Bernardus lib. de Vita solitaria ad Fratres de monte Dei, ait:* „ Super hanc autem alia est adhuc similitudo, intantum „ proprie propria, ut non jam similitudo, sed unitas spi„ ritus nominetur; cum sit homo cum Deo unus spiri„ tus, non tantum unitate volendi idem, sed expressiore „ quadam unitate virtutis, aliud velle non valendi. " *Hinc dum Mystici asserant, animam in statu intimæ unionis annihilari, si id proprie acciperetur, vel loquerentur de annihilatione, sicut de totali desitione rei, quatenus sicut omnis creatura est capax existentiæ per beneficium creatoris, & liberam voluntatem Dei, ita est capax desinendi esse, Deo volente suum concursum suspendere, juxta illud Sap. 11.* „ Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu „ voluisses? aut quod a te vocatum non esset, conser„ varetur? " *Si, inquam, Doctores Mystici uterentur in hoc sensu termino annihilationis, sine dubio nedum absurdum, sed omnino erroneam esset, fideique Catholicæ contrariam. Siquidem animæ substantia in unione Mystica non desinit esse, atque adeo non annihilatur.* Nihil melius adduci poterat contra Molinosticam doctrinam, adstruentem, in unione, sive transformatione animæ cum Deo, non esse amplius duas res unitas, sed unam tantum; quibus verbis vera animæ annihilatio, sive conversio illius in divinam substantiam aperte significatur.

De-

Demum ratione configitur Molinosticus error. Nam non potest intelligi, quod in unione Mystica animæ cum Deo non sint amplius duæ res unitæ, sed una tantum, prout perperam asseruit Molinosius, nisi vel quod anima in divina unione penitus deficiat a se, ac revertatur in ideam propriam, quam habuit immutabiliter, & æternaliter in mente Dei; proinde per talem unionem convertatur in esse increatum, & superessentiale, quod in sua idea habuit ab æterno, ac consequenter una sit cum Deo, una essentia, una vita, una lux, una beatitudo, unus spiritus: qui fuit error proprius Almarici. Vel aliter absque hoc quod anima convertatur in Deum, sed solum quod ex anima & Deo in unione, & transformatione fiat quoddam tertium distinctum, vel compositum, quod contemplativum, vel mysticum appelletur; sicut ex anima & corpore componitur unus homo: unde Eutyches adversus Nestorium insurgens in alium errorem prolapsus est, cum ex unitate personæ contenderet unam naturam in Christo per compositionem, ac mixtionem naturæ divinæ & humanæ. Denique quod sicut in unione hypostatica ex natura humana & persona Verbi fit unum compositum, quod est Christus; ita in unione Mystica ex anima & subsistentia divina absoluta, si hæc datur in divinis, fiat unum quoque compositum subsistens. Atqui hæ tres uniones non solum sunt falsæ, verum etiam erroneæ, & hæreticæ, ac omnino alienæ a sensu Theologorum Mysticorum Catholicorum. Ergo nullo modo sustineri potest, quod in unione animæ cum Deo non amplius sint duæ res unitæ, sed una tantum. Nam, loquendo de prima unione, si mens contemplativi unita Mystica Divinitati, deperdito suo esse naturali, rediret in esse illud ideale, quod habuit in mente divina; tale esse vel quid increatum, vel quid creatum esset. Primum dici non potest, tam quia jam non esset creatura, sed solus Deus, in quem anima mutaretur, aut converteretur; tum quia talis mutatio, vel conversio admitti in Deo non potest ob infinitam ipsius simplicitatem, ac immutabilitatem, cui hujusmodi conversio, vel transmutatio omnino repugnat. Si vero dicatur esse aliquid creatum, ut adstruebat Almaricus (quod tamen de ideis divinis concedi non potest, cum sint ipsamet creatrix essentia,) tale esse vel erit quid accidentale; & hoc non, quia non posset corpus informare: si esset substantiale, supernaturale esse non posset, quia non datur substantia supernaturalis: si esset naturale, quomodo a priori differret anima, vel potius a seipsa secundum suum esse naturale considerata? Denique manifesta constat experientia, non semper durare in hac vita ejusmodi unionem Mysticam, immo potius brevissimum esse ejus tempus, post quod consequenter cum redire deberet contemplativus ad priorem statum, deberet quoque anima iterum mutari a Deo ab esse ideali in naturale; quæ omnia, & similia tam sunt absurda, ut risu potius quam confutatione indigeant. Hinc optime in Concilio Lateranensi IV. definitum est per hæc verba: *Reprobamus etiam, & damnamus perversissimum dogma impii Almarici, cujus mentem pater mendacii ita excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica censenda sit, quam insana.* Quoad secundam vero unionem falsitas, sive impossibilitas illius patet ex doctrina S. Thomæ Part. 1. quæst. 3. art. 8. (quem & sequuntur omnes Theologi) asserentis, Deum ingredi non posse per modum partis in alicujus rei compositionem, quod ibi sanctus Doctor tribus demonstrat rationibus, quæ videri possunt ibidem. Tertia demum unio, quamvis non sit impossibilis, loquendo tamen de facto, cum fides nos doceat, nec Verbum divinum, nec alias personas talem umquam cum alia quam cum sacrosancta Domini humanitate personalem contraxisse unitatem; manifesta patet, illam non reperiri in unione Mystica: nec, si per impossibile reperiretur, in illa consisteret. Siquidem hæc unio, unitasque ex illa resultans, in qua consistit beatitudo hujus vitæ, quæque est participatio futuræ, debet esse quid vitale per modum actus, seu positum in sensu quodam suavissimo, & gaudio de summo bono, in ratione cogniti & amati possessi. Quod unioni hypostaticæ formaliter competere non posse, satis constat: unde in Christo Domino, ubi de facto reperitur modo perfectissimo, nullus admittit, in ea consistere beatitudinem ejus formalem. Ex quibus omnibus clare eruitur, quantum a veritatis tramite aberret assertio Molinostica, adstruens, in unione divina non esse amplius duas res unitas, sed unam tantum.

Sed objiciunt Quietistæ illud Pauli I. ad Corinthios cap. 6. vers. 17. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est.* Ex quo adstruunt, in unione Mystica haberi inter Deum & creaturam identitatem realem, sive unitatem individuam & numericam.

Sed contra est, quia S. Augustinus lib. 1. contra Max. cap. 12. bene advertit, in Sacris Scripturis unitatem essentiæ individuæ significari simpliciter, & absoluta hoc termino *unum* absque ullo addito; sique interdum usurpetur in creatis, fieri cum addito, ad denotandum, quod de affectiva tantum, aut morali, non autem substantiali, vel personali agatur unitate. Sic Christus Dominus orans pro fidelium communione Jo. 17. vers. 21. ait: *Ut & ipsi in nobis unum sint.* Cum enim certum sit, non eamdem esse numerice omnium fidelium naturam; proinde non absoluta dixit, *ut sint unum*, sed cum addito, *ut in nobis unum sint:* ad significandum, se loqui de unitate affectiva, seu de mutua caritate, quæ una cum sit, sive unicus numero habitus, duo tamen habet objecta, Deum scilicet & proximum. At vero cum loquitur de eadem numero, quam habet cum Patre, substantia, simpliciter ait Jo. 10. vers. 3. *Ego, & Pater unum sumus.* Unde concludit præcitatus Augustinus: *Aliud est, unum sunt; aliud, unus est. Quando dicitur, unum sunt, & si non dicatur quid unum; intelligitur una substantia. Quando dicitur unus, est de duabus, diversisque substantiis.* Propterea Paulus, loquens de anima cum Deo Mystice unita, non dixit, *unum est*, sed *unus spiritus est:* ut ostenderet inter Deum & animam illi unitam, nullam esse essentiæ unitatem, nec individualem, nec specificam, nec genericam; sed tantummodo accidentalem, quæ inter duas substantias mediis gratiæ donis reperiri potest, ut infra explicabimus, docetque expressa D. Augustinus eodem lib. 1. contra Max. cap. 20. necnon lib. 2. cap. 10. & lib. 3. cap. 10. 20. & 22. & D. Bernardus Serm. 71. in Cant. his verbis. *Homo & Deus, quia unius non sunt substantiæ, vel naturæ, unum quidem dici non possunt; unus tamen spiritus certa & absoluta veritate dicuntur, si sibi glutino amoris inhæreant. Quam quidem unitatem non tam essentiarum cohærentia facit, quam convenientia voluntatum.*

Deveniamus tandem ad refellendum tertium errorem Molinosticæ assertionis, in quo adstruitur, per annihilationem operationum animæ, & prætensam per illam in Deum transformationem, Deum vivere, ac regnare in nobis: quod profecto temerarium est asserere; quia sine ullo fundamento vel ab auctoritate, vel a ratione petito adstruitur. Falsitas autem evidenter constat ex eo, quod scribit S. Thomas Part. 1. quæst. 43. art. 3. in corp. ubi ait: *Est communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum autem modum communem, est unus specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Et quia cognoscendo & amando creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum; secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali, sed etiam habitare in ea, sicut in templo suo.* Et in 1. Sent. dist. 14. art. 4. ad Annibaldum ait: *Modi, quibus Deus est in creatura, distinguuntur secundum diversos modos, quibus creatura Creatori unitur: quod quidem contingit tripliciter. Uno modo sicut effectus causa efficienti, cujus similitudinem gerit; & sic est modus communis, prout est in omnibus per essentiam, præsentiam, & potentiam. Alio modo sicut objecto operationis, inquantum creatura cognoscit, & amat Creatorem; & sic dicitur esse in Sanctis. Tertio modo quantum ad esse in una persona; & sic dicitur esse divinitas in Christo.*

Pro dilucidatione igitur doctrinæ S. Thomæ, & confutatione Molinostici erroris, advertendum est, quod præter modum, quo per immensitatem in operatione fundatam, dicitur Deus esse in omnibus rebus intime præsens quoad locum, datur alius modus ad casum nostrum, quo specialiter dicitur fieri præsens justis per gratiæ dona, seu per modum cogniti & amati, prout dicit modum specialem familiaris convictus cum Deo, & communicationis ad fruendum ipso; siquidem hæc possessio, & fruitio non fit nisi per cognitionem, & amorem. Et sic Deus ut cognitus, & amatus, non quomodocumque, sed possessive, & fruibiliter dicit specialem rationem existendi in anima, eo quod possessio, & fruitio non posset haberi, si esset absens, & non intra nos: ad quam, quia nos disponit gratia, & caritas, quatenus reddunt animam elevatam ad amandum, & fruendum Deo; hinc est, quod S. Thomas ait Part. 1. quæst. 8. art. 3. modum existendi Dei per gratiam consistere in eo, quod sit in anima per modum cogniti, & amati. Porro hujusmodi non esse dumtaxat affectivam, sed & affectivam, & realem, docet idem S. Thomas in I. ad Corinthios 3. lect. 3. quatenus ipse Deus *personaliter datur*, ut inhabitet, & sit in anima per modum amici conviventis cum ipsa anima, & possessi ab ea, juxta illud Jo. 14. vers. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Et quamvis D. Thomas hic non possit, nec debeat intelligi, quod Deus *personaliter* datus uniatur animæ in persona *subsistendo*, vel gerendo *vicem* personæ utriusque *subsistentis:* attamen unitur animæ, cui datur, & donatur, per modum personæ *assistentis*, & præsentis, ac cohabi-

tantis ; immo & inhabitantis in ea non per solam speciem *objectivam*, sed per suam subjectivam præsentiam, licet non clare cognitam, & visam, quod erit in Patria.

Hoc idem S. Theresia clarius explicat Mans. 6. cap. 9. dicens. *A questo bene della contemplazione, che è il bene primario, si aggiunge il secondario, che è la cognizione sperimentale della divina presenza, che acquista l' anima sollevata ad un tale stato; massimamente quando a tal cognizione s' aggiungono, come accade, lumi sublimi del possesso, che prendono di tal anima le tre divine Persone, e de' favori speciali, che ciascuna a lei singolarmente comparte giusta la sua attribuzione. Onde è, che allora è veramente ammirabile la chiarezza, colla quale l' anima capisce quelle parole, che disse Cristo:* „ Si quis diligit me, „ sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, „ & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. “ *Capisce allora ella in modo tal verità, che non le pare più di crederla, come prima, ma di palparla. Quindi è, che ancora gli odierni contemplativi, quando ci vogliono definire l' oggetto dell' alta contemplazione, ci dicono tutti ad un modo, che non è Dio presente, ma Dio sperimentato, Dio gustato, Dio goduto; cosa che non aggiunga alla presenza, se non la prova.*

Et licet Deus sit etiam in anima producendo gratiam sanctificantem ; iste modus, quamvis ex parte rei productæ sit perfectior, non tamen extrahit Deum a præsentia, & contactu communi immensitatis, quæ est per modum agentis. Cæterum, hac præsentia supposita, mediantibus talibus gratiæ donis resultat nova habitudo ad Deum ut possessum, & inhabitantem secundum cognitionem & amorem, constituens novam, & specialem Dei in anima præsentiam a priori distinctam. Siquidem ratio formalis præsentiæ Dei, producentis in anima gratiam, est per modum operationis, & agentis; ratio vero formalis præsentiæ Dei ad fruendum, & possidendum ipsum, est per modum objecti, & amati. Quas rationes constat satis esse diversas, ita ut si per impossibile non haberetur realis & physica Dei præsentia in nobis, producentis gratiam ; haberetur equidem realis, & physica illius præsentia ad fruendum, & possidendum ipsum per modum objecti cogniti & amati. Hinc optime docuit S. Thomas loco supra citato, quod *creatura rationalis cognoscendo & amando sua operatione attingit ipsum Deum ; & secundum istum specialem modum dicitur Deus esse in creatura rationali, & inhabitare in ea sicut in templo suo*. Ex quibus omnibus fit manifesta falsitas Molinosticæ Propositionis, ubi asseritur, quod Deus vivat, & regnet in nobis per annihilationem animæ in esse operativo ; cum e contra demonstratum sit, per operationem animæ, scilicet cognitionem & amorem, intime & realiter possideri.

Confirmantur hæc omnia auctoritate S. Theresiæ cap. 28. Vitæ suæ, ubi declarata unione Mystica, quam habet anima cum Deo per cognitionem & amorem experimentaliter, docet in illa, & per illam haberi realem, & personalem Dei præsentiam, non modo distinctam ab ea, quæ habetur per immensitatem, per quam realiter existit in omnibus creaturis; sed etiam ab illa, quæ habetur per gratiam sanctificantem, per quam existit in omnibus justis. Unde scribit: *Solo potrò dire, che se le rappresenta lo star insieme con Dio, e rimane una certezza di questo, che in nessuna maniera si può lasciar di crederlo . . . . Al principio mi occorse un' ignoranza, che io non sapeva, che Dio stesse in tutte le cose:* a *come mi pareva essermi tanto presente, parevami impossibile. Lasciar di credere, che stesse quivi, io non poteva, per parermi che quasi chiaramente io aveva conosciuto star quivi la sua medesima presenza. Quelli, che erano poco letterati, mi dicevano, che solamente vi stava per grazia, ed io non lo poteva credere; atteso che, come dico, parevami che realmente stesse quivi presente :* a *così andava con pena. Un gran letterato del glorioso S. Domenico mi levò di questo dubbio, dicendomi, che veramente stava presente, e come si communicava, e deliziava con esso noi, che mi consolò assai.* En itaque ex illuminatissima Virgine præsentia realis Dei in anima per unionem Mysticam tamquam objecti cogniti & amati, distincta ab illa, quæ habetur per immensitatem divinam in omnibus rebus, vel per gratiam sanctificantem in animabus justis.

§. V.

VI. *Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere: & hoc modo recte proceditur.*

PRoprium viæ suæ internæ characterem exponere nititur Auctor harum Propositionum: cum in ea non cognoscitur nec lumen, nec amor, neque resignatio; immo Deum non oportet cognoscere ad recte in eadem via procedendum.

Ut jacet, *est piarum aurium offensiva, scandalosa, erronea, & hæresim sapiens respective*. Confutatur hæc Propositio quantum ad primam partem, qua dicitur, in via interna non cognosci nec lumen, nec amorem, neque resignationem. Certum enim est, animam devotam in via interna unionis cum Deo, cælesti lumine perfundi : unde per Isaiam animæ devotæ dicitur cap. 56. *Requiem dabit tibi Dominus, & splendoribus implebit animam tuam* : hoc est, dabit tibi pacem internam, & illuminabit te. Rursus anima devota de seipsa testatur cum Psalmista Psal. 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis:* & iterum Psal. 72. *Inflammatum est cor meum*. Ecce amor. Demum resignationem suam ostendit, quando ait Psal. 56. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum*. Neque hujusmodi donorum cognitione anima devota privatur, testante Apostolo I. ad Corinth. 2. dicens: *Quis hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est?* & paulo post: *Spiritum accepimus, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt nobis*. Ad quæ verba S. Thomas 2. 2. quæst. 161. art. 3. ad nostrum intentum ait: *Illi, qui dona Dei participant, cognoscunt ea se habere secundum illud I. ad Corinth. 2.* „ Ut sciamus, „ quæ a Deo donata sunt nobis. “

Consone ad hæc S. Bernardus in Scala Claustralium ait : *Contemplatio est mentis in Deum suspensa elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.*

Ecce lumen, ecce amor. Et de S. Francisco scribit S. Bonaventura in Legenda ejusdem cap. 13. *Supernæ contemplationis dulcedine abundantius solito superfusus, ac cælestium desideriorum ardentiori flamma succensus, supernarum cœpit immissionum cumulatius dona sentire.* S. Theresia hoc idem haud obscure exponit Mans. 6. cap. 8. ita scribens: *L' anima amante non può stare contenta, e soddisfatta, non solo se non sente d' essere riamata da chi ama, ma se non sente di amare, quanto è amata.* Demum S. Joannes a Cruce in Cantico Flammæ amoris vivæ Mans. 3. §. 10. loquens de via interna ait : *Imperciocchè comunque il Signore Iddio sia luce, ed amore in queste delicate comunicazione, ugualmente informa queste due potenze; sebbene alcuna volte ferisce più nell' una, che nell' altra. Onde alcune volte si sente più intelligenza, che amore; altre volte più intense amore, che intelligenza.* Ergo anima devota incedens per viam internam habet lumen, amorem, & resignationem, & cognoscit hujusmodi dona se habere ; ac proinde falsum est assertum in Propositione Molinosii, quod via interna sit illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio.

Impugnatur secundo ex eo, quod habetur Apocal. 2. *Vincenti dabo manna absconditum, quod nemo novit, nisi qui accipit*. Ad quæ verba S. Thomas 1. 2. quæst. 112. art. 5. in corp. ait: *Quia scilicet ille, qui accipit, per quamdam experientiam dulcedinis novit, quam non expertus ille, qui non accipit*. Ergo qui incedunt per viam internam, per quamdam experientiam cognoscunt lumen, amorem, & resignationem, quando illam ex divinis communicationibus accipiunt.

Confirmatur I. ex eo, quod scribit S. Thomas Part. 1. quæst. 111. art. 1. ad 3. ubi docet : *Operatio intellectualis, & illuminatio dupliciter considerari possunt. Uno modo ex parte rei intellectæ: & sic quicumque intelligit, & illuminatur, cognoscit se intelligere, & illuminari, quia cognoscit rem sibi esse manifestam. Alio modo ex parte principii: & sic non quicumque intelligit aliquam veritatem, cognoscit, quid sit intellectus, qui est principium intellectualis operationis; & similiter non quicumque illuminatur ab Angelo, cognoscit se ab Angelo illuminari*. Ergo anima devota, si in via interna illuminatur a Deo, cognoscit quidem se illuminari contra id, quod in hac Propositione adstruit Molinosius; licet cognoscere non possit, an hujusmodi illuminatio a Deo sit. Idem docet Angelicus Doctor loc. cit. quæst. 87. art. 3. intellectum scilicet cognoscere proprium actum : & art. 4. pariter adstruit, intellectum cognoscere actus voluntatis. Unde scribit: *Actus voluntatis intelligitur ab intellectu, & inquantum aliquis percipit se velle ; & inquantum cognoscit naturam hujus actus, & per consequens naturam ejus principii, quod est habitus, vel potentia.*

Ergo denuo sequitur, per intellectum posse cognosci, & cognosci de facto amorem, & resignationem, qui sunt actus voluntatis ; ac proinde, si in via interna habemt amor, & resignatio, cognoscetur ab intellectu : & consequenter falso docet Molinosius in prædicta Propositione, quod via interna sit illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio.

Confirmatur II. Vel anima devota in via interna (hoc est, ut diximus, in via orationis, & contemplationis juxta sensum Auctoris) habet illuminationem, & amorem ; vel non habet. Si habet ; ergo cognoscit hujusmodi dona, & actus se habere, juxta doctrinam S. Thomæ supra laudatam. Vel non habet ; ergo anima devota non procedit per viam internam, sive viam orationis, & contemplationis : cum ex S. Bonaventura in tractatu de Meditat.

ditat. Vitæ Christi cap. 50. in fine, *duo sint beatæ contemplationis excessus. In intellectu unus; alter in affectu: unus in lumine; alter in fervore: unus in agnitione; alter in devotione. Pius sane affectus, & pectus amore calens, & sanctæ devotionis infusio, & vehemens spiritus repletus zelo, non plane aliunde, quam ex cella vinaria reportantur.*

Dices. Si animæ internæ cognoscerent se habere amorem Dei, certo cognoscerent se esse in gratia. Atqui hoc repugnat Eccl. cap. 9. vers. 1. dicenti: *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit:* & Concilio Tridentino definienti sess. 6. cap. 9. de justificatione, ubi determinat, *quod nullus scire valet certitudine fidei, cui non possit subesse falsum, se gratiam esse consecutum.* Ergo animæ in via interna non cognoscunt amorem divinum, etiamsi illum habeant.

Ut respondeatur instantiæ, supponendum est, certitudinem formalem cognitionis de objecto dividi penes diversitatem motivi, cui in cognoscendo, & assentiendo intellectus innititur. Etenim motivum vel se habet ut causa, vel ut effectus per se rei cognitæ, cum scilicet modo scientifico procedimus; vel licet non se habeat tamquam causa, vel effectus per se rei cognitæ, est tamen extrinsecum Dei testimonium: in quo casu fundat certitudinem fidei, ita quod si totam Dei Ecclesiam respiciat, certitudinem Catholicam inferat; si autem personam particularem, certitudinem particularem. Ad certitudinem fidei, ortam ex divino testimonio, accedit certitudo theologica: quamquam enim unice divino testimonio non innitatur, procedit tamen ex una præmissa de fide, & altera naturali. Ex his omnibus motivis oritur certitudo metaphysica: quia implicat his suppositis in judicio, vel assensu intellectus falsitatem reperiri. Rursus non raro contingit, quod licet motivum judicandi, vel assentiendi non habeat vel essentialem, vel infallibilem cum objecto connexionem; magnam tamen dicat, ita ut dubitatio de opposito prudenter excludatur. Esto, oppositum non repugnet; & tunc habetur certitudo moralis, in qua duo reperiuntur gradus. Alius supremus in omnium hominum testimonio fundatus, quod licet falli possit, incredibile tamen est, cunctos vel per errorem, vel per ignorantiam in eo asserendo conspirasse: quo pacto certum est, Constantinopolim existere. Alius infimus ob plurium gravium hominum testimonia, præcipue ubi rationabile motivum non occurrit judicandi contrarium. Hæc tamen certitudo tanta non est, ut potestatem adimat dubitandi de opposito, si ad alia motiva reflectamus. Et ad hunc gradum reducitur certitudo, qua credimus nos esse sacro baptismatis fonte regeneratos.

Hoc supposito, respondemus objectioni, non omnes incedentes per viam internam, etiamsi cognoscant se amare Deum, secluso tamen divinæ revelationis privilegio, habere certitudinem cui repugnet subesse falsum, aut moralem in primo gradu, se esse in statu gratiæ, adeo ut actu, & habitu excludant formidinem in contrarium. Quilibet enim justus, etsi plurimum in via interna profecerit, ut loquitur Tridentinum loco citato, seipsum, suamque infirmitatem respiciens, de sua gratia formidare, & timere potest; immo quandoque etiam actu formidat. Unum præ cæteris afferimus S. Hilarionem, qui post egregia virtutum momenta, post vitæ cursum in via interna longa annorum serie traductum, post multa patrata miracula, morti proximus, Judicii divini horrore perterritus, contra ejusmodi formidinem ita conflictabatur: *Egredere, quid times? Septuaginta prope annis servisti Christo, & mortem times?* Solum ergo concedimus, justos incedentes per viam internam, gaudentes aliqua contemplatione supernaturali, habere posse certitudinem moralem se esse in statu gratiæ secundum infimum gradum, eo modo quo certo tenemus nos esse baptizatos; quæ certitudo, etsi potestatem dubitandi non adimat, excludit tamen actualem dubitationem, ut notavit Suarez lib. 9. de Relig. cap. 11. num. 3. & Joannes a S. Thoma, qui postquam asseruit, aliquos maximo studio Christianæ perfectioni vacare, & virtutem amoris, quo flagrant, ejusque fructus experiri, subdit: *Tales habent signa valde probabilia de sua gratia, vel omnia ista, vel aliqua illorum plus, & minus; & moraliter sunt certi de sua gratia, & salute, ut docet S. Thomas* 1. 2. *quæst.* 102. *art.* 5. Unde quemadmodum credens divina mysteria non habet certitudinem in gradu supremo, quod utatur in assentiendo iis habitu supernaturali; nec assensus supernaturalis eliciti, quia non habet propriam speciem supernaturalitatis repertæ in habitu fidei theologicæ; neque supernaturalis affectionis requisitæ ad actum fidei supernaturalem: ita ob eamdem rationem incedentes per viam internam, cognoscunt utique se amare Deum; sed propter defectum speciei supernaturalis habitus caritatis connexi cum gratia, non cognoscunt vel certitudine metaphysica, vel morali in primo gradu, se esse in statu gratiæ. Quam tamen certitudinem tam moralem in primo gradu, quam metaphysicam negare non possumus animabus ad sublimissimum saltem unionis gradum evectis, durante actuali unione fruitiva; vel ex speciali Dei revelatione, vel ex contactu, quo Deus animam dilectissimam suam sponsam amplexatur.

Quoad secundam vero partem Propositionis, ubi dicitur, *non oportet Deum cognoscere; & hoc modo recte proceditur;* est hæretica eadem Propositio: contradicit enim expresse Apostolo ad Heb. 11. ita scribenti: *Credere enim oportet accedentem ad Deum; quia est, & inquirentibus se Remunerator est:* & Christo Domino Jo. 17. ita loquenti: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.*

Confirmetur. Quia anima incedens per viam internam, vel diligit Deum; vel non diligit. Si diligit; ergo cognoscit aliquo modo illum, juxta textum Epistolæ I. Jo. cap. 4. ubi dicitur: *Omnis, qui diligit, ex eo Deo natus est, & cognoscit Deum: qui non diligit, non novit Deum.* Impossibile est enim amare id, quod non cognoscimus. Unde ait Augustinus lib. 10. de Trinit. cap. 1. *Rem prorsus ignotam amare omnino nullus potest.* Si ergo anima incedens per viam internam diligit Deum, necesse est, aliquo modo eum cognoscat. Si vero non diligit; ergo anima non incedit per viam internam. Cum enim hæc juxta sensum Auctoris sit via perfectionis Christianæ; hæc autem ex S. Thoma 2. 2. quæst. 184. art. 3. in corp. consistat in exercitio caritatis: si non habeatur exercitium caritatis, aperte ruet hæc via interna Molinosii. Ergo falso docet, quod in via interna non oporteat Deum cognoscere, & quod hoc modo recte procedatur. Immo oportet Deum cognoscere, ut ametur; & tunc recte proceditur, ut innuit S. Bonaventura de septem Itineribus æternitatis itin. 3. dist. 4. art. 1. dicens: *Tam in radioso lumine contemplationis speculativæ, quam in saporoso gustu contemplationis practicæ, oportet paulatim, & gradatim proficiendo ascendere, & ascendendo Deum cognoscere.* Quo nihil melius, ac clarius præferri poterat ad confutandam secundam partem prædictæ Propositionis Molinosticæ, ejusque pravum sensum aperiendum.

Ad hæc: S. Therese Magistra orationis ita loquitur de via interne in Itin. perfect. cap. 31. *Questa orazione è una scintilletta, che Dio comincia ad accendere in un' anima dell' amor suo, e vuole che l' anima vada conoscendo quest' amore con soavità. Quivi l' anima intende per una maniera molto differente dall' ordinaria, che già si trova appresso al suo Dio, e che con un pochetto più arriverrebbe a trasformarsi in lui per unione di amore. Questo non è, perchè lo veda cogli occhi del corpo, nè dell' anima: Dio glielo dà ad intendere, ancorchè ella non intenda, come l' intende; se non che si vede, e sente a canto il suo Re, e questa le cagiona tanta riverenza, che nè anche ardisce di chiedere cos' alcuna.* Et in Vita sua cap. 14. *Pretende Iddio per questa via, che l' anima intenda, che sua Maestà è tanto vicina ad essa, che già non è di mestiere inviarle Messaggieri, ma parlar lei medesima con esso lei; e non gridando, poichè sta sì vicino, che solamente col muover le labbra l' intende. E sebbene è certissimo, che Iddio sempre c' intende; vuole però questo Signore, che qui intendiamo, ch' egli c' intende, e quello che opera la sua presenza, e che vuole specialmente operare in quest' anima, sollevandola dalla sua miseria, e cominciando a darle quivi una sebben poca notizia de' gusti della gloria.* Ex quibus constat, quod in via interna cognoscatur, & habeatur lumen, amor, & resignatio quæ ab ipsis procedit, & cognoscatur Deus modo ineffabili in anima, & per ipsam animam. Unde evidenter infertur, quam falso docuerit Molinosius, quod via interna sit illa, in qua non cognoscatur nec amor, nec lumen, nec resignatio, & quod non oporteat Deum cognoscere.

S. Theresiæ Parenti addendus est illuminatissimus ejus Filius S. Joannes e Cruce, qui in Opusc. Flammæ amoris vivi Mans. 3. ita animam sponsam inducit in altissima contemplatione exclamantem:

O lampade di fuoco,
Nelli cui bei splendori,
Le profonde caverne del mio senso,
Che stava oscuro, e cieco,
Con istrani calori
Dan caldo, e luce insieme al loro amato.

Videatur explicatio laudati Cantici ibid. §. 5. ubi sic ait Sanctus. *Dio in questo stato è l' agente, che con particolarità infonde, ed insegna; e l' anima è quella, che riceve, dandole il Signor Iddio beni molto spirituali nella contemplazione: che sono notizia, ed amore divino insieme.* Ibidem subdit (verba non damus, ne longiores plus æquo simus) ac mirifice demonstrat & expendit illuminationem, & ardorem amoris, quem experiuntur animæ per viam internam incedentes. Unde denuo patet, quam fal-

so

so asseruerit Molinosius, quod in via interna non habeatur lumen, nec amor, nec resignatio, & quod ita recte procedatur; cum luculentissime constet ex tot tantisque momentis hactenus prolatis, quibus contradicere nefas omnino est, totum e contra evenire in hac via interna.

§. VI.

VII. *Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.*

QUia Molinosius in præcedenti Propositione non erubuit a via interna cognitionem luminis, amoris, & resignationis ablegare; pari audacia velut inconcussam veritatem nititur suadere, non oportere animam de quatuor Novissimis cogitare, sive præmium, sive pœnam, sive æternitatem concernant.

Propositio, ut jacet, est *male sonans, scandalosa, & hæresim sapiens.*

Falsitas hujus Propositionis aperitur tum ex Sacra Scriptura, tum ex Patrum, tum ex aliorum Sanctorum auctoritate, & exemplis. Eccli. 7. hortatur, quotquot sumus, Spiritus Sanctus ad recogitanda Novissima nostra, ad hoc ut peccata vitemus, dicens: *In omnibus operibus tuis memorare Novissima tua; & in æternum non peccabis.* Unde David de seipso testatur Psal. 76. v. 6. *Cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui, & meditatus sum nocte cum corde meo.* Et profecto SS. Patres sæpissime, & efficaciter nos admonent, ut Novissima nostra serio cogitemus, eo fine ut peccata vitemus, ac juste vivamus. Hinc S. Augustinus Serm. 39. de verbis Eccli. 2. *Ne tardes* (alias 13. ex 50. homiliis) cap. 1. sic effatus est: *Diem ultimum quisque salubriter cogitet. Misericordia Dei est, quia nescit homo, quando moriatur. Latet ultima dies, ut observentur omnes dies.* Idem Serm. 97. de verbis Evang. Marci 12. *De die autem illo* (alias 21. de Verbis Domini) cap. 1. scribit: *Fratres, unusquisque de novissimo suo die cogitet: ne forte cum senseritis, vel putaveritis longe esse novissimum sæculi diem, dormiatis ad novissimum vestrum diem.* Idem enarrat. in Psal. 36. Serm. 2. num 16. adhortans nos ad cogitationem æternæ beatitudinis, inquit: *Si vis sustinere laborem, attende mercedem. Ita fit, ut necessario temporalis sit tribulatio tua, quæ finita veniat ad felicitatem infinitam.* Demum hortando nos ad pœnas inferni meditandas Serm. 161. de verbis Apostoli cap. 4. ait: *Cogita, quomodo tremas, si tibi aliquis calumnietur, ne mittaris in carcerem: & tu ipse contra te male vivis, ut mittaris in ignem?*

Ad hæc apposite scribit S. Theresia cap. 15. suæ Vitæ, ubi advertit, animas etiam ad altissimam orationem a Deo elevatas aliquando debere Novissima recogitare, ut a peccatis abstineant, atque tentationibus vehementibus valide resistant. Verba ejusdem sanctæ Doctricis sunt: *Quanto uno si vedrà in più alto stato, tanto più ha da temere, e men fidar di se stesso. Vengono tal volta occasioni, nelle quali queste anime, che hanno posta tutta la loro volontà in Dio, per liberarsi dai pericoli d' offenderlo, e per non commettere un' imperfezione, si lascierebbono piuttosto tormentare crudelissimamente. e potirebbono mille morti. Dico dunque, che vengono tal volta occasioni, che per non far peccati, vedendosi combattute da gagliarde tentazioni, e persecuzioni, hanno bisogno di valersi delle prime armi dell' orazione, e tornare a pensare, che tutto finisce, e che vi è cielo, ed inferno, ed altre cose simili.*

En, quam clare S. Theresia sese opponit Molinosianæ positioni, atque instantiæ, qua fortasse ejusdem impius Auctor eludere posset prædictam S. Virginis doctrinam, asserendo scilicet, se in præsenti propositione non fuisse locutum de incedentibus per viam ordinariam meditationis, sed de animabus perfectis, & internis, atque a Deo ad divinam altissimam contemplationem elevatis; cum istæ quoque, juxta sensum laudatæ illuminatissimæ Magistræ orationis, aliquando & in quibusdam casibus recogitare debeant Novissima, ut a peccatis, ac tentationibus liberentur.

Digna quoque observatione existimo ad intentum nostrum, ea quæ docet Dionysius Carthusianus in Tractatu, quem inscribit Vitæ Spiritualis compendium, ubi art. 6. docet, non posse animam in hac vita assidue contemplationi vacare, unde debeat aliquibus divinis meditationibus quandoque incumbere; & ibidem articulis sequentibus affert veluti necessarias aliquando meditationes de quatuor Novissimis, scilicet Judicio, Morte, Inferno, & Paradiso, deque illorum utilitare pertractat. Quare semper constat magis evidenter falsitas damnatæ Propositionis Molinosianæ, qua ejusmodi pias, ac devotas meditationes excludit velut inutiles, ac inanes; adstruitque de Novissimis animam debere haudquaquam cogitare, incedentem per viam internam.

Concordat Parenti suæ illuminatissimæ sæpe laudatus Filius S. Joannes a Cruce in Ascensu montis Carmeli lib. 2. cap. ultimo §. *Tutta la dottrina*, ubi postquam docuisset, animam, quæ ad contemplationem a Deo fuerit elevata, vel per seipsam cum divinæ gratiæ adjutorio pervenerit ad contemplationem acquisitam, extra hujusmodi tempus exerceri debere in Meditatione; ita scribit: *Però fuori di questo tempo* (hoc est contemplationis infusæ, vel acquisitæ) *in tutti i suoi esercizj, atti, ed opere l' anima deve valersi delle memorie, e delle buone meditazioni, nella maniera che le recheranno maggior divozione, e profitto.* Et iterum lib. 1. Noctis obscuræ cap. 10. inquit: *Ma non vorrei, che di quà si cavasse regola generale di lasciare la meditazione, o il discorso. Che il lasciarle ha sempre da essere per più non potere, e solamente per il tempo, che o per via di purgazione, o di tormento, o per molto perfetta contemplazione il Signore l' impedirà: che in oltro tempo, ed occasione si deve sempre avere quest' appoggio, e riparo.*

Qua jam fronte, quove animo his adeo validis documentis convictus adstruere potest Molinosius, quod anima per viam internam incedens omnem seponere debeat cogitationem de Novissimis? Non video sane. Apage ergo cum ejusmodi putida doctrina in ultimas terras, ac subtus infernum ipsum, cujus meditationem hic prohibet impius Pseudo-Mysta.

§. VII.

VIII. *Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem resignata, necne: nec est opus, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil; sed debet ut corpus exanime manere.*

COhærenter ad doctrinæ superius adductæ perversitatem, hanc protulit Molinosius Propositionem, *periculosam, erroneam, & hæresim sapientem*, tres habentem partes: quarum prima est, quod anima non debeat velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, & an cum eadem voluntate resignata sit; secunda, quod animæ opus non sit, ut velit cognoscere suum statum, & proprium nihil; tertia demum, quod anima debeat tam in oratione, quam extra manere velut corpus exanime.

Confutatur prima pars hujus Propositionis auctoritate Apostoli scribentis ad Romanos cap. 12. *Nolite conformari huic sæculo; sed reformamini in novitate sensus vestri, ut probetis, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta:* & ad Ephes. 5. dicentis: *Ut filii lucis ambulate, probantes, quod sit beneplacitum Deo. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei.* Ex Apostolo itaque perfecti Christiani tenentur scire, quid velit Deus, quidve acceptum sit illi, atque intelligere, quæ sit voluntas Dei, ac videre, an cum illa gradiantur, eique conformentur, faciendo quod ipse præcipit, quodque ipsi gratum, acceptumque est, & vitando quæ prohibet, ipsique displicent. Ergo anima tenetur velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, & an cum eadem resignata maneat, necne; secus ac docet Molinosius in hac sua Propositione. Hinc S. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 10. in corpore inquit: *Voluntas humana tenetur conformari divinæ voluntati in volito formaliter.* Ergo renetur velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, & an cum eadem voluntate resignata sit.

Falsitas secundæ partis eruitur ex eodem Apostolo supra laudato, qui Ephesios cap. 5. admonet in hunc modum: *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus:* & ad Galat. 6. ita scribit: *Considerans teipsum, ne & tu tenteris.* Loquitur autem Apostolus ad perfectos Christianos; cum ibidem paulo ante dixisset: Vos, qui spirituales estis, debetis attendere, quomodo caute ambuletis non quasi insipientes, non cognoscentes statum vestrum; sed considerando vosmetipsos, prout faciebant Sancti, & viri perfecti. Hinc David de seipso testatur Psal. 118. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua:* & Job 13. ait: *Vias meas in conspectu ejus arguam.* Unde Gregor. lib. 25. Moral. cap. 7. dicit: *Vigilanti custodia ad interiora nostra residentes, profectus nostros, defectusque pensemus:* & Chrysostomus Homil. 1. in Psal. 50. ait: *Nihil est, quod sic quisque debeat cogitare, nisi ut in seipsum oculos conjiciat, se discat, se discutiat, se inspiciat, se quærat, ut se inveniat: & quod displicet, necet; & quod placet, optet, & plantet.* Demum Jeremias Thren. 3. vers. 1. considerabat proprium nihil, dicens: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus.*

Ex quibus adeo manifestis Scripturæ Sacræ, Sanctorumque Patrum testimoniis clare infertur, nos teneri cognoscere, & cogitare proprium statum, & proprium nihil, ut consulamus nostro profectui, & perfectioni, utque humilitatem sectemur.

Falsitas tertiæ partis prædictæ Propositionis, in qua adstrui-

struitur, animam debere ut corpus exanime manere, constat ex eo, quia licet animæ perfectæ speciali Dei & Spiritus Sancti motione agantur, juxta illud Apostoli ad Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei* : attamen ejusmodi motiones non solum non excludunt motus voluntatis, & liberi arbitrii, ita ut anima velut corpus exanime recipiat hujusmodi motiones divinas; verum hæ ipsæ motiones producunt in illa liberi arbitri actus, ac motus, juxta illud ad Philip. 2. *Deus operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Sicuti & bene docet S. Thomas in illud Epist. ad Rom. citatum dicens : *Circa primum duo consideranda sunt. Primo quidem quod aliqui aguntur spiritus Dei; & potest sic intelligi, quicumque spiritu Dei aguntur, sicut quodam ductore, & directore: quod quidem in nobis facit Spiritus Sanctus, inquantum illuminat nos interius, quid facere debeamus: Psal. 142.* „ Spiritus tuus bonus deducet me. “ *Secundum quod ille, qui ducitur, ex seipso non operatur. Homo autem spiritualis non tantum instruitur a Spiritu Sancto, quid agere debeat; sed etiam cor ejus a Spiritu Sancto movetur. Ideo plus intelligendum est in hoc, quod dicitur, Quicumque spiritu Dei aguntur : illa enim agi dicuntur, quæ quodam superiori instinctu moventur. Unde de brutis dicimus, quod non agunt, sed aguntur : quia a natura moventur, & non ex propria motu, ad suas actiones agendas. Similiter autem homo spiritualis non quasi ex motu propriæ voluntatis principaliter, sed ex instinctu Spiritus Sancti inclinatur ad aliquid agendum, secundum illud Isaia cap. 59.* „ Cum venerit quasi fluvius violentus, quem spiritus Dei cogit: “ *& Luc. 4. quod Christus agebatur a Spiritu in desertum. Non tamen per hoc excluditur, quin viri spirituales per voluntatem, & liberum arbitrium operentur : quia ipsum motum voluntatis, & liberi arbitrii Spiritus Sanctus in eis causat, secundum illud ad Philip. 2.* „ Deus est, qui operatur in nobis velle, & per- „ ficere. “ Sane nihil melius, ac clarius adduci poterat ad convincendum Molinosium falsitatis, & erroris tum in præsenti, quam hactenus impugnavimus, tum in aliis superioribus Propositionibus, in quibus temere ac perperam omnino docet, animam debere se totam, & totaliter in Deum effundere, ac postmodum velut corpus exanime permanere, quia Deus operari vult in nobis sine nobis; & alia non minus virulenta, quæ in secunda & quarta Propositione confutavimus.

§. VIII.

IX. *Non debet reminisci nec sui, nec Dei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.*

QUæ Propositio, ut jacet, est *scandalosa, perniciosa, erronea, & hæresim sapiens.*

Impugnatur quoad primam partem, in qua asseritur, non debere animam reminisci nec sui, nec Dei, ex Apostolo ita scribente ad Ephes. cap. 5. vers. 15. *Videte, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes* : idest, ut exponit Cornelius a Lapide, diligenter, circumspecte, accurate scientes, & cogitantes vos, vestraque omnia. Et ad Gal. 6. vers. 1. idem Apostolus : *Considerans teipsum, ne & tu tenteris*. Debet igitur ex Apostolica doctrina considerare seipsum homo, & vias suas, an recte ambulet coram Deo. Unde David seipsum inducit hujus rei testem, ita loquens ad Deum suum Psal. 118. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua* : & paulo post : *Anima mea in manibus meis semper*. Similiter Ezechias apud Isaiam cap. 38. dicebat : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Unde S. Bernardus de interiori domo cap. 6. instruendo animam devotam ait : *Redi ad cor tuum, & diligenter discute teipsum. Considera unde venis; quo tendis; quomodo vivis; quid agis; quid amittis; quantum quotidie proficis, vel quantum deficis : quibus cogitationibus magis incursaris; quibus affectionibus frequentius tangeris; vel quibus tentationum aculeis a maligna acrius impugnaris. Cum totum interioris exteriorisque hominis statum, & habitum, inquantum possibile est, plene cognoveris, & non solum qualis sis, verum etiam qualis esse debueras; de cognitione tui poteris sublevari ad contemplationem Dei. Quantum namque in cognitione proficis, tantum ad altiora semper tendis*. Hæc S. Bernardus consone ad doctrinam Sacræ Scripturæ contra Propositionem Molinosii. Cui ergo adhærendum? Absit, ut a luminis claritate obtutum avertentes ad hujus Sectaris tenebras convertamur. Iterum S. Bernardus in tractatu, inscripto, Octo punta per quæ pervenitur ad perfectionem, punto 8. ita scribit. *Propriam vitam ordina, mores tuos compone, teipsum judica, apud temetipsum accusa, & condemna, nec impunitum dimitte excessum. Tibi ipsi esto durus, numquam aliis. Mane præterita noctis fac a teipso exactionem, & futuræ diei tibi indicito cautionem. Vespere præterita diei rationem exige, & supervenientis noctis fac indictionem. Considera quantum proficias, quantum adhuc tibi restat itineris : grandis enim tibi restat via, antequam videatur Deus Deorum in Sion*. Vides, quantum adversetur mellifluus Doctor Molinostico errori, quo impius Pseudo-Mysta contendit, hominem non debere reminisci sui ipsius : perennem quippe sui memoriam laudatis in testimoniis apprime commendat.

Rursus, quod anima sui debeat reminisci, ac Deum cogitare, secus ac impius Molinosius in prædicta Propositione asseruit, ostenditur ex eo, quod scribit D. Petrus Epist. II. cap. 3. in hæc verba : *Crescite in gratia, & cognitione Domini nostri, & Salvatoris Jesu Christi*. Si ergo debemus crescere in cognitione Domini nostri Jesu Christi, persæpe reminiscamur necessum est Dei, & ejusdem Domini nostri, ac Salvatoris Jesu Christi. Hinc Moysi dictum legimus a Deo Genes. 17. *Ambula coram me, & esto perfectus* : hoc est, si vis esse perfectus, memento tibi præsentis Dei, ac jugiter coram eo gressus tuos dirige; cogita assidue eum, quemadmodum se cogitasse David testatur, de seipso Psal. 76. dicens : *Memor fui Dei, & delectatus sum, & exercitatus sum, & defecit spiritus meus.*

Mirifice hanc doctrinam confirmat S. Theresia in suis monitis pro oratione, in fine Operum ejusdem Sanctæ n. 10. ubi ita scribit ad intentum nostrum : *Per molto approffittata che sia un'anima, e per molt'alta orazione, che abbia, non si dimentichi mai d'esercitarsi nel proprio conoscimento : perchè questa è il pane, con cui si hanno a mangiare tutte le vivande, per delicate che siano, in questo cammino dell'orazione, e senza questo pane non si potrebbe l'anima sostentare. Ma non perciò si deve sempre attendere a questo con dimenticarsi di considerare Iddio; anzi considerandola, considererà uno meglio sa stessa: attesa che mirando le perfezioni di Dio, intendiamo meglio i nostri mancamenti, ed imperfezioni, siccome il bianco appresso il neco apparisce più bianco. Oltre a questo, perchè il nostro intelletto, e la nostra volontà si nobilitano, e stanno più preparati per tutti i beni, rivolgendosi dal conoscimento di Dio a se stessi. E se non usciamo mai dal fango delle nostre miserie, sempre andrà la corrente intorbidata di vani timori, pusillanimità, e codardie, e all'anima ne verrà gran danno*. Quantum vero doctrina hæc contraria sit Molinosticæ assertioni, quam impugnamus, nemo non videt.

Quoad secundam vero Propositionis partem, in qua propugnat Molinosius, quod omnis reflexio in via interna sit nociva, etiam reflexio ad humanas suas actiones, & proprios defectus; non minus erroris, ac falsitatis convincitur. En Syllogismus. Reflexio ad proprias actiones, & suos defectus multum nobis in Scriptura Sacra commendatur; ut constat ex Apostolo ad Ephes. 5. & ad Galat. 6. Atqui Scriptura non potest nobis commendare aliquid noxium. Ergo reflexio ad proprias actiones, & defectus non est nociva. Major est per se nota ex Scripturis supra adductis. Minor est de fide certa. Consequentia est legitima.

Confirmatur ex eo, quod Apostolus fatetur, se habuisse reflexiones ad suas actiones, & ad proprios defectus. Unde scribit I. ad Cor. 15. *Ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, quia persecutus sum Ecclesiam Dei* : & iterum ait : *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi : in reliquo reposita est mihi corona justitiæ*. Vel ergo hujusmodi reflexiones Apostoli supra seipsum fuerunt nocivæ; vel non. Primum dici non potest absque insigni blasphemia in S. Paulum. Ergo secundum omnino dicendum est: ac proinde non omnis reflexio erit nociva; reflexio nempe ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.

Eleganter quoque, ac satis nervose ad casum nostrum disserit Angelicus Doctor 2. 2. quæst. 54. art. 4. ubi firmat, inconsiderationem esse peccatum, in hæc verba : *Defectus recti judicii ad vitium inconsiderationis pertinet; prout scilicet aliquis in recte judicando deficit, ex hoc, quod contemnit, vel negligit attendere ea, ex quibus rectum judicium procedit. Unde manifestum est, quod inconsideratia est peccatum*. Ex quo sic argui potest. Tantum abest, quod omnis reflexio sit nociva, etiam ad suas actiones humanas, & proprios defectus; quin potius inconsideratio actuum ejusmodi, & defectuum aliquando est peccatum. Ergo non omnis reflexio erit nociva, etiamsi ad suas humanas actiones, & proprios defectus dirigatur. Rursus idem S. Thomas 2. 2. quæst. 82. art. 4. in corp. docet, reflexiones ad proprios defectus disponere ad devotionem. Unde scribit ibidem : *Secundario vero causatur devotio ex consideratione propriorum defectuum. Nam hæc consideratio pertinet ad terminum, a quo homo per motum voluntatis humanæ recedit; ut scilicet non in se existat, sed Deo se subdat. Hæc autem consideratio per se quidem nata est tristitiam causare, recogitando proprios defectus; per accidens autem lætitiam, propter spem divinæ*

sub-

subventionis. Si ergo reflexio ad proprios defectus aliquando in nobis causat veram devotionem; falsum omnino erit, quod omnis reflexio ad eosdem defectus animæ sit nociva. Iterum S. Thomas ibid. quæst. 161. art. 1. ad 1. docet, reflexionem ad proprios defectus esse actum virtutis humilitatis. Unde inquit: *Dupliciter sumi potest humilitas. Uno modo ex principio extrinseco; puta, cum aliquis ab alio dejicitur: & sic humilitas est pœna. Alio modo ex principio intrinseco, cum aliquis considerans suum defectum, tenet se in infimis secundum modum suum; sicut Abraham dixit ad Dominum Genes.* 18. „ Loquar ad Do„ minum meum, cum sim pulvis, & cinis: " *& hoc modo humilitas ponitur virtus*. Demum clarius art. 2. sequenti ait: *Ad humilitatem proprie pertinet, ut aliquis reprimat seipsum, ne feratur in ea, quæ sunt supra se. Ad hoc autem necessarium est, ut aliquis cognoscat id, in quo deficit a proportione ejus, quod suam virtutem excedit: & ideo cognitio proprii defectus pertinet ad humilitatem, sicut regula quædam directiva appetitus*. Quod si reflexio ad proprios defectus est actus humilitatis, ut fuse ostendimus modo ex S. Thoma; quomodo eadem reflexio poterit esse animæ nociva? Videat ergo Molinosius, quam inconsequenter procedat.

§. IX.

X. *Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi: & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.*

ERrores ingeminans hic Molinosius non arbitratur necessarium ad proprios defectus reflectere, etiamsi alios scandalizent, dummodo absit voluntas aliis scandalum afferendi: immo ad proprios defectus non posse reflectere, adscribit gratiæ Dei.

Propositio, ut jacet, est *scandalosa, perniciosissima in praxi, Christianæ disciplinæ relaxativa, blasphema, erronea, & hæresim sapiens respective*. Impugnatur quoad primam partem ex Sacra Scriptura; qua edocemur, non solum non debere nos expressam habere voluntatem scandalizandi proximum; verum etiam ea vitare, ex quibus in pusillis scandalum posset suboriri. *Væ mundo a scandalis*: inquit Christus Matth. 18. & cap. 26. ejusdem: *Væ homini illi, per quem scandalum venit*. De pusillis vero loquens, quanti momenti res sit eis scandalum afferre, explicat Marci 9. vers. 41. *Quisquis scandalizaverit unum ex his pusillis credentibus in me: bonum est ei magis, si circumdaretur mola asinaria collo ejus, & in mare mitteretur*. Nec dissentit Apostolus scribens ad Rom. cap. 14. in hanc modum: *Hoc judicate, ne ponatis offendiculum fratri, vel scandalum*: & I. ad Corinth. 8. *Videte, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis . . . . . Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum scandalizem*. Audiamus S. Joannem Chrysostomum ita hæc postrema verba Apostoli exponentem: *Hoc Magistri*, inquit, *optimi est officium, suo exemplo docere, quæ præcipit. Et non dicit, sive juste, sive injuste; sed quomodocumque. Et non dico, inquit, idolothytum, quod & propter aliam causam prohibetur: sed si quod licet, & permittitur, scandalizat, etiam illo abstineo; neque una, aut altera die, sed toto vitæ tempore. Non enim manducabo, inquit, carnes in æternum. Et non inquit, ne perdam fratrem; sed simpliciter, ut non scandalizem. Etenim ultimæ amentiæ est, quæ Christo pretiosissima sunt, & talia, ut eorum gratia mortem obire non recusaverit, ita nos despicatissima arbitrari, ut escis propterea non abstineamus*. Ergo quantumvis non adsit voluntas expressa scandalizandi; si nostris defectibus alios scandalizamus, peccabimus peccato scandali.

Impugnatur II. auctoritate S. Thomæ 2. 2. quæst. 43. art. 1. ad 4. ubi ait: *Dicendum, quod dictum, vel factum alterius potest esse dupliciter alteri causa peccandi. Uno modo per se; alio modo per accidens. Per se quidem, quando aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere: vel etiamsi ipse hoc non intendat, & ipsum factum est tale, quod de sui ratione habet, quod sit inductivum ad peccandum; puta, cum aliquis publice facit peccatum, vel quod habet similitudinem peccati. Et tunc ille, qui hujusmodi actum facit, proprie dat occasionem ruinæ: unde vocatur scandalum activum*. Ex qua doctrina hoc conficitur argumentum. Aliud est esse causam scandali, aliud est esse occasionem scandali. Ille, qui verbo, vel facto intendit ruinam proximi, dicitur causa scandali; ille vero, qui non intendit, nec vult ruinam proximi, attamen facit, aut dicit aliquid, quod ex se inducit ad peccandum, dicitur esse occasio ruinæ proximi. Atqui in utroque casu peccatur peccato scandali activo, ut docet S. Thomas loco citato. Ergo licet aliquis non habeat voluntatem scandalizandi, si propriis actibus de se inductivis ad peccandum, proximum scandalizet, peccabit peccato scandali. Confirmatur: quia faciens actionem ex natura sua scandali inductivam, etiamsi non habeat voluntatem explicitam scandalizandi, habet voluntatem implicitam, si advertat, vel advertere debeat ad scandalum, quod ex tali actione est subsecuturum. Atqui dum adest voluntas scandalizandi proximum propriis defectibus, tenemur ad proprios defectus reflectere; ut fatetur ipsemet Molinosius in prædicta Propositione. Ergo etiam dum propriis defectibus proximum scandalizamus, tenebimur ad proprios defectus reflectere. Nam ex S. Thoma ibid. art. 6. *illud, quod inordinate fit, vel dicitur, natum est inducere ad ruinam proximum*. Et ita sentiunt communiter omnes Theologi.

Deinde confutatur Propositio quoad secundam partem, ubi adstruitur, quod ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei sit: quæ prima fronte se prodit blasphemam in Deum, quasi ipse det gratiam ad hoc, ut reflectere ad proprios defectus non possimus, cum e contra S. Thomas 1. 2. quæst. 111. art. 3. doceat, *gratiam a Deo nobis dari nonnisi quam ad quinque effectus. Quorum primus est, ut anima sanetur; secundus, ut bonum velit; tertius est, ut bonum, quod vult, efficaciter operetur; quartus, ut in bono perseveret; quintus est, ut ad gloriam proveniat*. Ex quibus sic argui potest contra Molinosium. Gratia Dei non datur a Deo, nisi ad bonum; ut patet ex S. Thoma nuper citato. Atqui non posse reflectere ad proprios defectus, non est bonum, immo inducit privationem considerationis, atque cessationem reflexionis; quæ si daretur, auferrentur plures defectus, qui in materia morum ad animarum perniciem possent suboriri: quamobrem merito dicebat Jerem. cap. 12. vers. 11. *Desolatione desolata est omnis terra, quia non est, qui recogitet corde*. Rursus ex gratia Dei habemus, ut a nostris defectibus purgemur, juxta S. Thomam Part. I. quæst. 106. art. 2. ad 1. ubi ait: *Quia Deus illuminat immutando intellectum, & voluntatem; purgat a defectibus intellectus, & voluntatis; & perficit in finem intellectus, & voluntatis*. Ergo non posse reflectere ad proprios defectus, non erit gratia Dei. Demum idem S. Doctor 2. 2. quæst. 82. art. 3. in corp. ad nostrum intentum ait: *Meditatio est causa devotionis, inquantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio: ad quod quidem inducit ex parte hominis consideratio suorum defectuum; ex quibus indiget, ut Deo innitatur secundum illud Psal.* 120. „ Levavi oculos meos in mon„ tes, unde veniet auxilium mihi, auxilium meum a „ Domino, qui fecit cælum, & terram. " *Et hæc consideratio excludit præsumptionem, per quam aliquis impeditur, ne Deo se subjiciat, dum suæ virtuti innititur*. Ex quibus sic argui potest contra Molinosii Propositionem. Consideratio propriorum defectuum facit, quod quis acquirat devotionem, seque tradat divino obsequio, & abigat præsumptionem. Ergo nequaquam dici poterit sine blasphemia, quod non posse reflectere ad proprios defectus, sit gratia Dei.

§. X.

XI. *Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non opus est reflectere.*

REflexionum inimicus Auctor harum Propositionum, ad pacandam suorum Ascetarum conscientiam, non solum in antecedente Propositione necessitatem earum exclusit, ubi actiones, citra expressam operantis intentionem, cæteris fidelibus scandalum afferrent; immo eamdem doctrinam nunc extendit ad dubia occurrentia, an recte in via interna procedatur.

Propositio, ut jacet, est *scandalosa, & perniciosa in praxi*.

Ejus falsitas aperitur primo ex eo, quod docet Apostolus ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*. Quod ita exponit Tirinus ex SS. Joanne Chrysostomo, Theophilacto, aliisque Patribus: *Quo quis censeat tale, sibi hic, & nunc licere, & recte procedere, & agere, nec Deum offendere; alias peccatum est*. Sed occurrentibus dubiis in via interna, an recte procedatur, si non esset necessarium ad ea reflectere, non operaretur quis ex conscientia, dictante ea hic & nunc sibi licere, & per consequens non peccare. Ergo occurrentibus dubiis, an recte procedatur in via interna, opus est reflectere; alias peccatum vitari non posset. Accedit id, quod ait idem Apostolus ad Ephes. 5. *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes. Propterea nolite fieri imprudentes; sed ut intelligentes, quæ sit voluntas Dei*. Imprudenter autem, & insipienter homo se gereret, si, occurrentibus dubiis in via interna, ad ea reflectere negligeret; iisque persistentibus, an recte pro-

procederet, adhuc iter prosequi auderet, non pacata conscientia.

Secundo, non reflectens ad dubia occurrentia in via interna exponeret se peccandi periculo: sed se exponens peccandi periculo, peccaret: ergo falsum est, quod ad dubia, quæ occurrunt in via interna, an recte procedatur, necne, non sit opus reflectere. Major est certa: quia non reflectens ad dubia, quæ occurrunt in via interna, iis adhuc in suo robore persistentibus, adhuc a tali modo procedendi, vel a mediis ad incedendum susceptis non recederet. Minor probatur Eccl. 3. vers. 27. *Qui amat periculum, peribit in illo*. Unde S. Thomas Quodlib. 3. art. 9. ad 3. *Quicumque*, inquit, *non cavet pericula, videtur contemnere id, cujus detrimentum pericula inducere possunt*. Clarius idem tradit Quodlib. 8. art. 13. peccandi rationem assignans: *Ex conscientia aliquis obligatur ad peccatum vitandum, sive habeat certam fidem de contrario ejus, quod agit; sive etiam habeat opinionem cum aliqua dubitatione*. Hinc, relicta Theologis alea disputandi, num licitum sit in materia morali sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori; certissimum est apud omnes Doctores, numquam licitum esse operari cum conscientia practice dubia. Ergo peccat se exponens peccandi periculo, seu non reflectens ad dubia, quæ occurrunt, an in via interna recte procedatur, necne.

Tertio, ex Sacris Canonibus, in quibus non tantum consulitur, quin & præcipitur versantibus in dubiis in materia morali, ad evitandum æternæ salutis periculum, ut ita se gerant, ac si essent criminum rei, eisdemque pœnis Ecclesiasticis subjacerent. In cap. *Illud*, Extra de Clerico excommun. ministr. deponendus dicitur Episcopus, qui anceps, an in excommunicationem latæ sententiæ incidisset, nec tamen pro excommunicato se gessisset, non abstinendo a divinis: in cap. *Dominus* de secund. nupt. statuitur, mulierem de morte prioris dubitantem, debitum a secundo marito exigere non posse: & in cap. *Significasti*, Extra de homicid. habetur, Sacerdotem, occurrente dubio de homicidio ab ipso patrato, quantumvis aperiri non posset, ex cujus ictu percussus interiisset, tamquam homicidam reputandum: *Quod si discerni non possit, ex cujus ictu percussus interiisset, in hoc dubio tamquam homicida haberi debet, Sacerdos, etsi forte homicida non sit*.

Dices cum Molinosio. Quilibet est in possessione suæ libertatis, & famæ. Occurrentibus autem dubiis, an recte procedatur in via interna, non debet hac possessione privari, judicando se culpabilem, aut nexu obligationis innodatum, ad occurrentia dubia reflectendo; conformiter ad Regulam juris: *In pari causa melior est conditio possidentis*: l. *Res alien.* cap. de rei vendit. & l. *Sive autem* §. *de duobus*. Eamdem regulam habere locum in materia justitiæ, & in materia aliarum virtutum, docent Suarez de Relig. tom. II. lib. 4. de voto cap. 5. n. 6. Henriquez in Summa lib. 8. cap. 3. Ergo verum erit, ambulantem per viam internam non teneri ad dubia occurrentia reflectere, an recte procedatur.

Respondeo, in dubiis non eodem modo loquendum esse in materia justitiæ in ordine ad aliud in foro contentioso, ac in materia virtutum, & in ordine ad seipsum in foro conscientiæ. Et quidem in materia justitiæ, & in ordine ad aliud habere locum potest, quod in dubiis melior sit conditio possidentis; ideoque cum jura partium sunt obscura, reo favendum est potius, quam actori: Cap. *Cum sicut partium* de Reg. jur. in 6. Et quod actore non probante absolvendus est reus; nemo quippe præsumitur malus, donec probetur: id pariter verum est, etiamsi agatur extra forum contentiosum in ordine ad aliud; quia (ut loquitur S. Thomas 2. 2. quæst. 60. art. 4. in corp.) *ubi non apparent manifesta indicia alicujus malitiæ, debemus eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando, quod dubium est*. In materia vero virtutum, & in ordine ad se, locum non habet ea regula: *Melior est conditio possidentis*: quia nemo in sua possessione a seipso turbatur, nec de illa secum contendit, aut litem excitat; nec quisquam (ut notat Vasquez 1. 2. disp. cap. 34.) potest contra Deum opponere, quod melior sit conditio possidentis. Et ideo Gloss. in cap. unic. in verbo Æstimare, *An quis in dubio præsumatur culpabilis, necne?* inquit: *Generale est, ut ubi vertitur periculum animæ, præsumatur in deteriorem partem*. Quamobrem licet in dubio, an quis sit irregularis, nequeat in foro contentioso ut talis absolute declarari; in foro tamen conscientiæ de irregularitate dubitans, debet seipsum irregularem judicare, & ab altaris ministerio abstinere. Hinc dubia occurrentia in via interna, an recte procedatur, cum concernant forum conscientiæ in ordine ad se in materia virtutum; urget obligatio ad ea reflectendi, ut æternæ salutis periculum evitetur. Quemadmodum egisse novimus regium Prophetam Psal. 118. v. 59. *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua: hoc est, ut exponit S. Hieronymus apud Tirinum: Cogitavi, & expendi, quæ, & quales essent viæ meæ, quas hucusque ambulavi*.

§. XI.

XII. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso; nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet*.

POst intellectus reflexiones omnino abjiciendas occurrentibus dubiis, an in via interna recte procedatur, necne, per subsequentes Propositiones Divinæ voluntati excogitatam resignationem exponit. Si liberum arbitrium Deo donatum absolute, & nihil aliud perceperis; Catholicam dixeris conformitatem, Sacræ Scripturæ, Patrum auctoritatibus innixam. Si modum exponendi hanc excogitatam resignationem expenderis; errorem Beguardorum repereris, & Auctorem per mollitos super oleum sermones jacula vibrantem, ut sagittet in obscuro rectos corde. Et ne minimum dubium de hoc supersit, attende, quid primo doceat. Animam per viam internam ambulantem debere omnem curam, & sollicitudinem abjicere cujuscumque rei, post resignatum Deo liberum arbitrium, etiam Paradisi, & Inferni; nec habere propriæ perfectionis, virtutum, sanctitatis, & propriæ salutis desiderium, cujus spem debeat purgare. Et ideo Propositio, ut jacet, *est hæresim sapiens, damnata in Concilio Viennensi inter errores Beguardorum, errore 6. & in Concilio Tridentino sess. 6. can. 26. & 31. respective, etiam cum dicta expositione*.

Impugnatur primo hæc Propositio ex Matth. cap. 6. *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus*. Quibus verbis omnes, & singuli Christifideles, etiam ambulantes per viam internam jubentur omnem curam, & sollicitudinem impendere ad regni cælestis assecutionem. Unde S. Augustinus lib. 2. de Serm. Dom. in Monte inquit: *Quid intersit inter bonum quod appetendum est, & necessarium quod sumendum est, hac sententia declaratur, cum ait:* „Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus, „& hæc omnia apponentur vobis.“ *Regnum ergo, & justitia Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia facimus, quæcumque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire possimus, quæ vita sine his necessariis agi non potest; apponentur vobis hæc, inquit, sed vos regnum Dei, & justitiam ejus primum quærite*. Quid est autem justitia Dei, quam una cum salute æterna desiderare, & quærere debeamus a Deo, nisi sanctificatio nostra, perfectio nostra, & justificatio nostra? Unde Tridentinum sess. 6. cap. 7. ita docet: *Unica formalis causa justificationis nostræ est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit; qua scilicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed vere justi nominamur, & sumus, justitiam recipientes unusquisque suam, secundum mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis, prout vult, & secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*. Ergo curanda nobis est, ac procuranda nostra æterna salus, Infernus fugiendus, atque inquirendus toto conatu Paradisus, necnon propria sanctificatio, ac perfectio, quæ ad illum conducit, totis viribus comparanda. *Ne terreamini* (inquit Christus Luc. 12. vers. 4. & 5.) *ab his, qui occidunt corpus, & post hæc nihil amplius habent, quid faciant: timete potius eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete*. En, quantum nobis cælestis Magister gehennæ timorem commendat. Ad sectandam vero toto nisu Christianam perfectionem suo exemplo nos inducit Apostolus ad Philipp. cap. 3. dicens: *Ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus*. Unde testatur de seipso idem Paulus, quod concupierit, atque curarit æternam suam salutem, aliisque omnibus perfectis idem desiderium inesse peroptarit I. ad Corinth. 9. in hæc verba: *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis: illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam*. Perpensis ejusmodi testimoniis Christi & Apostoli Pauli, quæso, quis non deprehendet palpabilem errorem Molinosii, dum adstruit, de nulla re curandum esse, nec de Inferno, nec de Paradiso; immo hujus spem nobis purgandam? Sed amplius redarguamus illum ex iis, quæ idem Paulus scribit Epist. cit. cap. 2. dicens: *Carissimi, cum metu, & tremore vestram salutem operamini*. Si debemus cum metu, & tremore nostram salutem operari, proculdubio curandum nobis erit de Inferno, ac de Paradiso: primus fugiendus; secundus totis viribus promovendus. Nec dissentit a Collega suo D. Petrus Epist. II. cap. 1. ita scribens:

Fratres, satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Quid ad hæc ait Molinosius? Si necessum est nos satagere, ut per bona opera certam nostram faciamus electionem ad gloriam; profecto spem propriæ salutis purgare nec possumus, nec debemus.

Verum redeamus jam ad Evangelium D. Matthæi, in quo Christus nos axpressius hortatus ad perfectionis, aa sanctitatis studium sectandum, ita dicens cap. 5. vers. 48. *Estote perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Nusquam jam tergiversari potarit Molinosius. At clarius adhuc loquitur D. Paulus ad Philipp. 4. dicens: *De cætero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitate. Quæ & didicistis, & audistis; hæc agite.* Quibus consonat Augustinus Serm. 161. da Verbis Apostoli, alias 15. cap. 15. in hæc varba: *Dicitis, Quid est ambulare? Breviter dico, Proficere; ne forte non intelligatis, & pigrius ambuletis. Proficite, fratres mei, discutite vos semper sine dolo, sine adulatione, sine palpitatione . . . . . Semper adde, semper ambula, semper profice: noli in via remanere, noli retro redire, noli deviare. Remanet, qui non proficit; retro redit, qui ad ea revolvitur, unde jam abscesserat.* Debemus ergo fovere desiderium propriæ perfectionis, aa sanctitatis, eamqua adipisci & divinis, & Apostolicis admonitionibus obligamur. Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 2. ad 2. docat, omnes ac singulos teneri, quantum possunt, Christianam perfectionem acquirere. *Dicendum*, inquit, *quod sicut diligere Deum ex toto corde tenentur omnes, est tamen aliqua totalitas perfectionis, quæ sine peccato prætermitti non potest; alia autem, quæ sine peccato prætermittitur, dum tamen desit contemptus: ita etiam omnes tam Religiosi, quam sæculares tenentur aliqualiter facere, quidquid boni possunt. Omnibus enim communiter dicitur Eccl. 9.* „ Quodcumqua potest manus tua, instan„ ter operare. “ *Est tamen aliquis modus hoc præceptum implendi, quo peccatum vitatur; scilicet si homo faciat, quod potest, secundum quod requirit conditio sui status, dummodo contemptus non adsit agendi meliora, per quem animus firmatur contra spiritualem profectum.* His egregie S. Thomas eludit Molinosticam doctrinam, qua non modo assecutio perfactionis, ac sanctitatis; verum & ipsum desiderium ejusdem perperam axcluditur.

§. XII.

XIII. *Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.*

Recipiunt communitar Theologi conformitatem hominis divinæ voluntati, per quam omnia, sive prospera sint, sive adversa, de manu Domini suscipiantur; ut legimus in Sacra Scriptura de Abraham, Job, & Davide. In quo statu tantum abest, quod cooperatio liberi arbitrii axcludatur; quin potius necesse ast, ut homo per virtutum exercitia ad æternæ salutis assacutionem anhelet. Sed quam divarsa sit rasignatio, quam per liberi arbitrii otiositatem in via interna introducere conatur Molinosius, ax haa Propositione clare dignoscitur, ubi asserit, ita Deo relinquendam assa curam de omni re, ut faciat in nobis sina nobis suam divinam voluntatam.

Propositio, ut jacet, ast *periculosa, erronea, & sapiens hæresim.*

Prævie ad impugnationem hujus Propositionis supponendum est, operationes, seu actus in homine esse duplicis generis: alios, qui dicuntur humani; alios vero, qui dicuntur hominis. Actus humani dicuntur, qui procedunt ab homina (ut tradit S. Thomas 1. 2. quæst. 1. art. 1.) per liberum arbitrium, & rationem deliberativam; cum homini conveniant, quatanus homo est, seu quatenus in operando ab irrationalibus distinguitur. In operando autem distinguitur ab irrationalibus, quatenus agit cum libertate, & dominio suorum actuum: ideoque liberum hominis arbitrium definitus facultas voluntatis, & rationis. *Si quæ autem*, inquit S. Thomas, *aliæ rationes homini conveniant, possunt dici actiones hominis, sed non propriæ humanæ.* Ex quo habes, quinam sint actus hominis: qui scilicet non procedunt ab homina, quatenus homo est; cujusmodi sunt nutritio, vegetatio, & motus primo primi.

Hoc supposito, impugnatur Propositio. Si per resignationem liberi arbitrii Deo factam, Deus faceret in nobis sine nobis suam voluntatem, excluderatur cooperatio liberi arbitrii ab operationibus humanis, tam naturalibus, quam supernaturalibus. Sed hoc sustineri non potest. Ergo per resignationem liberi arbitrii Deo factam, non ita Deo cura de omni re nostra est relinquenda, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem. Major est certa. Minor probatur. Isaiæ 26. *Omnia opera nostra operatus es, Domine.* Jamvaro si opera nostra Deus operatur, non axcludetur ab iis liberi arbitrii cooperatio; alias opera nostra non essent. Rursus, liberum arbitrium essat titulus sine re, quod art. 31. damnavit Leo X. Constit. incip. *Exsurge Domine*, contra Lutherum edita sub die 15. Jun. MDXVII. & subinde Tridentinum sess. 6. can. 5. *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, & vocanti, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere; anathema sit.* Atqui si Deus in operationibus supernaturalibus divinam suam voluntatem faceret in nobis sine nobis, quemadmodum propugnat Molinosius in prædicta Propositione, liberum arbitrium non cooperaretur Deo, sed velut inanime quoddam nihil omnino ageret, merequa passive se haberet; quod est hæreticum, ut vidimus. Ergo Deus divinam suam voluntatam non facit in nobis sine nobis; immo Deus per suam operationam movet nos ad suam divinam faciendam voluntatam. Hinc Ezechiel. 36. ait Dominus: *Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea custodiatis, & operemini.* Inde passim in Scriptura Sacra dicitur, nos ipsos divinam facere, & adimplere voluntatem; ut Matth. 12. ait Christus Dominus: *Qui fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse meus frater, soror, & mater est*: & Jo. 2. *Qui facit voluntatem Dei, manet in æternum:* David quoqua fatetur sa facare divinam voluntatam Psal. 39. dicens: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam:* & Psal. 142. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Ergo Deus in nobis sine nobis non exequitur suam divinam voluntatem; immo in nobis operando facit, quod nos suam axequamur voluntatem, voluntate nostra libere concurrente. Unde inquit S. Thomas Part. 1. quæst. 105. art. 4. ad 3. *Si voluntas ita moveretur a Deo, quod ex se nullatenus moveretur, opera voluntatis non imputarentur nobis ad meritum, vel demeritum. Sed quia per hoc, quod voluntas movetur a Deo, non excluditur, quia moveatur ex se: ideo per consequens non tollitur ratio meriti, vel demeriti.* Ex quibus sic argui potest contra Molinosium. Quando, resignato Deo libero arbitrio nostro, Deus facit in nobis sine nobis divinam suam voluntatam, vel meremur in hujusmodi operationibus supernaturalibus, vel non meremur. Si meremur; ergo Daus non axequitur in nobis sine nobis divinam suam voluntatam: quia ad hoc concurrat necessum est nostra voluntas, ut ait S. Thomas. Si non meremur; ergo bona opera, quæ in Deo, & a Deo in nobis fiunt, non sunt maritoria: quod est hæreticum, teste Tridentino sess. 6. can. 26. *Si quis dixerit, justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare, & sperare æternam retributionem a Deo; anathema sit.*

Hæc omnia mirifice illustrat S. Thomas Opusc. 3. ubi exponens ea verba orationis Dominicæ, *Fiat voluntas tua*, liberi arbitrii cooperationam cum divinæ gratiæ adjutorio ita componit. *Notandum*, inquit, *quod ex modo loquendi datur nobis doctrina. Non enim dicit, Fac; nec etiam, Faciamus: sed dicit, Fiat voluntas tua, quia ad vitam æternam duo sunt necessaria; scilicet gratia Dei, & voluntas hominis. Non ergo præsumas de te, sed confidas de gratia Dei; nec negligas, sed adhibeas studium tuum. Et ideo non dicit, Faciamus; ne videretur, quod nihil faceret gratia Dei: nec dicit, Fac; ne videretur, quod nihil faceret voluntas, & conatus noster: sed dicit, Fiat, per gratiam Dei, adhibito studio, & conatu nostro.* Qua profecto Angelici Præceptoris doctrina conteritur Molinosii, aliorumque Quietistarum perversa resignatio, quam sine proprio studio, ac sollicitudine habari, exarcerique comminiscuntur.

Confirmantur hæc ex eo, quia si Deus in nobis sine nobis faceret suam divinam voluntatem in operibus supernaturalibus, sequeretur, bona opera ita asse dona Dai, ut non essent bona ipsius quoque hominis justificati: atque hoc tamquam hæreticum pariter proscriptum fuit in Tridentino ibid. can. 32. his verbis: *Si quis dixerit, hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; anathema sit.* Consequenter ad hæc S. Thomas motionem divinam, qua Deus præmovet nos ad suam voluntatem axequendam in operibus supernaturalibus, distinguit in gratiam operantem, & cooperantem: quatenus ita movet nos ad suam divinam voluntatem adimplendam, quæ dicitur gratia operans; ut tamen faciat nos ipsos cum adjutorio gratiæ suæ voluntatem suam exequi, quæ dicitur gratia cooperans. Verba S. Thomæ habes 1. 2. quæst. 111. art. 2. in corp. ubi sic inquit: *Dicendum, quod gratia dupliciter potest intelligi. Uno modo divinum auxilium, quo nos Deus movet ad bene volendum, & agendum; alio modo habituale donum nobis divinitus inditum. Utroque autem modo gratia dicta convenienter dividitur in operantem, & coope-*

cooperantem. Operatio enim alicujus effectus non attribuitur mobili, sed moventi. In illo ergo effectu, in quo mens nostra est mota, & non movens, solus autem Deus movens, operatio Deo attribuitur: & secundum hoc dicitur gratia operans. In illo autem effectu, in quo mens nostra & movet, & movetur, operatio non solum attribuitur Deo, sed etiam animæ: & secundum hoc dicitur gratia operans. Est autem in nobis duplex actus. Primus quidem interior voluntatis: & quantum ad istum actum voluntas se habet ut mota, Deus autem ut movens; & præsertim cum voluntas incipit bonum velle, quæ prius malum volebat. Et ideo secundum quod Deus movet humanam mentem ad hunc actum, dicitur gratia operans. Alius autem actus est exterior, qui cum a voluntate imperetur, consequens est, quod ad hunc actum operatio attribuatur voluntati. Et quia etiam ad hunc actum nos Deus adjuvat & interius confirmando voluntatem, ut ad actum perveniat, & exterius facultatem operandi præbendo; respectu hujusmodi actus dicitur gratia cooperans. Unde ait Augustinus: Ut velimus, operatur; cum autem volumus, ut perficiamus, cooperatur. Si igitur gratia accipiatur pro gratuita Dei motione, qua movet nos ad bonum meritorium, convenienter dividitur gratia per operantem, & cooperantem. Ergo ex S. Thoma Deus in nobis sine nobis libere cooperantibus suam voluntatem exequitur, quando movet nos, ut bonum supernaturale velimus: Quando vero ita volumus, ut perficiamus per actum liberum internum voluntatis, vel per actum externum imperatum a voluntate, ut bene explicat ibidem Cajetanus ad omnem æquivocationem removendam; nobiscum cooperatur. Tunc sane is nobis sine nobis divinam suam voluntatem non facit, quia nos libere Deo cooperamur ad ejus voluntatem exequendam: unde operatio illa voluntati tribuitur in ratione meriti, & actus, potius quam Deo. At divina voluntas fit, quando homo ita vult, ut perficiat, non quando incipit velle. Constat proinde, quod Deus in nobis non sine nobis divinam suam exequatur voluntatem.

§. XIII.

XIV. *Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut rem aliquam petat: quia petere est imperfectio; cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ. Et illud Evangelii, Petite, & accipietis, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; immo hujusmodi animæ eo pervenerant, ut non possint a Deo rem aliquam petere.*

IN deteriora ruens Molinosius occasione sæpe memoratæ suæ resignationis plura asserit in hac Propositione ad Ascetarum instructionem. I. Non convenire animabus Deo resignatis aliquid petere. II. Rationem assignat hujus doctrinæ: petitionem scilicet esse imperfectionem, & actum imperfectum propriæ voluntatis, & electionis; atque idem esse, ac velle quod divina voluntas nostræ conformetur, non vero quod nostra divinæ. III. Sacræ Scripturæ factus interpres, affirmat illud Evangelii, *Petite, & accipietis*, non esse a Christo pro animabus internis prolatum. IV. Asserit, animas hujusmodi eo pervenisse, ut non possint a Deo aliquid postulare.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, impia, blasphema, erronea, & hæretica respective.*

Impugnatur Propositio quoad primam partem, retrahentem animas internas ab earum rerum petitione, quibus indigemus ad æternam salutem, & perfectionem Christianam comparandam; ex Sacræ Scripturæ auctoritatibus, in quibus omnibus indicitur oratio. Lucæ 18. *Oportet orare:* Matth. 7. *Petite, & dabitur vobis; quærite, & invenietis, pulsate, & aperietur vobis.* Quibus ostenditur, eum non accipere, qui non petit; non invenire, qui non quærit; neque tandem aperiri ei, qui non pulsat. Ad Philipp. 4. *In omni oratione, & obsecratione petitiones vestra innotescant apud Deum.* Ergo conveniens est omnibus orare, & a Deo aliquid petere. Quod egregie docet S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 2. ubi quærit, utrum sit conveniens orare? & resolvit affirmative in hæc verba: *Considerandum, quod ex divina providentia non solum disponitur qui effectus fiant, sed etiam ex quibus causis, & quo ordine proveniant. Inter alias autem causas sunt etiam quorumdam causæ actus humani. Unde oportet, homines agere aliqua, non ut per suos actus divinam dispositionem immutent, sed ut per actus suos impleant quosdam effectus, secundum ordinem a Deo dispositum. Et idem etiam est in naturalibus causis; & simile est etiam de oratione. Non enim propter hoc oramus, ut divinam dispositionem immutemus; sed ut id impetremus, quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse implendum: ut scilicet homines postulando mereantur accipere, quod eis Deus omnipotens ante sæcula disposuit donare; ut Gregorius dicit in libro Dialogorum.* Et ad 3. ibid. scribit: *Deus multa nobis præstat ex sua liberalitate, etiam non petita; sed quod aliqua vult præstare nobis petentibus, hoc est propter nostram utilitatem: ut scilicet fiduciam quamdam accipiamus recurrendi ad Deum; & ut recognoscamus, eum esse bonorum omnium auctorem.* Immo orationem homini non solum convenientem, sed & necessariam statuimus Dissert. IV. §. 2. & docet idem S. Doctor Part. 3. quæst. 39. art. 5. in corp. ubi ait: *Post Baptismum necessaria est homini jugis oratio, ad hoc, quod cælum introeat. Licet enim per Baptismum remittantur peccata: remanet tamen fomes peccati, nos impugnans interius; & mundus, & dæmones, qui impugnant exterius. Et ideo signanter dicitur Lucæ 3. quod Jesu baptizato, & orante, apertum est cælum: quia scilicet fidelibus necessaria est oratio post Baptismum.* Quo jam tergiversari poterit Molinosius, adeo claris convictus momentis, quibus nedum convenientia ipsa orationis ab eodem reprobata, sed & necessitas luculentissime comprobatur? Non video sane, nisi rerum adinstar insensatarum animas in via interna statuere nitatur.

Impugnatur Propositio quoad secundam partem, in qua dicitur, *quod petere aliquid a Deo, sit imperfectio*; hoc argumento. Christus citra ullam personarum acceptionem docuit, immo præceptis salutaribus nos monuit, aliquid ab ipso petere, ut ex allatis supra Sacræ Scripturæ auctoritatibus constat; formamque orandi præscripsit, cum orationem Dominicam pro iis, quæ petenda sunt, voluit adhiberi. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 9. in corp. tradit, in oratione Dominica, quæ perfectissima est, Christum docuisse nos petere a Deo æternam beatitudinem illis verbis „ Adveniat Regnum tuum. “ *Secunda vero petitio*, inquit S. Doctor, *ponitur, Adveniat Regnum tuum, per quam petimus ad gloriam Dei, & regni ejus pervenire.* Et S. Augustinus desiderium æternæ beatitudinis ad vincendas tentationes nos existimat roborare: *Si vultis* (ait in Psal. 136.) *armati esse contra tentationes in sæculo, crescat, & roboretur desiderium Jerusalem æternæ.* Rursus in Epist. 130. ad Probam: *Semper ergo hanc beatam vitam a Domino Deo desideremus, & oremus semper.* Christus autem, ut de fide certum est, non potuit cunctos fideles absolute, & generaliter docere id, quod imperfectius est. Ergo petere aliquid a Deo, non est imperfectio. Hinc corruit illud fundamentum adductum, scilicet quod petere sit actus propriæ voluntatis, & electionis; & sit velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, non quod nostra divinæ. Cum enim Deus velit, atque præcipiat aliquid ab eo petere, formamque orandi & petendi tradat: non est amplius actus propriæ voluntatis, & electionis aliquid petere, nec est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra divinæ; sed potius est actus religionis, & obedientiæ, atque conformitatis nostræ voluntati divinæ, ut optime observat S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 3. ad 2. *Petere*, inquit, *aliquid a Deo cadit sub præcepto Religionis, quod quidem præceptum ponitur Matth. 7. ubi dicitur:* „ Petite, & accipietis: “ & art. 5. ejusdem quæst. in respons. ad 2. *Cum orando petimus aliqua, quæ pertinent ad nostram salutem, conformamus voluntatem nostram voluntati Dei, de qua dicitur 1. ad Timoth. 2.* „ Qui vult „ omnes homines salvos fieri. “ Idque dicendum est de aliarum rerum petitione, quæ ad nostrum temporalem profectum necessariæ sunt. Pro iis quippe, *cum habentur ut teneantur; cum non habentur, ut habeantur, orandum est* (ut ait idem S. Doctor ibid. art. 6. in corp.) sub conditione scilicet, quod ad æternam salutem sint profuturæ.

Impugnatur Propositio quoad tertiam partem: nempe, quod *illud Evangelii, Petite, & accipietis, dictum non sit a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem.* Esse enim hoc alienum omnino ab Ecclesiæ Catholicæ doctrina, ex eo constat, quod animæ per viam internam incedentes tenentur in eo statu æternam salutem, gratiæ & perfectionis augmentum, itidem perseverantiæ donum postulare; ut innuimus Dissert. IV. §. 4. Per viam internam incedebant David & Paulus Apostolus, omnino divinæ voluntati resignati. Dicebat primus Psal. 56. *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum:* secundus vero ad Rom. 15. vers. 32. *Veniam ad vos per voluntatem Dei.* Uterque tamen aliquid a Deo petere non cessabat. David Psal. 26. *Unam petii a Domino, hanc requiram; ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ:* Paulus vero liberari a carnis stimulo postulabat II. ad Corinth. 12. *Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me.* Præterea Jo. 15. vers. 7. Deo confortatis ac unitis dicitur: *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, & fiet vobis.* Notanda quoque, quæ Actor. 1. vers. 14. leguntur: *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, & Maria Matre Jesu.* Laudabant vero ea in oratione Deum, ac petebant ab eo, quæ necessaria forent Ecclesiæ recenter constructæ; cum tamen Maria Mater Jesu vitæ internæ esset perfectissimo ac super-

abundanti lumine prædita. Nec silentio prætereundum existimo, quod Petrus & Joannes, jam post acceptum Spiritum Sanctum, ascenderent in templum ad horam orationis nonam (ut refertur Actor. 3. vers. 1.) in qua oratione absque dubio rogabant Deum, ac invocabant juxta monita sanctissimi eorum Magistri, ut pusillum gregem Ecclesiæ novellæ tueri, favere, atque augere dignaretur. Quis vero ambigat, quod vitæ internæ statum, & quidem perfectissimum, illud temporis non possiderent? Nemo sane: cum eos Spiritus Sanctus undequaque suis charismatibus replevisset. Verum quid plura conquirimus? Perfectissimus, immo totius perfectionis centrum & fons erat Christus Dominus: & tamen pluries eum orasse deprehendimus. Preces enim fudit in cœnaculo, in horto, & in cruce, easque fudit tam ut Doctor, ut ad petendum nos erudiret, quam ut Patris præceptum adimpleret: *Postula, quod vis*. Hinc Apostolus scribens *omnibus Sanctis, qui sunt Philippis* (ut habetur cap. 4. ad Philipp.) ait: *In omni oratione, & obsecratione petitiones vestræ innotescant apud Deum*: & Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. pag. mihi 665. ita virum spiritualem, quem Gnosticum appellat, describit: *Orat ergo is, qui est cognitione præditus, etiam cogitatione omni hora per caritatem Deo conjunctus, & familiaris effectus. Et primum quidem petit remissionem peccatorum; postea non amplius peccare; deinde posse benefacere, & omnem, quæ facta est per Dominum, creationem, & dispensationem intelligere, ut mundo corde effectus per agnitionem, quæ est per Filium Dei, facie ad faciem in beato spectaculo mysterio initietur, exaudiens Scripturam, quæ dicit:* „ Bonum est jejunium cum oratione." Ergo illud Evangelii, *Petite & accipietis*, afficit animas internas in ordine ad petendum aliquid a Deo, quantumvis habeant voluntatem propriam divinæ omnino conformem.

Impugnatur demum quoad ultimam partem prædicta Propositio, in qua asseritur, quod animæ internæ eo perveniant, ut non possint a Deo rem aliquam petere. Sapit enim hæresim proscriptam in prima Propositione Jansenii, qua adstruebatur, *aliqua Dei præcepta hominibus justis secundum præsentes, quas habent, vires, esse impossibilia*. Cum autem animæ, etiam internæ, teneantur ex divino præcepto quandoque a Deo res aliquas petere (ut habetur Matth. 7. & docet S. Thomas quæst. cit. art. 3. ad 2.) si eo perveniant, ut non possint a Deo rem aliquam petere; pertingunt sane ad hoc, quod aliqua Dei præcepta, scilicet orandi, & petendi, sint sibi impossibilia: quod ut hæreticum damnatum est in Tridentino sess. 6. de justificat. can. 18. his verbis: *Si quis dixerit, Dei præcepta, homini etiam justificato, & sub gratia Dei constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.*

Confirmatur. Quia gratia petendi, & gratia orandi nulli denegatur; ut colligitur ex eodem Tridentino ibidem cap. 11. in hæc verba: *Deus impossibilia non jubet: sed jubendo monet, & facere, quod possis; & petere, quod non possis*. Ergo neque denegatur animabus internis. Proinde falsum erit, quod eo deveniant, ut non possint a Deo rem aliquam petere: immo dicendum potius esset, quod animæ Molinosticis dogmatibus instructæ nolint petere, sed in sua perniciosa quiete, atque otiositate persistere.

Suffragantur his omnibus duo Articuli Issiacenses, V. nimirum & VI. Quorum prior ita habet: *Quivis Christianus, quovis in statu, licet non momento quovis, tenetur velle, desiderare, & postulare explicite salutem æternam, ut rem, quam Deus ipse vult etiam velle nos propter suam gloriam*. Posterior vero his verbis concipitur: *Vult Deus, ut quivis Christianus, quovis in statu, licet non quovis momento, ab ipso expresse postulet remissionem peccatorum, gratiam non peccandi, virtutum augmentum, & alia quævis ad æternam salutem requisita.*

Dices cum Molinosio. Habetur Psal. 54. vers. 23. *Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet*: quibus internarum verbis vera resignatio voluntati divinæ animarum describitur. Hæc autem resignatio opponitur doctrinæ hactenus traditæ: jactans enim super Dominum curam suam, ab ipso nutriendus, nihil ab eo petit; alias curam & sollicitudinem propriam adhiberet. Ergo cum incedentes per viam internam debeant cogitatum suum in Domino jactare; eis non convenit aliquid a Deo petere.

Respondeo. Duo sunt genera petibilium. Aliud, de quo nobis constat, esse Dei voluntatem, ut ea petamus; & aliud, de quo dubii sumus. Circa horum bonorum utrumque genus debemus jactare in Dominum curam nostram. Aliter tamen, & aliter. Etenim circa dubia debemus curam nostram ita jactare, ut ea non absolute petamus, sed si expediant ad nostrem salutem, & prout expediunt ad ejus adeptionem. Alia vero non sic; sed absolute postulamus: uti sunt gratia, gloria æterna, auxilia, & virtutes. Jactant vero illa petentes curam suam in Deum, etiam resignato libero arbitrio, non quantum ad hoc, quod eorum petitio non expediat, sicut petitio præcedentium; sed quantum ad hoc, quod eorum impetrationem ejus auxiliis expectent. *In dubiis* (inquit S. Thomas in 4. Sent. dist. 15. art. 4. ad 2.) *debet homo quantum ad hoc curam suam jactare in Deum, ut si aliter expediat, quam petatur, divino arbitrio relinquatur. Quam formam orandi Dominus exemplo suo tradidit, cum dicit:* „ Non sicut ego volo, sed sicut tu." *Sed in illis, quæ Deus nos vult velle, aportet quantum ad hoc curam nostram in Deum projicere, ut eorum impetrationem ejus auxiliis expectemus.*

§ XIV.

XV. *Sicut non debent animæ internæ rem aliquam petere; ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent: quia utrumque est actus propriæ voluntatis.*

CUm pars orationis sit gratiarum actio; sicut in præcedenti Propositione animas internas voluit Molinosius a petitione abstinere, ita in præsenti a gratiarum actione.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, impia, blasphema, erronea, & hæretica respective.*

Impugnatur I. hæc Propositio ex Apostolo, qui pluribus in locis suadet, ac præcipit quibuscumque fidelibus cultum, & obsequium, per gratiarum actionem Deo exhibendum. Ad Colossens. 3. *Orationi instate, vigilantes in ea in gratiarum actione*: I. ad Tessalon. cap. 5. *In omnibus gratias agite: hæc est enim voluntas Dei, ut gratias agatis*: & II. ad eosdem Tessalon. cap. 1. *Gratias agere debemus semper Deo pro vobis*. Immo pluries eumdem S. Apostolum gratias Deo reddidisse, habetur ad Philipp. 1. *Gratias ago Deo meo in omni memoria vestri*: I. ad Timoth. 1. *Gratias ago ei, qui me confortavit, Christo Jesu Domino nostro*: II. ad Timoth. 1. *Gratias ago Deo, cui servio*: ad Philem. 1. *Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis*: & ad Rom. cap. 1. vers. 8. *Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis*. Pro omnibus itaque Romanis Deo grates reddere studebat Apostolus, eos instruens, ut in gratiis Deo reddendis ipsum æmularentur. Quam sollicitudinem supra ad Thessalonicenses ostendit, & hanc ex duplici capite eis imprimere admititur; ut exponit ibi Lect. 5. S. Thomas his verbis. *Necesse est, ut in omnibus gratiarum actionem præmittamus, secundum illud I. ad Thess. ult.* „ In omnibus gratias agite." *Non enim est dignus beneficium consequi, qui de acceptis beneficiis gratias non agit. Sap. 16.* „ Ingrati spes tamquam hybernalis glacies tabescet" *& Eccl. 1.* „ Ad locum, unde exeunt, flumina revertuntur:" *quia ad principium, unde proveniunt beneficia, revertuntur, scilicet per gratiarum actiones*: „ ut iterum fluant" *scilicet per iteratam beneficiorum exhibitionem. In omnibus autem, quæ petimus vel agimus, divino beneficio indigemus; & ideo ante omnia debet gratiarum actio præmitti.*

Impugnatur II. ex Patribus, qui exigunt, ac suadent omnibus pro acceptis a Deo beneficiis gratiarum actionem eidem Deo reddendam. S. Augustinus scribens ad Bonifacium Epist. 189. cap. 3. inquit: *Ex his, quæ habes, gratias age Deo tamquam fonti bonitatis, unde habes; atque in omnibus bonis actibus tuis illi da claritatem, tibi humilitatem*. Idem debitum agnoscit S. Joannes Chrysostomus in Psal. 9. *In bonis*, ait, *gratias agens, reddidisti debitum; in malis Deum constituisti creditorem. Qui beneficio affectus gratias agit, reddit debitum; qui male affectus, debitum acquirit*. Ab Augustino & Chrysostomo non dissentit S. Bernardus exponens Serm. 51. ea Sponsæ verba Cantic. 3. vers. 6. *Læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me*: innuitque per gratiarum actionem debitam aliud beneficium obtineri. *Non ait:, amplexatur, sed amplexabitur me: ut noveris priori gratiæ adeo non ingratam, ut secundam gratiarum actione prævenerit... Mox ut gratiam de læva sensit, gratias egit, non expectans plenitudinem, quæ in dextera est. Disce in referendo gratiam non esse tardus, aut segnis .... Unde & certa spe concepta cum fiducia loquitur:* „ Et dextera illius amplexabitur me." Idque etiam in tribulationibus egisse S. Job, per viam internam ambulantem, habetur cap. 1. vers. 21. *Sit nomen Domini benedictum*. Unde S. Joannes Chrysostomus laudatus Hom. 3. de patient. inquit: *Merces calamitatum adoratio: pulsatus ærumnis benedicit, oppressus gratias agit*. Hanc veritatem perspectam habens Clemens Alexandrinus ita describit virum perfectum cum Angelis orantem, Deoque gratias reddentem: *Tamquam aliena* (inquit lib. 7. Strom. pag. 744.) *utitur hac vita, quatenus requirit id necessitas. Is est totus hospes, & peregrinus in vita; omnia, quæ hic sunt, magno animo despiciens; bonam semper habens conscientiam; & semper paratus ad exitum. Quin etiam precatur cum Angelis, ut qui sit etiam æqualis Angelis. Genus autem ipsum precationis est gratiarum actio propter præterita, præsentia, & futura, ut quæ sint per fidem jam præsentia. Quin etiam sic quoque*

patet,

petet, ut vitam vivat in carne definitam, ut cognoscendi potestate praeditus, ut expers carnis, ut consequatur quidem quæ sunt optima, fugiat autem quæ sunt deteriora. Ergo animæ internæ, & perfectæ, cum beneficia e Deo recipiunt, debent eidem grates rependere, non quidem ex debito legali rigoroso, sed solum ex debito honestatis, quod est debitum morale minus rigorosum.

Dices. Gratias Deo agere pro acceptis beneficiis, est actus propriæ voluntatis: ergo rejiciendus ab animabus perfectis propter resignationem, quam debent habere divinæ voluntati.

Respondeo. Distinguo antecedens. Est actus propriæ voluntatis, prout dicit liberam sui applicationem, ac determinationem ed retribuendum; concedo antecedens: prout voluntas propria sonat in malam partem; nego antecedens. Hanc malam partem quisque potest cognoscere, qui noverit Molinosii scopum esse, animam a suarum facultatum exercitio segregare, eamdemque in otio turpissimo collocare; ex quo miserabilia monstra in animarum ruinam progignuntur: ideoque in hujus ministri Satanæ acceptione pessima propria voluntas est voluntas se movens ad operandum virtuose, quam ille reprobat, voluntatem approbans quiete infernali emortuam ad bene agendum, & impia activitate vivam ad peccandum. Hinc Deo gratias pro acceptis beneficiis reddentes, non propriam voluntatem facimus contra Dei voluntatem, sed divinæ potius obtemperamus, ut docet S. Augustinus lib. contra Serm. Arianor. cap. 7. in hæc verba: *Ita quippe hoc loco dicitur voluntas sua, ut intelligatur esse propria contra voluntatem Dei. Neque enim cum obedimus Deo, eaque obedientia dicimur facere ejus voluntatem, nolentes, id facimus, sed volentes: ac per hoc si volentes id facimus, quomodo voluntatem nostram non facimus, nisi quia illa dicitur voluntas nostra, quando Scriptura ita loquitur, quæ intelligitur esse propria contra voluntatem Dei?*

Proinde idem S. Augustinus scribens ad Bonifacium Epist. 189. cap. 3. ait: *Ex his, quæ habes, gratias age Deo tamquam fonti bonitatis, unde habes; atque in omnibus bonis actibus tuis illi da claritatem, tibi humilitatem*. Nesciebat ergo Augustinus novam doctrinam Molinosticam, quod animæ internæ non debeant Deo ob rem aliquam gratias agere.

§. XV.

XVI. *Non convenit Indulgentias quærere pro pœna peccatis debita: quia melius est divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere; quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato; nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.*

IN superiori Propositione, ad exponendam animarum internarum divinæ voluntati resignationem, hanc phrasim adhibuit Molinosius in ordine ad gratiarum actionem Deo reddendam: *Non debent*. Nunc de Indulgentiis locuturus alia utitur: *Non convenit*: & assignat motiva, quare id non conveniat, his ductus fundamentis: Quod animabus melius sit, & perfectius divinæ justitiæ satisfacere, quam divinam misericordiam quærere: & quia primus actus sit actus puri amoris Dei, secundus vero ex amore interessato procedat; immo Deo id gratum non sit, nec meritorium, cum sit velle crucem fugere.

Hæc tamen Propositio, ut jacet, est *scandalosa, perniciosa, relaxativa Christianæ disciplinæ, erronea, & hæresim sapiens*.

Impugnatur I. argumento S. Thomæ desumpto ex Part. 3. in Supplem. quæst. 25. art. 1. ubi ait: *Ecclesia generalis non potest errare; quia ille, qui in omnibus exauditus est pro sua reverentia, dixit Petro, super cujus confessionem Ecclesia fundata est*: „ Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua. " *Sed Ecclesia generalis Indulgentias approbat, & facit. Ergo Indulgentiæ aliquid valent*. Si ergo Ecclesia Indulgentias facit generaliter tam pro ambulantibus per viam internam, quam pro cæteris per talem viam non ambulantibus; omnibus, ac singulis valent, eisque convenit quærere tale subsidium. Et ideo Concilium Tridentinum in Decret. de Indulg. vocat illas Christiano populo maxime salutares, reprobatque asserentes oppositum. Verba Decreti sunt. *Cum potestas concedendi Indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit; atque hujusmodi potestate, divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit: sacrosancta Synodus Indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, & sacrorum Conciliorum auctoritate probatum, in Ecclesia retinendum esse docet, & præcipit; eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant.*

Impugnatur II. ex supra cit. Constit. Leonis X. qua inter cæteras Lutheri Propositiones, XX. in ordine damnatur. *Seducuntur credentes Indulgentias esse salutares, & ad fructum spiritus utiles*: & XXII. *Sex generibus hominum Indulgentiæ non sunt salutares, nec utiles: videlicet mortuis, seu morituris; infirmis; legitime impeditis; his, qui non commiserunt crimina; his, qui commiserunt crimina, sed non publica; his, qui meliora operantur*. Ergo cum contrarium his Propositionibus tamquam certum tenendum sit; atque incedentes per viam internam ii sint, qui meliora operantur: dicendum est, illis vere ad fructum spiritus Indulgentias utiles esse, ac convenire, contra Molinosii Propositionem.

Impugnatur III. Incedentes per viam internam labuntur in plura peccata venialia, saltem ob humanæ conditionis fragilitatem: unde Proverb. 24. dicitur: *Septies in die cadit justus, & resurget*: & Jacob 3. *In multis offendimus omnes*. Quare S. Thomas 2. 2. quæst. 184. art. 2. ad 2. inquit: *illi, qui sunt in hac vita perfecti, in multis dicuntur offendere secundum peccata venialia, quæ consequuntur ex infirmitate præsentis vitæ: & ex hac ratione provenit, non immerito nos illud orationis Dominicæ posse usurpare*: „ Dimitte nobis debita nostra. " Ergo etiam justis, & perfectis utiles sunt, & convenientes Indulgentiæ.

Confirmatur. Congruum est, animas per viam internam ambulantes, ad Patriam cælestem jugiter aspirare, ac proinde ea adhibere media, ad removenda impedimenta quæ ex reatu pœnæ temporalis adhuc superstitis, & nondum solutæ, pro peccatis etiam quoad culpæ reatum perfecte deletis, ejusdem assecutionem retardant. Ergo cum remotio ejusmodi habeatur per usum Indulgentiarum; alienum non erit ab animabus incedentibus per viam internam quærere, & comparare Indulgentias.

Dices. Nonne melius est Divinæ justitiæ satisfacere, quam Divinam misericordiam per Indulgentiam implorare?

Respondeo, falsum adstruere Molinosium, existimantem, quod Indulgentias acquirere non sit Divinæ justitiæ satisfacere; cum Indulgentiis utentes, per merita Christi & Sanctorum sibimetipsis applicata, habeant unde Deo pœnam ex peccatis debitam persolvant. *Dicendum* (inquit S. Thomas in 4. dist. 20. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3.) *quod iste, qui Indulgentias suscipit, non absolvitur simpliciter loquendo a debito pœnæ; sed datur sibi, unde debitum solvat*. Neque Indulgentias acquirere procedit ex amore nostri interessato, sed ex puro Dei amore: quia citius Deo uniri, eumdemque facie ad faciem post mortalem hanc vitam intueri peroptamus. Quamquam vero absolute, & simpliciter melius esset Divinæ justitiæ per seipsum satisfacere, quam Divinam misericordiam implorare; attamen utilius est illud facere, & hoc non omittere, sicut fit per Indulgentiarum acquisitionem: quia opera injuncta in earum concessionibus per nos ipsos implentes Deo satisfacimus, & per oblationem thesauri meritorum Christi, & Sanctorum, divinam misericordiam imploramus; quod profecto non est crucem fugere, sed illam libenter acceptare, dum ex nostra libera voluntate opera injuncta preces, Sacramentorum receptiones, & jejunia exercemus. Nec modus iste satisfaciendi absolute imperfectus censendus est: quia non importat positivam, aut privativam imperfectionem, sed duntaxat negativam. *Satisfactio* (inquit Suarez in 3. Part. disp. 49. sect. 5.) *in rigore connotat habitudinem ad hominem operantem. In quo sensu verum est, eum, qui lucratur Indulgentiam, non perfecte satisfacere. Illa vero, ut dixi, tantum est imperfectio negativa, quæ non excludit, quin talis satisfactio exhiberi possit: nec aliud quidpiam ad perfectionem necessarium est*. Et quamquam aliqua alia opera pœnalia Indulgentiarum occasione omittantur; hoc est per accidens: cum viris spiritualibus Indulgentiæ potius stimulos addant ad alia opera pœnalia subeunda, ut putat laudatus P. Suarez in 3. Part. disp. 49. sect. 5. n. 3. *Quamvis enim fortasse aliqui*, inquit, *ea occasione satisfactiones aliquas, vel pœnitentiæ opera pro peccatis suis omittant; id tamen est per accidens: & ego opinor quod spirituales viri, dum Indulgentias lucrantur, potius inde magis excitantur, & promptiores redduntur ad pœnitentiæ opera.*

Falsitatis etiam convincitur Molinosius in eo, quod asserit, Indulgentias acquirere non esse rem Deo gratam, nec meritoriam: quia operari ad Indulgentias lucrandas dupliciter est Deo gratum, & meritorium, ut notat Cajetanus Tom. I. tract. 16. quæst. 2. his verbis. *Stat, quod aliquid facere pro Indulgentia lucranda, satisfactorium sit non solum ex genere operis; puta subvenire Ecclesiæ, aut orare: sed ex intentione facientis, qui movetur ex caritate ad hoc, ut impedimenta sui ingressus ad alteram vitam tollat*. Immo ex iis operibus majorem quam ex aliis obtineri, tradit Gersonius in Opusc. de Indulgent. considerat. 12. his verbis. *Fructuosior, & acceptabilior est Deo & hominibus operatio, talibus innitens Indulgentiis, quam altera, cæteris paribus, non innitens.*

Diximus superius, *Quamquam absolute, & simpliciter melius esset per seipsum Divinæ justitiæ satisfacere, quam Di-*

Divinam misericordiam implorare: quia fortasse velle adæquare per opera tantum pœnalia Divinæ justitiæ satisfacere, quandoque potest esse præsumptionis indicium; divinam vero misericordiam implorare, & compensare, mediis Christi & Sanctorum satisfactionibus, est humilitatis argumentum, quæ virtus spiritualis nostri ædificii fundamentum dicitur, monente S. Augustino Serm. 10. de Verb. Dom. *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? De fundamento prius cogita humilitatis. Et quantum quisque vult, & disponit superimponere molem ædificii; quanto erit majus ædificium, tanto altius fodit fundamentum.*

§. XVI.

XVII. *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria: & si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur; quia est natura.*

A Sua liberi arbitrii perniciosa resignatione non recedens Auctor Propositionum docet, nullam de tentationibus habendam rationem, nec aliam resistentiam, quam mere negativam adhibendam, relicta qualibet industria, etiamsi natura commoveatur: necesse est enim permittere eam commoveri, quia natura est; idque esset impedimentum ad quietem. Unde lib. 1. cap. 10. n. 68. inquit: *Proprium quem adhibebis conatum ad resistendum perversis cogitationibus, scias esse impedimentum, atque animam tuam magis inquietam relinquet.* In quo premit Begnardorum vestigia, de quibus ita loquitur Bayl in Annotat. ad Concil. Vienn. *Ne tentationibus divexentur, quibus resistere constanter, & usque ad mortem oportebat, eis concedunt, ut quietem illam prætensam, & pacem interiorem assequantur; sicut si quis turpiter hosti se dederet, ne labore certaminis turbaretur, & a quiete mentis distraheretur.* Animadverte tamen Molinosii nequitiam. In Propositione 32. (ut inferius videbimus) docet: *Si occasione Communionis insurgant motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscantur eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.* Hic vero asserit e contra, malos naturæ motus non esse reprimendos; sed permittendos, in eisque mere negative debere animam devotam se habere. Et per consequens motus mali naturæ non erunt reprimendi, nullaque industria adhibenda erit ad illos avertendos; motus vero petitionis & humiliationis, nisi ex impulsu Dei speciali oriantur, velut impulsus naturæ reprimendi & cohibendi: quo nihil absurdius dici potest. Proinde Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, perniciosissima in praxi, erronea, & hæresim sapiens Begardorum.*

Impugnatur I. ex auctoritatibus Sacræ Scripturæ, suadentibus resistentiam tentationibus adhibendam. Jerem. 4. v. 14. *Lava a malitia cor tuum, Jerusalem, ut salva fias. Usquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?* Quasi dicat, ut exponit Hugo Cardinalis: *Prædixi vobis ante captivitatem. Sed adhibete remedium, quo illam potestis evadere, si vultis.* Isaiæ 1. v. 16. *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Auferre autem ab anima cogitationes malas, allicientes ad malum, fieri non potest per resistentiam mere negativam, quin malum committatur, vel malum committendi periculum incurratur. Proverb. 16. v. 30. *Qui attonitis oculis cogitat prava, mordens labia sua perficit malum.* Attonitis oculis cogitare malum, mere passive se habendo, est voluntarie permittere cogitationes turpes. Non minori claritate ad positivam resistentiam tentationum habendam nos obligari tradit Apostolorum princeps, Epist. I. cap. 5. v. 8. dicens: *Fratres, sobrii estote, & vigilate: quia adversarius vester Diabolus tamquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret; cui resistite fortes in fide.* Ex quibus habes, nos teneri ad vigilandum, ne intremus in tentationem; si vero ab hac jam urgeamur, teneri ad positive resistendum. Quod omnino consonat Apostolo scribenti ad Coloss. 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam . . . . Deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro.* At hæc omnia arguunt, nos teneri ad resistendum tentationibus positive, & ad reprimendos positive pravos motus insurgentes naturæ corruptæ.

Rursus idem Apostolus ad Rom. 8. ait: *Si spiritu facta mortificaveritis, vivetis.* Ad quæ verba inquit S. Augustinus: *Hoc est opus vestrum in hac vita: actiones carnis spiritu mortificare; quotidie affligere, evacuare, frenare, interimere.* Ergo positive resistamus oportet tentationibus, nec sufficiet resistentia illa Molinosii mere negativa. Demum idem S. Apostolus ad Ephes. 6. ita scribit: *Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli . . . . . Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecte stare . . . . . In omnibus sumentes Scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere . . . Orantes omni tempore in spiritu; & in ipso vigilantes.* Jacobus quoque Apostolus in Epistola Catholica cap. 4. ita scribit: *Resistite diabolo, & fugiet a vobis.* Ex quibus omnibus luce clarius infertur, nobis vigilandum esse, & orandum, ne intremus in tentationem, ut ait Christus Dominus Matth. 26.

Impugnatur II. ex SS. Patribus. Chorum ducit S. Hieronymus in Regul. Monachor. cap. 3. ostendens, quænam cogitationes probandæ sint; quæ vero positive reprobandæ, quia ex malis cogitationibus non rejectis peccandi periculum immineat: *Assuescat*, inquit, *animus sollicita semper, pervigilique custodia discernere cogitationes suas, primum animi motum vel probare, vel reprobare quod cogitat: ut vel bonas cogitationes alat, vel statim extinguat malas. Hic namque est fons boni, & origo peccandi: omnisque ingentis delicti in cogitatione principium est, quæ unumquodque opus veluti in quodam cordis tabula depingit, antequam faciat. Nec enim expectandum est augmentum ejus rei, quæ teneri debet a parvo; & quæ tanto facilius vincitur, quanto ei citius repugnatur.* Si sola sufficeret resistentia mere negativa, ubi pravæ cogitationes insurgunt, vel naturæ motus; gratiam a Deo non tam enixe postularet S. Augustinus, ne in iis immoraretur, sed ex divinæ gratiæ adjutorio eas potius improbaret. *Multæ sunt* (inquit lib. 15. de Trinit. cap. 23.) *cogitationes meæ tales, quales nosti cogitationes hominum, quoniam vanæ. Dona mihi eis non consentire, & si quando me delectant, eas nihilominus improbare* (audiat Molinosius) *nec in eis velut dormitando immorari.* Et ideo lib. de salutar. document. cap. 34. ad eamdem positivam resistentiam hortatur his verbis: *Ne, quæso, permittamus in nobis cogitationes pravas, nec tamquam minima negligamus; quia* „ qui minima spernit, paulatim defluet " . . . . . *Abscindamus virgulta spinarum in agro cordis nostri, ne defigant in nobis altas radices. Cor nostrum ager est Domini Jesu Christi: excolamus eum cælestibus disciplinis.* Cohæret Augustino S. Cyrillus lib. 9. in Jo. cap. 15. *Etsi potestatis*, ait, *nostræ non sit facere, ne tales spiritus, id est cogitationes, in mentem nostram ascendant: possumus tamen cum ascenderint, ejicere; nec permittere, ut magnas per mentem nostram agant radices. Aliter ne dubitemus, quin perspicacia Diaboli paulatim possit superare.* Pravas cogitationes quæ impediri nequeunt, comparat S. Gregorius flammis carbones accendentibus, qui nisi per negligentiam, & desiderium foveantur, nocere non possunt. *Qui agere non potest* (ita loquitur lib. 6. in I. Reg. cap. 2.) *ut innoxia numquam cogitet, agat, quod potest, ut statim cogitationem ejiciat, quæ negligenter ad mentem intrat. Sic nimirum quasi ignem maximum in carbones singulos & velociter dividit, & celeriter extinguit; si omnes flammas cogitationum sic separat, ut conjungi in mente neque per negligentiam, neque per desiderium sinat.* Claudit chorum SS. Patrum S. Bernardus lib. de Passion. cap. 19. sollicitudinem ad resistendum cunctis suadens per signum Crucis, & Passionis Christi meditationem. *Quis enim*, inquit, *cogitationes suas ita refrenare potest, ut non qualibet immunditia titilletur? Sed continuo talium cogitationum impulsus sunt reprimendi; ut unde sperabat se hostis vincere, per hoc victus discedat. Quod fit, quoties pravis, & immundis cogitationibus attracti, statim ad signum Crucis, ad Passionis Dominicæ recordationem confugimus.* Nec aliud docere poterat S. Abbas Clarævallensis laudatus, qui in Serm. de sollicita cura cogitationum dixerat: *Bene autem primogenitus noster dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipso nimirum initio vitæ nostræ in nobis pullulat, cum cætera vitia processu temporis ex malitia mundi hujus, variisque occasionibus contrahantur. Oportet ergo reprimere, quem extinguere non possumus appetitum: ut quam cito cubile nostrum ingreditur, crescere eum nullatenus patiamur; sed sub nobis sit, quemadmodum dicit Scriptura:* „ Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. " Ergo ex SS. Patribus, etiam tradito Deo libero arbitrio, maxima ratio tentationum ac motuum naturæ insurgentium habenda est, ne iis cum animarum periculo, per socordiam & negligentiam culpabilem succumbamus; adeoque resistentia mere negativa Molinosii non sufficit, sed positiva omnino necessaria est.

Impugnatur III. ratione, & auctoritate S. Thomæ 1. 2. quæst. 74. art. 8. ad 1. ubi ait: *Actus inferiorum virium, & etiam exteriorum membrorum possunt esse peccata mortalia, secundum quod deficit ordinatio superioris rationis, regulantis eos secundum rationes æternas.* Sed qui malis motibus non resistit nisi negative, nullam adhibendo industriam, & si natura commoveatur, sinendo ut commoveatur; deficit in ordinatione hujusmodi motuum, nec eos regulat secundum rationes æternas. Ergo peccat. Probatur minor. Præceptum negativum, *Non concupisces*,

quo

quo prohibetur actus malus, non solum prohibet consensum in illum actum, sed etiam voluntariam illius permissionem; ut patet inductione. Nam eodem præcepto, quo teneor non occidere proximum, teneor etiam impedire, seu non permittere, si possim, mortem proximi: unde si ab aliquo incitarer ad occidendum proximum, deberem non solum non cooperari mea voluntate, sed etiam resistere. Simile est de muliere, cui vis infertur: nam si non resistit, sed mere passive se habet, censetur consentire. Ergo eodem modo ille, quem aggreditur concupiscentia, tenetur positive resistere. Nam præceptum illud, *Non concupisces*, est formaliter negativum, quatenus prohibet, ne consentiamus concupiscentiis; virtualiter autem est affirmativum, quatenus præcipit, ut eis resistamus: unde sequitur, quod si non resistamus, deficiat ordinatio superioris rationis, regulantis hujusmodi motus; ac proinde peccabimus. Hinc S. Thomas 1. 2. quæst. 6. artic. 3. duplex voluntarium distinguit: directum scilicet, & indirectum. Directum autem est a voluntate, inquantum est agens, quia scilicet consentit motibus pravis; indirectum est autem ex hoc, quod non agat, cum debeat agere, quia scilicet mere negative se habet, nullam adhibendo industriam, sinendo ut natura commoveatur. Unde ibidem art. 5. ad 2. ait: *Voluntarium potest aliquid dici dupliciter. Uno modo secundum actionem; puta, cum aliquis vult aliquid agere: alio modo secundum passionem; scilicet cum aliquis vult pati ab alio. Unde cum actio infertur ab aliquo exteriori, manente in eo, qui patitur, voluntate patiendi, non est simpliciter violentum: quia licet ille, qui patitur, non conferat agendo, confert tamen volendo pati; unde non potest dici involuntarium.* Ergo qui mere negative se habet in motibus pravis, nulla adhibita industria ad illos reprimendos, sed sinendo eos commoveri, vult pati hujusmodi motus: erunt proinde voluntarii; cum, licet voluntas non conferat in illos agendo, conferat tamen eos volendo pati, quos posset, ac deberet reprimere, vel saltem adhibere conatum ad eos reprimendos.

Dices. Satis erit, pravas cogitationes, & inordinatos naturæ motus contemnere per resistentiam mere negativam, quin eis positive resistamus: resistentia siquidem positiva per actus contrarios magis foveret, quam extingueret incentiva libidinis; magis enim moveretur, & excitaretur appetitus sensitivus. Unde S. Thomas 2. 2. q. 35. art. 1. ad 5. ait: *Impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo, quandoque resistendo: fugiendo quidem, quando continua cogitatio urget peccati incentivum, sicut est luxuria.* Et exemplo id potest declarari. Colluctaturus cum sævissima bellua, si eam per vim subjugare niteretur; esto, humi jacentem teneret: adhuc eam magis experiretur fervescentem, & rabidam. Sic ergo si per resistentiam positivam rebellem conamur appetitum sensitivum compescere, ferocius inardescet adversus rationem.

Argumentum hocce, quod apparenter egregium videtur, reipsa tamen est *veluti sepulchrum dealbatum, intus plenum ossibus mortuorum, & omni spurcitia.* Matth. 23. vers. 27. Non inficior itaque, Angelicum Doctorem, cui cæteri Theologi subscribunt, asserere, meliori modo pravas cogitationes, & concupiscentiæ motus fugiendo, quam resistendo superari. Cæterum hæc fuga non tam est corporalis, quam spiritualis per intellectum, & voluntatem, ut bene advertit Joseph Lopez Ezquerra in Lucer. Mystic. tract. 2. cap. 4. num. 39. Hæ enim potentiæ absque corporali assistentia cum fuga materiali, ac resistentia mere negativa, ut supra ex Patribus observatum est, possunt integre consummare peccatum. Unde melior modus resistendi tentationibus ejusmodi est fugere; scilicet subtrahere intellectum, & voluntatem ab appetitu sensitivo, atque objecto peccaminoso, & mentem in Deum, vel aliud bonum honestum, vel etiam indifferens collocare. Hæc autem resistentia non est negativa; sed positiva. Exemplum vero allatum de bellua solum probat, quod quemadmodum hæc non vi, aut violentia, sed arte, & industria; ita rebellis appetitus sensitivus superatur, ejus flammam debilitando, & extinguendo per remotionem turpium cogitationum: qui resistendi modus non est mere negativus, sed positivus. Et licet videatur appetitum sensualem demorari, attamen si voluntas perseveret, ut debet, modo prædicto resistendo, nullam revera permittet appetitus moram, ad media confugiens sibi convenientiora, & in iis fortiter perseverans. Hoc enim modo & pravus imaginationis motus sedabitur, & compescetur appetitus sensitivus per rationis dominium.

§. XVII.

XVIII. *Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, & speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.*

Quieti, & otio Beguardorum, & Illuminatorum addictus Molinosius, resignatione mere negativa in tentationibus, pravisque appetitus sensitivi motibus adhibenda non contentus, non adorari Deum suadere nititur in spiritu, & veritate, nisi ab oratione figuræ, species, propriique conceptus eliminentur: quod aliis terminis, sed ad idem omnino significandum ab Illuminatis assertum, Proposit. XI. fuisse reprobatum tradit Cardinalis de Laurea Opusc. 2. cap. 4. *Nullo modo unquam utendum est imaginibus, ut quis se ad orationem colligat, cum ipsa tantum blandimenta & illecebræ sint.*

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, erronea, & hæresim sapiens.*

Ad hujus Propositionis impugnationem præmittendum est, quid sit adorare Deum in spiritu, & veritate: pro cujus dilucidatione notandum, Mulierem Samaritanam interrogasse Christum Dominum Jo. 4. his verbis: *Patres nostri in Monte hoc adoraverunt; &, vos dicitis, quia Jerosolymis est locus, ubi adorare oportet. Dicit ei Jesus: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in Monte hoc, neque Jerosolymis adorabitis Patrem. Sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate. Nam & Pater tales quærit, qui adorent eum. Spiritus est Deus: & eos qui adorant eum, in spiritu, & veritate oportet adorare.* Sensus ergo verborum Christi est, quod venit hora, quando neque in monte, ubi Samaritani adorabant; neque Jerosolymis, ubi adorabant Judæi, adoraretur Deus; sed quod veri adoratores adorabunt ubique: & non amplius sub falsitate, & ignorantia, ut consueverant adorare Samaritani; sed in veritate, idest, cultu vero, sincero, & recto: & non amplius solo corpore, seu nudis corporeis sacrificiis, ritibus, & cæremoniis, ut hactenus fecerant Judæi; sed in spiritu, & veritate, hoc est, spirituali sacrificio, & cultu, per internos fidei, spei, & caritatis actus, & per externum verum Sacrificium Eucharisticum. Ita Ambrosius, Cyrillus, Hilarius, Jansenius, Maldonatus, & Toletus explicant hunc locum apud Tirinum ad cap. 4. Joannis.

Hac præmissa, de adoratione Dei in spiritu & veritate, observatione, impugnatur Propositio. Adoratio in spiritu, & veritete, seu spiritualis, & vera adoratio, de loquitur Christus, non excludit usum Imaginum, figurarum, specierum, & conceptuum, quibus in oratione Deum cognoscere nitimur, ut eum adoremus; sed excludit actus mere corporeos, & externos, quales erant cæremoniæ, & Sacrificia Judaica, quæ non erant nisi umbræ, & figuræ spiritualis Sacrificii, quod in lege nova exigit Deus, nec ex natura sua oriebantur ex interiori spiritu fidei, spei, & caritatis. Ergo qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, ad verum Deum cognoscendum, eumque adorandum, adorat Deum in spiritu, & veritate. Et ratio est, quia cum non possimus Deum adorare, nisi illum aliquo modo cognoscamus, & concipiamus; in hac autem vita non possimus habere de Deo cognitionem intuitivam, sed solum abstractivam: proinde non possumus concipere Deum, eumque cognoscere, nisi mediantibus figuris, imaginibus, speciebus, ac propriis conceptibus. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 5. ad 2. scribit ad nostrum institutum in hunc modum. *Contemplatio humana secundum statum præsentis vitæ, non potest esse absque phantasmatibus: quia connaturale est homini, ut species intelligibiles in phantasmatibus videat, sicut Philosophus dicit 3. de anima. Sed tamen intellectualis cognitio non sistit in ipsis phantasmatibus; sed in eis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis: & hoc non solum in cognitione naturali, sed etiam in eis, quæ per revelationem cognoscimus. Dicit enim Dionysius 2. cap. cælest. Hierarch. quod Angelorum hierarchias manifestat nobis divina claritas in quibusdam symbolis figuratis, ex cujus virtute restituimur in simplum radium, idest, in simplicem cognitionem intelligibilis veritatis. Et sic intelligendum est, quod Gregorius dicit, quod contemplantes corporalium rerum umbras non secum trahunt: quia videlicet in eis non sistit eorum contemplatio, sed potius in consideratione intelligibilis veritatis.* Et quæst. 174. art. 2. ad 4. expendens contemplationem infusam ait: *Dicendum, quod illustratio divini radii in vita præsenti non fit sine velaminibus phantasmatum qualiumcumque: quia connaturale est homini secundum statum præsentis vitæ, ut non intelligat sine phantasmate. Quandoque tamen sufficiunt phantasmata, quæ communi modo a sensibus abstrahuntur, nec exigitur aliqua visio imaginaria divinitus procurata.* Rursus 1. 2. quæst.

2. q. tot. art. 2. in corp. docet: *In statu præsentis vitæ non possumus divinam veritatem in seipsa intueri; sed oportet, quod radius divinæ veritatis nobis illucescat sub aliquibus sensibilibus figuris, sicut Dionysius dicit 1. cap. cælestis Hierarchiæ: diversimode tamen secundum diversum statum cognitionis humanæ.* Hinc 2. 2. quæst. 175. art. 3. ad 1. scribit consequenter ad superius dicta in hunc modum: *Mens humana divinitus rapitur ad contemplandam veritatem divinam tripliciter. Uno modo, ut contempletur eam per similitudines quasdam imaginarias: & talis fuit excessus mentis, qui cecidit supra Petrum. Alio modo, ut contempletur veritatem divinam per intelligibiles effectus; sicut fuit excessus David dicentis:* „Ego dixi in excessu meo, „Omnis homo mendax." *Tertio modo, ut contempletur eam in sua essentia: & talis fuit raptus Pauli, & etiam Moysis.* Ex quibus liquido appares, nos cognoscere haud posse Deum in hac vita, nisi mediantibus figuris, imaginibus, speciebus, ac propriis conceptibus. Atqui non possumus adorare Deum, nisi eum aliquo modo cognoscamus, atque concipiamus. Ergo non possumus adorare Deum in oratione, nisi præcognitum imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus. Ergo dum illum ita cognoscimus, & adoramus, adoramus Deum in spiritu, & veritate. Nec ab hac doctrina deflectunt alii SS. Patres; quin eamdem apertissime docent. Nam Dionysius Areopagita cap. 1. cælest. Hierarch. ita inquit: *Impossibile est, nobis aliter lucere divinum radium, nisi varietate sacrorum velaminum circumvelatum:* & Gregorius Hom. 14. super Ezechiel. dicit: *Quamdiu in hac vita mortali carne vivitur, nullus ita in contemplationis virtute proficit, ut in ipso incircumscripti luminis radio mentis oculos figat. Neque enim omnipotens Deus jam in sua claritate conspicitur, sed quiddam sub illa speculatur anima, unde refecta proficiat, & post ad visionis ejus gloriam pertingat.* Accedit Dionysius Carthusianus, qui in tract. de vita inclusa cap. 19. ita disserit, loquens de contemplatione divina. *Aliquando fit per similitudines corporales; interdum per formas imaginarias; interdum vero fit hoc sublimius, purius, ac divinius per species, & radios intellectuales, hoc est, per solam intellectualem illuminationem, & spiritualis speciei, aut luminis infusionem: sicque contingere solet personis perfectis, heroicis, ac divinis, quæ sæpe inopinatis excessibus feruntur, seu potius rapiuntur in Deum.* Hactenus egregie hic extaticus Carthusianus. Quibus proinde, & aliis superius adductis clare erudimur, quod in perfectissima cognitione Dei, quæ in hac vita habetur, semper occurrant figuræ, imagines, propriique conceptus, ut observavit Cajetanus ad evitandos errores: *Propterea* (inquit in Part. 1. quæst. 48. art. 8.) *in pluribus contingit labi in errores, qui a superioribus inchoant judicium, & ordinant doctrinas suas inconsultis sensibus. Unde Pater Philosophorum numquam a sensibus recedens, semper juxta veritatem judicavit.* Atqui anima, quæ Deum adorat, adhibitis figuris, imaginibus, propriisque conceptibus, illum adorat in spiritu, & veritate. Ergo qui adorat Deum, mediantibus imaginibus, figuris, speciebus, ac propriis conceptibus, adorat eum in spiritu, & veritate.

Confirmatur I. ex eo, quod sæpius juxta Sacram Scripturam Deus se videndum, & adorandum præbuit sanctissimis viris sub imaginibus, & figuris: ut habetur Genes. 18. III. Reg. 22. Isaiæ 6. Jamvero quæramus a Molinosio: vel illa adoratio fuit in spiritu, & veritate; vel non. Si primum; ergo fateatur oportet Pseudo-Mysta, quod adoratio Dei in spiritu, & veritate haberi queat mediis imaginibus, ac figuris. Si secundum; ergo Deus decepit illos sanctos viros, præbendo se adorandum modo, quo adorari non debet. At dicere, quod Deus deceperit illos sanctos, constituendo se eis adorandum modo, quo adorari non debet, est impium, atque blasphemum. Ergo qui in oratione utitur imaginibus, figuris, & speciebus, propriisque conceptibus, adorat Deum in spiritu, & veritate.

Confirmatur II. ex damnatione Propositionis XXV. inter alias proscriptas ab Alexandro VIII. anno 1690. in qua asserebatur: *Dei Patris simulacrum nefas est Christiano in Templa collocare;* utique adorandum. Atqui Pater æternus per ejusmodi simulacrum adoratur in spiritu, & veritate. Ergo si Ecclesia Catholica approbat hujusmodi consuetudinem adorandi per simulacrum; consequens erit, quod adoratio per imagines & figuras sit adoratio in spiritu, & veritate. Enimvero talis adoratio mediis imaginibus, ac figuris non est adoratio absoluta, sed respectiva ad verum Deum, quem imperfecte tale simulacrum repræsentat; ut tradit Sacra Tridentina Synodus in Decreto de Venerat. Sacr. Imagin. sess. 25.

Dices. Deus, & alia entia spiritualia cognosci non possunt per sensus externos: ergo neque per phantasiam; quia hæc emendicat species, & imagines a sensibus externis. Unde cum phantasia non habeat, nec habere possit species rerum spiritualium; illæ vero nequeant in phantasmatibus repræsentari, ac cognosci; sequitur, quod cognitio, quæ habetur de Deo mediis phantasmatibus, non sit cognitio, & adoratio in spiritu, & veritate. Confirmatur ex eo, quod Sancti, ac Mystici communiter docent; debere scilicet in divina contemplatione relinqui phantasmata, quæ profecto impedirent potius, quam adjuvarent cognitionem illam de Deo, quæ in contemplatione haberi debet. Atqui in contemplatione adoratur Deus in spiritu, & veritate; ut omnes Sancti Ascetæ fatentur. Ergo cognitio Dei per phantasmata, & figuras pugnat cum adoratione ejusdem in spiritu, & veritate. Hinc Richardus de S. Victore lib. 3. de contemplat. cap. 1. ait: *Quid hic facit phantasmatum corporalium creatrix, moderatrix, & reparatrix imaginatio? Recedat procul ab hoc negotio tot phantasmatum formatrix imaginatio, quæ tot corporalium formas quotidie novas creat, antiquas reparat, & per tam multiplices variosque modos pro arbitrio disponit, & ordinat. Nihil hic prosunt, immo multum obsunt.* Et S. Joannes a Cruce mirifice de hoc effatur pluribus in locis, præcipue in Ascens. ad Mont. Carm. lib. 1. cap. 12. per totum, & lib. 2. cap. 10. & 11. ubi aperte demonstrat, per imagines, & figuras haberi non posse cognitionem de Deo, quæ divinæ inserviat contemplationi.

Respondeo. Licet ex pluribus auctoritatibus D. Thomæ, tam hic, quam supra Dissert. IX. §. 3. congestis, contemplatio etiam divina hujus vitæ haberi non possit sine phantasmatibus, cum connaturale sit homini, ut res spirituales in ipsis phantasmatibus contempletur; attamen cognitio intellectualis non sistit in ipsis phantasmatibus, sed in eis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis per excessum, & remotionem a figuris, & imaginibus, quæ habentur in phantasmatibus. Unde Part. 1. quæst. 84. art. 7. ad 3. ita scribit S. Doctor laudatus ad nostrum intentum: *Dicendum, quod incorporea, quorum non sunt phantasmata, cognoscuntur a nobis per comparationem ad corpora sensibilia, quorum sunt phantasmata; sicut veritatem intelligimus ex consideratione rei, circa quam veritatem speculamur. Deum autem, ut Dionysius dicit, cognoscimus ut causam, & per excessum, & per remotionem. Alias etiam incorporeas substantias in statu præsentis vitæ cognoscere non possumus, nisi per remotionem, vel aliquam comparationem ad corporalia. Et ideo cum de hujusmodi aliquid intelligimus, necesse habemus converti ad phantasmata corporum, licet ipsorum non sint phantasmata.* Consonat his, quæ leguntur apud S. Bonaventuram de sept. Itinerib. æternit. dist. 4. art. 3. ubi ait: *Ratio est vis animæ, quæ rerum corporearum naturas, & formas modo incorporeo percipit abstrahens a corporeis non actione, sed consideratione; & hæc ratio vera a falsis distinguit: & hoc modo animo Deum cognoscere potest.* Doctores vero Mystici, quando docent, relinquenda esse phantasmata in contemplatione, quia potius obsunt, quam prosunt cognitioni divinæ, quæ in contemplatione haberi debet: nihil aliud docere volunt, nisi quod anima in ipsis phantasmatibus, rerumque imaginibus, mentis oculos non figat, ne sint contemplationis offendicula; sed ex illis transeat ad puritatem intelligibilis veritatis, quæ tamen haberi non potest nisi per species intelligibiles, habitas ex ipsis phantasmatibus. Ergo semper stat, quod phantasmata sint medium, non quidem proximum, sed remotum ad ipsam Dei cognitionem in spiritu, & veritate; ac consequenter adoratio sic modo dicto procedens erit vera adoratio in spiritu, & veritate.

Pro cujus doctrinæ majori dilucidatione advertas velim cum S. Thoma 2. 2. quæst. 173. art. 2. & Part. 1. qu. 12. art. 13. in omni cognitione humanæ mentis duo concurrere: primum est receptio, seu repræsentatio rerum cognoscendarum; secundum est judicium circa res repræsentatas. Repræsentatio fit menti per phantasmata; judicium vero habetur secundum efficaciam luminis intellectualis. Inter hæc autem præstat judicium, quia per illud completur cognitio: nam rerum veritates penetrat, ex eoque capiuntur species intelligibiles, quibus mediantibus transit intellectus ad cognitionem veritatum spiritualium, quæ haberi nequeunt in phantasmatibus; idque virtute judicii, quod est proprium luminis intellectualis. Hinc V. G. ad intelligendum Angelum intellectus humanus utitur phantasmatibus pueri pulchri, & alati; ex quibus phantasmatibus illustratis lumine intelligibili, oritur quædam species pura intelligibilis, repræsentans illud objectum spirituale modo corporeo, quod tamen intellectus judicat secundum veritatem non esse corporeum, sed spiritualem substantiam: fitque hoc totum virtute luminis naturalis intellectus, ex habilitate quam obtinent species imaginariæ, & phantasmata, ut moveantur, & ordinentur ad cognitionem intellectivam ab ipso lumine potentiæ intellectivæ. Sic ad cognoscendum Deum E. G. intellectus humanus utitur phantasmatibus lucis immensæ, totum cælum, terramque implentis; ex quibus habentur species intelligibiles, objectum illud spirituale

modo

modo corporeo lucis creatæ repræsentantes, quod tamen intellectus judicat secundum veritatem non esse lucem corpoream, & creatam, nec habere aliquam dimensionem, sed esse aliquid perfectius luce corporali, & creata, ac sine ulla dimensione ubique existere, & cælum, terramque implere. Ecce quomodo phantasmata, & species intelligibiles concurrunt ad cognitionem Dei, & quomodo intellectus non sistit in eis, sed in illis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis. Colliges proinde, quod cognitio modo dicto habita, & ad illam consequens adoratio, sit recte dicenda adoratio in spiritu, & veritate.

§. XVIII.

XIX. *Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.*

SIcut in Propositione immediate antecedenti ab adoratione Dei in spiritu, & veritate orationem exclusit Molinosius, ubi interveniant imagines, species, figuræ, propriique conceptus; ita nunc verum Dei amorem non agnoscit, si ipse Deus ametur eo modo, quo ratio discurrit, & intellectus comprehendit.

Hæc Propositio pariter, ut jacet, est *scandalosa, temeraria, erronea, & heresim sapiens.*

Impugnatur I. dicta Propositio ratione desumpta ex Sacra Scriptura, qua edocemur, nos posse, ac debere ex creaturis Deum verum cognoscere, eumdemque ita cognitum amare; ita ut, si hoc non faciamus, vel vanitatis, vel inexcusabilitatis merito redarguamur. Atqui cognitio hæc, & amor qui ad eam sequitur, habetur eo modo, quo ratio argumentatur, & intellectus in via comprehendit. Ergo qui cognoscit, & amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, & intellectus comprehendit, cognoscit, & amat Deum verum. Major probatur Sap. 13. *Vani sunt omnes homines, in quibus non subest scientia Dei: & de his, quæ videntur bona, non potuerunt intelligere eum, qui est, neque operibus ejus attendentes agnoverunt, quis esset artifex:* & ad Rom. 1. *Invisibilia Dei a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ita ut sint inexcusabiles, quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt.* Ad quæ verba S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 4. in corp. ait: *Per divinos effectus in Dei contemplationem manuducemur, secundum illud ad Rom. 1.* „ Invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. “ *Inde est, quod contemplatio divinorum effectuum secundario ad vitam contemplativam pertinet, prout scilicet ex hoc manuducitur homo in Dei cognitionem;* & consequenter in Dei amorem: *quia vita contemplativa terminatur ad dilectionem, quæ est in affectu, ex qua etiam amor intenditur,* ut ait S. Thomas ibid. art. 1. Minor est evidenter nota. Non enim nos possumus ex divinis effectibus cognoscere, & provocare ad amandum Deum, nisi mediante ratiocinatione, & intellectus comprehensione. Consequentia est legitima.

Impugnatur II. ex SS. Patribus, qui amorem erga Deum approbant, & commendant ab hominibus eliciendum, prout ratio argumentatur, & intellectus in via comprehendit. S. Joannes Chrysostomus Hom. 3. in cap. 1. Epist. ad Rom. Deum non amantes ita redarguit. *Quid dicent in illa die Gentiles? Ignoravimus te? Itane cælum non auditis ex solo aspectu vocem emittens? Rerum omnium harmoniam, & consentum, clarius quam tuba clamantem? Noctis, & diei leges immotas perpetuo remanentes? Hyemis, & veris, & aliarum tempestatum ordinem firmum, & immotum? Omnia in ordine manentia, ac per pulchritudinem creatorem prædicantia?* S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 6. ait: *Cælum, & terra, & omnia, quæ in eis sunt, undique mihi dicunt, ut te amem; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexculpabiles.* Idem enarrat. in Psal. 145. num. 5. ita scribit: *Totum cælum cogita. Omnia ista simul bona valde, quia fecit Deus omnia bona valde. Undique pulchritudo operis tibi commendat artificem. Miraris fabricam, ama fabricatorem. Deus autem, quem nobis hæc opera dicunt ut amemus, est verus Deus.* Quo sane nihil melius proferri poterat ad enervandam Molinosticam doctrinam. Si enim ex consideratione creaturarum manuducimur in cognitionem, & amorem veri Dei; consequens erit, quod qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, amat verum Deum. Subscribit Augustino S. Bernardus, qui cap. 8. super dignit. Divin. amor. ita præclare disserit ad nostrum institutum. *Sunt autem duo,* inquit, *oculi ad lumen, quod Deus est, videndum, naturali quadam intentione semper palpitantes; amor, & ratio. Cum alter conatur sine altero, non adeo proficit; cum invicem se adjuvant, multum possunt.* Et infra: *Ratio docet amorem, & amor illuminat rationem; ratio cedit in affectum amoris, & amor acquiescit cohiberi terminis rationis. Magnum quid possunt. Sed quid est, quod possunt? Sicut proficere proficiens in hoc, & hoc discere non potest, nisi experiendo; sic nec communicari potest inexperto: quia sicut dicitur in Sapientia:* „ In gaudio ejus non miscebitur extraneus. “ *Ratio majorem habet sobrietatem, amor beatitudinem.* Accedit S. Franciscus Salesius, qui in tract. de amore Dei p. 1. lib. 6. cap. 4. ita scribit: *Conviene nondimeno avvertire, che la volontà tirata dal diletto, che ella gode nell'oggetto presente, è più gagliardamente portata ad unirsi con esso lui, quando l'intelletto dalla sua parte le propone eccellentemente la bontà di esso; perchè essa allora è tutta insieme tirata, e spinta: spinta dalla cognizione, tirata dalla dilezione. Sicchè la scienza non è punto nemica a se stessa, ma è molto utile alla divozione; e se si trovano unite insieme, si ajutano maravigliosamente l'una l'altra: benchè talora per la nostra miseria la scienza impedisce la divozione, perchè la scienza riempie d'orgoglio, e l'orgoglio come contrario a tutte le virtù è la rovina totale della divozione.* Ergo ex SS. Patrum doctrina pervenimus ad amandum verum Deum per discursum, seu prout ratio argumentatur, & intellectus comprehendit.

Impugnatur III. ex S. Bonaventura, qui oper. de sept. Itinerib. ætern. dist. 4. art. 3. ita scribit: *Ratio est vis animæ, qua rerum corporearum naturas, & formas modo incorporeo percipit, abstrahens a corporeis non actione, sed consideratione: & hæc est ratio, quæ vera a falsis distinguit. Et hoc modo anima Deum cognoscere potest, illum meditatur, & meditando contemplatur, & sic eum amat.* Seraphico Doctori suffragatur Angelicus 2. 2. q. 82. art. 3. ad 2. his verbis: *Ea, quæ sunt divinitatis, sunt secundum se maxime excitantia dilectionem, & per consequens devotionem, quia Deus est super omnia diligendus. Sed ex debilitate mentis humanæ est, quod sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum; ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota.* Et in corp. art. ibid. scribens: *Consideratio, quæ est ex parte divinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius secundum illud Psal. 72.* „ Mihi adhærere Deo bonum est, & ponere in Domino „ Deo spem meam: “ *& hæc consideratio excitat dilectionem, quæ est proxima devotionis causa.* Atqui perceptio abstractiva, quam supra adstruit S. Bonaventura, & consideratio beneficiorum Dei, quam hic expendit S. Thomas, habentur per rationem, & intellectus comprehensionem. Ergo discursus, & ratiocinatio ducit nos ad amandum verum Deum. Demum idem S. Thomas 1. 2. quæst. 27. art. 2. in corp. egregie probat, quod necessario amoris causa sit cognitio, in hæc verba: *Bonum est causa amoris per modum objecti; bonum autem non est objectum appetitus, nisi prout est apprehensum: & ideo amor requirit aliquam apprehensionem boni, quod amatur. Et propter hoc Philosophus dicit 9. Ethicor. quod visio corporalis est principium amoris sensitivi; & similiter contemplatio spiritualis pulchritudinis, vel bonitatis est principium amoris spiritualis. Sic igitur cognitio est causa amoris ea ratione, qua & bonum, quod non potest amari, nisi cognitum.* Ex quibus sic argui potest contra Molinosium. Per ratiocinationem, & intellectus comprehensionem cognoscimus verum Deum, ut ex illo Apostoli ad Rom. 1. constat. Atqui cognitio veri Dei est causa amoris ejusdem. Ergo per ratiocinationem, & intellectus comprehensionem potest amari verus Deus.

Confirmantur hæc omnia ex iis, quæ ajebat David Psal. 17. ad Deum suum, scilicet: *Diligam te, Domine, fortitudo mea: Dominus firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus. Deus meus adjutor meus, & sperabo in eum. Protector meus, cornu salutis meæ, & susceptor meus.* Quasi diceret: Diligam te, Domine: quia tu es fortitudo mea, tu es firmamentum meum, refugium meum, & liberator meus; tu es adjutor meus, protector meus, cornu salutis meæ, & susceptor meus. Ex quo sic argumentari licet adversus Molinosium. David diligebat verum Deum, quando ita psallebat. Atqui diligebat Deum eo modo, quo intellectus ratiocinabatur, ac comprehendebat. Ergo qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, & intellectus comprehendit, amat verum Deum. Ergo ruit doctrina Molinostica. Confirmantur demum ratione. Nos tenemur amare verum Deum juxta illud Matth. 22. Atqui amare verum Deum non possumus, nisi illum aliquo modo cognoscamus juxta illud Jo. Epist. I. cap. 4. *Omnis, qui diligit, & cognoscit Deum.* Porro hujusmodi cognitionem assequi non possumus nisi vel per ratiocinationem ex effectibus divinis; unde S. Gregorius (exponens illud Job, *Omnes homines vident Deum,*) ait lib. 27. Moral. cap. 3. *Omnis homo ex hoc ipso, quod rationalis est conditus, debet ex ratione colligere eum, qui se condidit, Deum:* vel per revelationem (ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 4.) quæ nostrum intellectum elevet, & illuminet ad cognoscendum Deum, con-

sequenter per comprehensionem, siva cognitionem intellectus nostri divinitus illuminati. Ergo vel nobis ast impossibile amare verum Deum, val illum amare non possumus, nisi mediante ratiocinatione, vel cognitione intellectiva divinitus data. Primum dici non potest sine hæresi. Ergo secundum erit dicendum; ac proinde dum amamus Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, amamus verum Deum: cum aliu modo illum amare non possimus, saltem connaturaliter loquendo, vel pro hoc statu vitæ, in quo mens ex sensibilibus ducitur ad cognoscenda divina, & intelligibilia, istaque cognoscit ad modum, & similitudinem rerum corporearum, ac per conversionem ad phantasmata.

§. XIX.

XX. *Asserere, quod in oratione sibi opus est per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur; ignorantia est. Deus numquam loquitur, ejus locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impedit.*

AD rettahendum incedentes per viam internam a pia rerum æternamm meditatione tria asserit Molinosius. I. Quod ignorantia sit asserere, opus esse sibi in oratione per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur. II. Quod Deus numquam animæ loquatur; cum ejus locutio sit operatio. III. Quod Deus semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eum non impediat.

Propositio, ut jacet, est *temeraria*, *scandalosa*, & *injuriosa Sanctis*, & *Doctoribus etiam Mysticis*.

Ostenditur falsitas hujus Propositionis quoad primam partem ex communi doctrina Sanctorum, & Doctorum Mysticorum, qui docent, debere animam in oratione sibi auxilium ferre per discursum, & pias cogitationes, quando Deus non trahit illam ad contemplationem. S. Bernardus in Scala Claustralium cap. 12. ad nostrum institutum ita scribit: *Contemplationis adeptio sine oratione aut rara, aut miraculosa . . . Quod etsi quandoque aliquibus legimus contigisse, ut Paulo, & quibusdam aliis; non tamen ideo debemus nos, quasi Deum tentando, divina præsumere, sed facere quod ad nos pertinet: legere scilicet, & meditari in lege Dei, orare ipsum, ut adjuvet infirmitatem nostram, & videat imperfectum nostrum. Quod ipse docet nos facere dicens:* „ Petite, & accipiatis; quærite, „ & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. “ Debet igitur, juxta phrasim S. Bernardi, anima, quando Deus illam non trahit ad contemplationem, facere quod ad se pertinet; scilicet meditari in lege Dei, & orare Deum: petere nimirum, ut adjuvet infirmitatem suam, ac videat imperfectum suum; sicque promereri donum contemplationis. Hinc egregie pro more suo S. Thomas lib. 3. contra Gent. cap. 35. inquit: *Expectare a Deo subsidium, in quibus se aliquis potest per propriam actionem juvare, prætermissa propria actione, est insipientis, & Deum tentatis: hoc enim ad divinam bonitatem pertinet, ut rebus provideat non immediate omnia faciendo, sed alia movendo ad proprias actiones. Non est igitur expectandum a Deo, ut omnia, actione propria, qua sibi potest quis subvenire, prætermissa, Deus ei subveniat: hoc enim divinæ ordinationi repugnat, & bonitati.* Et 2. 2. quæst. 53. art. 4. ad 1. scribit: *Si homo prætermittot facere quod potest, solum divinum auxilium expectans, videtur tentare Deum.* Constat ergo ex S. Thoma, quod anima in oratione debeat sibi auxilium ferre per discursum, & pias cogitationes, quando Deus eam non alloquitur, hoc ast, non communicat illi divinam contemplationem; alias tentaret Deum, manendo otiosa, & expectando a Deo supernaturalem infusionem. Ast, ut verum fatear, præ cæteris validissima impugnat Molinosticam doctrinam S. Theresia Magistra orationis, dum Mans. 6. cap. 7. ad institutum nostrum ita effatur. *Molte volte ha bisogno la volontà per accendersi dell' ajuto dell' intelletto. E la ragione è, perchè quantunque non sia morto, sta però mortificato il fuoco, che la suol far ardere, ed ha bisogno di chi vi soffi, acciocchè egli mandi il calore. Sarebbe forse bene, che stesse l' anima con questa aridità, aspettando fuoco dal Cielo, il quale abbruciasse quel sacrifizio, che ella sta facendo di se a Dio? No certo: non è bene aspettare miracoli. Il Signore li fa, quando più gli piace; ma vuole, che ci ajutiamo in tutto quello, che potremo.* Debet igitur anima in oratione sibi auxilium ferre per discursum, quando Deus illam non alloquitur. Sed clarius idem docuerat S. Theresia Mans. 4. cap. 3. ubi ait: *Avendoci Dio date le potenze, acciocchè con esse operassimo; non occorre incantarle, ma lasciar, che facciano il loro offizio, finchè Dio le ponga in altro maggiore.* Operari ergo debet anima in oratione per suas potentias, quousque Deus illam elevet ad contemplationem. Consonat sanctæ Parenti illuminatissimus Filius S. Joannes a Cruce, qui lib. 2. Ascens. ad Mont. Carm. cap. ult. postquam adverterat, animam in oratione contemplativa debere cessare a discursu, & piis cogitationibus, addit ad casum nostrum: *Però fuori di questo tempo* (idest, extra tempus, quo Deus trahit animam ad infusam contemplationem) *in tutti i suoi esercizj, atti, ed opere l' anima si deve valere delle memorie, e delle buone meditazioni, nella maniera che le recheranno maggior divozione, e profitto: particolarmente intorno alla vita, passione, e morte di Gesù Cristo Signor nostro, per conformare le sue azioni, esercizj, e vita con quella di lui.* Falsum est ergo juxta doctrinam illuminatissimi Sancti, quod anima non debeat sibi auxilium ferre per discursum & cogitationes pias, quando Deus illam non alloquitur. Idem adstruit Ven. P. Balthasar Alvarez Soc. Jesu, qui fuerat a Confessionibus S. Theresiæ, vir altissima contemplatione a Deo donatus, ut habetur in ejus Vita cap. 14. ubi §. 1. ad institutum nostrum ita scripsit. *E' cosa certa, che mentre Iddio non opera cosa alcuna nell' anima, ella deve operare alcun che col suo intelletto, e colla sua volontà.* Ergo debet anima in oratione sibi auxilium ferre per discursum, & pias cogitationes, quando Deus non elevat illam ad contemplationem, in qua Deus solet animam alloqui. Sed redeamus ad S. Theresiam, ut in sublimi adeo, profundaque simul materia plenius erudiamur, & validioribus muniamur telis ad configendam Molinosticam doctrinam. Hæc igitur cap. 18. Vitæ suæ, loquens de infusa contemplatione, ad præsens institutum ita scripsit. *Parlando ora di quest' acqua, che vien dal cielo per empiere, e saziare coll' abbondanza sua tutto questo giardino, dico, che se non lasciasse mai il Signore di darla, quando fosse bisogno; già si vede, quanto riposato se ne starebbe il giardiniero: e se mai fosse inverno, ma sempre aria temperata, onde non manchassero giammai fiori, e frutti; ben si vede, che diletto ne prenderebbe. Ma perchè, mentre stiamo in questa vita, è ciò impossibile: deve l' anima star sempre vigilante, e con pensiero, che mancandole un' acqua, proccuri l' altra. Questa del Cielo vien alcune volte, quando il giardiniero manco vi pensa. Vero è, che ne' principj quasi sempre viene dopo lunga orazione mentale, venendo il Signore di grado in grado a prender questo uccelletto dell' anima, ed a porlo nel nido, acciocchè riposi.* At magis erudite disserit eadem illuminatissima Virgo Mans. 4 cap. 3. in hæc verba: *Consigliano alcuni libri, e quali dicono, che non si proccuri di discorrere, ma di attendere a quello, che Iddio opera nell' anima; ancorchè se Sua Divina Maestà non ha cominciato a sospenderci, non posso finir d' intendere, come si possa ritener il pensiero di maniera, che non faccia più danno, che utile: questione assai ben discussa tra alcune persone spirituali. Io di me confesso la mia poca umiltà: non mi hanno mai dato ragioni, per le quali io mi renda a quello, che dicono . . . Quello che dobbiamo fare, è domandare come poveri, e bisognosi davanti un grande, e ricco Imperadore, e subito abbassare gli occhi, ed aspettare con umiltà. E quando per sue segrete vie ci pare d' intendere, ch' egli ci ascolta, allora è bene di tacere; poichè ci ha lasciati stare vicino a lui: e non sarà male il proccurare di non operare coll' intelletto; parlo, se possiamo. Ma se conosciamo, che questo Re non ci ha uditi, nè ci vede, non abbiamo da stare come balordi; che pur troppo rimane l' anima così, quando ha proccurato questo, e resta assai più fredda, e per avventura più inquieta l' immaginativa con la forza, che si è fatta a non pensar cosa veruna. Ma vuole il Signore, che gli domandiamo, e consideriamo di stare in sua presenza, che ben sa egli quello, che ci conviene.* Quibus nos edocet illuminatissima Virgo I. quod contemplatio non semper habeatur in hac vita: quare cum hæc deficit, anima procuret necessum ast aliam aquam, nempe meditationem. II. Docet, contemplationem, saltem ab initio, quando Deus incepit elevare animam ad illam, non concedi nisi post longam meditationem, seu orationem. Ergo constat evidenter, quod quando Deus animam non alloquitur, dabeat anima auxilium sibi ferre per meditationem: ruit proinde Molinostica doctrina, in qua per summam ignorantiam, vel temeritatem adstruebatur oppositum.

Consone ad sensum sacræ Parentis Theresiæ S. Joannes a Cruce disserit lib. 2. ascens. ad Mont. Carm. cap. 15. in hæc verba: *Intorno a quello, che si è detto, vi può essere un dubbio: ed è, se i proficienti, cioè quelli i quali Dio comincia a mettere in questa notizia soprannaturale di contemplazione, per questo appunto, perchè la cominciano ad avere, non abbiano mai più da servirsi della via della, meditazione, discorso, e forme naturali. Al che si risponde che non s' intende, che quei che cominciano ad avere questa semplice, ed amorosa notizia, debbano del tutto lasciare la meditazione, nè proccurarla. Perciocchè in quei principj, ne' quali vanno tuttavia approfittando, non istanno così perfettamente abituati in essa notizia, che subito che essi vogliono, possano mettersi nel suo atto; e nè anche stanno tanto*

lon-

lontani, e fuori della meditazione, she non possano alcune volte meditare, e discorrere, come solevano, ritrovandovi alcune cose di nuovo. Anzi in questi principj, quando da' contrassegni assegnati si accorgeremo, she l'anima non ista impiegata in quella quiete, o notizia, sarà di bisogno ajutarsi, e servirsi del discorso. Hactenus S. Joannes a Cruce, cujus doctrina valide confutatur Molinosius. Constat enim ex laudatis ejus verbis, quod ab initio, quando Deus incipit trahere animam ad contemplationem, dum eamdem contemplationem, seu elevationem non habet anima; debeat sibi auxilium ferre per discursum, & meditationem, qua mediante, Deus illam elevat ad contemplationem. Quare non immerito Sacra Inquisitio Hisp. anno MDCXXIII. hanc Illuminatorum Propositionem proscripsit. *Orans se colligat in Dei præsentia, nihil discurrendo, & meditando in ullo Mysterio.* Videantur dicta Dissert. V. §. 4. ubi ostendimus aliis argumentis necessitatem exercitii meditationis prævie ad contemplationem tam acquisitam, quam infusam.

Quoad secundam partem, in qua dicitur: *Deus numquam loquitur, ejus locutio est operatio:* falsitas est manifesta, & probatur ex Sacra Scriptura. Psal. 84. *Audiam, quid loquatur in me Dominus Deus: quoniam loquetur pacem in plebem suam, & super sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor.* I. Reg. cap. 3. vers. 9. & 10. *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* Psal. 37. *Sagittæ tuæ infixæ sunt mihi:* unde S. Thomas ita hunc versiculum exponit: *Sagittæ Dei verba sunt.* Job 11. *Utinam Deus loqueretur mecum.* Cantic. 5. *Anima mea liquefacta est, cum dilectus meus locutus est.* Jerem. 20. *Factus est sermo Domini in corde meo, quasi ignis exæstuans, claususque in ossibus meis; & defeci ferre non sustinens.* Ad Hebræos cap. 4. vers. 12. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus, compagum quoque, & medullarum ejus.* Rursus a Molinosio flagitarem, num ignoraverit Catholicam, quam profitemur in Symbolo Fidei, de Spiritu Sancto veritatem? *Qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas.* Si respondeat affirmative: tamquam puer super Orthodoxæ Fidei elementis esset imbuendus. Sin vero negative: quomodo aperta fronte proferre non erubuit, Deum numquam fuisse locutum, quem noverat id præstitisse per Prophetas? cum prius sit quemquam loqui, quam per hunc, aut alium proferre sermonem.

Ad eamdem detegendam falsitatem prosunt Patrum, & Sanctorum auctoritates. S. Augustinus Serm. 112. de temp. *Cum oramus*, ait, *cum Deo loquimur; cum legimus Deus loquitur nobiscum: quia, ut ait Apostolus ad Rom.* 15. *vers.* 4. „ Quæcumque scripta sunt, ad nostram do„ctrinam scripta sunt. " S. Thomas super Isaiam cap. 49. inquit: *Verba Dei sunt audienda: quia sunt utilia primo ad intellectus illustrationem; secundo ad affectus dulcedinem; tertio ad amoris dulcedinem; quarto ad operis rectitudinem; quinto ad gloriæ adeptionem:* & Part. 1. quæst. 12. art 13. loquens de contemplatione infusa, ait: *Lumen intellectus confortatur per infusionem luminis gratuiti; & interdum etiam phantasmata in imaginatione hominis formantur divinitus magis exprimentia res divinas, quam ea quæ naturaliter a sensibilibus accipimus, sicut apparet in visionibus prophetalibus; & interdum etiam aliquæ res sensibiles formantur divinitus, aut etiam voces ad aliquid divinum exprimendum.* Ecce ex D. Thoma, Deum alloqui animam in contemplatione infusa: ergo falsum est quod Deus numquam loquatur. Accedit S. Bonaventure, qui Tract. de sept. Itinerib. æternit. itiner. 2. dist. 3. quærens, qualiter Deus animam alloquatur, ait: *Multipliciter Dominus loquitur nobis* & enumeratis sex modis: quibus id evenit, randem subdit: *Septimo familiariter susurrando loquitur, Unde in Job 4. dicitur:* „ Porro ad me „ dictum est verbum absconditum, & quasi furtive suscepit auris mea venas susurri ejus. " *Quod exponens S. Gregorius 5. Moralium ait: Per verbum absconditum allocutio intima inspirationis intelligitur, quæ mentem, sive spiritum contingens, sublevat, & temporales cogitationes deprimens, hanc æternis desideriis inflammat: ut nihil quam æterna cogitare libeat, & cuncta inferiora contemnat. Absconditum igitur verbum audire, est locutiones spiritus corde concipere.* Consonat S. Theresia Mans. 6. cap. 3. ubi ait: *Ha il Signore un altro modo di svegliare l'anima. Questo è di certi ragionamenti, ch' egli fa in molte guise con l'anima: alcuni de' quali pare che vengano di fuori; altri dal più interiore dell' anima; altri dal superiore di lei; altri tanto dall' esteriore, che si odono con l' orecchie, parendo she sia voce formata.* Et ibidem prosequitur explicare hujusmodi divinas locutiones; signa etiam addendo, quibus cognosci queant, an sint a Deo. De quibus locutionibus divinis videri potest doctissimus P. Balthasar a S. Catharina Carmelita Discalceatus in egregio Opere ad Mansiones S. Theresiæ (Mans. & cap. cit.) ubi plures reflexiones contexit de ejusmodi divinis locutionibus, quæ non raro fiunt a Deo in animabus contemplativis. De eisdem pariter satis erudite pertractat S. Joannes a Cruce lib. 2. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 28. & sequent. ubi docet, locutiones divinas, quæ aliquando fiunt in anime contemplativa, esse in triplici differentia: alias enim vocat successivas, alias formales, alias vero substantiales; & ibidem explicat mirabiliter, quomodo fiant, & effectus, quos causant in anima, & quomodo se gerere debeant animæ in hujusmodi divinis locutionibus. Ex quibus evidenter comprobatur, quam falso, ac temere asseruerit Molinosius, quod Deus numquam animam alloquatur.

Dices, sensum Auctoris Propositionis esse, Dei locutionem tanta pollere efficacia, ut secum effectum trahat; nec per eam locutionem Deum dici loquentem, sed operantem. Et ideo denegat Molinosius Deo illam locutionem convenire, quæ solummodo locutio sit; non vero eam, quæ sit operatio.

Respondeo. Si hoc dumtaxat diceret Molinosius (quod examini submittere non vacat in præsentiarum) nihil nobis obesse posset: per probationum enim momenta hactenus expensa evincitur, Deum vere loqui. Quod verum esse constat, sive locutio hoc, vel illo modo fiat; sive locutio sit efficax, sive inefficax; sive trahat secum, sive non, operationem. Utilis tamen est ea explicatio ad Auctoris intentum, quod est animas in turpi otio constituere, & marcescere, ut turpia in anima pullulent. Hinc elucet in Auctore improprietas dicendi, dum asserit, Deum numquam loqui, atque oppositum adstruere dicit esse ignorantiam; & hanc causam assignat: *Quia ejus locutio est operatio*: subdens deinde, quod Deus semper in anima operetur. Si asserit, Dei locutionem esse operationem, Deumque semper in anima operari; cur negat Deum animam alloquentem? ubi est propria ignorantia in veritate, quam impugnat; aut in clarissima implicatione, quam adversus seipsum molitur?

Demum tertia pars Propositionis, in qua dicitur, quod Deus semper in anima operetur, quando hæc suis discursibus, operationibus, & cogitationibus eum non impediat, falsa est: cum enim Auctor id intelligat de operatione, & communicatione supernaturali, quam anima contemplativa obtinet a Deo; hujusmodi operatio, & communicatio non est permanens, sed transiens. Hinc S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 40. de seipso ait: *Domine aliquando intromittis me in affectum inusitatum multum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficeretur in me, nescio quid erit; scio quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo; sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat. Hic esse valeo, nec volo; illic esse volo, nec valeo; miser utrobique.* Vides, quam falsum sit, quod Deus semper in anima operetur divinas communicationes, ut propugnat Molinosius, quando anima suis discursibus, & operationibus eum non impedit. Unde S. Bernardus in Cantica Serm. 17. scribit: *It, & redit Spiritus: & qui stat eo tenente, deserente cadat necesse est; sed non collidetur, quia Dominus rursus supponit manum suam. Et has alternare vices non cessat in his, qui spirituales sunt, vel quos potius spirituales proinde ipse creare intendit, visitans diluculo, & subito probans.* Rursus idem sanctus Doctor Serm. 85. in Cantica inquit: *Dulce commercium: sed breve momentum, & experimentum rarum.* Igitur Deus non semper operatur in anima, trahendo illam ad divinam contemplationem. Neque hoc provenit ex eo, quod anima suis discursibus, & operationibus Deum impediat, ut falso opinatur Molinosius: sed quia ita Deo operari placet, modo se animæ gustandum, & sentiendum præbendo; modo se occultando, & divinam communicationem retrahendo, ut accidit omnibus animabus sanctis, & contemplativis.

Rursus operatio Dei in nobis duplex considerari potest. Una quidem quasi naturalis, qua nos semper conservat in esse: & hæc est continua. Unde scribit S. Thomas Part. 1. quæst. 9. art. 2. *Ex voluntate Dei dependet, quod res in esse conservat: non enim aliter eas in esse conservat, quam semper eis esse dando.* Alia vero operatio Dei dici potest supernaturalis, quia indebita animæ; quæque consistit in elevatione animæ ad divinam contemplationem: & hæc non est, nec potest esse perpetua in hac vita. Unde idem Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 3. art. 2. ad 4. ait: *Operatio, qua homo conjungitur Deo, non est, nec potest esse continua: & propterea in statu præsentis vitæ perfecta beatitudo ab homine haberi non potest.* Hæc vero consistit in divina contemplatione, per quam anima Deo conjungitur. Et rursus ibid. quæst. 113. art. 2. in corp. scribit ad nostrum institutum: *Dilectio*, inquit, *Dei, quantum est ex parte actus divini, est æterna, & immutabilis; sed quantum est ad effectum, quem nobis imprimit, quandoque interrumpitur: prout scilicet ab ipsa quandoque deficimus, & quandoque iterum recuperamus.* Ergo ex D. Thoma Deus non semper in anima operatur communi-

cationes, & dona supernaturalia. Quod vero hoc non oriatur ex eo, quod anima suis discursibus, & operationibus Deum impediat, ut sibi falso, ac temere confingit noster Pseudo-Mysta; luce clarius comprobatur, si observes rem potius in contrarium evenire: cum anima ad contemplationem, communicationes, & illustrationes divinas habendas, debeat prius per actus suos Deo uniri, atque conjungi, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 4. ad 3. dicens: *Animus hominis non movetur a Spiritu Sancto, nisi ei secundum aliquem modum uniatur: sicut instrumentum non movetur ab artifice, nisi per contactum, aut per aliquam aliam unionem. Prima autem unio hominis est per fidem, spem, & caritatem: unde istæ virtutes præsupponuntur ad dona, sicut radices quædam donorum.* Ergo tantum abest, quod anima suis operationibus divinas in se impediat operationes, & communicationes; quin potius Deus non operatur in anima, nisi hæc per fidei, spei, & caritatis actus illi uniatur. Unde remanet explosa otiositas perniciosa introducta a Molinosio, tamquam dispositio ad divinas communicationes recipiendas.

§. XX.

XXI. *In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscumque cognitionis particularis, & distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis: &. sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum; sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.*

CLarius explicat suam mentem ad removendam a suis Asceris orationem meditativam Molinosius, atque ad suam Quietis orationem suadendam, tria docens in hac Propositione. I. Quod in oratione oporteat manere in fide obscura, & universali, cum oblivione cujuscumque cognitionis particularis, ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis. Propositio in hac parte est indefinita, & absoluta, hunc sensum faciens: quod in omni oratione mentali debeat anima manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscumque cognitionis particularis, & distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis; sicque in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum. Quoad hanc partem Propositio est absdubio maxime temeraria: quia contra sensum omnium Mysticorum excludit ab oratione exercitium meditationis, necnon contemplationis affirmativæ (de qua agit Cardinalis Brancatus Opusc. 3. cap. 15.) & propugnat Molinosius, orationem consistere dumtaxat in fide obscura, & universali, cum obliviona cujuscumque cognitionis particularis, & distinctæ; quod proprium est contemplationis in caligine, ut vocant Mystici, & recte explicat P. Balthasar a S. Catharina in suo Opere, inscripto *Splendori, e Riflessi*, ad Mans. 4. S. Theresiæ cap 2. Splend. 9. ubi disserens de hac contemplatione scribit: *Questa contemplazione considera Dio in tal guisa separato, ed eccedente tutte le creature, che forma concetto non distinto, e particolare; ma confuso, ed universale: ed indi ha molto del caliginoso.* II. Quod ita opus sit manere in Dei præsentia ad illum adorandum, & amandum; sed quiete, & absque productione actuum. III. Quod Deus in productione hujusmodi actuum sibi non complaceat. Vides Molinosium cum Beguardis convenire, quorum octavus error, relatus a Clemente V. in Clementina *Ad nostrum* de Hæreticis, erat: *Quod in elevatione Corporis Christi non debebant assurgere, nec eidem reverentiam exhibere, asserentes, quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate, & altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa Mysterium, seu Sacramentum Eucharistiæ, circa Passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.* Itidem cum Illuminatis, hunc morem in oratione servandum proponentibus: *Orans se colligat in Dei præsentia, nihil discurrendo, & meditando in ullo Mysterio.*

Propositio, ut jacet, est *perniciosissima in praxi, Christianæ Disciplinæ relaxativa, erronea, & hæresi proxima.*

Prima pars Propositionis, contra omnium Doctorum auctoritatem, meditationis exercitium excludens, impugnatur. Certum enim est, ordinarie, & regulariter loquendo, animam ad contemplationem, præcipue activam, & acquisitam, de qua ipsemet Molinosius hic loquitur, pervenire non posse, nisi prius per aliquod tempus se in meditatione exercuerit, ut supra Diss. VI. §. 4. cum Cardinali Brancato probavimus.

Confirmatur, quia tam contemplatio passiva, quam activa sunt quoad substantiam supernaturales; licet prima sit etiam quoad modum supernaturalis, non vero secunda: ut optime docet laudatus P. Balthasar a S. Catharina Carmelita Discalceatus ad Mans. 4. cap. 1. Reflex. 2. Insuper utraque contemplatio procedit ex dono sapientiæ, ut ex S. Thoma 2. 2. quæst 45. art. 5. bene advertit P. Joseph a Jesu Maria loco citato cap. 25. per totum. Proinde ad utramque requiretur specialis motio Spiritus Sancti, quæ cognosci potest ex dictis signis, ex S. Joanne a Cruce superius allatis Diss. VI. §. 4. Ergo sine hujusmodi signis anima nec potest, nec debet ponere se in contemplatione activa: proindeque corruit assertio Molinosii. Verum doctrina Molinosiana non modo excludit ab oratione meditationis exercitium, prout hactenus demonstravimus, atque confutavimus; sed etiam removet a contemplatione (ad quam adstruendam præsentem docuit Auctor Propositionem) cognitionem particularem, & distinctam attributorum Dei, ac Sanctissimæ Trinitatis, necnon cujuscumque veritatis revelatæ. Cæterum ex dictis Dissert. VIII. §. 1. clare constat, ea omnia comprehendere objectum divinæ contemplationis; adeoque non debere animam manere cum oblivione illarum veritatum.

Sequitur pars secunda dictæ Propositionis, in qua adstruitur, quod anima debeat manere in oratione in Dei præsentia ad illum adorandum, & amandum, cum quiete, & absque productione actuum. Hujusmodi doctrina, ut liquet, animam retrahit ab exercitio potentiarum, & præcipue ab actibus adorationis, & amoris in oratione erga Deum; deducitque illam ad perniciosam otiositatem. Impugnatur, quia specialis Dei præsentia in nobis habetur per actus cognitionis, & dilectionis: proinde, non datis hujusmodi actibus, non dabitur præsentia Dei specialis in nobis. Hinc verificari non poterit, quod anima in oratione maneat in Dei præsentia ad illum adorandum sine productione hujusmodi actuum. Ita S. Thomas Part. 1. quæst. 43. art. 3. ubi scribit, ut sequitur: *Est communis modus, quo Deus est in omnibus rebus per essentiam, potentiam, & præsentiam, sicut causa in effectibus participantibus bonitatem ipsius. Super istum modum autem communem est unus specialis, qui convenit naturæ rationali, in qua Deus dicitur esse sicut cognitum in cognoscente, & amatum in amante. Et quia cognoscendo, & amando, creatura rationalis sua operatione attingit ad ipsum Deum: secundum istum specialem modum Deus non solum dicitur esse in creatura rationali; sed etiam habitare in ea sicut in templo suo.*

Confirmatur, quia omnis contemplatio religiosa includit necessario actus intellectus, & voluntatis, scilicet cognitionem, & amorem, ut probavimus Dissert. VII. §. 2. Hinc anima non potest manere in præsentia Dei ad illum adorandum, & amandum, sine productione actuum intellectus, & voluntatis. Quare S. Bonaventura de sept. Itiner. æternit. part. 3. dist. 2. art: *Oculus contemplationis in spectacula sapientiæ æternæ est directus: quia contemplatio non est actus intellectus præcise; sed etiam saporosam dilectionem includit. Nam sapientia a sapore dicitur, ut dicit Bernardus; & objectum sapientiæ primarium, & principale est ipse Deus, sub ratione qua verum est, excitativum voluntatis ad ejus saporosam dilectionem; & actus sapientiæ est contemplari Deum non quoquo modo, sed cum dilectione, & cum quadam experimentali suavitate in affectu. Igitur spectacula sapientiæ sunt cognitio veri, seu sapor boni.* Et S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 7. ad 1. inquit: *Vita contemplativa, licet essentialiter consistat in intellectu; principium tamen habet in affectu, inquantum videlicet aliquis ex caritate ad Dei contemplationem incitatur. Et quia finis respondet principio; inde est, quod etiam terminus, & finis contemplativæ vitæ habetur in affectu, dum scilicet aliquis in visione rei amatæ delectatur, & ipsa delectatio rei visæ amplius excitat amorem. Unde Gregorius dicit super Ezechielem, quod cum quis ipsum, quem amat, viderit, in amorem ipsius amplius ignescit. Et hæc est ultima perfectio contemplativæ vitæ, ut non solum divina veritas videatur; sed etiam ut ametur.* Ergo fieri nequit, quod anima maneat in oratione, sive contemplatione, in Dei præsentia, sine productione actuum cognitionis, adorationis, & dilectionis. Cum enim adoratio & dilectio sint motus creaturæ rationalis; necessario sunt actus ejusdem: nec poterit proinde haberi adoratio, vel dilectio Dei sine actu. Vide S. Thomam 2. 2. quæst. 84. art. 2. ubi agit de adoratione, & pariter 1. 2. quæst. 26. art. 3. ubi tractat de dilectione, & amore. Immo impossibile foret, quod homo per aliquod tempus maneret in oratione, seu contemplatione prætensa, sine productione cujuscumque actus; ut egregie notat Cardinalis de Laurea Opusc. 4. de Orat. Christian. cap. 7. ubi refellens hujusmodi errorem, ita scribit ad rem nostram. *Secunda ratio est: quia est naturaliter impossibile, quod homo vigilans suspendere possit omnem actum intellectus; & inter Theologos est acerrima quæstio, an dari possit pura omissio voluntatis, id est suspensio omnis actus etiam per modicum tempus, quomodo posset homo per mediam horam, vel quadrantem ex se suspendere omnem actum nedum inferiorum potentiarum, ut supponitur, sed etiam intellectus, & voluntatis? Certe esset necessarium miraculum, quo Deus negaret concursum suum illis potentiis, ne operentur: quod non facit neque in contemplatione infusa, in qua abstrahit quidem intellectum, & voluntatem ab omni alio objecto, denegans pro eo tempore concursum ad alia; sed detinet*

eas potentias applicatas ad objectum, quod contemplantur intuendo, & amando. Igitur suspensio ista actuum intellectus, & voluntatis in oratione quietis non est excogitabilis; & etiamsi esset possibilis, foret inutilis. Ad quid enim homo se constitueret ante Deum, si de Deo nec vellet cogitare, nec eum amare, neque mentaliter alloqui, petendo, laudando, vel gratias agendo? Meo videri, hae actuum suspensio, si dari posset naturaliter, quod non credo, irreverentia potius esset in Deum, quam devotio. Operari ergo debet intellectus in oratione, sive contemplatione, intuendo per fidem, & voluntas diligendo per caritatem. Hactenus doctissimus Cardinalis, cujus verba luca clarius demonstraut inconsequentiam, immo & contradictionem qua laborat Molinostica doctrina, dum adstruit, quod anima in oratione, vel contemplationa manere debeat in præsentia Dei ad illum adorandum, & amandum, sine ulla productione actuum: quod cansat impossibile laudatus Cardinalis; cum implicet omnino in terminis, ut ajunt, quod anima adoret, & amet Deum, sine productiona actuum. Hinc optime advertit S. Joannes a Cruce, quod anima, si in oratione non mediretur, siva contemplando non producat actus affectivæ attentionis ad Deum præsentem, hoc est, actus intellectus, & voluntatis, Deum intuendo, eumque amando; manebit otiosa, nec dici poterit meditari, val contemplari. Verba laudati Sancti contemplativi sunt quæ subjicio ax cap. 14. Ascens. ad Mont. Carmel. lib. 2. ubi inquit: *In caso, che il contemplativo abbia da lasciare la strada della meditazione, gli è necessaria l'avvertenza, o notizia amorosa e generale di Dio. Perchè se l'anima non avesse allora questa notizia, o attenzione in Dio, ne seguirebbe, che l'anima non sarebbe niente, a con niente si troverebbe. Perchè lasciando la meditazione, mediante la quale l'anima opera discorrendo con le potenze sensitive, e mancandole eziandio la contemplazione, cioè la notizia generale, ed amorosa in Dio, nella quale tiene essa anima attuate le sue potenze spirituali, che sono memoria, intelletto, e volontà, unite già in questa notizia, siccome ella è esercitata, e ricevuta in esse; le mancherebbe necessariamente qualsivoglia esercizio intorno a Dio: essendo che l'anima non può operare, nè ricevere, o durare nell'operato, se non per via di queste due maniere di potenze sensitive, e spirituali. Perchè mediante le potenze sensitive può essa discorrere, investigare, ed operare le notizie degli oggetti, e mediante le potenze spirituale può dilettarsi nell'oggetto delle notizie già ricevute in queste potenze, senza che quelle operino con travaglio, investigazione, e discorso. Onde se in alcuna maniera di esercizio, e sia intorno all'operar con le potenze sensitive nella meditazione, e discorso, ovvero intorno al già ricevuto, ed operata nella contemplazione, e notizia semplice, che si è detta, non istesse l'anima impiegata, ma in ozio dell'uno e dell'altre; non sa come, nè per qual via si potesse dire, che stesse occupata. E' dunque necessaria questa notizia, per avere a lasciare la via della meditazione, e del discorso.* Igitur ex S. Joanne anima in orationa debet producere actus siva discursivos meditando, siva simplicis attentionis affectivæ ad Deum præsentem contemplando; alias manebit otiosa, & nihil ageret. Proinde dici nequit, quod anima in oratione debeat persistere in præsentia Dei, sine ulla productione actuum; ut falso docet Molinosius, cujus doctrina vel inde penitus ruet, si repetamus dicta in confutatione primæ Propositionis: nimirum, quod primus actus adorationis Dei, & præsentiæ illius ita est perennis, ut si non revocetur, samper maneat, immo duret per totam vitam.

Impugnatur quoad tertiam partem dicta Propositio, in qua asseritur, quod Deus in productione ajusmodi actuum sibi non complaceat. Nam de fide certum ait, Deum nobis præcipere actus fidei, & cognitionis sui ipsius, juxta illud Jo. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, & quem misisti Jesum Christum.* Actus insuper adorationis, & amoris juxta aliud Matth. 4. vers. 10. *Deum tuum adorabis, & illi soli servies:* & 22. vers. 37. ajusdem Matth. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Atqui si Deus in productione hujusmodi actuum sibi non complaceret, ut sibi temere confingit Molinosius; illos nobis minime præciperet. Cum ergo certum sit, eos nobis præcipere; certum quoque ait, eum sibi in productione illorum sibi complacere. Tum vero, quid excogitari potest, vel ex omnibus Scripturis crui Deo gratius, atque acceptius, quam illum humillima adoratione prosequi, & ferventissime amare? Propter quod Joannes Apostolus illuminatissimus, ac summe contemplativus, non aliud per singulas collectas Discipulis quam proximi dilectionem commendans, iis ægre ferentibus hoc unicum præceptum tam crebro inculcatum „ Filioli diligite alterutrum " *dignam Joanne* (ut ait Hieronymus de Script. Eccles.) *respondit sententiam: Quia præceptum Domini est: & si hoc tantum fiat; sufficit.*

§. XXI.

XXII. *Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit; nec postea cognoscit illam se habuisse. Et idem dicitur de amore.*

De fidei cognitione, alias utilissima, sub qua, ut exponitur in antecedenti Propositiona, plura latent monstra, quorum tartarea capita hydræ æmula, vel semel, vel multoties amputata revirescunt, duo in hac asseruntur. Primum, non esse actum ab anima productum, sed animæ oranti traditum, & communicatum, quod pariter ad actum amoris caritatis extanditur. Secundum, eos actus animam, quando habeat, minime cognoscere; nec postquam habuit, se cognoscere habuisse.

Propositio, ut jacet, ast *perniciosa in praxi, relaxativa totius Ecclesiastica Disciplina, & erronea.*

Falsitas pimæ partis, ex dictis adversus II. & IV. Propositionem ostensa, iterum aperitur. Actus enim tum cognitionis per fidem, tum caritatis, sunt actus vitales. Actus autem ejusmodi de sui natura, & ab intrinseco petunt ab intellectu, & voluntate prodire, tamquam a potentiis vitalibus. Quod adeo verum ast in Theologorum omnium sententia, ut si per impossibila a Deo immediate possent infundi, numquam possent denominare intellectum cogitantem, & voluntatem amantem.

Quantum vero ad secundam partem, in qua asseritur, creaturam hos actus non alicere, neque sa alicuisse cognoscere, postquam illos habuit; falsitatis paritat avincitur ax doctrina S. Thomæ Part. 1. quæst. 87. art. 3. ubi quærit, an intellectus cognoscat proprium actum? & disserendo de intellectu humano, ait: *Id, quod primo cognoscitur ab intellectu humano, est objectum; & secundario cognoscitur ipse actus, quo cognoscitur objectum; & per actum cognoscitur ipse intellectus, cujus est perfectio ipsum intelligere. Et ideo Philosophus dicit, quod objecta præcognoscuntur actibus; & actus potentiis.* Et ad 1. ibid. inquit: *Objectum intellectus est commune quoddam, scilicet ens, & verum, sub quo comprehenditur etiam ipse actus intelligendi. Unde intellectus potest suum actum intelligere.* Et quæst. 14. art. 2. ad 3. scribit: *Intellectus noster possibilis se habet in ordine intelligibilium sicut materia prima in ordine rerum naturalium: eo quod est in potentia ad intelligibilia, sicut materia prima ad naturalia. Unde intellectus noster possibilis non potest habere intelligibilium operationem, nisi inquantum perficitur per speciem intelligibilem alicujus. Et sic intelligit seipsum per speciem intelligibilem; sicut & alia. Manifestum est autem, quod ex eo, quod cognoscit intelligibile, intelligit ipsum suum intelligere; & per actum cognoscit potentiam intellectivam.* Constat igitur ex S. Thoma, intellectum cognoscere suum actum intelligendi, & cognoscendi; consaquenter & cognoscere, sa fidem habere, illamque habuissa: *quia* (ut ait idem S. Thomas ibid. quæst. 85. art. 2.) *intellectus supra seipsum reflectitur; secundum eamdem reflexionem intelligit suum intelligere.* Hioc Angelicus aperte docet, eum, qui habet fidem, cognoscere se illam habere, 1. 2. quæst. 112. art. 5. ad 2. dicens: *De ratione fidei est, quod homo sit certus de his, quorum haber fidem. Et hoc ideo, quia certitudo pertinet ad intellectus perfectionem, in quo prædictum donum existit. Et ideo quicumque habet fidem, certus est se habere.* Quid clarius profarri poterat contra Molinosii doctrinam, qua adstruitur, creaturam non cognoscere se habere fidem, nec postmodum cognoscere se illam habuissa?

Idem dicito de amore: creaturam scilicet producere actum amoris, & caritatis, supposito divino auxilio. Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 2. ait: *Non potest dici, quod Spiritus Sanctus sic moveat voluntatem ad actum diligendi, sicut movetur instrumentum; quod etsi sit principium actus, non tamen est in ipso agere, vel non agere. Sic enim tolleretur ratio voluntatis, & excluderetur ratio meriti; cum tamen supra habitum sit, quod dilectio caritatis est radix merendi. Sed oportet, quod sic voluntas moveatur a Spiritu Sancto ad diligendum, quod etiam ipsa sit efficiens actum.*

Ergo actus amoris ast actus a creatura productus, non vero a Deo creaturæ traditus. Hunc vero actum cognoscere creaturam se habere, quando habet, illumque habuisse, postquam habuit, clare quoque docet idem S. Thomas Part. 1. quæst. 87. art. 4. ubi ait: *Actus voluntatis intelligitur ab intellectu, & inquantum aliquis percipit se velle, & inquantum aliquis cognoscit naturam hujus actus.* Et speciatim, quod cognoscat actum amoris alicitum a voluntate, expresse tradit idem Angalicus Doctor 2. 2. quæst. 25. art. 2. dicens: *Quia ipsum velle est quoddam bonum, potest voluntas velle se velle; sicut & intellectus, cujus objectum est verum, intelligit se intelligere, quia hoc etiam est quoddam verum. Sed amor etiam*

in

ex ratione propriæ speciei habet, quod supra se reflectatur; quia est spontaneus motus amantis ad amatum. Unde ex hoc ipso, quod amet aliquis, amat se amare. Ergo cognoscit creatura, dum Deum amat, se illum amare: falsum proinde adstruit Molinosius, scilicet, quod creatura non cognoscat se diligere Deum; nec postea cognoscat se elicuisse amorem divinum, cum elicuit.

Objicies. Propositio præsens confutata consequitur ad Propositionem immediate antecedentem XXI. in qua sermo est de oratione, seu contemplatione in caligine, ut diximus supra suo loco: proinde quando in hac Propositione Auctor asserit, quod cognitio & amor non sint actus a creatura producti, sed solum a Deo creaturæ traditi; loqui videtur de cognitione & amore, quæ habentur in contemplatione infusa. Atqui sancti Ascetæ docent, quod in contemplatione infusa non operetur anima ex se, & per suas potentias; sed potius Deus operetur in illa amorem, & intelligentiam: quodque anima in tali statu mere passive se habeat, recipiendo dumtaxat a Deo amorem & cognitionem. Ergo videtur posse sustineri, ut docet Molinosius, cognitionem scilicet & amorem non esse actus a creatura productos, sed a Deo solo creaturæ traditos. Minor constat ex iis, quæ scribit S. Theresia cap. 16. Vitæ suæ, ubi differens de contemplatione infusa, inquit: *Vuole il Signore qui ajutare l'ortolano, in modo che egli stesso sia l'ortolano, e faccia tutto quello che si ha da fare*: & ex iis, quæ tradit S. Joannes a Cruce in Tract. Flammæ amoris vivi Mans. 3. §. 6. ubi pariter loquens de contemplatione infusa, ait: *Il principale agente in questo stato è Iddio, il quale occultamente, e quietamente va mettendo nell'anima sapienza, e notizia amorosa. Onde totalmente se allora l'anima vuole operare da se portandosi di altra maniera, più che con l'avvertenza passiva amorosa, molto passivamente, e tranquillamente senza discorrere come prima; porrebbe impedimento ai beni, che Iddio le sta comunicando nella notizia amorosa. La quale se si va ricevendo nell'anima passivamente, ed al modo di Dio, e non al modo dell'anima; ne segue, che per riceverla deve l'anima star molto sbrigata, oziosa, pacifica, e serena al modo di Dio.* Consonant alii Mystici, quorum plurimos allegat P. Balthasar a S. Catharina ad Mansiones S. Theresiæ Mans. 5. cap. 1. Reflex. 9. Rursus, quando in Propositione impugnata adstruitur, quod anima non cognoscat se habere cognitionem & amorem, nec postea cognoscat habuisse; intelligi pariter debet de contemplatione infusa, in qua aliquando anima ita figitur in Deum, sibi modo speciali præsentem, ut non reflectat vel ad cognitionem, vel ad amorem, quibus eum attingit. Unde scribit S. Theresia cap. 19. suæ Vitæ de statu animæ in contemplatione infusa. *La volontà deve star ben occupata in amare, ma non intende, come ama. L'intelletto se intende, non s'intende, come intenda; almeno non può comprendere niente di quello che intende: a me non pare che intenda; perchè, come dico, non s'intende.* Et S. Joannes a Cruce lib. 2. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 14. loquens pariter de effectibus contemplationis infusæ in anima, inquit: *Altre volte questa divina luce investe l'anima con tanta forza, e violenza, che nè sente tenebre, nè riflette in luce, nè le pare poter niente conoscere, se sia di quà, o di là. Che però si rimane l'anima alle volte come in un grand'oblio, che non sa poi dire, dove sia stata, nè che si abbia fatto; nè le pare, che sia passato per lei alcun tempo.* Ergo videtur sustinenda doctrina Molinosii, qua asserit, animam contemplativam non cognoscere se habere intelligentiam & amorem; & si habuerit, postmodum non cognoscere, se habuisse.

Respondeo I. doctrinas S. Theresiæ, S. Joannis a Cruce, & aliorum Ascetarum adductas nihil habere commune cum Propositione Molinosii justissime proscripta. In hac namque sermo est de oratione absolute, & universaliter; ut patet ex terminis: doctrinæ vero prolatæ loquuntur specialiter de contemplatione infusa, & quidem perfectissima, modo inferius explicando. Hinc non concludunt pro qualibet oratione, & quocumque illius statu; cum ex particulari argui non possit ad universale.

Respondeo II. specialiter ad primam instantiam cum S. Thoma in 3. dist. 34. quæst. 1. art. 1. & 1. 2. quæst. 68. art. 1. & 2. Actus qui eliciuntur in oratione, aliqui sunt supernaturalis quoad substantiam tantum, & non quoad modum: quia licet ex motione divina, & circa objectum supernaturale eliciantur; attamen modo humano, & connaturali eliciuntur. Alii vero sunt supernaturales & quoad substantiam, & quoad modum: quia non solum circa objectum supernaturale eliciuntur; verum per specialem Spiritus Sancti motionem ex donis sapientiæ & intellectus modo potius divino, quam humano producuntur. Et licet utrique actus sint effective a potentiis spiritualibus hominis; attamen posteriores dicuntur potius a Deo creaturæ traditi, quam a creatura producti: quia specialissima Spiritus Sancti motione fiunt a potentiis humanis. Hinc S. Theresia, licet loco in objectione adducto dicat, quod Deus faciat totum id quod fieri debet in illo statu orationis; attamen immediate subdit ibidem: *E' un sonno delle potenze, le quali nè del tutto si perdono, nè intendono, come operano*: & post pauca: *Imperciocchè veramente stanno le potenze in effetto quasi del tutto unite, ma non tanto ingolfate, che non operino.* Quo nihil clarius proferre poterat orationis Magistra, ad contestandum, in hujusmodi altissima contemplatione revera potentias active operari, ac producere suos actus. Et S. Joannes a Cruce, licet in Tractatu citato pluries doceat, animam in ejusmodi altissima contemplatione passive se habere, recipiendo potius divinam influentiam; attamen nullibi excludit operationes activas animæ. Unde in principio laudati Tractatus in expositione primæ Mansionis ad rem nostram ita mirifice scribit: *Il negozio dell'anima in questo stato è solamente ricevere da Dio, il quale solo può nel fondo dell'anima senza ajuto de' sensi fare, muoverla, ed operare in essa. Onde tutti questi movimenti di tal anima sono divini, e quantunque siano di Dio, sono anche di essa; perchè Dio li fa in essa, e con essa, dando ella la sua volontà, e consenso.* Melius explicare non potuisset S. Joannes actus, qui fiunt in contemplatione infusa ex dono sapientiæ & intellectus, ex quibus *disponitur anima, ut divinitus moveatur*, ut inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 68. art. 1. in corp. Ad quæ faciunt ea, quæ scribit idem S. Doctor in Epist. ad Rom. cap. 8. ad illud: *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei*: ubi docet, homines spirituales per specialem motionem agi a Deo, ut tamen effective concurrant ad opera supernaturalia, ad quæ instinctu speciali moventur: nam per hunc datur illis *velle, & perficere pro bona voluntate*. Hinc in quæst. unic. de Unione Verbi docet, quod facultas, sive virtus, quæ est principium alicujus actionis, si moveatur a virtute superiori; operatio procedens ab ipsa, non solum actio dicitur, sed passio, quatenus oritur ab una virtute, quæ ab alia superiori movetur. Proinde actus supernaturales perfectissimi, qui fiunt in contemplatione infusa, licet effective oriantur a potentiis spiritualibus, attamen quia istæ ex speciali instinctu Spiritus Sancti applicantur ad ejusmodi actus eliciendos, dicuntur ejusmodi actus potius a Deo creaturæ traditi, quam ab ipsa creatura producti, quia propria virtute, & modo connaturali eos potentiæ non producunt.

Respondeo III. ad specialem doctrinam secundo loco adductam, quod actus, qui eliciuntur in contemplatione infusa, aliquando sint directi, & reflexi; aliquando solum directi, & non reflexi: eo quia anima adeo intense occupatur per suas potentias spirituales ad objectum divinum, sibi modo speciali præsens, ut non reflectat supra suos actus, ut docent tum Mystici, tum Scholastici Doctores, quos citat, & sequitur sæpe laudatus P. Balthasar a S. Catharina Mans. 6. cap. 1. Reflex. 8. & consonat Suarez de Relig. lib. 1. de orat. cap. 4. num. 7. & lib. 2. cap. 13. num. 4. Ac proinde tunc dici potest, animam non cognoscere suam cognitionem, & suum amorem: & in hoc sensu locuta est S. Theresia, & S. Joannes a Cruce. Attamen hoc non evenit semper etiam in altissima contemplatione: nam persæpe actus animæ sunt etiam reflexi in ejusmodi statu, ut bene observat loco citato illuminatissimus S. Joannes a Cruce, subdens ad institutum nostrum: *Avvertasi però, che non si deve intendere, che questa notizia abbia necessariamente a causare questa dimenticanza, perchè sia quella, che quì diciamo: imperciocchè ciò solamente accade, quando Dio con particolarità astrae l'anima. E questo succede il manco delle volte; perciocchè non sempre questa notizia occupa tutta l'anima. Imperciocchè quando non solo all'intelletto, ma insieme si comunica alla volontà, il che avvien quasi sempre; o poco o molto, non lascia l'anima di conoscere, seppure ci vuol mirare, che sta impiegata, ed occupata in questa notizia, in quanto si sente in quella con certa dolcezza amorosa, e gusto, senza sapere, nè intendere in particolare quello che ama. E perciò si chiama notizia amorosa, e generale: perchè siccome è tale nell'intelletto, comunicandosegli oscuramente; così eziandio lo è nella volontà, comunicandole confusamente amore, e gusto, senza che sappia distintamente ciò che ama.* Igitur juxta sensum S. Joannis non semper in contemplatione ita abstrahitur anima, ut actus ejus sint dumtaxat directi, & non etiam reflexi; quin potius sunt reflexi: quia cognoscit, si velit, cognitionem suam & amorem, licet objectum, circa quod hujusmodi actus eliciuntur, sit sibi obscurum, & confusum. Hinc dicitur contemplatio in caligine. Constat ergo falsitas doctrinæ Molinosticæ, tum quia loquitur absolute, & generaliter de omni oratione, cum e contra Sancti ac Mystici solum de tempore contemplationis infusæ, & quidem altissimæ, loquantur; tum quia in diverso sensu loquitur, ac loquantur Sancti & Mystici Doctores.

§. XXII.

§. XXII.

XXIII. *Mystici cum S. Bernardo in Schola Claustralium distinguunt quatuor gradus : lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, numquam ad secundum pertransit; qui semper in secundo persistit, numquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus animam non trahat, absque eo quod ipsa id expectet, ad contemplationem infusam : & hac cessante, anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut ad primum.*

AD perfectam hujus Propositionis intelligentiam, quæ, ut jacet, est *falsa, injuriosa Auctori Opusculi, temeraria, perniciosa in praxi, & hæresi proxima*, prænotandum est primo, S. Bernardum in Scala Claustralium quatuor speciales gradus, per quos ascenditur ad Deum, enumerare, eorumque officia, & proprietates explicare his verbis : *Cum die quadam corporali manuum labore occupatus, de spiritualis hominis exercitio cogitare cœpissem; quatuor spirituales gradus animo cogitanti se subito obtulerunt : scilicet, lectio, meditatio, oratio, & contemplatio. Est autem lectio, sedula Scripturarum cum animi intentione inspectio. Meditatio est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ducta propriæ rationis investigans. Oratio est devota cordis intentio in Deum pro malis amovendis, & bonis adipiscendis. Contemplatio est mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. Igitur lectio inquirit, meditatio invenit, oratio postulat, contemplatio degustat. Unde ipse Dominus dicit :* „ Quærite & invenietis; pulsate, & aperietur vobis. “ *Quærite legendo; & invenietis meditando : pulsate orando; & aperietur vobis contemplando.* Ex quibus verbis prænotandum est secundo, quod oratio, quam S. Bernardus tertio loco ponit, quamque falso Molinosius adstruit esse contemplationem acquisitam, in sensu S. Bernardi est petitio divinorum auxiliorum. Unde illam ibidem definit Bernardus : *Oratio est*, inquit, *devota cordis intentio in Deum pro malis amovendis, & bonis adipiscendis* : & post pauca : *Oratio pulsat : Pulsate orando* : & clarius infra dicens : *Meditatio, quid appetendum sit, diligentius inquirit, & quasi effodiens thesaurum invenit, & ostendit. Sed cum per se obtinere non valeat, mittit nos adorationem. Oratio autem se totis viribus erigens ad Dominum, impetrat thesaurum desiderabilem, contemplationis suavitatem.* Constat igitur ex S. Bernardo, quod oratio, quam tertio loco inter gradus quibus ascenditur ad Deum, constituit, non sit contemplatio acquisita, ut perperam interpretatur Molinosius; immo sit contemplationis impetratio.

His prænotatis, error Propositionis proscriptæ consistit in hoc, quod doceat, animam, quæ pervenit ad contemplationem sive infusam, sive acquisitam, non debere amplius redire ad alios duos gradus, scilicet ad meditationem, sive ad lectionem; sed quando non trahitur a Deo ad contemplationem infusam, debere per totam vitam manere in contemplatione activa, sive acquisita. Hinc consequenter voluit, contemplationem acquisitam, sive activam, haberi ab anima permanenter, & habitualiter.

Sed falsitas hujus Propositionis quocumque rationis fundamento destitutæ, immo Doctorum sensui, & sententiæ contrariæ, ex eo est manifesta, quod scribit ibidem S. Bernardus in fine citatæ Scalæ Claustralium, ubi ad rem nostram quasi præveniens Molinosium ita mirifice ait : *Beatus cui in hoc supremo gradu* (idest quarto contemplationis) *vel modico tempore conceditur manere : qui vere potest dicere : Ecce sentio gratiam Domini : ecce cum Petro & Joanne gloriam ejus in monte contemplor : ecce cum Jacob plerumque Rachelis amplexibus delector. Cum vero mentis humanæ acies infirma veri luminis illustrationem diutius sustinere non poterit, ad aliquem trium graduum, per quos ascenderat, leviter, & ordinate descendat : & alternatim modo in uno, modo in altero, secundum modum liberi arbitrii, pro ratione loci & temporis demoretur, tanto jam Deo vicinior, quanto a primo gradu remotior.* Docet igitur S. Bernardus, quod anima, quando habere nequit contemplationem sive infusam, sive acquisitam, redire debeat ad alios tres gradus : hoc est ad orationem, postulando scilicet hujusmodi donum a Deo; ad meditationem; vel ad lectionem. Ergo falsum est, quod anima, cessante contemplatione infusa, regredi debeat ad tertium gradum dumtaxat : hoc est, juxta sensum Molinosii, ad contemplationem acquisitam; & in ipso permanere absque eo quod amplius redeat ad secundum, vel ad primum.

Rursus ibidem videtur S. Bernardus loqui de contemplatione activa, & acquisita, dum ait, ex infirmitate mentis humanæ non posse esse diuturnam : nam hæc est propria ratio, propter quam contemplatio acquisita nequeat diu durare, ut bene probat Cardinalis de Laurea Opusc. 6. cap. 10. Nam contemplatio infusa perdurat, quamdiu Deo placet; nec interrumpi potest ex infirmitate mentis humanæ, ut prosequitur laudatus Cardinalis Opusc. 7. cap. 11. Cum ergo S. Bernardus doceat, hujusmodi contemplationem non posse esse diuturnam ex mentis humanæ infirmitate; & hac cessante, debere animam redire ad postulationem, vel ad meditationem, vel ad lectionem : consequitur plane, contemplationem etiam acquisitam haberi non posse ab anima permanenter, & habitualiter; & hac cessante, regredi debere ad unum ex tribus gradibus enumeratis.

Iterum S. Bernardus in Tractatu de octo punctis puncto 4. inquit: *Verum tamen est, quod nullus mortalium potest huic contemplationi jugiter inhærere : sed id ideo dictum est, ut scias, ubi mentis intentionem debeas habere fixam, & ad quam destinationem semper animæ tuæ revoces intuitum, quam cum obtinere poterit mens, gaudeat; & a qua abstractam se doleat, atque suspiret, quotiescumque ab illo intuitu se deprehenderit separatam. Quod si querulosa voce mihi obviare volueris dicens te diu in eodem statu manere non posse : noscere debes, quod divina virtus plus potest facere, quam homo possit cogitare; & quod frequentia actus similem sibi habitum generare consuevit. Unde sæpius contingit, quod ad illud, ad quod fortassis homo se in principio adstrinxit cum quadam violentia, & difficultate, postea faciliter operabitur, & tandem cum magna delectatione, dummodo non desistat.* Loquitur vero S. Bernardus de contemplatione activa, & acquisita, ut evidens est; ac fatetur, neminem posse illam continuo habere, licet quisque debeat, quantum potest, curare ut habeat. Ergo sustineri non potest, quod in contemplatione acquisita per totam vitam persistendum sit, dummodo Deus non trahat animam ad contemplationem infusam; ut pessime somniavit Molinosius.

Consonat dictis S. Gregorius Papa, qui lib. 30. Moral. cap. 23. & 24. ita ad rem nostram præclare scribit : *Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exsurgentem intrinsecus strepitum terrenorum desideriorum premant; ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restinguant amoris; omnesque motus importune se offerentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis; & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriori strepitu cessante, per interna desideria silenter loquantur. De hoc secreto cordis alias dictum est.* „ Factum est silentium in cœlo, quasi „ dimidia hora. “ *Cœlum quippe vocatur Ecclesia electorum, quæ ad æterna & sublimia dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis quia in hac vita perfectum esse non potest, factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animo dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt; etiam sublimibus intendentem, rursum ad respicienda terrena oculum cordis trahunt. Unde scriptum est.* „ Corpus, quod corrumpitur, aggravat ani„ mam : & deprimit terrena inhabitatio sensum multa „ cogitantem. “ *Bene ergo factum silentium non integra, sed dimidia hora describitur : quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur.* Mirifice S. Gregorius explicat divinam contemplationem, & quidem acquisitam, seu activam; ut bene advertit Cardinalis de Laurea Opusc. 6. cap. 10. §. *Idem S. Gregorius* : quia hæc strepitui, ac infestationi cogitationum subjecta est, & cessare cogitur : non sic infusa, quæ tamdiu durat, quamdiu a Deo conservatur; cum strepitui cogitationum terrenarum non sit subjecta. Porro docet, hujusmodi contemplationem neque continuam, neque diuturnam esse posse. Quomodo ergo verum erit, quod in illa per totam vitam persistendum sit? Quomodo in illa semper permanere debebit anima sine reditu ad meditationem, vel lectionem; ut perperam docet Molinosius? Non video sane. Viderit ipse, qui se, & alios ad eam perniciosissime deduxit. Accedit Richardus a S. Victore lib. 5. de contempl. cap. 17. ita disserens : *Veruntamen, qui ad hanc gratiam contemplationis profecit, cum eam sibi ultra solitum subtrahi jam sentit; est, quod facere debeat. Debet propriis meditationibus cordis in se exultationem reparare.* Hinc bene contra Molinosium apud Cassianum Collat. 23. cap. 5. legitur : *Quis umquam Sanctorum, hujus corporis vinculis colligatus, summum hoc bonum ita possidere potuisse credendus est, ut numquam a divina contemplatione discedens, ne parvo quidem tempore ab eo, qui solus bonus est, terrenis cogitationibus putetur abstractus? Denique illum Apostolum Paulum, qui omnium Sanctorum passionem laborum numerositate transcenderat, nequaquam hoc implere potuisse confidenter*

adstrui-

adstruimus, ipse in Actibus Apostolorum Discipulis attestante: „ Ipsi scitis, quod ad ea, quæ mihi opus erant, „ ministraverunt manus istæ: “ *vel cum Thessalonicensibus scribens, in labore, & fatigatione, nocte & die operatum se fuisse testatur. Quibus licet magna eidem meritorum stipendia pararentur; tamen mens ejus, quamvis sancta atque sublimis, non poterat non ab illa cælesti theoria intentione terreni operis aliquando divelli*. Et Collat. 1. cap. 23. clarius de contemplatione acquisita idem declaratur: *Inhærere Deo jugiter, & contemplationi ejus, quemadmodum dicitis, inseparabiliter copulari, impossibile est homini, ista carnis fragilitate circumdato*. Si ergo est impossibile jugiter inhærere Deo ac inseparabiliter per contemplationem: consequenter anima, dum non potest contemplari, ne perniciosa otiositate detineatur, necessum est ut oret Dominum, vel meditetur, vel legat; proindeque, juxta sensum S. Bernardi, ad unum ex tribus gradibus descendat; & modo in uno, modo in altero permaneat. Nec dissentit a doctrina hactenus tradita S. Thomas, dum 1. 2. quæst. 3. art. 2. ad 4. ita scribit: *In Angelis beatitudo est ultima perfectio secundum aliquam operationem, qua conjunguntur bono increato: & hæc operatio est in eis unica, & sempiterna. In hominibus autem secundum statum præsentis vitæ, est ultima perfectio secundum operationem, qua homo conjungitur Deo. Sed hæc operatio continua esse non potest: & propter hoc in statu præsentis vitæ perfecta beatitudo ab homine haberi non potest*. En ex S. Thoma, quod contemplatio hujus vitæ perennis esse non possit. Qua ergo fronte Molinosius adstruit, quod anima per totam vitam in ea persistere debeat, cessante contemplatione infusa, absque regressu ad orationem, meditationem, vel lectionem? Rationem vero, ob quam contemplatio hujus vitæ continua esse non possit, habes apud eumdem S. Thomam 2. 2. quæst. 83. art. 13. ad 2. ubi ait: *Mens humana propter infirmitatem naturæ diu stare in alto non potest. Pondere enim infirmitatis humanæ deprimitur anima ad inferiora. Et ideo contingit, quod quando mens orantis ascendit ad Deum per contemplationem, subito evagetur ex quadam infirmitate*. Et quæst. 181. art. 4. ad 3. scribit: *Durabilitas vitæ activæ in statu præsenti, excedens durabilitatem vitæ contemplativæ, non provenit ex proprietate utriusque vitæ secundum se consideratæ; sed ex defectu nostri, qui ex corporis gravitate retrahimur ab altitudine contemplationis. Unde ibidem subdit Gregorius, quod ipsa sua infirmitate ab immensitate tantæ celsitudinis repulsus animus in semetipso relabitur*. Constat igitur ex S. Thoma, contemplationem acquisitam, de qua abs dubio loquitur, ut patet tum ex ratione superius adducta, tum ex superrimo ratiocinio ejusdem, continuam esse non posse, nec permanentem, aut habitualem. Ergo quando anima hanc habere non potest, necesse est ut redeat vel ad orationem, vel ad meditationem, sive ad lectionem, ne otiosa permaneat. Insuper hæc omnia egregie illustrat Dionysius Carthusianus in Tractatu, inscripto, *Vitæ spiritualis utilissimum compendium, cui titulus, Præcordiale*; ubi art. 6. docet, contemplationem non posse in hac vita esse diuturnam; & ista cessante, redire animam debere ad meditationem. Verba laudati Contemplativi sunt, quæ subjicio: *Non sinit præsentis vitæ status uni cogitationi semper mentem nostram insistere, neque possibile est contemplationi, ac dilectioni Dei jugiter sine interruptione intendere; sed volvitur, atque delabitur anima de uno in aliud. Ideoque plures divinæ meditationes imprimendæ sunt; & non solum unum, sed omnia, quæ ad salutem pertinent, caritatemque promovent, vel timorem inducunt, in præcordiis nostris scribenda sunt, atque firmissime infigenda: quatenus dum mens ipsa ab una cogitatione salubri avertitur, ad aliam aliquam bonam protinus convertatur*. Quibus verbis clare nos erudit extaticus hic Carthusianus, quod contemplatio in hac vita non possit continuo haberi, & dum non habetur, anima debeat aliis divinis meditationibus insistere.

Sed operæ pretium est audire S. Theresiam, quæ pluribus in locis quasi prævidens putidam doctrinam Molinosii, adversus eam insignia tradidit documenta. Et primo quidem cap. 13. Vitæ suæ ait: *Non vi è anima in questo cammino di orazione sì gran gigantessa, che non abbia bisogno di tornare ad essere fanciulla, e ad allattare. Di questo nessuno giammai si scordi, che forse lo replicherò più volte, importando molto; atteso che non v'è stato di orazione tanto alto, che non sia necessario molte volte tornare al principio: e particolarmente la considerazione de' peccati, ed il proprio conoscimento è il pane, col quale si hanno da mangiare tutti i cibi, per delicati che sieno, in questo cammino di orazione; e senza questo pane non si potrebbe sostentare*. Et cap. 15. ejusdem Vitæ suæ scribit: *Non tengano per cosa bassa il pensare, che i beni di questo mondo sono brevi, e transitorj; poichè è grandissimo il bene, che di qui ne viene, e s'acquista. E perciò io l'avvertisco tanto; atteso che bisognerà ancora in certi tempi a quelli, che hanno altissima contemplazione, volendoli Dio provare, e parendo loro tal volta, che Iddio gli lasci, ed abbandoni. Onde non vorrei, come già ho avvisato, che ciò andasse in oblivione; poichè in questa vita mortale non cresce l'anima, come il corpo, ancorchè diciamo che sì, e veramente cresce: ma un fanciullo dopo cresciuto, e fatto il corpo grande da uomo, non torna ad impiccolire, ed ad avere corpo picciolo; ma l'anima vuole Iddio che si in questa vita presente (per quello che ho veduto in me, che per altro non lo so) debb' essere per umiliarci, per nostro gran bene, e perchè non ci trascuriamo, mentre staremo in questo esilio: poichè quanto uno si vedrà in più alto stato, tanto più ha da temere, e men fidar di se stesso. Vengono tal volta occasioni, nelle quali queste anime, che hanno posta tutta la loro volontà in Dio, per liberarsi dai pericoli d'offenderlo, e per non far peccati, vedendosi combattute da gagliarde tentazioni, e persecuzioni, hanno bisogno di valersi delle prime armi dell'orazione, e di tornare a pensare, che tutto finisce, e che vi è Cielo, ed Inferno, ed altre cose simili*. Quam contraria sint hæc Molinosticæ doctrinæ, nemo non videt. Si enim animæ, etiam ad infusam contemplationem elevatæ, debent aliquando regredi ad meditationem suorum peccatorum, propriæque cognitionis, necnon ad considerationem vanitatis rerum omnium, ad meditandum Paradisum, & Infernum, ne succumbant tentationibus; consequenter falsissimum erit, quod animæ per totam vitam manere debeant in contemplatione acquisita, quando Deus eas non trahit ad infusam, absque reditu ad meditationem, sive lectionem, ut perperam adstruit Molinosius. Eamdem doctrinam cap. 12. suæ Vitæ tradiderat, ubi pluries repetit, animam elevantem se ad contemplationem, ruinam sibi construere; ad quam evitandam monuerat, debere animam se in meditationis studio exercere, in eoque usque ad tempus idoneum perseverare. *Torno di nuovo ad avvertire, che importa molto a non elevare lo spirito, se il Signore non l'inalza egli alle cose straordinarie, e soprannaturali, essendo questa cosa, che subito s'intende, e si conosce. Particolarmente per Donne è di più male, atteso che potrebbe il Demonio cagionare qualche illusione*. Subscribit sacræ Parenti illuminatissimus Filios S. Joannes a Cruce, qui lib. 2. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. ult. postquam docuerat, quod anima cessare debeat a meditatione, & discursu, cum Deus ei communicat contemplationem infusam, sive cum anima divina ope adjuta seipsam collocat in contemplatione acquisita, & activa; attamen extra illud tempus redire debeat ad meditationem: præclare subdit: *Tutta la dottrina, che si è detta in questo libro circa la totale astrazione, e passiva contemplazione, lasciandosi l'anima guidare da Dio con oblio di tutte le cose create, e con nudezza, e staccamento da immagini, e figure, fermandosi con semplice vista nella somma verità: non solamente si deve intendere per quell'atto di perfettissima contemplazione, il cui sublime, e del tutto soprannaturale riposo viene impedito anche dalle figliuole di Gerusalemme, che sono i discorsi, e le buone meditazioni, se in quel medesimo tempo si volessero avere; ma eziandio per tutto il tempo, che nostro Signore comunica la semplice, generale, ed amorosa avvertenza già detta, o che l'anima ajutata dalla grazia si mette in quella. Però fuori di questo tempo in tutti i suoi esercizj, atti, ed opere si deve valere delle memorie, e delle buone meditazioni nella maniera, che le recheranno maggior divozione, e profitto: e particolarissimamente intorno alla vita, passione, e morte di Gesù Cristo Signor Nostro, per conformare le sue azioni, esercizj, e vita con quella di lui*. Ex quibus constat I. contemplationem acquisitam non esse perpetuam, nec habitualiter posse haberi. Nam si extra illud tempus, quo anima divina gratia adjuta ponit se in contemplatione acquisita, redeat necessum est ad meditationem; consequitur plane, animam non semper posse in contemplatione hujusmodi perdurare: alias rueret documentum S. Joannis, cum certum sit, contemplationem acquisitam esse terminum meditationis, eaque perfectiorem; qua habit, anima quiescit a discursu, & meditari non debet. Constat II. contra Molinosium, quod anima extra tempus contemplationis sive infusæ, sive acquisitæ, uti debeat meditatione; quæ præcipue versetur circa Mysteria vitæ, passionis, & mortis Christi Domini: proinde falsum omnino est, quod anima per totam vitam persistere debeat in contemplatione acquisita, nec redire amplius ad meditationem. Confirmantur hæc omnia ex iis, quæ docet devotissimus P. Balthasar Alvarez, cujus sæpe meminimus tum ob altissimam ejus contemplationem, ad quam a Deo fuit elevatus; tum quia fuit Director, ac Confessarius S. Theresiæ. Ille igitur cap. 42. Vitæ suæ ita mirifice disserit ad institutum nostrum: *I medesimi, che sono saliti a questo modo di orazion di quiete, hanno necessità di non obliare l'esercizio del meditare, e pensar qualche cosa de' divini Misteri. Perchè molte volte cessa il favore, e la divina mozione, da cui sono elevati a divina*

quiete;

quiete; ed è d'uopo, che allora operino essi colle le loro potenze: giacchè non debbono essere come navigli di alto bordo, i quali solamente si muovono col vento; ma come galee, e altri più piccioli legni, a' quali mancando il vento, servono i remi, e se mancasse loro e vento e remi, si rimarrebbero con oziosa calma. Così, e non altrimenti, mancando il vento della divina special mozione, e la cooperazione, e industria delle nostre potenze, si starebbono oziose, e ferme nello spiritual cammino.

Objicies I. Animæ incedentes per viam internam non debent meditationi vacare. Ait enim S. Dionysius cap. 1. de Myst. Theolog. *Tu autem, o amice Timothee, circa Mysticas visiones forti contritione & sensus derelinque, & intellectuales operationes.* Ergo citra periculum possunt animæ hujusmodi se a meditatione segregare: periculosum quippe non est, monito Principis Theologiæ Mysticæ obsecundare.

Respondeo, hujus argumenti debilitatem agnosci, si opinio Molinosii cum S. Dionysii doctrina conferatur. Sentit Molinosius, meditationem exercendam non esse; in ea sine ullo prorsus fructu tempus insumi; atque quoscumque etiam incipientes oportere contemplationi vacare. Ad hanc opinionem roborandam quid subsidii ex laudatis S. Dionysii verbis eruitur? Docet S. Dionysius, operationes intellectuales esse deserendas. Opinio contraria tenet, meditationem relinquendam, atque contemplationem exercendam. Numquid sola meditatio est operatio intellectualis? Contemplatio cujus potentiæ est actus? Nonne intellectus? Ut quid ergo, cum Dionysius doceat, operationem intellectualem esse relinquendam; ipse Molinosius de sola meditatione hoc intelligit, & exponit, eaque auctoritate fretus meditationem eliminare, atque contemplationem suadere contendit? Loquitur ergo Dionysius de intellectuali operatione ipsi intelligenti connaturali; non de intellectuali operatione, quæ modum connaturalem excedat: loquitur enim Timotheo viro sanctissimo, atque in via spiritus valde exercitato. Non ergo incipientes monet, quod, propriis discursibus derelictis, ad simplicissimam, & uniformem Dei intelligentiam accedant; quod pariter nos dicimus, videlicet, meditationis exercitum deserendum iri, cum Deum contemplandi tempus advenerit. Hoc tamen non dicimus incipientibus, sed iis, qui jam incipientes non sunt. Loquebatur insuper de Mysticis visionibus; *Circa Mysticas visiones.* Visio autem Mystica est contemplatio, juxta S. Thomam dicentem: *Vita contemplativa principaliter in actu intellectus consistit; & hoc ipsum nomen contemplationis importat, quod visionem signat.* Quare idem est dicere, *Circa Mysticas visiones forti contritione & sensus derelinque, & intellectuales operationes*; ac monere, quod modus connaturalis, quem operando observat intellectus, derelinquatur.

Objicies II. perdifficilem doctrinam S. Theresiæ, quæ Mans. 6. cap. 7. docet, animas quæ ad perfectam, infusamque contemplationem pervenerunt, ex hoc ipso reddi ineptas ad meditationem. Unde eisdem consulit, ut Mysteria passionis Christi, aliasque nostræ fidei veritates simplici intuitu sine discursu intueantur, quando Deus eas non trahit ad contemplationem infusam; qui simplex intuitus est contemplatio acquisita, quam docet posse eas quandocumque habere. Ergo plane consequitur, animas extra tempus contemplationis infusæ regredi non debere ad meditationem, quia id non possunt; sed per totam vitam persistere in contemplatione acquisita: quæ est ipsissima doctrina Molinosii ab Ecclesia proscripta. Verba S. Theresiæ loco citato sunt, quæ subjicio. *Si trovano alcune anime (e molte sono quelle, che hanno trattato meco di questo) le quali, come il Signore le fa arrivare a perfetta contemplazione, vorrebbono starsene sempre quivi: e non può essere; ma restano con questa grazia del Signore di maniera che non possono dopo discorrere de' Misteri della passione, e vita di Cristo, come facevano prima. Io non so, qual ne sia la cagione: ma questo, che l'intelletto rimanga assai inabile alla meditazione, è molto per ordinario.* Et post pauca: *Già sapete, che una cosa è il discorrere con l'intelletto, ed un'altra il rappresentare la memoria all'intelletto. Direte forse, che non m'intendete. Veramente può essere, che non l'intenda io per saperlo dire; ma dirò quello, che saprò. Chiamo io meditazione il discorrere con l'intelletto di questa maniera. Cominciamo a pensare nella grazia, che Dio ci fece in darci il suo unico figliuolo: e non ci fermiamo in questo; ma passiamo avanti per tutti i Misteri della sua gloriosa vita. O cominciamo nell'orazione dell'orto: e non si ferma l'intelletto, finchè non lo considera posto in croce. O pigliamo a meditare un passo della passione, come sarebbe a dire, quando fu preso: ed andiamo in questo Mistero minutamente considerando le cose, che in lui son da pensare, e sentire; così del tradimento di Giuda, come della fuga degli Apostoli, con tutto il rimanente: ed è mirabile, e molto meritoria orazione. Questa è quella, che io dico, che avranno ragione di dire, che non possono esercitare quelle anime le quali Dio avrà fatte arrivare a cose soprannaturali, ed a perfetta contemplazione. Il perchè (come ho detto) io non lo so, nè la cagione; ma per lo più non potranno. Non però avrà ragione alcuna, chi dice, che non può trattenersi in questi Misteri, e tenerli spesso presenti; particolarmente quando la Chiesa Cattolica li celebra. Anzi non è possibile, che l'anima, la quale ha ricevuto tanto da Dio, perda la memoria di così preziose dimostrazioni di amore: atteso che sono vive faville per maggiormente accenderla in quello, ch'ella porta al Signore. Ma non sa in ciò intendersi; perciocchè l'anima intende questi Misteri con un modo più perfetto: ed è questo. Che glieli rappresenta l'intelletto, e s'imprimono nella memoria di sorte, che il solo vedere il Signore caduto in terra con quello spaventoso sudore, questo le basta non pure per una sola ora, ma per molti giorni; mirando con una semplice vista, chi egli è, e quanto ingrati siamo stati a sì gran pena. Subito corre la volontà, benchè non sia con tenerezza, a desiderare di servire in qualche cosa per benefizio sì grande, ed a desiderare di patire alcuna cosa per chi patì tanto per lei; ed altre cose simili, nelle quali si occupa la memoria, e l'intelletto. E questa credo io, che sia la ragione, perchè non può più passare a discorrere nella passione; e questo le fa parere, che non può pensare in lei. E se ciò non fa, le sarà bene, che procuri di farlo: perchè io so, che non l'impedirà la molto elevata orazione; e non tengo per bene, che non si eserciti spesso in questo. Se di qui il Signore la sospenderà; in buon ora: che quantunque non voglia, le farà lasciar quello, in cui sta. E tengo per certissimo, che questa maniera di procedere non sia impedimento, ma grande ajuto per ogni bene: il che non sarebbe, se molto s'affaticasse in discorrere, come io dissi al principio; e tengo per me, che non potrà farlo, chi è arrivato più oltre. Ben può essere che sì; atteso che per molte vie guida Dio l'anime. Ma non si biasimino quelle, che per di qui andar non possono, nè sieno giudicate inabili per godere sì gran beni, come son quelli, che stanno racchiusi ne' Misteri del nostro bene Gesù Cristo. Nè mi darà veruno ad intendere, sia quanto si vuole spirituale, che camminerà bene, se tal ora in quelli non pensa.*

Hactenus S. Theresia, prolixe quidem, sed necessario ad exprimendum sensum illius in casu nostro toto cælo distantem a Molinosii proscripta doctrina. Pro cujus evidentia advertendum duximus, Propositionem damnatam duas complecti partes. In prima adstruitur, quod per totam vitam persistendum sit in contemplatione acquisita; & loquitur generaliter de omni anima, sive pervenerit, sive non ad contemplationem infusam. Et quoad istam partem constat, doctrinam S. Theresiæ nihil habere commune cum Molinosii doctrina, quando asserit, animas elevatas ad contemplationem infusam non posse amplius meditari, sed debere Mysteria passionis Christi simplici intuitu considerare; quod est contemplatio acquisita. Nam loquitur, ut diximus, solum de quibusdam animabus; non vero de omnibus ibi: *Si trovano alcune anime (e molte son quelle, che hanno trattato meco di questo) le quali, come il Signore le fa arrivare a perfetta contemplazione, restano con questa grazia del Signore di maniera che non possono dopo discorrere per li Misteri della passione, e vita di Cristo, come facevano prima.* Præterea loquitur Sancta de animabus, quæ jam pervenerunt ad contemplationem infusam. Exinde in secunda parte Propositionis Molinosius docet, animas elevatas ad contemplationem infusam, hac cessante, *non debere amplius redire* ad meditationem, vel ad lectionem: Sancta vero docet, animas hujusmodi plerumque non posse meditari: *Per lo più non potranno.* Ergo aliquando poterunt. Et tunc docet, quod, ut prius consueverant, meditentur; cum vero non poterunt meditari, debeant simplici intuitu Mysteria passionis, & vitæ Christi intueri. Quæ quam contraria sint Molinosticæ doctrinæ, nemo non videt. Eo magis, quia seductor hic pessimus suam contemplationem acquisitam non jam constituebat in simplici intuitu Mysteriorum passionis Christi, aliarumque veritatum nostræ fidei, ut sapientissime oppositum statuit orationis Magistra, aliique Sancti Mystici: verum in fide obscura, & universali cum oblivione cujuscumque cognitionis particularis & distinctæ veritatum nostræ fidei; immo in annihilatione potentiarum intellectus, & voluntatis absque omni actu cognitionis, & dilectionis particularis, ut habet Propositione XXI. Proinde nihil habet commune cum contemplatione acquisita, quam habent animæ elevatæ ad contemplationem infusam, propter quam plerumque non possunt meditari, ut prius solebant. Unde in tali casu possunt, ac debent simplici intuitu Mysteria nostræ fidei, & præcipue passionis Christi intueri, ac cogitare: *Ma fuori di questo tempo* (ut ait S. Joannes a Cruce lib. 2. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. ult. loquens de tempore contemplationis infusæ, vel acquisitæ) *si deve valere delle buone meditazioni*

nella maniera, che le recheranno maggior divozione, e profitto.

Objicies III. eumdem S. Joannem a Cruce, qui in Tractatu, inscripto Flamma amoris vivi, Mans. 3. §. 7. ita habet: *In nessun tempo, ed occasione, giacchè l'anima ha cominciato ad entrare in questo semplice, ed ozioso stato di contemplazione, deve volere portare dinanzi a se meditazioni, nè appoggiarsi a sughi, o gusti spirituali; ma starsene disappoggiata ed in piedi sopra tutto questo*. Ex quibus verbis colligitur, contemplationem acquisitam haberi posse permanenter; & quando quis pervenerit ad hujusmodi statum, non debere amplius redire ad meditationem. Cum ergo Molinosius idem adstruat in præsenti Propositione, non erit reprobandus.

Respondeo S. Joannem a Cruce ibidem non loqui de contemplatione acquisita, sed de contemplatione infusa. Unde scribit ibidem: *Questa maniera di oziosità, o di oblio sempre viene con qualche assorbimento interiore. Pertanto in nessun tempo, ed occasione* &c. Et clarius §. 10. inquit: *Iddio imbriaca l'anima in amore infuso per mezzo della notizia di contemplazione, come poco di sopra dicemmo; e sono tanto migliori quegli atti, che seguendo questa contemplazione infusa si fanno*. Certum est autem, quod tempore, quo Deus attrahit animam ad contemplationem infusam, debeat cessare a meditatione, quam illo tempore habere non poterit: attamen, transacto illo tempore, necesse erit ut redeat ad meditationem; ut expresse docet idem Sanctus lib. 1. Noct. Obsc. cap. 10. in fine, ubi, postquam asseruit, animas eo tempore, quo divina contemplatione perfruuntur, vacare a meditatione, addit: *Ma non vorrei, che di qua si cavasse regola generale di lasciar la meditazione, ed il discorso. Che il lasciarla ha sempre da essere per più non potere, e per lo tempo, che per molto perfetta contemplazione il Signore l'impedirà; che in altro tempo, ed occasione si deve sempre avere quest'appoggio, e ripore, massimamente della vita, e croce di Cristo, che per lo sicuro cammino è il migliore, ed ajuta maravigliosamente all'alta contemplazione*. Quibus verbis mirifice explicat sensum suum illuminatissimus Joannes, cum loco supra citato in objectione dixit: *In nessun tempo, ed occasione, giacchè l'anima ha cominciato ad entrare in questo stato di contemplazione, deve volere portare dinanzi a se meditazioni*. Intelligi enim debet, ut diximus, pro illo statu, vel tempore, quo Deus retinet animam in contemplatione supernaturali: quod tempus aliquando potest esse diuturnum; ut colligitus ex Sacra Scriptura. Moyses siquidem quadraginta diebus, & noctibus in Monte Sinai sine cibo, ac potu in continua infusa contemplatione perstitit; ut habetur Exodi 24. vers. 18. Item de S. Joanne Evangelista legimus Apocal. 1. quod fuit in spiritu in Dominica die, & revelata sunt ei omnia illa dicta, & facta mirabilia, quæ viginti duobus capitibus ejusdem Apocalypseos continentur; quæ minime poterat brevi tempore audire, & conspicere. Ita Deus posset aliis animabus sanctis contemplationem infusam per multum temporis communicare.

Objicies IV. S. Joannes a Cruce expresse docet lib. 2. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 15. posse acquiri habitum contemplationis acquisitæ, ita ut quoties anima orabit, oratio ipsius sit contemplatio. Verba Sancti sunt, quæ subjicio. *In questi principj, quando da' contrassegni accennati ci accorgeremo, che l'anima non sta impiegata in quella quiete, o notizia di contemplazione; sarà di bisogno ajutarsi, e servirsi del discorso, finchè si venga a possedér l'abito, che si è detto, in qualche maniera perfetto: che sarà, quando tutte le volte, che questi tali vorranno mettersi a meditare, subito si troveranno in questa notizia di pace, e di contemplazione, senza potere meditare, nè averne voglia; la quale ottenuta, non discorre poi l'anima, nè travaglia con le potenze*. Ex quibus videtur concludendum, quod, posito hujusmodi habitu contemplationis acquisitæ, per totam vitam in illa persistendum sit; dummodo Deus animam non trahat ad contemplationem infusam: qua cessante, anima non debebit redire ad meditationem, sed dumtaxat ad contemplationem acquisitam.

Respondeo. Omisso, an possit in anima generari habitus contemplationis acquisitæ; certum tamen est, quod posito ejusmodi habitu, adhuc anima non poterit, quotiescumque orabit, uti illo habitu, ita ut ejus oratio semper sit contemplatio. Tum quia ex S. Thoma aliquando uti non possumus habitu acquisito propter aliquod impedimentum: unde 1. 2. quæst. 94. art. 1. ad 3. ait: *Dicendum, quod eo, quod habitualiter inest, quandoque aliquis uti non potest propter aliquod impedimentum; sicut homo uti non potest habitu scientiæ propter somnum*. Quod de tempore purgationis passivæ animæ respectu ad contemplationem acquisitam, & activam dicendum est (ut bene advertit idem S. Joannes a Cruce lib. 2. Noct. Obsc. cap. 8.) ita ut eo tempore purgationis anima uti minime queat habitu ejusmodi contemplationis propter impedimentum purgationis passivæ. Hinc ibidem scribit: *Un' altra cosa si trova in questo stato di purgazione, che affligge, e tormenta grandemente l'anima: ed è, che come da questa notte le vengono così impedite le potenze, non può come prima alzare l'affetto, e la mente a Dio. Laonde nè può orare, nè assistere con molta avvertenza alle cose divine*. Hinc in Vita ejusdem Sancti, quæ habetur in principio suorum Operum, narratur, quod in ultima infirmitate, ex qua decessit, licet tunc pervenisset ad altissimam contemplationem, ut abunde testatur Tractatus Flammæ amoris vivi, ab eo conscriptus; attamen circa finem suorum dierum intensas ariditates, ac desolationes fuerit perpessus. Unde §. 13. ejusdem Vitæ legitur: *Quello che solamente lo affliggeva, erano alcune aridità, ed angustie interiori assai grandi, con le quali Dio lo esercitava; tanto che pareva stesse il cielo lanciodo saette contro chi stava in terra attorniate di dolori. Diceva al suo Confessore, che Dio lo teneva posto in una Croce, e crocefisso con esso in participazione dell'abbandono, che in quella ebbe la parte inferiore dell'anima sua santissima*. Tum quia contemplationis acquisitæ habitus potest amitti; ut bene docet S. Thomas ibid. quæst. 5. art. 4. in corp. ubi ait: *Dicendum, quod si loquamur de beatitudine imperfecta, qualis in hac vita potest haberi; sic potest amitti. Et hoc patet in felicitate contemplativa, quæ amittitur vel per oblivionem, puta, cum corrumpitur scientia ex aliqua ægritudine; vel per aliquas occupationes, quibus totaliter abstrahitur aliquis a contemplatione*.

Ergo, posito etiam habitu acquisito contemplationis activæ, potest anima impediri a purgatione passiva, ne utatur ejusmodi habitu; vel potest amittere talem habitum per ægritudinem, vel per aliquas occupationes: ac proinde quoties orabit anima, dici non poterit, quod ejus oratio sit contemplativa, quodque per totam vitam in illa persistendum sit; necnon quod, cessante infusa contemplatione, ad meditationem amplius non sit redeundum, ut perperam docet Molinosius.

At, ut verum fateat, nullibi melius sensum suum aperuit S. Joannes a Cruce, quam lib. 2. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 5. ubi ait: *Tratto solamente adesso di questa unione totalmente, e puramente secondo la sostanza dell'anima, e sue potenze, in quanto abito d'unione; perchè in quanto all'atto, dipoi ne ragioneremo mediante il divino ajuto, come in questa vita non abbiamo, nè si può avere unione permanente nelle potenze, ma solamente transeunte*. En explicata doctrina illuminatissimi Sancti. Docet enim, quod habitus contemplationis, licet possit haberi in substantia, seu centro animæ; non potest tamen haberi in potentiis permanenter, sed solum transeunter: quæ est ipsissima doctrina S. Thomæ.

§. XXIII.

XXIV. *Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur; non impediunt orationem fidei, immo eam perfectiorem efficiunt: quia anima tunc magis Divinæ voluntati resignata manet.*

Disciplinam in statu excogitatæ contemplationis habitualis a suis Asceris servandam, ac retinendam tradit in hac Propositione Molinosius. Idcirco docet, cujuscumque generis cogitationes in oratione occurrentes, etiam impuras, immo & contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, voluntarie non nutritas, nec voluntarie expulsas, sed cum indifferentia, & resignatione toleratas, nullum orationi fidei impedimentum afferre, immo reddere perfectiorem; perinde ac ita se gerere virtuosum sit, atque laudabile: additque rationem, quia anima magis Divinæ voluntati manet resignata.

Propositio, ut jacet, est *temeraria*, *scandolosa*, *perniciosissima in praxi*, *Christianæ Disciplinæ relaxativa*.

Cogitationes tam impuras, quam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, etiam non nutritas, nec voluntarie expulsas, sed cum indifferentia toleratas, cedere in animarum perniciem, constat ex iis quæ luculenter attulimus supra contra Propositionem XVII. Quare hic dumtaxat ostendere nitimur contra assertum Molinosii, eas omnes orationi fidei plurimum adversari. En ratiocinium. Voluntarie non expellens cogitationes vel impuras, vel contra Deum, & Sanctos, illas voluntarie & indirecte nutrit: sed voluntarie, & indirecte cogitationes vel impuras, vel contra Deum, & Sanctos nutriens, adversatur orationi Fidei: ergo &c. Major est certa ex superius dictis. Minor probatur. Proprium orationis Fidei est cogitationes ejusmodi cohibere: *Quapropter* (ita docet S. Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 28.) *ho-*

minis

minis actio fervens fidei refrenat omnes mortales delectationes, & eas coercet. Si ergo nihil delectaret illicitum, nemo peccaret. Peccaret ergo, qui delectationem illiciti potius relaxat, quam refrenat. Ergo voluntarie, & indicte cogitationes vel impuras, vel contra Deum nutrire, est adversari orationi fidei.

Confirmatur I. quia hujusmodi tentationes non rejectæ positive, sed cum indifferentia toleratæ, debilitant hominis operationem circa intelligibilia. Ergo perfectiorem non efficiunt orationem fidei. Antecedens probatur ex D. Thoma 2. 2. quæst. 15. art. 3. ubi inquit: *Perfectio intellectualis operationis in homine consistit in quadam abstractione a sensibilium phantasmatibus. Et ideo quanto intellectus hominis magis fuerit liber ab hujusmodi phantasmatibus; tanto potius considerare intelligibilia poterit. Manifestum est autem, quod delectatio applicat intentionem ad ea, in quibus aliquis delectatur. Unde Philosophus dicit 10. Ethic. quod unusquisque ea, in quibus delectatur, optime operatur; contraria vero nequaquam, vel debiliter. Vitia autem carnalia, scilicet gula & luxuria, consistunt circa delectationes tactus, ciborum scilicet & venereorum, quæ sunt vehementissimæ inter omnes delectationes corporales. Et ideo per hæc vitia intentio hominis maxime applicatur ad corporalia; & per consequens debilitatur operatio hominis circa intelligibilia. Magis autem per luxuriam, quam per gulam, quanto delectationes venereorum sunt vehementiores, quam ciborum. Et ideo ex luxuria oritur cæcitas mentis, quæ quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit.* Si ergo quanto magis intellectus hominis erit liber a sensibilium phantasmatibus, tanto potius considerare poterit intelligibilia; consequenter cogitationes malæ non repulsæ, sed voluntarie toleratæ, non solum impedient orationem fidei, sed & imperfectiorem efficient. Rursus per cogitationes impuras debilitatur operatio hominis circa intelligibilia, ita ut inducant cæcitatem mentis, quæ quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit. Ergo cogitationes impuræ voluntarie non expulsæ, sed cum indifferentia toleratæ, perfectiorem non efficient orationem fidei, quin potius maculabunt, & imperfectam reddent.

Confirmatur II. ex ipsa religiosæ contemplationis, sive orationis fidei natura, quæ est simplex, & fixus intuitus intellectus circa veritates fidei, & objecta revelata: unde definitur a S. Bernardo in Scala Claustralium, quod sit *mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans.* Non poterit autem mens hominis elevari in Deum, atque in ejus consideratione suspensa manere; si voluntarie cogitationibus malis, etiam impuris, implicetur, in eisque cum indifferentia, & resignatione immoretur, cum possit eas expellere, & rejicere. Nam (ut ait S. Thomas Part. 1. quæst. 86. art. 2. in corp.) *intellectus noster non potest simul actu cognoscere, nisi quod per unam speciem cognoscit*: & quæst. 85. art. 4. scribit: *Impossibile est, quod idem intellectus simul perficiatur diversis speciebus intelligibilibus ad intelligendum diversa in actu.* Ergo cogitationes malæ voluntarie non expulsæ, sed cum indifferentia toleratæ, impediunt orationem fidei, & divinam contemplationem; eamque vel totaliter destruunt, vel imperfectiorem efficiunt.

Confirmatur III. Quia evagatio mentis voluntaria in oratione, peccatum est; ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 13. ad 3. ibi: *Si quis ex proposito in oratione mente evagetur; hoc peccatum est, & impedit orationis fructum.* Sed qui voluntarie non expellit cogitationes malas, sed tolerat eas; ex proposito in oratione mente evagatur, cum possit, ac debeat illas expellere, atque non tolerare, sed rejicere. Ergo qui in oratione voluntarie non expellit cogitationes malas, sed illas tolerat; peccatum committit.

Quoad secundam vero partem, in qua dicitur, quod anima tolerando cum resignatione, & indifferentia cogitationes pravas, & turpes, Divinæ resignetur voluntati, impugnatur: quia (ut ait S. Thomas Part. 1. quæst. 19. art. 9. in corp.) *malum culpæ, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult.* Atqui tentationes, & cogitationes pravæ sunt via ad culpam. Ergo Deus nullo modo potest velle tentationes, & cogitationes pravas in nobis excitari: ac proinde qui tolerat ejusmodi cogitationes cum resignatione, nec eas expellit, non potest dici, quod Divinæ voluntati maneat resignatus.

Dices. Deus permittit cogitationes malas, & turpes insurgere in anima tempore orationis: atqui permissio divina est voluntas signi in Deo: ergo qui resignatus manet permissioni Dei, resignatus manet Divinæ voluntati.

Respondeo. Concessa majori, & minori, distinguo consequens. Qui resignatus manet permissioni Dei, resignatus manet voluntati signi; concedo consequentiam: resignatus manet voluntati Dei, quæ dicitur voluntas beneplaciti; nego consequentiam, & explico distinctionem. *Voluntas proprie dicta* (ut ait S. Thomas Part. 1. quæst. 19. art. 11. in corp.) *vocatur voluntas beneplaciti; voluntas autem metaphorice dicta, est voluntas signi.* Proinde resignatio nostræ voluntatis voluntati Divinæ respicit voluntatem beneplaciti, quæ est voluntas Dei proprie dicta, quaque Deus non vult, nec permittit cogitationes malas, & turpes in nobis; non vero respicit voluntatem signi, qua dicitur Deus permittere hujusmodi malas cogitationes. Consequenter qui resignatus manet, tolerando hujusmodi cogitationes, dici non poterit, quod resignatus maneat Divinæ voluntati; prout temere sibi ac aliis suadere conatus est Molinosius.

§. XXIV.

XXV. *Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis: quia oratio & resignatio, resignatio & oratio idem sunt; & dum perdurat resignatio, perdurat & oratio.*

Admirationem fortasse legentibus ingererent in præcedentibus Propositionibus hactenus recensita de contemplatione acquisita, seu activa, quam nisi per peccatum, aut actus contrarios non retractatam, per totam vitam existimat permanere Molinosius, etiamsi aliis operationibus vacandi necessitas postularet. Ad auferendam tamen admirationem de compossibilitate dictæ contemplationis cum cæteris operationibus, hanc tradit doctrinam: Somnum orationi, & contemplationi non obesse: quia oratio a resignatione non distinguitur; proindeque, perseverante resignatione, orationem durare.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, perniciosa in praxi, & Christianæ Disciplinæ relaxativa.*

Falsitas primæ partis hujus Propositionis fit manifesta ex eo, quod Christus orans in horto ter excitavit Discipulos suos somno, ac sopore gravatos; eosque dure increpavit Matth. 26. *Non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Et Luc. 22. *Quid dormitis? Surgite, orate, ne intretis in tentationem.* Porro, quod postea dixerit ad eosdem Discipulos Marc. 14. *Dormite jam, & requiescite*: hoc dictum non approbationem, sed ironicam objurgationem intelligas velim. Statim namque subdidit: *Sufficit: surgite, eamus.* Rursus ex eo, quod scribit Apostolus I. ad Corinth. 14. *Orabo*, inquit, *spiritu; orabo & mente.* Quo clare significat, orationem fieri per elevationem mentis in Deum. Et ad Coloss. 4. *Orationi instate, vigilantes in ea.* Denuum ex eo, quod ait Petrus Epist. I. cap. 4. *Vigilate in orationibus.* Ergo vigilantia necessaria est, ut actu oremus; proinde qui dormit, actu orare non potest.

Confirmatur, quia ex S. Thoma 2. 2. quæst. 83. art. 1. in corp. Oratio est rationis actus. Atqui in somno non datur rationis actus. Unde scribit idem S. Doctor Part. 1. quæst. 94. art. 4. ad 4. *Id, quod accidit in somno, non imputatur homini: quia non habet rationis usum, qui est proprius hominis actus.* Ergo in somno non datur oratio actualis. Hinc idem S. Thomas loquens de contemplatione 1. 2. quæst. 3. art. 2. ad 4. ait: *Circa veritatis contemplationem etsi aliquando homo actu non operetur hujusmodi operationem; tamen, quia in promptu habet eam, semper potest operari. Et quia ipsam cessationem, puta somnum, ad operationem prædictam ordinat; quasi videtur operatio continua esse.* Ubi, ut vides, clare docet, per somnum contemplationem actualem interrumpi; cum per somnum vere & realiter cessetur a contemplatione. Ideoque falsum est, in somno veram fieri orationem; quamvis si somnus ad orationem ordinetur, operatio continua videatur.

Hoc idem jampridem docuerat S. Augustinus Enarrat. in Psal. 118. Serm. 29. dicens: *Sive ergo cum voce carnis, quando id opus est; sive cum silentio, ad Deum, cum oramus, corde clamandum est. Est autem clamor cordis magna cogitationis intentio: quæ cum est in oratione, magnum exprimit desiderantis & petentis affectum, ut non desperet effectum.* Ergo juxta phrasim Augustini in oratione requiritur cordis affectus, & cogitationis intentio, quæ cum actuali dormitione componi nequeunt: ac proinde nec actualis oratio, & contemplatio. Præterea idem S. Augustinus Epist. 139. ad Probam cap. 10. ait: *Dicuntur fratres in Ægypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas, & raptim quodammodo jaculatas, ne illa vigilanter erecta, quæ oranti plurimum necessaria est, per productiores moras evanescat, atque hebetetur intentio.* En iterum ex S. Augustino, ad veram, & actualem orationem requiri intentionem vigilanter erectam. Atqui hæc dari non potest in somno. Ergo neque oratio, aut contemplatio actualis. Hinc S. Bernardus Serm. 1. in Septuages. enumerans impedimenta septem, quæ nos ab actuali impediunt oratione, primum assignat somnum, dicens: *Primum impedimentum*

nostrum, & occupatio gravis est ipsa necessitas hujus miseri corporis, quod dum modo cibum, modo somnum, cæteraque similia quærit, haud dubium quin frequenter impedit nos ab exercitio spirituali. Si ergo ex S. Bernardo somnus est impedimentum orationis, impeditque nos ab exercitio spirituali; consequenter in somno actualis oratio, & contemplatio protrahi non poterit: proindeque Molinosius, ut puto, sibi somnians somniavit, dum eamdem orationem in somno continuari effutiit. Rursus idem S. Bernardus Serm. 52. in Cantica super illa verba: *Adjuro vos, filiæ Jerusalem, per capreas, cervosque camporum, ut non excitetis, neque evigilare faciatis, dilectam, quoadusque ipsa velit*: distinguens somnum orationis, & contemplationis a somno corporali, ait: *Non est is sponsæ somnus dormitio corporis, vel placida, quæ sensus carnis suaviter sopit ad tempus; vel horrida, quæ funditus vitam tollere consuevit . . . . . . Magis autem istiusmodi vitalis, vigilque sopor sensum interiorem illuminat, & morte propulsata, vitam tribuit sempiternam. Revera enim dormitio est, quæ tamen sensum non sopiat, sed abducat.* Ergo somnus corporalis componi nequit cum oratione, & contemplatione: cum ille sensus carnis suaviter sopiat ad tempus; hæc autem adinstar vigilis soporis sensum interiorem illuminet, & abducat. Quod egregie declarat P. Dominicus a SS. Trinitate in sua Mystica Theologia lib. 7. Sect. 4. cap. 6. §. 1. ubi ait: *Oratio mentalis tum acquisita, quam infusa, sive extraordinaria, est essentialiter operatio tum intellectus, tum voluntatis. Definitur enim communiter a Patribus ascensio, vel elevatio mentis in Deum. Implicat igitur, quod oratio mentalis actualis proprie dicta possit existere, aut conservari in proprio suo, ac formali esse, absque omni intellectus & voluntatis actu. Sicque dormiens non dicitur actualiter orare, quamvis ante somnum oraverit: nonnisi quia cessat ab omni operatione intellectus, & voluntatis, quam dicit oratio; sive nullam actu exercet operationem, quæ ad orationis substantiam spectet, nihil scilicet petendo, aut desiderando a Deo, neque ad illum cogitatione, aut voluntate ascendendo.*

Impugnatur propositio quoad secundam partem, in qua asseritur, quod oratio, & resignatio idem sint; unde cum perdurat resignatio, perdurat & oratio: quia oratio ab omnibus Mysticis cum S. Joanne Damasceno, ut supra vidimus, definitur, quod sit *ascensio mentis in Deum*, id est, elevatio quædam intellectus ad Deum. Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 84. art. 1. docet, quod *oratio non est actus appetitivæ virtutis, sed intellectivæ.* Resignatio vero est actus voluntatis nostræ, qua nos volumus, quod vult Deus nos velle; ut docet idem Angelicus 1. 2. quæst. 19. art. 10. in corp. dicens: *Conformatur quantum ad hoc voluntas hominis voluntati Divinæ: quia vult, quod Deus vult eum velle.* Hinc II. Machab. 1. dicitur: *Benefaciat vobis Deus, & det vobis cor omnibus, ut colatis eum, & faciatis voluntatem ejus corde magno, & animo volenti.* Atqui actus intellectus, & actus voluntatis sunt omnino inter se essentialiter diversi, ac distincti. Ergo resignatio non est oratio; nec oratio est formaliter resignatio: proinde potest dari formalis rasignatio sine formali oratione, necnon formalis oratio sine explicita & formali resignatione. Quod confirmatur ex eo, quia per orationem postulamus a Deo resignationem: unde dicebat David Psal. 142. *Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.* Ergo resignatio aliquando est effectus orationis: ac proinde resignatio non est oratio; nec e converso oratio resignatio formaliter, & explicite.

§. XXV.

XXVI. *Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica: cum non sit nisi unica via interna.*

QUantum systemati Molinosii obsit triplex via, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, Theologiæ principiis innixa, Patrum, & Doctorum auctoritatibus roborata; nemo non videt. Quamobrem ut suas Propositiones, seu potius dixerim, sua deliria sustineat; tamquam maximum absurdum memoratas tres vias rejicere tentat: atque meditationibus, discursibus, figuris, & imaginibus reprobatis, unicam sternit viam internam, Beguardis scilicet & Illuminatis consentiens.

Propositio, ut jacet, est *contumeliosa, arrogans, temeraria, & perniciosa.*

Supponendum est ad hujus Propositionis impugnationem, non omnem caritatem perfectionem substantialem esse; adeoque, respectu diversorum graduum ejusdem, viam internam posse considerari, cum per augmentum homo secundum diversa studia tendere dicatur ad unionem cum Deo. Porro hujus gradus Doctores, & Sancti Mystici in tres dividunt; & ab eis vocantur, *Incipiens, Proficiens, & Profectus*: unde tres vias assignant, scilicet *Incipientium, Proficientium, & Perfectorum*; sive sub alio titulo viam Purgativam, Illuminativam, & Unitivam.

Hoc præsupposito, impugnatur I. Propositio Molinosii Cantic. 6. v. 7. ubi dicitur: *Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta Concubinæ, & Adolescentularum non est numerus.* In quibus verbis, secundum Patres, & Expositores, triplex genus animarum adumbratur, earumque omnes caritate præditæ sunt: quia per viam spiritus incedunt, quod sine caritate fieri nequaquam potest. Ex eis aliæ sunt Incipientes, Proficientes aliæ, & aliæ Perfectæ. Incipientes sunt, quæ Adolescentulæ dicuntur; Proficientes, quæ dicuntur Concubinæ; & Perfectæ, quæ Reginæ nominantur: uti hunc textum exponunt SS. Gregorius, Bernardus, Laurentius Justinianus, Franciscus Salesius, aliique, quos sequuntur Expositores ac Mystici, inter quos videri potest Joannis a Jesu Maria Carmelita Discalceatus super Cantica. Ergo absurdum maximum non est, triplicem illam viam statuere, Purgativam nempe, Illuminativam, & Unitivam; immo consonum est quammaxime sensui Scripturæ Sacræ, & Doctorum.

II. Ex Patribus, & Theologis, qui diversos caritatis gradus, seu diversa studia distinguunt, ut animæ ad unionem caritatis cum Deo pertingant. S. Augustinus lib. de nat. & grat. cap. 70. inquit: *Inchoata caritas, inchoata justitia est; caritas provecta, provecta justitia est; caritas perfecta, perfecta justitia est.* Et Tract. 5. super Epist. Joannis: *Perfecta caritas*, ait, *hæc est. Si quis tantum habuerit caritatem, ut paratus sit pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo caritas. Sed numquid mox ut nascitur, jam prorsus perfecta est? Ut perficiatur, nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, quid dicit?* „ Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Optabam dissolvi, & esse cum Christo. “ Triplicis generis animarum sub nomine trium modorum, quibus se gerunt conversi ad Deum per caritatem, meminit S. Gregorius Papa lib. 24. Moral. cap. 13. ubi ait: *Tres quippe modi sunt conversorum: inchoatio, medietas, atque perfectio. In inchoatione autem inveniunt blandimenta dulcedinis; in medio quoque tempore certamina tentationis; ad extremum vero perfectionem plenitudinis. Prius ergo illa dulcia suscipiunt, quæ consolentur; postmodum amara, quæ exerceant; & tunc demum suavia, atque sublimia, quæ confirment.* Et S. Bernardus Serm. 1. de S. Andrea inquit: *Triplicem hic licet considerare gradum: incipientium, proficientium, & perfectorum. Initium sapientiæ, timor Domini; medium, spes; caritas, plenitudo. Denique Apostolum audi, quia plenitudo legis est caritas. Qui initiatur a timore, crucem Christi sustinet patienter; qui proficit in spe, portat libenter; qui vero consummatur in caritate, amplectitur jam ardenter.* Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 9. in corp. ait: *Spirituale augmentum caritatis considerari potest, quantum ad aliquid, simile corporali hominis augmento. Quod quidem, quamvis in plurimas partes distingui possit, habet tamen aliquas determinatas distinctiones secundum determinatas actiones, vel studia, ad quæ perducitur homo per augmentum. Sicut infantilis ætas dicitur, antequam habeat usum rationis; postea autem distinguitur alius status hominis, quando jam incipit loqui, & ratione uti; iterum tertius status est ejus pubertas, cum jam incipit posse generare; & sic deinde quousque perveniatur ad perfectum: ita etiam & diversi gradus caritatis distinguuntur secundum diversa studia, ad quæ homo perducitur per caritatis augmentum. Nam primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato, & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in caritatis contrarium movent: & hoc pertinet ad incipientes, in quibus caritas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat: & hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis caritas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhæreat, & eo fruatur: & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo. Sicut etiam videmus in motu corporali, quod primum est recessus a termino; secundum autem est appropinquatio ad alium terminum; tertium est quies in termino.* Idem docet loco cit. quæst. 183. art. 4. in corp. Habes ergo ex D. Thoma tres vias, earumque rationes mire expositas. Cui consonat S. Bonaventura de sept. Itinerib. æternit. itin. 3. dist. 4. art. 2. ubi ita ad institutum nostrum scribit: *Oportet, quod mens, quæ Deum vult contemplari, primum purgetur; postea illuminetur; & deinde perficiatur: quia nisi præcederet purgatio, non sequeretur illuminatio; & nisi esset illuminatio, non veniret consummatio, sive perfectio.* Quod & repetit in Opusc. Amoris cap. 2. dicens: *Hic autem triplex intellectus respondet triplici hierarchico: scilicet purgationi, illuminationi, & perfectioni*: & post pauca: *Tria sunt in nobis, secundum quorum usum in hac vita tripliciter exercemur: scilicet stimulus conscientiæ, radius intelligentiæ, & igniculus sapientiæ. Si*

ergo

ergo vis purgari, verte te ad conscientiæ stimulum; si illuminari, ad intelligentiæ radium; si perfici, ad sapientiæ igniculum. Hinc patet, tria dari illa itinera, quibus anima graditur ad perfectionem, & unionem sui cum Deo. Accedit Dionysius Carthusianus in Tract. de Fonte Lucis art. 1. ita disserens ad rem nostram: *Triplex est via salutis. Prima est via purgativa; secunda illuminativa; tertia unitiva: de qua via triformi in præsenti Opusculo tractare nostra stat sententia:* & art. 12. seq. *Porro præinducta triplicis viæ distinctio ex verbis Divini Dionysii sumpta videtur. Ipse siquidem lib. de Angel. Hierarch. ponit tres actiones hierarchicas in Angelis sanctis: videlicet purgationem, illuminationem, & perfectionem. In lib. quoque Ecclesiast. Hierarch. docet, quemadmodum quidam ordo est purgativus, quidam illuminativus, quidam perfectivus. Atqui Angeli purgari dicuntur, non utique ab immunditia culpæ, sed ab hierarchicæ lucis minoratione. Illuminari quoque, ac perfici asseruntur: non quod in beatifica divinæ contemplatione essentiæ crescant, aut in summi boni amore beatificam visionem consequente proficiant, aut amplius inflammentur. Nequaquam enim in essentiali præmio sortiuntur augmentum; sed sunt omnino quoad illud in termino: sed in divinorum cognitione effectuum, atque in dilectione illam concomitante, suscipiunt incrementum, & in accidentali proficiunt præmio. Porro in Ecclesiastica Hierarchia purgatio, illuminatio, & perfectio aliter inveniuntur: quoniam viatores a culpis quotidie emundari, & in Dei cognitione, & ejus amore proficere indigent. Et primo quidem oportet a culpa purgari; deinde illuminari, & veritatem cognoscere; tertio perfici, idest amore accendi, atque per hoc Deo nostræ salutis auctori uniri.* Ad hæc S. Joannes a Cruce lib. 1. Noct. obsc. cap. 1. ita scribit: *Incominciano le anime ad entrare in questa notte oscura, quando Dio le va cavando dallo stato de' principianti, cioè di quelli, che meditano nel cammino spirituale; e le comincia a mettere in quella de' proficienti, ch'è già quello de' contemplativi, acciocchè passando per quivi arrivino allo stato de' perfetti, ch'è quello della divina unione dell' anima con Dio.* Demum Cardinalis de Laurea Opusc. 6. cap. 2. de oratione Christiana ita disserit: *Adverta, communem, ut S. Bonaventura notat, esse Mysticorum sententiam, quod ad montem perfectionis, seu ad perfectum, quæ in hoc sæculo obtineri potest, vitam regulariter per tres vias successive, ac ordinate incedendum est: nempe per Purgativam, Illuminativam, & Unitivam.* Ex quibus omnibus, vel ad superficiem expensis, abunde constat falsitas doctrinæ Molinosticæ; necnon gravissima injuria, qua afficit cunctos sanctos Mysticos, asserendo, absurdum maximum esse in via interna tres vias statuere, Purgativam scilicet, Illuminativam, & Unitivam.

§. XXVI.

XXVII. *Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, & quærit Deum, sed seipsum: & male agit, cum desiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.*

NOn tantum alienum se ostendit Molinosius a triplici via, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, quin & a devotione sensibili. Eam siquidem amplectentes, inquit, non quærunt Deum, sed seipsos: immo male agere incedentes per viam internam asserit, si eam conentur habere tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

Antequam impugnetur hæc Propositio, quæ, ut jacet, est *temeraria, & periculosa*, observa, duplicem esse devotionem: primam substantialem, seu spiritualem; & aliam accidentalem, seu sensibilem. Prima, in superiori parte animæ consistens, est actus voluntatis, quo prompte ferimur ad pietatis exercitia, & cultum divinum, atque parati sumus ad omnia exequenda, quæ divinum famulatum concernunt: ac proinde est actus Religionis, quo Deum colimus, eique tamquam supremo rerum omnium Domino nos prompte, ac libenter subjicimus, & famulatum devovemus. Unde S. Thomas 1. 2. quæst. 82. art. 1. eam describens ait: *Voluntatem quamdam esse, tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum.* Secunda ea est, quæ per quamdam redundantiam ex superiori appetitu habetur in inferiori; ut docet S. Thomas laudatus de Verit. quæst. 26. art. 7. ad 7. dicens: *Fervor caritatis in hoc consistit, quod dilectio, quæ est in superiori parte, sua vehementia usque ad permutationem inferioris partis redundat:* per quam, qui sæpe ita commovetur, ut in teneras lacrymas, & suspiria prorumpat, habere dicitur devotionem sensibilem. Prima devotio essentialiter necessaria est, ut opera nostra Deo placeant: non tamen secunda sensibilis; quamvis rara sit anima incipientium, quam benignissimus Deus, qui cognovit figmentum nostrum, hoc devotionis lacte non nutriat, ut promptiori animo hæc terrena despiciat, virtutum officia, & opera pietatis ardentius prosequatur. Porro potest quis in ejusmodi devotione sistere tamquam in fine, de ea sibi complacens, atque seipsum propter illam cæteris meliorem, atque sanctiorem existimans; in quo casu non devotionem sensibilem propter Deum, sed propter seipsum diligeret: quod quidem non proveniret ex parte devotionis sensibilis, sed ex parte subjecti ea abutentis, qui potius seipsum, quam Deum quæreret. E converso qui sensibilem devotionem amplecteretur, ut alacrius se in operibus pietatis exerceret, non quæreret seipsum, nec male ageret; sed eamdem tamquam medium eligeret, atque ad Deum tamquam ad finem anhelaret: quamobrem in viris perfectissimis reperitur, & a pluribus interdum desideratur. Clarissime utriusque devotionis sensibilis differentiam exponit piissimus & doctissimus P. Paulus Segneri in libro, cui titulus, *Concordia tra la fatica, a la quiete*, p. 3. cap. 4. §. 2. in hæc verba: *La divozione sensibile è come il zeffiro indifferente ad essere sospirato, or bene, ora male; or bene per andare, ora male per dileziarsi: ma ciò non è colpa della divozione sensibile; è colpa di chi l'abusa. L'usa bene, chi la vuole qual mezzo utile ad eccitarsi alla compunzione; l'usa male, chi la vuole qual fine.* Ex quibus falsitas Propositionis sic demonstratur. Qui quærit medium aptum ad inserviendum Deo majori cum alacritate, ad tentationes superandas majori cum fortitudine, & ad virtutes amplectendas majori cum firmitate; non quærit seipsum, sed Deum. Atqui res ita se habet in eo, qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, tamquam medium ad supradictos effectus. Ergo qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, ut supra; non quærit seipsum, sed Deum. Major est certa. Minor probatur I. auctoritate D. Thomæ, qui 1. 2. quæst. 33. art. 4. in corp. generaliter docet, quod delectatio perficit operationes humanas, *inquantum, agens: quia delectatur in sua actione, vehementius attendit ad ipsam, & diligentius eam operatur: & secundum hoc dicitur in 10. Ethicor. quod delectationes adaugent proprias operationes, & impediunt extraneas.* Ergo delectationes sensibiles perficiunt operationes hominis devotas, & spirituales: consequenter qui eas ad hunc effectum desiderat, & amplectitur, non quærit seipsum, sed Deum. Probatur II. eadem Minor alia ejusdem S. Thomæ auctoritate deprompta ex 1. Sentent. dist. 17. quæst. 2. art. 1. ubi docet, fervorem sensibilem devotionis, vel caritatis, qui habetur ex redundantia partis superioris in inferiorem, incitare hanc ad obediendum divino amori. Verba Sancti Doctoris sunt, quæ subjicio. *Alio modo dicitur fervor proprie, prout est in parte sensitiva. Cum enim vires inferiores sequantur motum superiorum, si sit intensio, sicut videmus, quod ad apprehensionem mulieris dilectæ totum corpus exardescit, & movetur; ita etiam, quando affectus superior movetur in Deum, consequitur quædam impressio etiam in virtutibus sensitivis, secundum quam incitantur ad obediendum divino amori.* Ergo qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem eo fine, ut virtutes sensitivæ in ipso incitentur ad obediendum divino amori; quærit absdubio Deum, non vero seipsum: nec male agit; sed meritorie, ac virtuose se gerit. Rursus idem S. Thomas 1. 2. quæst. 24. art. 3. in corp. ait: *Ad perfectionem boni moralis pertinet, quod homo ad bonum moveatur non solum secundum voluntatem, sed etiam secundum appetitum sensitivum; secundum illud quod in Psal. 83. dicitur:* „ Cor meum, & caro mea „ exultaverunt in Deum vivum: “ *ut cor accipiamus pro appetitu intellectivo; carnem autem pro appetitu sensitivo.* En iterum ex D. Thoma, quod desiderans, & amplectens devotionem sensibilem non quærit seipsum, sed Deum; cum eam habere conetur ad procurandam sibi perfectionem boni moralis, quod agit: qui enim perfecte agere conatur; non sibi, sed Deo placere studet. Probatur III. Minor ex eo, quod docet S. Bernardus de sensibili devotione in Scala Claustralium, ubi legitur: „ Signa Spiritus Sancti ad animam venientis. “ *Sed, o Domine, quomodo comperiemus, quando hæc facis, & quod signum adventus tui? Numquid hujus consolationis, & lætitiæ testes, & nuncii sunt suspiria, & lacrymæ? si ita est, nova est antiphrasis ista, & significatio inusitata. Quæ enim conventio consolationis ad suspiria, lætitiæ ad lacrymas? si tamen istæ dicendæ sunt lacrymæ; & non potius roris interioris desuper infusi superfluens abundantia, & ad interioris ablutionis indicium exterioris hominis purgamentum: ut sicut in Baptismo puerorum per exteriorem ablutionem significatur, & figuratur interior animæ ablutio; ita hic e contra exteriorem ablutionem interior præcedat purgatio. O felices lacrymæ, per quas maculæ interiores purgantur, per quas peccatorum incendia extinguuntur. Beati, qui sic lugetis, quia ridebitis. In his lacrymis agnosce, o anima, Sponsum tuum, amplectere desideratum. Nunc torrente voluptatis te inebria, suge ab ubere consolationis ejus lac & mel. Hæc sunt miranda munuscula, & solatia, quæ dedit tibi sponsus tuus: gemitus scilicet, & lacrymæ. Adducit tibi potum in his lacrymis in mensura. Hæ lacrymæ sunt*

tibi

tibi panes die ac nocte; panes utique confirmantes cor hominis, & dulciores super mel & favum. O Domine Jesu, si adeo sunt dulces istæ lacrymæ, quæ ex memoria, & desiderio tui excitantur; quam dulce erit gaudium, quod ex manifesta tui visione capietur! Si adeo dulce est flere pro te; quam dulce erit gaudere de te! Mirabiliter, ac suaviter more suo describit S. Bernardus effectus consolationis sensibilis, & devotionis spiritualis redundantis in partem sensitivam. Proinde qui ad ejusmodi divinos effectus acquirendos, desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem; non quærit seipsum, sed Deum: nec male agit, cum eam consequi nititur, ut temere nimis, ac periculose suis Asceticis suasit Molinosius. Hinc S. Theresia orationis Magistra de his effectibus Mans. 3. cap. 2. ita præclare scripsit: *I contenti, e diletti nell' orazione, se sono da Dio, vengono carichi di amore, di fortezza; co' quali ajuti si può più camminare senza travaglio, ed andare crescendo nelle buone opere, e virtù.* Rursus eadem Sancta in Via perfectionis cap. 16. ita ad rem nostram disserit: *Ma tornando a quello, che io diceva, vi sono anime, le quali Iddio conosce, che con tal mezzo de' gusti, e consolazioni può guadagnare per se: e giacchè le vede del tutto perdute, vuole sua Divina Maestà, che dal canto suo non manchi loro rimedio; e benchè stiano in cattivo stato, e con mancamento di virtù, dà nondimeno loro gusti, favori, e tenerezze, con che comincia a muovere loro i desiderj, e le pone anche alcune volte in contemplazione, sebben di rado, e dura poco. E questo, come dico, fa egli per provarle, se con quel saggio si vorranno disporre per goderlo molte volte.* Vides ex S. Theresia, Deum aliquando consolationes & devotiones sensibiles animabus imperfectis communicare, ad illas excitandas, pertrahendasque ad statum perfectiorem; immo etiam ita se gerere quandoque cum animabus malis, ut eas ad bonam frugem perducat, deserendo statum imperfectionis, & nequitiæ, seque devovendo perfectioni Christianæ, & divino servitio. Igitur qui ea intentione desiderat devotionem sensibilem, non quærit seipsum, sed Deum. Consonat Parenti illuminatissimæ digna proles S. Joannes a Cruce, qui in Tractatu Flammæ amoris vivi Mans. 3. §. 5. ita ad rem nostram inquit: *Si deve sapere, che lo stato de' principianti è meditare, e fare atti discorsivi. In questo è necessario all' anima, che le sia data materia, acciocchè naturalmente discorra, e faccia atti interiori, e s' approfitti del fuoco, e fervore spirituale sensibile; così convenendole per abituar i sensi, e gli appetiti a cose buone, e cibandoli con questo sapore, acciocchè si disradichino e stacchino dal secolo.* Ergo qui ad hunc finem desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, male agere censendus haud erit; sed quærere Deum, non vero seipsum. Non dissimili modo loquitur S. Franciscus Salesius in sua Philothea, sive Introductione ad Vitam devotam part. 4 cap. 13. de hac sensibili devotione disserens his verbis: *Queste tenerelle, ed affettuose dolcezze sono qualche volta buonissime, ed utili; perchè eccitano l' appetito dell' anima, confortano lo spirito, ed aggiungono alla prontezza della divozione una santa giocondità, ed allegrezza, che fa le nostre azioni belle, e grate eziandio nell' esteriore. Questo è il gusto, che si ha delle cose divine, per il quale esclamava Davide: Oh, Signore, come sono dolci le vostre parole al mio palato. Esse sono alla mia bocca più dolci del mele! E' certo, che la minima consolazione della divozione, che noi riceviamo, vale più ad ogni modo, che tutte le più eccellenti ricreazioni del mondo. Le mammelle, ed il latte, cioè i favori dello Sposo divino, sono migliori all' anima, che il più prezioso vino de' piaceri della terra. Chi ne ha gustato, stima fele, ed assenzio tutto il restante delle altre consolazioni. E siccome coloro, che hanno l' erba scitica nella bocca, ne ricevono una dolcezza tanto estrema, che non sentono nè fame, nè sete: così coloro, a' quali Iddio ha data questa manna celeste delle soavità, e consolazioni interiori, non possono desiderare, nè ricevere le consolazioni del mondo; o almeno non possono sentire gusto, e fermarvi i loro affetti.* Et post pauca: *Avendole umilmente ricevute, impieghiamole diligentemente, conforme all' intenzione di colui, che ce le ha date. Perchè pensiamo noi, che Dio ci doni queste dolcezze? per renderci dolci verso d' ognuno, ed amorosi verso di lui. La madre dà i confetti al figlio, affinchè egli la baci. Baciamo dunque questo Salvatore, che ci accarezza con le sue consolazioni. Or baciar il Salvatore, è ubbidirgli, osservare i suoi comandamenti, fare la sua volontà, seguire i suoi desiderj, in somma abbracciarlo teneramente con obbedienza, e fedeltà.* Hactenus S. Franciscus Salesius de devotione sensibili: ex cujus verbis fit evidens, male non agere animam, quæ desiderat, & quærit illa pertrita ad hos spirituales effectus consequendos; cum hoc sit revera quærere Deum, non vero seipsum. Demum Venerabilis P. Balthasar Alvarez Soc. Jesu in suo Opusculo, contra Illuminatos sua ætate in Hispania grassantes edito, quod insertum habes ejus Vitæ cap. 33. ubi §. 2. ad institutum nostrum ita præclare scripsit: *Quantunque queste sensibili consolazioni siano di Dio, non consiste in esse la santità; nè contro di lei è il desiderarle, non fermandosi in esse, come in ultimo fine dell' orare, ma bramandole, in quanto dispongono a bene operare, ed a camminare con fervore alla perfezione.* Ergo qui ad bene operandum, atque cum fervore percurrendum iter perfectionis, desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem; male non agit, nec quærit seipsum, sed Deum. Ex quibus omnibus colliges, quantum claudicet Propositio Molinosii in hac parte, quamque dissonet a doctrina Sanctorum, & Mysticorum, ut proinde merito Pseudo-Mysta sit appellandus.

Quod autem non male agat anima curans in se hanc sensibilem devotionem, præcipue in locis sacris, festisque diebus, aperitur ex eo, quia David hanc sensibilem devotionem a Deo sibi petebat in templo communicari. Unde Psal. 26. dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram: ut videam voluptatem Domini, & visitem templum ejus:* hoc est, *Petii a Domino, ut degustem dulcedinem ejus in visitatione templi Sancti sui;* ut ex Chaldæo vertit ad nostrum intentum Tirinus ibidem. Ergo non male agit anima, cum desiderat, & habere conatur devotionem sensibilem in locis sacris. Nam idem David Psal. 92. ait: *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.* Quid est autem sanctitudo, nisi devotio? ut inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 82. art. 1. Si ergo domum Dei decet devotio; consequenter male non agit anima, cum eam desiderat, & habere conatur in locis sacris. Hinc idem Angelicus ibid. quæst. 84. art. 3. ad 2. ait: *Determinatus locus eligitur ad adorandum, non propter Deum, qui adoratur, quasi loco concludatur; sed propter ipsos adorantes: & hoc triplici ratione. Primo quidem propter loci consecrationem, ex qua spiritualem devotionem concipiunt orantes, ut magis exaudiantur, sicut patet ex adoratione Salomonis III. Reg. 8. Secundo propter sacra Mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur. Tertio propter concursum multorum adorantium, ex quo fit oratio magis exaudibilis, secundum illud Matth. 18.* „ Ubi sunt duo, „ vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in „ medio eorum. “ Si ergo ex D. Thoma in templis ob loci consecrationem spiritualis devotio concipitur ab orantibus; consequenter non male agunt animæ, etiam per viam internam incedentes, si desiderant, & habere conantur devotionem sensibilem in locis sacris, & in templis Deo dicatis. Nec contrarium docet S. Joannes a Cruce lib. 3. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 37. Quia non reprobat devotionem sensibilem ex templorum sanctitate caussatam; sed incedentes per viam internam admonet, ut caveant imperfectiones, & defectus erga templa, & oratoria, qui incipientibus sub prætextu sanctitatis obrepunt: immo potius cap. 41. eam devotionem sensibilem approbat, & commendat his verbis: *La terza sorte è di alcuni luoghi particolari, che Dio elegge per esser ivi invocato, e servito: come fu il Monte Sinai, dove Dio diede la legge a Mosè; ed il luogo, che mostrò ad Abramo, acciocchè ivi gli sagrificasse il suo figliuolo; ed anche il monte Oreb, dove comandò Dio, che andasse il nostro Padre Elia per darglisi a vedere; ed il luogo, che dedicò S. Michele per suo servizio, che è il monte Gargano, apparendo al Vescovo Sipontino, e dicendogli, ch' egli aveva in custodia quel luogo, acciocchè quivi si dedicasse a Dio una Chiesa in memoria degli Angeli. E la gloriosa Vergine elesse in Roma con singolar segno di neve il luogo per il Tempio, che volle che edificasse Patrizio, del suo nome. La causa perchè Iddio elegge più questi luoghi, che altri, per esser ivi servito, egli la sa. Quello che a noi conviene sapere, è che tutto avviene per nostro bene, e per udire in essi le nostre orazioni; dove si voglia, che con perfetta, e ferma fede lo preghiamo. Sebbene in quelli, che sono dedicati al suo servizio, abbiamo molto più occasione di essere esauditi, per averli la Chiesa a questo effetto assegnati, e dedicati.* Plura ad hujus Propositionis impugnationem dabimus §. 32.

Idem omnino dicendum de diebus festivis, ac solemnibus: animas scilicet, etiam per viam internam incedentes, non male agere, si in ejusmodi diebus conentur habere devotionem sensibilem. Unde scribit S. Hieronymus ad Eustoch. *Nihil sollicitius providendum est, quam ut solemnes dies non tam ciborum abundantia, quam spiritus exultatione celebremus:* & S. Petrus Damianus lib. 4. Epist. 16. scribit: *Christiano spirituale Sabbatum agere, est a laboriosa rerum temporalium cupiditate quiescere; solis orationum, & lectionum studiis insudare; sæcularium negotiorum pondus de mentis cervice projicere; ad contemplanda cælestia tota cordis intentione vacare; carnis oblectamenta contemnere; de sola spe cælestium spirituali jucunditate gaudere.* Quæso, quid est aliud spirituali jucunditate gaudere de spe rerum cælestium, nisi per sensibilem etiam devotionem in Domino exultare? juxta illud Psal. 83. *Cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.*

Debemus igitur festivitates, & dies Deo dicatos celebrare vacando potissimum contemplationi, piisque meditationibus. Atque devotio sensibilis promovet nos ad dile-

u-

tionem Dei; proindeqne ad meditationem, & contemplationem: unde ait S. Thomas 2. 2. qnæst. 82. art. 3. ad 2. *Ex debilitate mentis humanæ est, quod sicut indiget manuductione ad cognitionem divinorum, ita ad dilectionem per aliqua sensibilia*. Ergo quærendo devotionem sensibilem in diebus solemnibus, disponimur ad orationem, & contemplationem: conseqnenter non male agit anima per viam internam procedens, si desideret, ac procuret sibi in diebus ejusmodi devotionem sensibilem. Demnm S. Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 1. ita ad institutum nostrum ait: *Præceptum de sanctificatione sabbati, literaliter intellectum, est partim morale, partim cæremoniale. Morale quidem, quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis. Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & aliis hujusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur secundum dictamen naturalis rationis, aliquod tempus deputat homo: & sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis, cadit sub præcepto morali*. Ergo ex D. Thoma sanctificatio festorum, ac dierum solemuinm consistit in eo, quod homo vacet divinis, & mens nostra spirituali refectione in Deo reficiatur. Atqui hoc habetur per sensibilem devotionem, nt constat ex S. Francisco Salesio, aliisque sanctis Ascetis supra relatis. Ergo non male agit anima, quæ per viam internam incedens desiderat, ac conatur habere in diebus solemnibus, & festivis ejusmodi sensibilem devotionem.

§. XXVII.

XXVIII. *Tædium rerum spiritualium bonum est: siquidem per illud purgatur amor proprius.*

Disce hic, qno devenerit fraudulenta Molinosii calliditas. Improbavit devotionem sensibilem in antecedenti Propositione; immo docnit esse malnm, ad eam habendam, animas per viam internam incedentes conari tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus: nunc vero sentit, bonnm esse rerum spiritualinm tædium, velut purgationis amoris proprii remedium.

Propositio, ut jacet, est *male sonans, & periculosa in praxi*.

Impugnatur hæc Propositio seqnenti ratiocinio. Tædium rerum spiritualium est acedia: atqui acedia est peccatnm: ergo tædium rerum spiritualium est peccatum; ac proinde non est bonum. Major est evidenter nota ex eo, quod docent omnes Theologi cum S. Thoma, qui 2. 2. quæst. 35. art. 1. ita inquit: *Acedia importat quoddam tædium operandi, ut patet per hoc, quod dicitur in Glossa super illud Psalmi:* „ Omnem escam abominata est anima eorum. “ *Et a quibusdam dicitur, quod acedia est torpor mentis bona negligentis inchoare. Hujusmodi autem tristitia semper est mala: quandoque quidem secundum seipsam; quandoque vero secundum effectum. Tristitia enim secundum se mala est, quæ est de eo, quod est apparens malum, & vere bonum: sicut e contrario mala delectatio est, quæ est de eo, quod est apparens bonum, & vere malum. Cum ergo spirituale bonum sit vere bonum; tristitia, quæ est de spirituali bono, est secundum se mala: & etiam tristitia, quæ est de vere malo, mala est secundum effectum; si sic aggravet hominem, ut eum totaliter a bono opere retrahat. Unde & Apostolus II. ad Corinth. 2. non vult, ut pœnitens majori tristitia absorbeatur. Quia ergo acedia, secundum quod hic sumitur, nominat tristitiam spiritualis boni, est dupliciter mala: & secundum se, & secundum effectum*. Minor vero probatur argumento adducto a S. Thoma ibid. *Sed contra*, ubi ait: *Illud, quod interdicitur in Sacra Scriptura, peccatum est. Sed acedia est hujusmodi: dicitur enim Eccles. 6.* „ Subjice humerum „ tuum, & porta illam (*scilicet spiritualem sapientiam*) „ & non accidieris in vinculis ejus. “ *Ergo acedia est peccatum*. Conseqnentia est legitima. Unde non est dubium, quod tædium rerum spiritualium, seu animi languor in omnibus, quæ ad Dei cultum pertinent, sit peccatum; ac proinde sit malum. Quale antem peccatum sit, docet idem S. Thomas ibid. art. 3. dicens: *Acedia, quando est propter repugnantiam carnis ad spiritum; tunc est peccatum veniale: quando vero contingit usque ad rationem, quæ consentit in fugam, & horrorem, & detestationem boni divini, carne contra spiritum omnino prævalente; tunc acedia est peccatum mortale*. Confirmatur ex eo, quod habetur Apocal. 3. v. 15. *Utinam frigidus, aut calidus esses! sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus; incipiam te evomere ex ore meo*. Quæ verba Tirinus cum aliis ita vertunt: *Idest, cum irreconciliabili detestatione, & derelictione*, Præclare quoque ad rem nostram scribit S. Bernardus de hominibus tepidis, & in via spirituali tædium habentibus, Serm. 5. in Ascens. Dom. his verbis: *Sane invenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes subonere, virga & calcaribus indigentes: quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est: quorum brevis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio: quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione: quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coercet. Nonne tibi horum vita inferno potius appropinquare videtur, dum intellectu affectui, & affectu intellectui repugnante, necesse habent mittere manum ad opera fortium, qui cibo fortium minime sustentantur, socii plane tribulationis, sed non consolationis? Exsurgamus, obsecro, quicumque hujusmodi sumus, resarciamus animas, spiritum recolligamus, abjicientes perniciosam tepiditatem, etsi non quia periculosa est, & Deo solet (ut interdum miserabiliter plangimus) etiam vomitum provocare; certe quia molestissima, plena miseriæ & doloris, & inferno plane proxima*. Vide ex S. Bernardo, qno perducat tædium rerum spiritualinm, quodque perniciosam tepiditatem vocat. Quomodo ergo dici poterit cum seductore Molinosio, qnod bonum sit?

Ad motivnm vero, qnod adducitur in contrarinm, scilicet, quod per tædium rerum spiritnalinm purgetur amor proprius; dicendum est, quod amor proprius divino amore purgatur, & vincitur: ideoque S. Augustinus inter ntrumque amorem discrimen observans, lib. 14. de Civit. Dei inquit cap. 28. inquit. *Fecerunt Civitates duas amores duo: terrenam scilicet amor sui usque ad contemptum Dei, cælestem vero amor Dei usque ad contemptum sui*. Et ex S. Theresia amor proprius purgatur per exercitium virtutum, & pœnitentiarum. Unde scribit Mans. 5. cap. 2. *Orsù, figliuole mie, affrettiamoci a far questo lavoro, togliendo via il nostro amor proprio, la propria volontà, e lo star attaccate a qualsivoglia cosa della terra; aggiungendo opere di penitenze, d'orazione, di mortificazione, d'obbedienza, e tutto quel di più, che sapete. Muoja, muoja questo verme*. Demum gaudere de bono divino provenit in nobis ex amore Dei (nt docet S. Thomas 2. 2. quæst. 35. art. 2.) consequenter tristari de bono divino, proveniet ex amore nostri. Ergo per hujusmodi tædium, & tristitiam non poterit purgari amor proprius; immo per illud fovebitur, & augescet.

Dices. Mystici omnes cum Cardinali de Laurea Opusc. 6. cap. 7. docent, Deum gravissimis spiritus ariditatibus purgare amorem proprium animarum, qnæ incedunt per viam internam; ex quibus provenit tædium rerum spiritualium, juxta illud Job 10. *Tædet animam animam vitæ meæ; dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ*. Atqui hoc cedit in magnam ntilitatem earumdem animarum, nt prosequitur ibidem laudatus Cardinalis. Ergo tædium rerum spiritualium bonum erit: quia per illud purgatur amor proprius, ut asserit Molinosius. Quare non videtur redargnendns.

Respondeo, magnam esse differentiam inter tædium rerum spiritualium, quod oritnr ex ariditatibus, a Deo permissis ad animas purgandas; & tædium proveniens ex tepiditate animæ, ac spiritus relaxatione, qnod est acedia, ut vidimus supra Dissert. VIII. §. 4. & 5. Primum enim consistens in sterilitate consolationis sensibilis, ac spiritualis gratiæ ablatione a Deo immissa, nt personas in pure spirituales mntet, cum non sit voluntarium, qninimmo voluntati quam maxime contrarinm, & afflictivum, & a Deo ordinatum ad animæ profectum; majorem sollicitudinem de Deo, rebusque spiritualibus causat, inducitque: secundnm vero, cum sit voluntarium, & ab amore sui proveniens; negligentiam, & majorem torporem ingerit ad res spirituales, & divinas prosequendas. Proinde cum hoc sit acedia, vel ad illam reducatur: tantum abest, quod sit bonum, vel quod per illud amor proprius purgetur; quinimmo est peccatum, & per illud amor proprius fovetur, & augetur. Primnm vero bonnm est, quia a Deo immittitnr ad purgandnm amorem sui, & ad animæ humiliationem, ac meritum; prout mirifice ad institutum nostrum docet S. Joannes a Cruce lib. 1. Noct. obsc. cap. 9. dicens: *Il secondo segno, e condizione di questa purgazione è, che per ordinario porta la memoria in Dio con sollecitudine, e penoso pensiero: imperocchè come la persona spirituale si vede senza quel gusto nelle cose di Dio, s'immagina di non servire a Dio; ma che torni in dietro. Da ciò si vede, che questa insipidezza, ed aridità non procede da lentezza, e tepidità, perchè è proprio della tepidità non si curare, nè avere sollecitudine interiore nelle cose di Dio. Laonde fra la tepidità, e tepidezza ci è gran differenza: perchè quella che propriamente è tepidità, ha gran remissione, e lentezza nella volontà, e nell'animo niuna sollecitudine di servire a Dio; ma quella che solamente è aridità purgativa, ha seco un'ordinaria sollecitudine con pensiero, e pena di non servirlo. E questa, benchè alcune volte si serva della malinconia, o altro umore; non per questo lascia di fare il suo effetto purgativo dell'appetito: poichè sta privo d'ogni gusto, e tutto il suo pensiero pone in Dio, e lo spirito sta pronto, e forte*. Hactenus illnminatissimus S. Joannes a Cruce, ex quo habes differentiam inter tædium

dium rerum spiritualium a purgatione passiva proveniens, & illud causatum a tepiditate, & negligentia animæ remissæ: quodque primum sit bonum, ac per illud purgetur amor proprius; secundum vero sit malum, neque per illud amor proprius purgari queat, quinimmo foveatur, & augeatur necessum sit. Molinosius vero in dicta Propositione asserit indefinite, tædium rerum spiritualium esse bonum, & per illud amorem purgari proprium, non distinguendo inter tædium voluntarium, & passivum; inter illud a Deo immissum ad purgationem animæ, & inter illud causatum ab amore proprio. Propositio autem indefinita æquivalet universali: proindeque significat, quod omne tædium rerum spiritualium sit bonum, quodque per illud purgetur amor proprius. Ex quo proinde sequitur, quod etiam tædium rerum spiritualium, quod est acedia, vel ad illam reducitur, sit bonum; quodque per illud purgetur amor proprius: quod quantum distet, aberretque a sana Mystices doctrina, nemo non deprehendit.

§. XXVIII.

XXIX. *Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, bonum signum est.*

A tædio rerum spiritualium, quod generaliter, ac citra ullam distinctionem, maxime proficuum ad purgationem amoris proprii commendaverat Molinosius, transitum facit ad inferendum signum, unde animæ dignoscere queant, an recte incedant per viam internam: scilicet, si discursus de Deo fastidiant, & virtutes; si frigidæ remaneant; si nullum in se sentiant fervorem. Quare hæc Propositio, ut jacet, eamdem, ac immediate præcedens, promeretur censuram *male sonantis, & periculosæ in praxi*.

Observa cum S. Francisco Salesio part. 4. Introductionis ad Vitam devotam cap. 14. quod aliquando animæ internæ fastidiunt virtutes, & discursus de Deo, & frigidæ remanent, nullum in se sentientes fervorem, ex propriis culpis, & defectibus; quos enumerat ibidem S. Episcopus num. 2. & sequentibus. Additque, tunc non solum non esse bonum signum, quod anima interna fastidiat discursus de Deo; sed & pessimum: quia in pœnam nostrorum defectuum in ariditate, ac derelictione manemus; atque in ejusmodi casu a Deo veniam petamus, & impetremus, necessum est. Si vero sine nostra culpa ad exercitium virtutum Deus immiserit ejusmodi desolationes; tunc oportet, ut exerceamus virtutum actus, quos recenset ibidem §. *Esaminiamo pertanto*.

Hac expensa observatione, impugnatur Propositio Molinosii. Animæ, quæ fastidiunt discursus de Deo, ac nullum sentiunt in se fervorem, non exercentes virtutum actus, manent in deplorabili tepiditate; ut exploratum est: unde potius malus, quam bonus exitus timeri potest. Ideoque de ejusmodi animabus ait Christus Jo. 15. *Ego sum vitis, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum, & mittetur foras, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet.* Ecce finis horrendus, ac deplorabilis animæ tepidæ, fastidientis discursus de Deo, & virtutes, nullum in se foventis spiritus ac devotionis fervorem: tolli scilicet a vite, quæ est Christus; & mitti in ignem ad ardendum. Quomodo ergo erit bonum signum, si tam perniciosos producat effectus? Non video sane. Quare Apostolus monet novos Christifideles ad Rom. 12. dicens: *Obsecro itaque vos, fratres, per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem. Ut sitis sollicitudine non pigri, spiritu ferventes, Domino servientes, spe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi instantes.* Vide, quomodo Apostolus instruat novos fideles de perfectione vitæ Christianæ; de fervore, quem consequi debebant; de virtutibus, in quibus sese exercere tenebantur; de amore, quo Deum prosequi eos oportebat. Hæc profecto non cohærent cum documentis, quæ suis Asseclis tradit Molinosius. Rursus idem Apostolus ad Ephes. 5. scribens ait: *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes; redimentes tempus, quoniam dies mali sunt.* Sed anima quæ fastidit discursus de Deo, & virtutes, ac frigida remanet, non caute ambulat; sed ut insipiens perniciosam fovet tepiditatem. Ergo non erit bonum signum, sed malum; immo nota evidens ipsiusmet perditionis. Quod constat ex eo, quod legimus Apocal. 2. ubi Spiritus Sanctus animæ frigidæ, non habenti fervorem, & virtutes, horribilem denuntiat sententiam in hæc verba: *Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin autem, venio tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* Reprehendit enim Spiritus Sanctus animam eo quod fervorem pristinum dereliquerit, seque perniciosæ tradiderit frigiditati, ac tepiditati, hortaturque illam, ut serio pœnitentiam agat, primumque fervorem, ac virtutes recuperare conetur: sin minus, illi minatur ruinam, ac damnationem. Qua ergo jam fronte Molinosius deprædicat bonum signum, quod anima frigida remaneat, nullum in se sentiens fervorem, virtutesque fastidiens? Demum Apostolus I. ad Corinth. 9. scribit: *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt; sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* Quomodo autem currit, & ita currit, ut accipiat bravium, anima quæ frigida remanat, nullum in se sentiens fervorem spiritus, ac devotionis, quæ fastidit discursus de Deo, virtutesque? Proinde S. Augustinus lib. de perfect. justit. cap. 8. ait: *Sic ergo curramus, ut comprehendamus. Omnes enim, qui recte currunt, comprehendent. Curramus credendo, sperando, desiderando; curramus corpus castigando, & eleemosynas in bonis dandis, malisque ignoscendis, hilariter & ex corde faciendo, & currentium vires ut adjuventur, orando: & sic audiamus præcepta perfectionis, ne currere negligamus ad plenitudinem caritatis.* Quæ verba Augustini si expenderis, eaque contuleris cum Molinosii doctrina; ejus inconsequentiam clare deprehendes. Currere enim docet S. Doctor animam per virtutum exercitia; ac proinde damnabilem spiritus frigiditatem longe dispellere & amandare. Præterea idem S. Doctor Serm. 365. ad illud, *Benedicam Dominum*, ait: *Ferveamus in itineribus bonorum operum: hoc est enim ambulare nostrum.* Ergo anima, quæ fastidit virtutes, ac frigida remanet, in his itineribus abs dubio non fervescit, non ambulat: pessimam proinde notam præsefert. Demum idem S. Augustinus Serm. 234. ad rem nostram inquit: *Ardete: ne ardeatis igne, quo arsuri sunt dæmones. Ardete igne caritatis, ut a dæmonibus vos discernatis. Ardor iste sursum vos rapit, sursum tollit, in cælum levat . . . . . . Spiritu ferventes accendimini igne caritatis: fervere facite vos laudibus Dei, & moribus optimis. Alter calidus, alter frigidus: calidus frigidum accendat: & qui parum ardet, optet augmentum, & oret adjumentum. Dominus paratus est dare: nos pansis cordibus optemus accipere, ut ita de bonis divinis vincamus fastidium, quod quidem ex perverso oritur creaturarum amore, in quibus cor terreni hominis ita delectatur, ut gustare non possit, quam suavis sit Dominus.* Accedit S. Bernardus, qui Serm. 3. in Ascens. Dom. inquit: *Quidam enim ad omnia viæ & vitæ hujus exercitia, non solum ambulant, sed & currunt; immo potius volant: ut eis & vigiliæ breves, & cibi dulces, & panni suaves, & labores non solum tolerabiles, sed & appetibiles videantur. Alii autem non sic; sed corde arido, & affectione recalcitrante, vix pudore trahuntur ad hæc, vix gehennali timore compelluntur. Hujusmodi autem, si diu permanserint sub onere, aut opprimuntur, & succumbunt; aut quodammodo in inferno sunt, ut numquam ad plenum respirent in luce miserationum Domini, nec in libertatem spiritus, quæ sola facit jugum suave, & onus leve.* Vides ex S. Bernardo, quam miseranda sit sors animæ frigidæ, non habentis fervorem, & fastidientis discursus de Deo, virtutesque. Ergo hæc non erunt bona signa; sed mala, inducentia ad omnigenam animæ ruinam.

Sed audiamus oportet D. Thomam, qui 2. 2. quæst. 54. art. 1. quærens, an negligentia in rebus divinis sit peccatum, ita disserit ad institutum nostrum. *Dicendum, quod negligentia importat defectum debitæ sollicitudinis. Omnis autem defectus debiti actus habet rationem peccati. Unde manifestum est, quod negligentia habet rationem peccati; & eo modo, quo sollicitudo est specialis virtutis actus, necesse est, quod negligentia sit speciale peccatum.* Si ergo negligentia in rebus divinis est speciale peccatum; sequitur, quod anima fastidiens discursus de Deo, virtutesque, ac frigida remanens, nullo percita fervore (cum ita sit in statu perniciosæ negligentiæ in rebus divinis) speciale committat peccatum: ac proinde ejusmodi tædium non erit bonum signum, sed nota perditionis. Rursus idem S. Doctor art. 3. sequenti quærens, quale peccatum sit negligentia in rebus divinis, ait: *Dicendum, quod negligentia provenit ex quadam remissione voluntatis, per quam contingit, quod ratio non sollicitatur, ut percipiat ea, quæ debet, vel eo modo, quo debet. Potest ergo dupliciter contingere, quod negligentia sit peccatum mortale. Uno modo ex parte ejus, quod prætermittitur per negligentiam: quod quidem si sit de necessitate salutis, sive sit actus, sive circumstantia; erit peccatum mortale. Alio modo ex parte causæ. Si enim voluntas intantum sit remissa circa ea, quæ sunt Dei, ut totaliter a Dei caritate deficiat; talis negligentia est peccatum mortale: & hoc præcipue contingit, quando negligentia sequitur ex contemptu. Alioquin si negligentia consistat in prætermissione alicujus actus, vel circumstantiæ, quæ non sit de necessitate salutis; nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu fervoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum: tunc negligentia non est mortale peccatum, sed veniale.* Habes ex S. Thoma deplorabilem statum animæ frigidæ. Cum enim, juxta ejus doctrinam modo traditam, negligentia in rebus

divi-

divinis aliquando sit peccatum mortale, aliquando veniale; proinde anima fastidiens discursus de Deo, ac virtutes, quandoque peccet letaliter, quandoque venialiter, puta, si ex defectu fervoris, ut ait S. Thomas laudatus, fastidiret discursus de Deo, & virtutes: consequens erit, quod anima ejusmodi perniciosam sibi adsciscat conditionem, fovendo negligentiam hujusmodi, quæ semper sit mala. Ergone sanctitatis typum præseferet? Præseferet sane, ut verum fatear: at Satanæ; at tartareæ Stygis. Exinde idem S. Thomas ibidem quæst. 46. art. 2. ad rem nostram scribit: *Stultitia importat quemdam stuporem sensus in judicando, & præcipue circa altissimam causam, quæ est finis ultimus, & summum bonum, circa quod aliquis potest pati stuporem, inquantum immergit homo sensum suum rebus terrenis: ex quo redditur sensus ejus ineptus ad percipiendum divina, secundum illud 1. ad Corinth. 2.* „ Animalis homo non percipit ea, quæ sunt spiritus Dei: “ *sicut etiam homini, habenti gustum infectum malo humore, non sapiunt dulcia. Et talis stultitia est peccatum.* Jamvero si stupor circa summum bonum, & in rebus divinis est peccatum, juxta phrasim D. Thomæ, proculdubio anima fastidiens discursus de Deo, virtutesque, ac frigida manens, nullo percita fervore devotionis, sed stupida omnino adinstar pecudis; peccabit. Frustra ergo conatur Molinosius demonstrare, quod negligentia ejusmodi, seu stupiditas, sit bonum signum; cum abunde jam constet oppositum ex dictis.

Dices. Sancti Mystici passim docent, Deum purgare animas subtractione fervoris sensibilis, ita ut remaneant frigidæ, & aridæ, nullum in se experiendo fervorem, atque fastidiendo Deum, resque divinas, adeo ut aliquando gravissimas tentationes odii Dei, & blasphemiæ patiantur, magnasque difficultates in exercitio virtutum. Hoc autem, ajunt, est optimum signum; scilicet, quod Deus velit hujusmodi animas trahere ad contemplationem infusam: de quo videndus Cardinalis de Laurea Opusc. 6. de orat. Christ. cap. 5. & 6. per totum. Ergo non videtur Molinosius a veritatis tramite deflexisse, dum ejusmodi fastidium bonum esse signum adstruit.

Respondeo. Certum est, animas per viam internam incedentes aliquando affici gravissimis tentationibus odii circa Deum, blasphemiæ, impuritatis, fastidii circa exercitium virtutum, necnon privari sensibili fervore spiritus, & devotionis; ut constat ex Vitis Sanctorum: idque esse bonum signum, quia purgantur a Deo, ut subinde agilius eleventur ad dona supernaturalia. Attamen hujusmodi tentationes, & fastidia non sunt voluntaria, sed passiva: & perferuntur in parte dumtaxat inferiori animæ; ad superiorem vero minime pertingunt, secundum quam fortius Deo adhærent, illumque diligunt, & animose virtutes exercent, ut mirifice advertit S. Joannes a Cruce lib. 1. Noct. obsc. cap. 13. ubi ait: *Questa purgazione reca seco una continua memoria di Dio con timore, e gelosia di tornare addietro nel cammino spirituale. Questo è un gran bene, e non de' minori, che sono in questa aridità, e purgazione dell' appetito: perciocchè l'anima si purifica, e si netta dalle imperfezioni, che se le attaccavano per mezzo degli appetiti, ed affezioni, le quali di sua natura offuscano, e rendono ottusa l'anima. Un altro bene assai grande per l'anima si ritrova in questa notte: ed è, ch' ella si esercita in più virtù insieme; come sarebbe nella pazienza, e longanimità, le quali molto bene si esercitano in queste aridità, e vuotamenti, sofferendosi il perseverare negli esercizj spirituali senza consolazione, e gusto veruno. Si esercita la carità di Dio: poichè non più per lo gusto, e sapore, che trova nell' opera, si muove; ma solamente per Dio. Esercita anche qui la virtù della fortezza: perciocchè in queste difficoltà, ed insipidezze, che trova nell' operare, cava forza di fiacchezza, e così si fa forte. E finalmente in tutte le virtù così cardinali, come teologali e morali, l'anima si esercita per mezzo di queste aridità. Che in questa notte conseguisca l'anima tutti questi quattro beni, che abbiamo detti, cioè godimento di pace continua, memoria di Dio, purità e nettezza di anima, e l'esercizio delle virtù poco fa dette, lo dice Davide, avendolo esperimentato egli stesso standa in questa notte con queste parole:* „ Renuit „ consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum, „ & exercitatus sum: & defecit spiritus meus. “ *L'anima mia ricusò le consolazioni, mi ricordai di Dio, trovai conforto, e mi esercitai: e venne meno lo spirito mio. E subito dice:* „ Et meditatus sum nocte cum corde meo, „ & exercitabar, & scopebam spiritum meum. “ *Meditai di notte col cuor mio, e mi esercitava, e nettava, e purificava lo spirito mio: cioè da tutte le affezioni.* Hactenus illuminatissimus S. Joannes a Cruce. Ex quibus colliges, animas internas a Deo collocatas in purgatione passiva, non obstantibus tentationibus, ac fastidiis, quæ patiuntur in parte inferiori; nihilominus secundum partem superiorem desiderare Deum, in eumque ferri, ac virtutes quamplurimas exercere: cum e contra Molinosius indefinite doceat, dum animam fastidit Deum, & virtutes, esse signum bonum. Cumque Propositio indefinita æquivaleat universali, ac si diceretur, quotiescumque anima interna fastidit res divinas, optimam notam esse; plane falsitatis convincitur vel ex primo aspectu sermonis, etiamsi alia complura momenta ex Scriptura & Patribus allegata non suppeterent.

§. XXIX.

XXX. *Totum sensibile, quod experimur in via spirituali, est abominabile, spurcum, & immundum.*

DEvotionem sensibilem insectari non desineus Molinosius, & acuens linguam suam sicut serpentis; totum sensibile expertum in via spiritus, velut abominabile, spurcum, & immundum traducere non erubescit. Oh monstrum vere abominabile! totum sensibile vitæ spiritualis contemnis; & sensibilia carnis oblectamenta cum tuis Asseclis amplexari non erit abominabile, spurcum, & immundum?

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, piarum aurium offensiva, & perniciosissima in praxi.*

Certum est, aliquod sensibile inter humanas delectationes esse bonum. Ad cujus declarationem prænotandum est, delectationes honestas, & salutares alias esse intellectivas, quæ in appetitu intellectivo habentur, & consummantur; alias vero sensibiles, quæ scilicet ex appetitu intellectivo in sensitivum redundant. *Delectatio quædam* (inquit S. Thomas 1. 2. quæst. 31. art. 4.) *sequitur apprehensionem rationis. Ad apprehensionem autem rationis non solum commovetur appetitus sensitivus per applicationem ad aliquid particulare; sed etiam appetitus intellectivus, qui dicitur voluntas. Et secundum hoc in appetitu intellectivo, sive in voluntate, est delectatio, quæ dicitur gaudium; non autem delectatio corporalis. Hoc autem interest inter delectationem utriusque appetitus, quod delectatio appetitus sensibilis est cum aliqua transmutatione corporali; delectatio autem appetitus intellectivi nihil aliud est, quam simplex motus voluntatis; Et secundum hoc Augustinus dicit in 4. de Civit. Dei, quod cupiditas, & lætitia nihil aliud est, quam voluntas in eorum consecutione, quæ volumus.*

His adnotatis, falsitas Propositionis constat I. ex eo, quod Spiritus Sanctus invitat nos ad experientiam sensibilium, & divinarum delectationum: unde Psal. 33. dicitur: *Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Atqui Spiritus Sanctus non potest invitare, seu hortari ad aliquid immundum, spurcum, & abominabile. Ergo non omne sensibile, quod anima experitur in via spiritus, potest esse abominabile, & spurcum.

Constat II. ex eo, quod scribit S. Thomas 1. 2. quæst. 34. art. 1. ubi ait: *In moralibus est quædam delectatio bona, secundum quod appetitus inferior requiescit in eo, quod convenit rationi.* Atqui quando appetitus requiescit suo modo in rebus divinis, requiescit in eo quod convenit rationi. Ergo quando appetitus inferior requiescit in rebus divinis, erit delectatio bona; ac proinde immerito adstruit Molinosius, quod totum sensibile, in via spiritus degustatum ab anima, sit spurcum & immundum.

Confirmatur I. ex eo, quod idem sanctus Doctor tradit ibid. art. 3. in hæc verba: *Ultimus finis hominis dici potest vel ipse Deus, qui est summum bonum simpliciter; vel fruitio ipsius, quæ importat delectationem quamdam in ultimo fine: & hunc modum aliqua delectatio hominis potest dici optimum inter bona humana.* Atqui ex intensione appetitus superioris, in fruitione Dei requiescentis, redundat quædam delectatio in appetitum sensitivum, qui simul condelectatur modo suo cum appetitu intellectivo; ut docet S. Thomas ibid. quæst. 30. art. 1. ad 1. dicens: *Propter intensionem appetitus superioris partis fit redundantia in inferiorem appetitum, ut simul etiam ipse inferior appetitus suo modo tendat in spirituale bonum, consequens appetitum superiorem.* Ergo ex fruitione Dei haberi potest delectatio in appetitu sensitivo; ac consequenter mentitur Molinosius, dum omne sensibile in via spiritus, quod anima experitur, spurcum adstruit & immundum.

Confirmatur II. ex eo, quod idem S. Thomas scribit 2. 2. quæst. 180. art. 7. ubi docet, quod divina contemplatio gignat in nobis talem delectationem, quæ omnem humanam delectationem excedat. Atqui ex intensione, qua commovetur anima in divina contemplatione, fit redundantia in appetitum sensitivum; ut docet idem sanctus Doctor 1. 2. quæst. 24. art. 3. ad 1. *Cum superior pars animæ intense movetur in aliquid; sequitur motum ejus etiam pars inferior: & sic passio existens consequenter in appetitu sensitivo est signum intensionis voluntatis. Et sic judicat bonitatem moralem majorem.* Consonat D. Thomæ S. Theresia, quæ pariter docet, in divina contemplatione fieri redundantiam delectationis in partem inferiorem, & sensibilem. Unde Mans. 4. c. 2. scribit: *Nè tam-*

poco quel contento, e diletto si sente nel cuore, come quelli del mondo: dico, quando comincia; che dopo riempie tutto, e si va quest' acqua eiversando per tutte le mansioni, o potenze, fino ad arrivore al coepo. Che però ho detto, che comincia da Dio, e finisce in noi; che certo tutto l' nomo esteriore gode di questo gusto, e soavità. Igitur ex divina contemplatione consequitur in nobis delectatio etiam sensibilis, quæ omnem delectationem humanam exsuperat. Falsum proinde declamat Molinosius, omne sensibile, in via spiritus degustatum ab anima, esse abominabile, spurcum, & immundum.

Idem jam olim docuerat S. Gregorius Papa lib. 3. Dialogor. cap. 34. ubi commendans compunctionem sensibilem, & donum lacrymarum, quod oritur ex sensibili devotione, ita præclare scribit: *In multas species compunctio dividitur, quando singula quæque a pænitentibus culpæ planguntur. Unde ex voce quoque pænitentium Jeremias ait:* „ Divisiones aquarum deduxit oculus meus. " *Principaliter vero compunctionis genera duo sunt: quia Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore. Prius enim sese in lacrymis afficit: quia dum malorum suorum recordatur, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longo mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, & in amore cælestium gaudiorum animus inflammatur: & qui prius flebat, ne duceretur ad supplicium; postmodum amarissime flere incipit, quia differtur a regno. Contemplatur enim mens, qui sint illi Angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum Spirituum, quæ majestas æternæ visionis Dei: & amplius plangit, quia a bonis perennibus deest; quam flevit prius, cum mala æterna metuebat. Sicque fit, ut perfecta compunctio formidinis tradat animum compunctioni dilectionis . . . . . . Sunt namque nonnulli, qui jam in dono perceperunt libere pro justitia loqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere; sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram australem, & arentem habent, sed adhuc irrigua indigent: quia in bonis operibus positi, in quibus magni, atque ferventes sunt, oportet nimirum, ut aut timore supplicii, aut amore regni cælestis mala etiam, quæ antea perpetraverunt, deplorent. Sed quia, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei Pater suus irriguum superius, & irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cum sese in lacrymis cælestis regni desiderio affligit: irriguum vero inferius accipit, cum Inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris, dignitate præeminet; necesse fuit, ut prius irriguum superius, & post irriguum inferius commemorari debuisset.* Hactenus S. Gregorius egregie commendans compunctionem, & donum lacrymarum, quæ ad devotionem sensibilem pertinent, effectusque divinos ab eis prodeuntes. Ex quibus proinde clare deprehendes, quam temere, ac falso Molinosius omne sensibile, in via spiritus expertum ab anima, ad spurcitiem amandare sit ausus. Audiendus quoque S. Augustinus, qui in libro Medit. cap. 34. ita mirifice scribit de compunctione sensibili: *Miserum me, quomodo sic insensata facta est anima mea, ut non terreatur terrore nimio, dum stat ante Deum, & suas illi laudes decantat? Miserum me, quomodo sic induruit cor meum, ut oculi mei indesinenter non producant flumina lacrymarum, dum servus sermocinatur coram Domino suo? . . . . . . Utinam sic te timeret peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus, qui dixit:* „ Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum. " *Dator enim bonorum Deus, da mihi inter laudes tuos fontem lacrymarum, simul cum cordis puritate, & mentis jubilatione: ut perfecte te diligens, & digne te laudans, ipso cordis palato sentiam gustum, & sapiam, quam dulcis, & suavis es, Domine.* Profecto si Augustinus novisset, quod totum sensibile, in via spirituali expertum ab anima, foret abominabile, spurcum, & immundum; non ita sensibilem compunctionem commendasset, eamque enixis precibus, totisque viribus a Deo flagitasset. Accedit S. Bonaventura, qui lib. 2. de Processu Religion. cap. 76. de sensibili devotione ita disserit. *Sunt etiam quædam sensibiles dulcedines, & suavitatis experientiæ, quæ devotis quandoque infunduntur: quæ cum vere sint a Deo, possumus æstimare, quod dentur quibusdam novis, & rudibus, qui spiritualia non lucide intelligunt; ut saltem per sensibilia consolentur in Domino.* Jamvero, si Deus ejusmodi delectationibus veluti quibusdam mediis utitur ad pertrahendas animas in viam spiritus: quomodo erunt abominabiles, spurcæ, & immundæ; cum impium sit dicere, Deum trahere animas ad se per immunda? Notatu dignum existimo, quod ait doctissimus P. Suarez lib. 2. de Relig. cap. 18. num. 4. *Obiter notandum, devotionem illam, quæ in appetitu sentiente sentitur, non esse viris spiritualibus contemnendam, nec esse imperfectorum propriam: quia & ex perfectissima, & altissima contemplatione sequi potest; & de se juvat, & disponit hominem, ut facilius, & constantius contemplatione fruatur. Quamvis si illa sensibilis delectatio desit, non propterea putandum est, orationem, vel contemplationem esse imperfectam. Sæpe enim ex dispositione corporis impeditur, & interdum ex dispositione divina propter varias rationes, quæ facile excogitari possunt.* Sed redeamus, necessum est ad S. Theresiam Magistram orationis, cujus cælesti doctrina nobis proposuimus perpetuo uti in hocce nostro Opere, veluti duce, ac pedisequa fidissima. Hæc itaque ad institutum nostrum cap. 12. Vitæ suæ ita scribit: *Questo modo di meditare appartiene al primo grado, che è quello, che incomincia a cavar acqua del pozzo. Ed è, fin dove possiamo noi arrivare colle nostre forze: perchè in questa prima divozione possiamo noi ajutarci qualche poco. Per lo che il pensare, ed investigare quello che il Signore per noi patì, ci muove a compassione; ed è gustosa questa pena, e dolci le lagrime, che di qui procedono: ed il meditare la gloria, che speriamo, e l' amore, che Dio ci portò, e la risurrezione di Cristo Signor nostro, ci muove a gaudio, il quale nè del tutto è spirituale, nè sensuale; ma godimento virtuoso, e la pena molto meritoria. Di questa maniera sono tutte le cose, che causano divozione acquistata in parte con l' intelletto; benchè non potuta meritare, nè guadagnare, se non vien data da Dio.* Si sensibile, quod experimur in via spirituali, juxta sensum illuminatissimæ Virginis, est gaudium virtuosum, atque meritorium, proveniens a Deo: quomodo erit abominabile, spurcum, & immundum; cum ad fontem perfectionis, ac puritatis conscendere nequeamus per aliquod abominandum, nec ab illo scatere possit quidquam spurcum, aut immundum? Rursus eadem Sancta Mans. 4. cap. 1. inquit: *Per la passione del Signore, o per i propri peccati alcune volte si piange, o vengono ajutate queste lagrime, o questi desideri dalla naturalezza, e secondo si trova la disposizione: ma finalmente, come ho detto, vengono a finire in Dio. Quantunque ciò sia così, si deve nondimeno tenere gran conto; se però vi sarà umiltà per conoscere, o sapere, che chi gli ha, non per questo è migliore: atteso che non si può sapere, se tutti sono effetti di amore; e quando pur sieno, sono doni di Dio. Per lo più hanno queste divozioni le anime delle mansioni passate: perchè quasi del continuo, mediante l' operazione dell' intelletto, s' impiegano in discorrere, e meditare, e camminano bene.* Si ergo ex S. Theresia debemus multum æstimare sensibile, quod experimur in via spirituali; cum sit donum Dei: consequitur plane, illud abominabile, spurcum, ac immundum temere appellari. Consonat S. Theresiæ D. Joannes a Cruce, qui describens effectus devotionis sensibilis, gaudiique inde resultantis, quod Deus incipientibus largitur, ita inquit lib. 1. Noct. Obsc. cap. 1. *Si deve sapere, che subito, che l' anima risolutamente si converte, e si mette a servire Dio, per ordinario la va il Signore allevando nello spirito, ed accarezzando nella guisa, che fa l' amorosa Madre il tenero suo bambino: che stringendolo al seno col caldo delle sue mammelle lo riscalda, col dolce e saporito latte lo ciba, ed allevo, nelle sue braccia lo porta, e l' accarezza. L' amorosa Madre della grazia di Dio subito che per nuovo calore, e fervore di servire Dio rigenera l' anima; questo stesso fa con essa: perciocchè le fa trovare dolce e saporito latte spirituale senz' alcun suo travaglio in tutte le cose di Dio, e gran gusto negli esercizj spirituali. Imperciocchè le porge qui Iddio la mammella del tenero suo amore, per appunto come a tenero bambino, di maniera che già suo diletto è passarsene molte ore in orazione, e per avventura le notti intere. I suoi gusti sono le penitenze; i suoi contenti, i digiuni; e le sue consolazioni, la frequenza de' Sacramenti, e la comunicazione delle cose divine: nelle quali cose con grande efficacia, e sodezza perseverano, e frequentano, e trattano con gran diligenza, ed accuratezza le persone spirituali.* Si ergo sensibile, quod experiuntur animæ incipientes se ad Deum convertere, ejusque divino servitio se dicare, efficit in eis adeo mirabiles effectus spirituales: quis dicere poterit cum impio Molinosio, quod omne sensibile, in via spiritus degustatum ab animabus, sit spurcum, & immundum? Hinc Ven. P. Balthasar Alvarez Societ. Jesu, scribens contra Illuminatos illo tempore in Hispania grassantes (ut habetur in ejus Vita cap. 32. §. 2.) ad rem nostram ita inquit: *Questa communicazione di Dio, e questa presenza di lui non consiste principalmente, ed essenzialmente in cose sensibile; benchè per mezzo di questa interna comunicazione di Dio sogliono sognire questi effetti sensibili di consolazione, e di altri buoni movimenti. E perciò non debbonsi, universalmente parlando, dispregiare tutti questi sentimenti sensibili, come illusioni del Demonio; che sarebbe grande inganno: ma debbonsi osservare bene, ed esaminarsi con discretezza conforme al parere degli uomini dotti, esperimentati, e giusta le regole, che hanno lasciate i Santi intorno alla discrezione degli spiriti.* Ea ex illuminatissimo viro, quod delectationes sensibiles omnes, ac indiscriminatim haudquaquam debeant despici, & contemni; quin potius plurimum

rimum æstimari tamquam speciales Dei favores. Mirifice quoque hanc nostram doctrinam illustrat S. Franciscus Salesius, qui in sua Philothea, seu Introductione ad vitam devotam part. 4. cap. 13. loquens de sensibilibus delectationibus, quas Deus animabus internis largitur, ita differit: *Le consolazioni sensibili sono piccioli saggi delle soavità immortali, che Iddio dà all' anime, che lo cercano. Questi sono grani inzuccherati, ch' egli dà a' suoi piccioli figli per inescarli: queste sono acque cordiali, che presenta loro per confortarli: e sono anche talvolta caparra dell' eterna ricompensa.* Et post pauca: *Riceviamo umilmente queste grazie, e favori, e stimiamoli in estremo grandi; non tanto perchè tali sono in se stessi, quanto perchè la mano di Dio è quella, che ce li mette nel cuore: come farebbe una Madre, che per addolcire il suo figlio, gli mettesse ella medesima i piccioli confetti in bocca l' uno dopo l' altro; che se il bambino avesse spirito, pregiarebbe più le lusinghe, e carezze, che sua Madre gli fa, che la dolcezza de' medesimi confetti. E così è assai, Filotea, avere delle dolcezze; ma questa è la dolcezza delle dolcezze, il considerare, che Dio con la sua amorosa, ed eterna mano ce le mette nella bocca, nel cuore, nell' anima, nello spirito.* Certe si totum sensibile, quod experimur in via spirituali, esset abominabile, spurcum, & immundum, ut perperam docuit Molinosius; falsum omnino esset encomium delectationis sensibilis ea S. Præsule Francisco productum. Sed absit, quod dicamus hunc illuminatissimum virum deceptum. Demum pro coronide audiamus oportet P. Balthasarem a S. Catharina Carmelitam Excalceatum, qui ad Mans. 4. S. Theresiæ Splend. 4. Reflex. 2. theologice, ac doctissime ea S. Thoma pertractat de sensibili delectatione, quam in oratione experitur anima spiritualis, ejusque excellentiam, & utilitatem demonstrat in hæc verba: *Dico dunque con S. Tommaso* 2. 2. quæst. 82. art. 1. & 4. *e col Suarez* de Relig. tom. II. lib. 2. cap. 6. & 7. *che una certa soavità, e gusto suol andare connesso alla vera divozione: ch' è una pronta volontà a quelle cose, che spettano all' ossequio, e servizio divino. E questa soavità suole chiamarsi col nome di divozione, ed ordinariamente, dice il Santo, è causata dalla vera, e sostanziale divozione, che è la prontezza detta: ma alcune volte non è originata di là, ma immediatamente dallo Spirito Santo, o più presto previene, ed eccita alla divozione sostanziale, ed è causa di maggior prontezza nell' operare, quando è efficace. E questa è nell' appetito sensitivo, come notò un dottissimo, e divoto Padre della Compagnia di Gesù: perchè quelle cose, nelle quali abbiamo gusto, più prontamente sogliono esercitarsi. E di questa dilettazione, e gusto dico con questo Dottore, che in due maniere può considerarsi questa soavità, e divozione sensitiva. Primo avanti ogni operazione nostra libera, e determinata della volontà: secondo in quanto causata da qualche nostra determinata libera operazione. E sebbene anche questa seconda bisogna, che sia opera dello Spirito Santo, se è soprannaturale; nondimeno l' altra è con modo speciale dallo Spirito Santo, ed appartiene alla grazia eccitante, colla quale suole sua Divina Maestà muovere, ed inspirare al bene soprannaturale: e come alcune volte ingerisce timore; così altre volte allegrezza, e soavità. E però questa soavità sensitiva non nasce, nè ridonda da soavità spirituale della volontà, letizia, e gaudio interiore dell' anima: nasce nondimeno dallo Spirito Santo, non immediatamente infondendola nel seno; ma mediante la mozione sua, con che illumina l' intelletto, ed affeziona la volontà. E mediante quest' affetto intellettuale, lo Spirito Santo quasi per resultanza è causa propria di simile sensibile divozione, e soavità.* Ex quibus omnibus rite expensis clare constat, quam putide docuerit Molinosius, omne sensibile, in via spirituali degustatum ab anima, spurcum esse & immundum.

§. XXX.

XXXI. *Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non habent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.*

AUctor Propositionum, damnato quocumque sensibili, tamquam spurco & immundo, studio meditationis addictos exagitat, asserens, nullum ex eis exercere veras virtutes internas, quæ a sensibus cognosci non debent; atque ad calcandam unicam viam suam internam, necessitatem exponit amittendi virtutes. In quo sane coincidit cum Beguardis, docentibus, ut habetur ex Clementina *Ad nostrum*, de Hæreticis, *quod se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti; & quod perfecta anima licentiat a se virtutes:* necnon cum Illuminatis, de quibus nit Bayl loc. supra cit. *Consectantur quamdam stupidam otiositatem, quam ut conservent, exercitia virtutum postponunt.*

Propositio, quæ ut jacet, est *temeraria, scandalosa, perniciosa, injuriosa Christianæ Disciplinæ, & hæresim sapiens Beguardorum, errore sexto, respective*, quoad primam partem impugnatur I. ex Psal. 38. vers. 4. ubi habetur: *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis.* Quæ verba ita exponit S. Thomas: *Concitatus est calor caritatis in corde meo: causa autem hujus concitationis est meditatio de divinis:* & Bellarminus ex S. Ambrosio: *Diligens, & attenta meditatio rerum cælestium ordinaria via est ad accendendum ignem actualis caritatis Dei.* Ergo meditativi non raro caritatis igne accenduntur. Ergo exercent virtutes, quæ non habent a sensibus cognosci. Ex Psal. 118. vers. 47. disces, meditationem rerum divinarum causare virtutum exercitia, ac divinorum mandatorum observantiam. *Meditabar*, inquit regius Psaltes, *in mandatis tuis, quæ dilexi. Et levavi manus meas ad mandata tua, quæ dilexi; & exercebar in justificationibus tuis.* Ubi significare volebat (ut interpretatur S. Augustinus super laudata verba) quantum in actus pios internos, atque in divinorum mandatorum observantiam influeret meditatio: *Mandata ergo Dei dilexit. Dilexit autem cogitando, & operando. Nam quod ad cognitionem pertinet, ait:* „ Et meditabar in manda„ tis tuis. “ *Quod autem ad operationem:* „ Et levavi „ manus meas ad mandata tua, quæ dilexi. “ *Finis enim præcepti est caritas de corde puro. Quando isto fine, idest, hujus rei contemplatione, fit mandatum Dei; tunc fit vere opus bonum.*

Impugnatur II. ex D. Thomæ doctrina 2. 2. quæst. 84. art. 9. in corp. ubi docet, meditativos, seu incipientes nutrire, & fovere caritatem. Quod profecto fieri non potest, nisi per actus ipsiusmet caritatis internos, qui a sensibus cognosci non possunt: *Pertinet ad incipientes*, inquit, *in quibus caritas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur:* & quæst. 24. ejusdem Partis art. 9. ad 3. id commendat in proficientibus: *Proficientes suam sollicitudinem habent de profectu virtutum.* Quod intelligendum est de virtutibus tum theologicis, tum intellectualibus, tum moralibus; cum omnes istæ hominem perficiant, ut idem S. Doctor tradiderat 1. 2. quæst. 68. art. 8. Atqui omnes ejusmodi virtutes sunt vere internæ, quæ cognosci non possunt, nisi ab intellectu, non vero a sensu; cum sensus nonnisi exteriora, & materialia cognoscant. Ergo meditativi veris virtutibus internis incumbunt, quæ cognosci non habent a sensibus. Et 2. 2. quæst. 82. art. 3. in corp. causam devotionis in meditationem refundens, inquit: *Causa intrinseca devotionis ex parte nostra oportet, quod sit meditatio seu contemplatio. Dictum est enim, quod devotio est quidam voluntatis actus ad hoc, quod homo prompte se tradat ad divinum obsequium. Omnis autem actus voluntatis ex aliqua consideratione procedit, eo quod bonum intellectum est objectum voluntatis. Unde & Augustinus dicit in lib. de Trinitate, quod voluntas oritur ex intelligentia. Et ideo necesse est, quod meditatio sit devotionis causa, inquantum scilicet homo per meditationem concipit, quod se tradat divino obsequio.*

Atqui devotio est vera virtus interna, quæ non cadit sub sensu; cum ex intellectu, & voluntate procedat, ut docet ibidem S. Thomas art. 2. Ergo meditatio causat veram virtutem internam, quæ non cadit sub sensu. Proinde falsum est, quod meditativus nullas veras virtutes exerceat internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Præterea, ut ibidem prosequitur idem sanctus Doctor: *Ad quod quidem inducit duplex consideratio. Una quidem, quæ est ex parte divinæ bonitatis, & beneficiorum ipsius, secundum illud Psal. 72.* „ Mihi adhærere Deo „ bonum est, & ponere in Domino Deo spem meam. “ *Et hæc consideratio excitat dilectionem.* Atqui dilectio Dei est vera virtus interna, quæ a sensibus cognosci non potest. Ergo meditatio excitat virtutes, quæ a sensibus cognosci nequeunt. Rursus meditativi tenentur orare aliquando, ut supra probatum fuit Dissert. IV. §. 3. Sed oratio est virtus intellectivæ virtutis (ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 3.) quæ a sensibus cognosci non potest. Ergo meditativi exercent virtutes, quæ a sensibus cognosci nec debent, nec possunt. Proinde falsam se prodit doctrina Molinosii in dicta Propositione, quæ omnes virtutes a sensibus imperceptibiles a veris meditativis removet, & amandat.

Impugnatur III. Non minus meditativi, quam contemplativi tenentur ad eliciendos actus virtutum theologicarum, fidei, spei, & caritatis; ut patet ex Propositione prima inter viginti & octo proscriptas ab Alexandro VII. anno MDCLXV. Atqui actus virtutum theologicarum sunt actus mere interni, qui a sensibus nequeunt cognosci; cum a spiritualibus dumtaxat animæ potentiis eliciantur. Ergo vel est dicendum, meditativos numquam actus fidei, spei, & caritatis elicere; vel illos exercere veras virtutes internas, quæ a sensibus non habent cognosci.

Primum dicet nemo; alias omnes meditativi essent in statu damnationis, quo nihil absurdius. Ergo secundum

esserendum est: meditativos scilicet veras internas virtutes exercere, quæ a sensibus non habent cognosci.

Demum audienda est S. Theresia, quid sentiat de meditativis, num veras virtutes exerceant, & exercere possint, necne? Hæc itaque cap. 12. suæ Vitæ, loquens de iis qui in statu meditationis manent, ita disserit: *In questo stato possono farsi molti atti: alcuni per risolversi a far gran cose per Dio, e risvegliare l' amore; alcuni altri per ajutare, ed accrescere le virtù, conforme insegna un libro intitolato, Arte di servire a Dio, il quale è molto buono, ed a proposito per coloro che si ritrovano in questo stato, ove opera l'intelletto.* Ergo ex S. Theresia in statu meditationis exerceri possunt veræ virtutes internæ.

Quoad secundam Propositionis partem hoc argumento perstringi potest: *Opus est*, inquit, *amittere virtutes*. Ergo qui virtutes amisit, perfectus est. Ergo perfectus est meditativus. Antecedens continet doctrinam in secunda hujus Propositionis parte declaratam. Prima consequentia est conformis menti Molinosii, in amissione virtutum constituentis perfectionem. Secunda consequentia probatur. Meditativus virtutes amisit, quia veras virtutes non exercet; & idem est non exercere virtutes, ac illas non habere, seu amisisse. Ergo meditativus est perfectus, quia virtutes non exercet, seu illas amisit.

At non tantum ex hoc absurdo impugnatur Molinosius; quin etiam ex Glossa in Cit. Clementina *Ad Nostram* de Hæreticis, in verb. *Quinto, & quod non indigent*: ubi ad rem nostram ait: *Apostolus enim, qui perfectissimus fuit in via, reprimebat insultus carnalium passionum. Unde dicit I. ad Corinth. 9.* „ Sic pugno, non „ quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum: “ *scilicet motus carnis illicitos reprimendo, secundum Augustinum.* „ Et in servitutem redigo: “ *scilicet carnem spiritui servire cogendo, secundum eumdem ad Rom. 70.* „ Video aliam legem in membris meis, repugnantem „ legi mentis meæ: “ *& II. ad Corinth. 12.* „ Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi sti„ mulus carnis. “ *Item Jeremias, & Joannes Baptista, qui fuerunt sanctificati in utero, secundum Theologos, habuerunt fomitem inclinantem ad venialia, licet non ad mortalia; & contra tales insultus bellaverunt. Unde cantat Ecclesia de Joanne Baptista:* „ Antra deserti teneris „ sub annis, civium turmas fugiens, petiisti, ne levi sal„ tem maculare vitam famine posses. “ *Beatus Martinus legitur, quod carnem spiritui servire cogebat. De beato Benedicto Gregorius dicit 2. Dialogorum, quod insultus carnalis tentationis repressit, projiciendo se inter urticas, & spinas; ut per vulnera corporis educeret ab anima vulnus mentis. Ex quibus patet, quod perfecti perfectione necessaria ad salutem non liceantiant a se virtutes etiam in actu; immo se exercent in actibus virtutum moralium. Unde ipse Apostolus ad Philipp. 4. ait:* „ Quæcumque „ sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæ„ cumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua vir„ tus, si qua laus disciplinæ; hæc cogitate: quæ accepi„ stis, & audistis, & vidistis in me. “ Hactenus Glossa ubi supra. Ex qua fit evidens, nos teneri ad exercitia virtutum, exemplo, & doctrina Sanctorum, & Apostoli præcipue. Unde nonnisi hæretici edisserere possunt, opus esse amittere virtutes; ut docuit Molinosius in ipso sinu Ecclesiæ Catholicæ, Romæ nimirum. Apage igitur cum ejusmodi nefaria perfectione in ultimas terras, ad Heterodoxos Septemtrionales.

Confirmatur ex eo, quod scribit idem Apostolus II. ad Corinth. 7. in hæc verba: *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostendistis in nomine ipsius.* Si ergo ex Apostolo abundemus necessum est omni opere bono, ut mereamur apud Deum coronam vitæ æternæ; consequenter exercere debemus virtutes. Rursus idem Apostolus I. ad Timoth. 4. ait: *Exerce teipsum ad pietatem*: hoc est, ad virtutem. *Nam exercitatio corporalis ad modicum utilis est; pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Vides, Apostolum hortari Timotheum, ut exerceat se in virtutibus, ad fructum in hac vita, & in futura colligendum. Quem ergo fructum colliget Molinosius cum suis Ascetis? tribulos, spinas, & labruscas. Hinc S. Augustinus de spirit. & anima loquit: *Felix anima, quam Dei pietas respicit, humilitas subjicit, potentia reducit, obedientia conducit, caritas unit.* Et S. Thomas 2. 2. quæst. 44. art. 1. in corp. ait: *Omnes virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ordinantur vel ad purificandum cor a turbinibus passionum; sicut virtutes, quæ sunt circa passiones: vel saltem ad habendam bonam conscientiam; sicut virtutes, quæ sunt circa operationes: vel ad habendam rectam fidem; sicut illæ, quæ pertinent ad divinum cultum. Et hæc tria requiruntur ad diligendum Deum.* Ergo ex S. Thoma virtutes cadunt sub præcepto, suntque triplicis generis: scilicet virtutes morales, virtutes theologales, & virtutes intellectuales; ut habet etiam 1. 2. quæst. 68. art. 8. Ergo juxta sensum ejusdem sancti Doctoris, virtutes exercendæ sunt. Proinde falsum est, quod docuit Molinosius; virtutes scilicet amittendas esse: quin potius animæ timentes Deum illas exercent, juxte illud Psal. 83. vers. 8. *Ibunt de virtute in virtutem.* Demum S. Theresia apparens post mortem cuidam Moniali, eam, cæterasque Moniales docuit exercitium virtutum; ut habetur Tom. II. Operum ejusdem Sanctæ sub titulo, *Avvisi della S. Madre di Gesù, che dopo la morte ha rivelati ad alcune persone del suo Ordine*, ibi num. 2. *Procura esercitare, ed acquistare le virtù, che più mi piacquero, quando io qui viveva: che le più principali furono I. presenza di Dio, procurando di far l'opere in unione di quelle di Cristo. II. Orazione perseverante, cavando frutto di essa la carità. III. Obbedienza. IV. Umiltà profonda, accompagnata con la confessione d'avere offeso Dio. V. Purità di coscienza, senza acconsentir a peccato mortale, nè a veniale avvertitamente. VI. Zelo dell' anime, procurando tirarne a Dio, quante più potrai. VII. L'affetto al Santissimo Sagramento dell' altare, e comunicarsi col maggior apparecchio, e preparazione, che sia mai possibile. VIII. Particolar divozione allo Spirito Santo, ed alla Vergine Maria. IX. Pazienza, e fortezza ne' dolori, e travagli. X. Chiarezza di anima, e semplicità di spirito con discrezione, e schiettezza. XI. Verità nelle parole senza dire, nè permettere, che mai si dica bugia alcuna. XII. Vero amor di Dio, e del prossimo, che è la somma di tutta la perfezione.* Vide, quam contraria fit doctrina S. Theresiæ, de cælo instruentis Moniales suas circa exercitium virtutum, systemati Molinostico, quo suis Ascetis suadet perfidus seductor emissionem virtutum. Cui ergo parendum. Num sanctæ Virgini Theresiæ de cælo loquenti; an seductori Molinosio? Pareat huic qui a cæli tramite longe aberrare voluerit.

§. XXXI.

XXXII. *Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio pro istis animabus internis, quam permanentia in solita resignatione passiva: quia modo perfectiori supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, ac fiunt in vita ordinaria. Et si occasione Communionis insurgant motus humiliationis, petitionis, & gratiarum actionis; reprimendi sunt, quoties non dignoscitur, eos esse ex impulsu speciali Dei: alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.*

ADeo avulsas a virtutum actibus animas internas vult Molinosius, quas in antecedenti Propositione dixerat oportere virtutes amittere, ne a sua otiositate discedant; ut si occasione Communionis Eucharisticæ motus humiliationis, petitionis, necnon gratiarum actionis insurgant, eos doceat velut motus naturæ nondum mortuæ reprimere: nisi fortasse dignoscatur, ejusmodi actus ex speciali Dei impulsu prodire. In hujus Propositionis sequelam Molinosticæ doctrinæ sectatores (ut refert Episcopus Meldensis de statibus orationis lib. 4. num. 9.) docuerunt: *Si dice da essi rispetto alla Comunione, che le anime di questo grado lascino fare a Dio, e che esse stieno in silenzio. Si è già inteso, che cosa sia questo silenzio, questo lasciar fare, cioè starsi perpetuamente, e per istato senza eccitarsi alla contrizione, nè ad altro atto di pietà.* Et post pauca: *Si guardino bene di procurare altra disposizione, di qualunque sorte sia, che il loro semplice riposo, cioè nell'intera cessazione di tutti gli atti: e questa legge si estende a tutto, alla Confessione, alla Comunione, al ringraziamento.* Ex quo noveris, Molinosium, ejusque doctrinæ sectatores cum Beguardis convenire, de quibus ut refertur in sæpe laudata Clementina, *Ad nostrum*, de Hæreticis, errore 8. habetur: *Quod in elevatione Corporis Jesu Christi non debent assurgere, nec eidem reverentiam exhibere; asserentes, quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate, & altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa Mysterium, seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa Passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent.*

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, periculosa in praxi, erronea, & multipliciter heresim sapiens respective.*

Impugnatur Propositio I. ex Apostolo, qui dispositionem sacræ Communioni præmittendam aperte commendat I. ad Corinth. 11. vers. 28. his verbis: *Probet autem seipsum homo: & sic de Pane illo edat.* Atqui per damnabilem illam resignationem, seu otiositatem spiritualem prætensam a Mulinolio, non probat seipsum homo, nec disponit se ad sacram Synaxim digne recipiendam. Ergo requiritur aliqua præparatio ante Communionem etiam pro animabus internis, distincta ab illa perniciosissima resignatione. Major constat. Minor probatur.

Apo-

Apostolus per laudata verba innuit actus virtutum positivos, sacræ Communioni præmittendos. Unde S. Joannes Chrysostomus (cui idem Apostolus multa dictasse perhibetur) vel quisquis sit Auctor sub nomine S. Joannis Chrysost. ad Pop. Antioch. Hom. 60. inquit: *Igitur accedat nemo cum nausea, nemo resolutus; omnes accensi, omnes ferventes, & excitati. Nam si Judæi stantes, & calceamenta in pedibus habentes, & baculos manibus gestantes, agnum cum festinatione comedebant; te multo magis oportet esse solertem.* At fervor, & solertia pugnat cum damnabili illa otiositate Molinosii, quæ utpote mere passiva, in actus non prorumpit positivos; & si prorumpat aliquando, Auctor hujus Propositionis eos præcipit cohibere. Ergo ruit instructio, quam suis tradit Ascetis Molinosius.

Impugnatur II. ex Conc. Trid. sess. 13. de Euchar. c. 7. ubi sic habes: *Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere nisi sancte; certe quo magis sanctitas, & divinitas cælestis hujus Sacramenti* (id est, Eucharistiæ) *viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad id percipiendum accedat.* Et cap. 8. sequenti ait: *Illos hoc Sacramentum sumere sacramentaliter simul, & spiritualiter, qui ita se prius probant, & instruunt, ut vestem nuptialem induti ad divinam hanc mensam accedant.* Quod & Catechismus Romanus de Sacramento Eucharistiæ num. 56. persequitur sic dicens: *Sed jam docendum est, qua ratione præparatos fidelium animos esse oporteat, antequam ad sacramentalem Eucharistiæ perceptionem veniant. Ac primum quidem, ut pateat, eam præparationem maxime necessariam esse, Salvatoris nostri exemplum proponendum est. Nam antequam Apostolis pretiosi corporis, & sanguinis sui Sacramenta daret, quamvis jam mundi essent, pedes eorum lavit; ut declararet, omnem diligentiam adhibendam esse, ne quid nobis ad summam animi integritatem, & innocentiam desit, cum sacra Mysteria percepturi sumus. Deinde vero fideles intelligant, quemadmodum, si optime affecto & præparato animo Eucharistiam aliquis sumat, amplissimis cælestis gratiæ muneribus ornatur; ita contra si imparatus accipiat, non solum nihil commodi, sed maxima etiam incommoda, & detrimenta accipere.* Et infra: *Primam itaque illam præparationem fideles adhibeant, ut discernant mensam a mensa, hanc sacram ab aliis profanis, cælestem hunc panem a communi. Atque hoc fit, cum certo credimus, præsens esse verum corpus, & sanguinem Domini, quem in cælo Angeli adorant, ad cujus nutum columnæ cæli contremiscunt, & pavent, cujus gloria plenum est cælum, & terra. Hoc nimirum est dejudicare corpus Domini, quod Apostolus admonuit. Altera vero illa præparatio maxime necessaria est, ut unusquisque a seipso quærat, num pacem cum aliis habeat; num proximos vere, atque ex animo diligat. Deinde conscientiam nostram scrutari diligenter debemus, ne forte exitiali aliquo peccato contaminati simus, cujus pœnitere necesse sit, ut prius contritionis, & Confessionis medicamento illud eluatur. Præterea taciti cum animis nostris cogitemus, quam indigni simus; quibus divinum hoc beneficium a Domino tribuatur. Quare illud Centurionis, de quo idem ipse Salvator testatus est, se non invenisse tantam fidem in Israel, ex animo dicendum est:* „ Domine, „ non sum dignus, ut intres sub tectum meum. “ *Exquiramus etiam a nobis ipsis, an illud Petri usurpare nobis liceat:* „ Domine, tu scis, quia amo te. “ *Meminisse enim oportet, eum, qui sine veste nuptiali in convivio Domini accubuerat, in tenebrosum carcerem conjectum sempiternis pœnis addictum fuisse.* Ex quibus omnibus quis non videt, ad recipiendam digne Eucharistiam, præparationem illam necessariam esse ex Concilio, & Catechismo, quæ in multis actibus fidei, spei, contritionis, & amoris Dei & proximi consistit? Unde & perperam asseruit Molinosius, sufficere permanentiam in resignatione passiva, hancque supplere omnes hujusmodi actus distinctos, & explicitos virtutum, requisitos a Concilio, & Catechismo, pro digna præparatione ad sumendam sanctissimam Eucharistiam. Nec valet replicare, laudatam præparationem, a Concilio, & Catechismo præscriptam ad percipiendam Eucharistiam, non esse pro animabus internis, sed pro iis, quæ per viam ordinariam incedunt. Nam contra est, quia cum Ecclesia indistincte, & indiscriminatim omnibus fidelibus laudatam præparationem assignet, & proponat; injuriosum est Ecclesiæ adstruere, illam animabus solum per viam ordinariam incedentibus, non vero animabus internis propositam fuisse, & utilem fore. Deinde cum animæ internæ, ut diximus, in sensu Auctoris sint animæ in statu perfectionis Christianæ; & hæc secundum D. Thomam consistat in exercitio caritatis, aliarumque virtutum: sequitur, laudatam præparationem potissimum animas internas comprehendere. Demum contrarium asserere, scilicet animas internas, utpote perfectas, non debere elicere actus explicitos virtutum, sed in sola passiva resignatione permanere; esset incurrere errorem jam damnatum in Beguardis in Concilio Viennensi, asserentibus, quod se exercere in actibus virtutum sit hominis imperfecti, eo quod anima perfecta licentiat a se virtutes, ut habetur in Clementina *Ad Nostrum*, de Hæreticis.

Impugnatur III. ex præparatione ad sanctissimam Eucharistiam, quæ habetur, & proponitur in principio Missalis Romani desumpta ex SS. Ambrosio & Thoma, necnon ex gratiarum actione habenda post sumptam Eucharistiam ibidem ex SS. Thoma & Bonaventura excerpta; ubi quamplures actus virtutum, præcipue amoris Dei, humiliationis, petitionis, & gratiarum actionis enunciantur. Quibus perspicuum fit, hujusmodi sanctos, & internos viros ad Eucharistiam digne sumendam, & post illam perceptam in actibus distinctis, & explicitis virtutum se exercuisse, nec perniciosam resignationem passivam, quam subinde docuit Molinosius, agnovisse, & habuisse. Ergo aliqua exigitur præparatio ante Communionem, vel gratiarum actio post eamdem, pro animabus incedentibus per viam internam.

Impugnatur IV. dicta Propositio ex eo, quod docet S. Theresia orationis, & perfectionis Christianæ acquirendæ Magistra, in Via perfect. cap. 34. ubi de seipsa in tertia persona loquens scribit: *Le maraviglie che fa questo santissimo Pane in coloro, che degnamente lo ricevono, sono notissime. Non ne dico molte, che potrei raccontare di questa persona, che ho detto, le quali io poteva sapere, e so, che non sono menzogna. Ma a costei aveva il Signore data così viva fede, che quando udiva dire da certe persone, che avrebbero voluto trovarsi nel tempo, che Cristo nostro bene visibilmente andava nel mondo; se ne rideva tra se, parendole, che avendolo veramente nel Santissimo Sagramento, come allora, che importava più loro? Inoltre so io di questa persona, che molti anni, benchè non fosse molto perfetta, quando si communicava, nè più, nè meno, che se avesse veduto cogli occhi corporali entrare nella sua stanza il Signore, procurava avvalorar la fede, sbrigandosi, quanto a lei era possibile (come veramente credeva, che questo Signore entrava nella sua povera stanza) da tutte le cose esteriori, ed entrarsene seco. Procurava raccorre i sentimenti, perchè tutti attendessero a sì gran bene: dico non imbarazzassero l'anima, nè la impedissero a conoscerlo. Si considerava a' suoi piedi, e con la Maddalena piangeva, non altrimenti, che se cogli occhi corporali lo avesse veduto in casa del Fariseo; e benchè non avesse sentito divozione, la fede le diceva, che stava ben quivi, ed ella ivi se ne stava parlando con esso lui. Imperciocchè se noi vogliamo farci balorde, ed acciecar l'intelletto, non ci è che dubitare: che questo non è rappresentazione dell'immaginativa, come quando consideriamo il Signore in Croce, o in altri passi della Passione, che lo rappresentiamo di che maniera quello passò. Ma questo passa ora di presente, ed è intera verità, e non abbiamo perchè andarlo cercando in altra parte più lontana; ma sappiamo, che mentre il nostro calor naturale non consuma gli accidenti del Pane, sta il buon Gesù con noi. Non perdiamo dunque sì buona occasione, ed opportunità: accostiamoci a lui. Or so quando egli andava nel mondo, col solo toccare i suoi vestimenti sanavano gl'infermi; che dubbio ci è, che sia per far miracoli, stando così dentro di noi, se avremo fede viva, o che sia per darci tutto quello, che gli domanderemo, stando egli in casa nostra.* Et infra: *State volentieri con esso lui; non perdiate così buona opportunità di negoziare, com'è l'ora dopo la Comunione. Avvertite, che questo è di gran profitto per l'anima; e dove il buon Gesù resta grandemente servito, e gusta, che gli tenghiate compagnia. Procurate, figliuole, con gran diligenza di non la perdere. Questo dunque è buon tempo, perchè c'insegni, ed instruisca il nostro Maestro, e noi l'ascoltiamo, e gli baciamo i piedi, per averci egli voluto insegnare: e supplichiamolo, che non si parta da noi.* Hæc, & alia ad rem nostram contra Propositionem damnatam prosequitur ibidem S. Theresia: ex cujus doctrina satis constat, non sufficere post sumptam Eucharistiam, passivam resignationem; immo debere animam elicere actus fidei, petitionis, compunctionis, caritatis, & gratiarum actionis. Nec sancta Virgo incedebat per viam ordinariam, sed per viam internam; suisque Monialibus scribebat, quarum tunc temporis plurimæ a Deo peculiaribus donis in oratione cumulabantur. Consonat S. Theresiæ Ven. P. Balthasar Alvarez Soc. Jesu a Confessionibus ejusdem Sanctæ, dum in Vita ipsius devotissimi Patris cap. 6. §. 11. ad nostrum institutum ita scribit: *Fate sempre molta stima del tempo, in cui sua Maestà si tratterrà con voi, quando vi siete comunicato: attendendo in lui più a venerare la sua divina presenza, ed a supplicarla della sua divina benedizione, ed a ben capire, che voi non meritate, ch'egli vi scopra il suo bel volto; che a' discorsi, ed alle lunghe meditazioni: avvertendo a non perder momento di godere sì felice, e sì beato tempo, e di contrattar con sua Divina Maestà, giusta quello che dice l'Ecclesiastico.* Non

ti

vi fuggà la minor particella di sì buon dì. Præterea in Vita S. Catharinæ Senensis, typis data Romæ 1676. cap. 10. num. 7. ita legitur: *Temendo F. Tommaso suo Confessore, che il ruggito del pianto, che faceva Caterina, quando si comunicava, non disturbasse è Sacerdoti; avendole però avvertito, che quando fosse ella presso l'altare, restringesse il più ch' ella potesse, i detti affetti*. Ecce, quod S. Catharina Senensis occasione Communionis non permanebat in resignatione passiva, sed plures affectivos actus eliciebat; & inter alia repetebat verba illa: *Domine non sum dignus*: ut habetur ibidem n. 6.

Demum S. Franciscus Salesius in sua Philothea scribens animæ devotæ, part. 2. cap. 21. ita eam instruit de modo sumendi sacram Eucharistiam: *Commciate la sera precedente alla santa Comunione con molte aspirazioni, e slanciamenti d'amore, ritirandovi un poco più a buon ora per poter levarvi più di mattino. Che se la notte voi vi svegliate, riempite subito il vostro cuore, e la bocca di qualche parola odorifera, per mezzo della quale la vostra anima sia tutta profumata per ricever lo Sposo, il quale vegliando, mentre voi dormite, si prepara a portarvi mille grazie, e favori, se dal vostro canto vi siete disposta a riceverle. La mattina dunque levatevi con gran gioja per la buona ventura, che voi sperate; ed essendovi confessata, andate con gran confidanza, ma ancora con grand' umiltà, a pigliare questa vivanda celeste, qual vi nutrisce all' immortalità. E dopo che avete detto le sante parole, Signore, io non sono degna; non vi movete più il capo, nè vi levate, sia per orare, a per sospirare; ma aprenda modestamente, e mediocremente la vostra bocca, ed alzando la testa, quanto bisogna per dare comodità al Sacerdote di vedere ciò ch' egli fa, ricevete piena di fede, e di speranza, e di carità colui, il quale, al quale, per il quale, e per amor del quale voi credete, sperate, ed amate. Avendolo ricevuto, eccitate il vostro cuore a venire a fare omaggio a questa gran Re di salute: trattate con esso lui i vostri affari interni: consideratelo dentro di voi, ov' egli si è posto per vostro bene: in fine fategli tutti gli accoglimenti, che vi sarà possibile.*

Impugnatur V. ex communi Theologorum sententia (de qua Matthæuccius in cautela Confessarii libr. 1. cap. 1.) docentium, nos teneri ad eliciendos actus fidei, spei, & caritatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium, aliquando per se, aliquando per accidens. Et per accidens quidem in multis casibus, qui ibidem videri possunt, & præcipue quando volumus recipere Sacramenta; & potissimum Sacramentum Eucharistiæ, ut habetur ibidem num. 17. Ergo in tali casu non sufficiet sola resignatio passiva; nec supplere poterit actus hujusmodi explicitos, quos in tali casu elicere debemus. Ergo ante & post Communionem alia requiritur præparatio, & gratiarum actio, præter permanentiam in resignatione passiva.

Dices. Propositio damnata absolute non negat, nos debere, quando Eucharistiam percipimus, elicere actus fidei, spei, & caritatis, aliosque consimiles; sed dumtaxat, quando non cognoscimus eos esse ex impulsu speciali Dei: quia alias essent ex impulsu naturæ nondum mortuæ.

Sed contra est I. quia Auctor Propositione XVII. voluit, quod motus inordinatos, & inhonestos naturæ nos non debeamus reprimere; sed sinere naturam commoveri: motus vero bonos naturæ, scilicet humiliationis, petitionis, & gratiarum actionis, quatenus hi a natura promoverentur, debeamus reprimere; quo nihil absurdius. II. Quia quomodo nos cognoscere poterimus, hujusmodi motus provenire ex speciali impulsu Dei, vel ex impulsu naturæ roboratæ, & directæ lumine supernaturali, ad hoc, quod illos, non vero illos reprimere debeamus? Quia cum hujusmodi motus petitionis, humiliationis, & gratiarum actionis scire non possimus, quando proveniant ex viribus gratiæ; nam ex S. Thoma scire non possumus, quando operamur ex viribus gratiæ: sequitur plane, nos debere hujusmodi motus semper reprimere, tamquam motus naturæ nondum mortuæ; quod absurdissimum est. Immo colligere potius debemus, hujusmodi bonos motus occasione Communionis oriri ex reali præsentia Domini nostri Jesu Christi (ex doctrina Tridentini sess. 23. cap. 2.) ac proinde illos reprimere non debere.

Quietistæ autem (ut bene advertit Illustrissimus Episcopus Meldensis de Statibus orationis lib. 1. num. 12.) *perchè la dottrina di S. Francesco di Sales, e la condotta della Ven. Madre di Chantal sua figliuola spirituale, serve di vano rifugio a' falsi Mistici*; objiciunt proinde, quod legitur parte 4. cap. 1. in fine ejus Vitæ, typis datæ Romæ 1734. ubi Beata Mater ita scribit circa Communionem. *Essendomi mossa a volere fare atti più particolari di quelli del mio semplice sguardo, totale rassegnazione, ed abbandonamento in Dio nell' uscire dalla Communione; la divina bontà me ne riprese, e mi fece intendere, che ciò non è che per mio amor proprio, e che in questo faccio altrettanto pregiudizio all' anima mia, quanto si farebbe ad una persona debole, e languente, la quale senza occasione fosse risvegliata dal primo sonno, qual dopo non può più pigliare*. Ergo tantum abest quod vel ante, vel post Communionem animæ internæ debeant actus elicere virtutum; quin potius teneantur a totali resignatione propriæ voluntatis non recedere.

Respondeo, quod Beata Mater cap. 3. sequenti ejusdem Vitæ in instructione data suis filiabus clare se explicat super hac difficultate, ita scribendo. *Quando già è mosso l'affetto, non bisogna più moltiplicar parole, ma fermarsi un poco gustando, ed imprimendolo dolcemente ne' nostri cuori, rimirando quello che il Signore opera in quel mistero; e poi di quando in quando dirgli qualche parola di amore, di abbandonamento, di compunzione, e simili, secondo che si sentiamo eccitare. Ma è d'uopo di proferirla dolcissimamente, e con gran soavità*. Ecce, quod Beata admittit occasione Communionis fieri debere aliquos actus amoris, resignationis, compunctionis, & similes: quod profecto non est in pura otiositate manere, cum exclusione cujuscumque actus virtutis. Ergo falsum est, quod asserit Molinosius, quod animæ internæ occasione Communionis debeant permanere in sola resignatione passiva: & si hac occasione Communionis insurgant motus humiliationis, petitionis, & gratiarum actionis; sine reprimendi.

Demum advertendum est, Molinosium in Propositione, quam confutamus, loqui absolute, & universim de animabus internis, quas ipse docet debere persistere in passiva resignatione occasione Communionis sine aliis actibus. Quod licet aliquando accidere possit alicui animæ, ut erat illa Beatæ de Chantal, quæ ad perfectissimam contemplationem elevata fuerat a Deo, ut refertur in ejus Vita; attamen observandum, quod non omnes animæ internæ pertingunt ad hujusmodi perfectissimam contemplationem. Unde scribit S. Joannes a Cruce lib. 1. Noct. obsc. cap. 11. in fine. *Imperciocchè non tutti quelli, che si esercitano di proposito nel cammino dello spirito, sono da Dio portati a contemplazione perfetta. Il perchè egli sa*. Quamobrem etiam ex hoc capite demonstratur, quam impie se gesserit Molinosius.

§. XXXII.

XXXIII. *Male agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem affectum: quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris: quia hujusmodi animabus omnia loca sunt æqualia.*

DOcuerat superius Molinosius in Propositione XXVII. animam internam male se gerere, si optaret, & quæreret devotionem sensibilem in locis sacris, atque solemnibus diebus, ex eo quod hoc esset non desiderare, & quærere Deum, sed seipsum. Nunc vehementius contra eamdem insurgit ex alio motivo; quia hujusmodi animabus omnes dies sunt æquales, omnesque festivi: quod pariter dicit de locis.

Sapere aliquo modo videtur hæc Propositio, quoad secundam partem, errorem Lutheri & Calvini, qui teste Ven. Bellarmino Tom. II. Controversiar. Controv. 4. de Eccl. triumph. libr. 3. cap. 11.) *docuerunt, dies festivos non debere haberi cæteris sanctiores, sed æquales esse cum aliis diebus*. Audiamus pariter ipsummet Calvinum lib. 3. Institut. cap. 20. num. 3. ita de oratione in Ecclesiis exercenda disserentem: *Nec secretam, nescio quam, templis affingamus sanctitatem, quæ sacratiorem apud Deum orationem reddat. Vera enim Dei templa cum simus, ipsi in nobis oremus oportet in templo sancto suo, cum Deum volumus invocare. Illam vero crassitiem Judæis, ac Gentilibus relinquamus, qui præceptum habemus de invocando citra loci discretionem in spiritu, & veritate Domino*. Luthero, & Calvino præiverant Petrobussiani sæculo XII. blaterantes, Ecclesias omnes esse diruendas: quia nulla loca Christianis necessaria sunt ad orandum.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, & contra praxim, & disciplinam Ecclesiæ*. Falsitas Propositionis quoad primam partem colligitur ex eo quod habetur Exod. 20. vers. 8. *Memento, ut diem sabbati sanctifices*: & in Deut. 5. vers. 12. *Observa diem sabbati, ut sanctifices eum, sicut præcepit tibi Dominus Deus tuus*. Quid autem sit sanctificare diem sabbati, explicat Catechismus Romanus part. 3. in tertium Decalogi præceptum num. 10. his verbis: *Sanctificatio autem sabbati sacris in literis est cessatio, quæ fit a corporis laboribus, & a negotiis; ut aperte ostendunt hæc, quæ sequuntur, præcepti verba*: „ Non facies in eo quidquam operis. “ *Neque vero id solum significat (aliter enim satis fuisset dicere, ut est in Deuteron.* „ Observa diem sabbati “)

sed

sed cum eodem loco additur: „ Ut sanctifices eum: “ *hoc verbo ostenditur, sabbati diem religiosum esse, divinisque actionibus, ac sanctis rerum officiis consecratum. Itaque diem sabbati tunc plene, & perfecte celebramus; cum pietatis, & religionis officia Deo præstamus . . . Itaque verus, ac proprius hujus præcepti sensus eo spectat, ut homo & animo, & corpore in eam curam incumbat, ut statuto aliquo tempore a negotiis, corporisque laboribus feriatus, Deum pie colat, ac veneretur.* Igitur ex Catechismo Romano diem sabbati sanctificamus, cum in diebus solemnibus, ac festivis aliquo particulari conatu excitamus in nobis devotum aliquem sensum, quo Deum specialiter, ac ferventius colimus, & veneramur. Quibus consonat id, quod scribit S. Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. ad 3. ubi ait: *Dicendum, quod in observantia sabbati duo sunt consideranda, quorum unum est sicut finis: & hoc est, ut homo vacet rebus divinis, quod significatur in hoc quod dicit:* „ Memento, ut diem sabbati sanctifices. “ *Illa enim dicuntur sanctificari in lege, quæ divino cultui applicantur.* Ergo ex S. Th. dies solemnes, & festivi debent sanctificari, specialiter vacando rebus divinis, divinique cultus applicatione: ac proinde non omnes dies sunt æquales, nec omnes festivi; cum aliis diebus ad hujusmodi opus non teneamur. Prætcrea idem S. Thomas ibidem ad 1. bene observat, sanctificationem sabbati esse præceptum partim morale, partim cæremoniale dicens: *Præceptum de sanctificatione sabbati literaliter intellectum, est partim morale, partim autem cæremoniale. Morale quidem quantum ad hoc, quod homo deputet aliquod tempus vitæ suæ ad vacandum divinis. Inest enim homini naturalis inclinatio ad hoc, quod cuilibet rei necessariæ deputetur aliquod tempus, sicut corporali refectioni, somno, & aliis hujusmodi. Unde etiam spirituali refectioni, qua mens hominis in Deo reficitur, secundum dictamen naturalis rationis aliquod tempus deputat homo; & sic habere aliquod tempus deputatum ad vacandum divinis cadit sub præcepto morali.* Ex quibus sic argui potest. Præceptum de sanctificatione sabbati, vel alterius diei solemnis, consistit specialiter in hoc, quod homo tali die, & tempore vacet spirituali refectioni, qua mens in Deo reficiatur, Deoque uniatur. Atqui hujusmodi præceptum, ita explicatum, est præceptum morale, omnes consequenter Christifideles obligans. Ergo Christifideles, etiam per viam internam incedentes, tenentur in diebus festivis, & solemnibus aliquo particulari conatu excitare in se devotum aliquem sensum, per quem spirituali refectione mens illorum in Deo reficiatur, Deoque vacet. Ergo falsum est, quod male agat anima, etiam per viam internam incedens, si in diebus solemnibus aliquo particulari conatu studeat excitare in se devotum aliquem sensum; cum ad id teneatur ex divino morali præcepto: ac consequenter animabus internis non omnes dies erunt æquales, nec omnes festivi.

Confirmatur I. ex Tridentino, ubi sess. 6. de justificat. can. 20. dicitur: *Si quis hominem quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei; anathema sit.* Atqui præceptum de sanctificatione festorum, modo supra explicato, est præceptum divinum. Ergo obligat omnes Christifideles, etiam perfectos; ac proinde comprehendit animas quoque per viam internam incedentes. Confirmatur II. quia festorum devota & religiosa celebratio, modo supra dicto, non solum est de jure divino, sed etiam de jure ecclesiastico; ut habetur in Tridentino sess. 25. in decreto de delectu librorum, & festis. Atqui homines, etiam perfecti, & incedentes per viam internam, tenentur ad observantiam præceptorum Ecclesiæ; cum oppositum damnatum fuerit in Concilio Viennensi contra Beguardos in eorum assertione: *Qui sunt in gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua præcepta Ecclesiæ obligantur: quia ubi spiritus Domini, ibi libertas:* & habetur in Clementina *Ad nostrum* de Hæreticis. Ergo homines, etiam perfecti, ac per viam internam incedentes, tenebuntur in diebus solemnibus excitare in se devotum aliquem sensum, & vacare specialiter divinis.

Impugnatur II. dicta Propositio Molinosii ex eo, quia dies solemnes, & festivi a Patribus dicuntur sancti, sacri, mystici, & religiose colendi; ut bene demonstrat Ven. Bellarminus loco supra cit. §. *Tertio idem probatur*. Unde S. Augustinus Præfat. in Epistolas S. Joannis inquit: *Nunc interposita est solemnitas sanctorum dierum:* & libr. 20. contra Faustum cap. 21. ait: *Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solemnitate concelebrat:* & S. Leo I. Serm. 4. de Quadrages. dicit: *Ingressuri dies Mysticos:* & Serm. 1. de Natali Apostolorum Petri & Pauli: *Hodierna Festivitas præter illam reverentiam quam toto terrarum orbe promeruit, speciali, & propria nostræ Urbis exultatione veneranda est; ut, ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die Martyrii eorum sit lætitiæ principatus.* Ergo non omnes dies sunt æquales, non omnes festivi etiam animabus internis, ac perfectis; cum aliis diebus non teneantur taliter in se devotum aliquem sensum excitare, nec aliquo peculiari conatu Deo vacare, quemadmodum tenentur diebus solemnibus, urgente præcepto & divino, & ecclesiastico. Ergo temere se gerit Molinosius, non discernens inter dies, omnesque æquales animæ internæ declamans. Consequenter ad hæc Catechismus Romanus loco cit. num. 6. ait: *Apud omnes nationes statas quasdam ferias, easque publicas fuisse cernimus, quæ sacris rebus, ac divinis obeundis erant consecratæ. Est enim naturale homini, ut is certum quoddam tempus necessariis rerum functionibus det, veluti corporis quieti, somno, & aliis hujusmodi rebus: & quemadmodum corpori, ita eadem naturæ ratione factum est, ut menti etiam aliquid temporis concederet, quo in Dei contemplatione sese reficeret.* Si ergo dies solemnes, & festivi sunt tempus determinatum, ut mens in Dei contemplatione sese reficiat; consequenter male non agit anima incedens per viam internam, si in ejusmodi diebus conetur in se specialiter excitare devotum aliquem sensum: proindeque animabus internis non omnes dies sunt æquales, non omnes festivi.

Quod secundam vero Propositionis partem, in qua dicitur, male agere animam per viam internam incedentem, si velit aliquo conatu speciali excitare in se devotum aliquem sensum in locis sacris, seu templis; quia hujusmodi animæ omnes dies, & omnia loca sunt æqualia: falsitas colligitur ex illo Psal. 92. *Domum tuam, Domine, decet sanctitudo*. Quid est autem sanctitudo, quæ decet domum Dei, nisi applicare mentem humanam, ejusque actus ad Deum? ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 81. art. 8. in corp. ubi ait: *Sanctitas dicitur, per quam mens hominis seipsam, & suos actus applicat Deo.* Proinde dicendo, quod domum Dei deceat sanctitudo, significat, quod homo specialiter debeat in locis sacris, & templis mentem suam, suosque actus Deo applicare. Unde consequenter debebit aliquo peculiari conatu excitare in se devotum aliquem sensum in sacris locis, & templis ad hunc effectum. Quare animabus, etiam incedentibus per viam internam, non omnia loca erunt æqualia. Hinc David, qui per viam internam abs dubio incedebat, de se fatebatur Psal. 83. dicens: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! Concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini: cor meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* En, quod David in locis sacris, Deoque dicatis animum suum elevabat ad Dominum, in eisque præ amore deficiebat, adeo ut cor ejus & caro exultarent in Deum vivum. Ergo falsum est, quod animæ incedentes per viam internam male agant, si peculiari conatu velint excitare in se devotum aliquem sensum in locis sacris. Non enim omnia loca iis sunt æqualia, cum in locis Deo dicatis peculiarem præseferre venerationem, ac devotionem animas etiam internas necesse sit. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 102. art. 4. ad 1. inquit: *Propter homines oportuit speciale templum institui ad cultum Dei propter duo. Primo quidem ut ad hujusmodi locum convenientes cum hac cogitatione, quod deputaretur ad colendum Deum, cum majori reverentia accederent.* Ergo in locis sacris animæ, etiam per viam internam incedentes, debent peculiari conatu excitare aliquem devotum sensum ad colendum Deum majori cum reverentia. Itaque ejusmodi animabus non omnia dici poterunt æqualia a loca.

Confirmatur I. quia loca sacra specialiter Deo dicantur ad illum adorandum, juxta illud Psal. 5. *Introibo in domum tuam, adorabo ad templum sanctum tuum.* Atqui in adoratione Dei *principalior est interior devotio*, ut vidimus supra pro impugnatione Propositionis XXVII. ex D. Thoma 2. 2. quæst. 84. art. 3. in corp. Ergo animæ etiam internæ debent in locis sacris excitare in se devotum aliquem sensum ad Deum rite adorandum. Hanc doctrinam acceperat S. Thomas ex Chrysostomo, vel ab Auctore Homiliar. ad Pop. Antioch. sub nomine S. Joannis Chrysostomi, qui Homil. 79. ait: *Et domi quidem orari potest, sic autem ut in Ecclesia, non potest, ubi tanta Patrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur. Non ita Dominum per te solum orans audieris, ut cum fratribus tuis. Hic enim aliquid majus est, puta unanimitas, & consonantia, caritatisque vinculum, & Sacerdotum orationes. Propterea namque Sacerdotes præpositi sunt, & multitudinis orationes cum sint infirmiores, hisce potentiores adjungentes, pariter cum illis in cælum ascendant. Sic namque Petrum Ecclesiæ adjuvit oratio, & illum ex carcere Angelus eduxit. Quomodo tu ipsius potentiam contemnis? Sicut enim caritatis virtus intervallo non arcetur; ita nec orationis efficacia: sed sicut illa inter se distantes conjungit; itidem hæc procul positos plurimum adjuvare potest.* Ergo non omnia loca sunt æqualia animabus etiam internis; cum in Ecclesiis specialem devotionis sensum possint in se excitare. Confirmatur II. quia loca sacra, & templa specialiter instituuntur ad orationem. Unde dicit Christus Dominus Matth. 21. *Domus mea domus orationis vocabitur.* Et Ven. Bellarminus, loco supra citato §.

Ter-

Tertia propositio, recte probat, quod congruentius oratur in templis, & locis sacris, quam alibi: & proinde vocantur oratoria. Atqui ad orationem rite faciendam requiritur attentio, *ex qua specialis quædam refectio mentis habetur* (ut ait S. Thomas ubi supra quæst. 83. art. 13. in corp.) & ex Catechismo Romano de oratione cap. 8. num. 1. *requiritur intimum, ac frequens animi studium*; ac consequenter devotus aliquis sensus. Ergo animæ etiam internæ debent in eisdem sacris locis devotum aliquem in se excitare sensum, si rite orare voluerint. Confirmatur III. Animæ etiam internæ tenentur in diebus festivis audire Missam in locis sacris. Atqui auditio Missæ, ut recte fiat, non modo quis corpore debet esse præsens, verum etiam *mente, & devoto cordis affectu*; ut habetur in Tridentino in decreto de observandis, & evitandis in celebratione Missæ. Ergo animæ etiam internæ in diebus festivis, ut præcepto de auditione Missæ satisfaciant, tenebuntur in locis sacris devotum aliquem in se excitare sensum: proinde falsum est, quod sibi somniat impius Pseudo-Mysta in dicta Propositione.

Objicies I. contra primam hujus Propositionis confutationem illud Apostoli ad Rom. 14. *Alius judicat inter diem, & diem; alius judicat omnem diem*: idest, alius judicat unum diem esse sanctum, alium profanum; alius vero putat omnes dies esse æquales: additque Apostolus: *Unusquisque in suo sensu abundet*. Ubi videtur approbare doctrinam Propositionis proscriptæ: scilicet omnes dies esse æquales animabus internis. Unde immerito repudiatur systema, & doctrina Molinosii. Rursus idem Apostolus ad Galat. 4. vers. 10. scribit: *Dies observatis, & menses, & annos. Timeo vos, ne frustra laboraverim in vobis*. Ubi videtur nostram sententiam improbare, ac tacite quidem confirmare Molinosticam. Demum clarissime ad Coloss. 2. *Nemo*, inquit, *judicet vos in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi*. Ergo male agit anima, si in diebus solemnibus conetur in se excitare devotum aliquem sensum.

Respondeo cum Bellarmino loc. citat. quoad verba adducta ex Epist. ad Rom. quod ibi Apostolus de cibis disputationem instituerat, ac dicere intendebat, quod aliqui jejunant certis diebus, ut feria quarta, quinta, & sexta, vel sabbato; alii vero jejunant omni die: & utrique recte agunt, ut explicant laudata verba Origenes, Ambrosius, Œcumenius, Primasius, & Anselmus. Quod nihil præstat ad firmandam Molinosii Propositionem. Quoad secundum textum allatum ex Epist. ad Galat. dicendum cum Ambrosio in Epist. ad Galat. cap. 4. & Augustino in Enchirid. cap. 79. & in Epist. 119. cap. 7. Apostolum ibidem non loqui de observatione festorum, sed de observatione vana, & superstitiosa Gentilium, qui dicebant, Cras non proficiscar, quia talis est constitutio siderum: Hoc anno non plantabo vineam, quia bissextus est. Et secundum ejusmodi sensum intellecta Apostoli verba minime favent Molinosii doctrinæ. Demum ad verba Epist. ad Coloss. dicendum cum SS. Augustino & Hieronymo, Paulum eo loci agere de festis Judæorum, ad quæ non tenebantur novi Christifideles; proinde a nemine super hoc judicari debebant, si illa non servarent. Quod pariter nihil continet commune cum doctrina nostra. Vide Bellarminum loco citato vers. *Secunda expositio*.

Objicies II. contra secundam dictæ Propositionis impugnationem illud Jo. 4. *Venit hora, & nunc est, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis Patrem. Spiritus est Deus, & qui eum adorant, in spiritu, & veritate adorare oportet*. Ex quibus recte arguitur, quod vera adoratio Dei sit adoratio in spiritu, & veritate; quodque hæc alligata non sit loco peculiari. Proinde male agit anima, si aliquo conatu particulari velit in locis sacris excitare in se devotum aliquem sensum: nam animabus internis omnia loca sunt æqualia. Hinc Actor. 17. dicitur: *Non enim in templis manufactis habitat, sed cælum, & terram implet*.

Respondeo, sensum verborum Christi Domini esse, tempore novæ legis non adorandum amplius Deum in Monte Garizim, id est, non adorandum ritu Samaritanorum, quo utebantur eo in monte adorantes; neque adorandum in Jerusalem, idest, non adorandum ritu Judaico, quo adorabatur in templo illo: sed novo ritu, qui erit in spiritu, & veritate, id est, qui non consistet præcipue in externis, corporalibus, & umbraticis cæremoniis, sed in interna & spirituali cognitione, ac dilectione Dei, in corde contrito, & humiliato: quæ tamen adoratio non excludit externum cultum, si ad internum juvandum, vel exprimendum ordinetur. Ita Chrysostomus, Cyrillus, Euthimius, & alii exponunt in Comment. hujus loci, qui, τὸ *in spiritu* opponunt cæremoniis Judæorum, quatenus corporales erant; τὸ vero *in veritate* opponunt eisdem cæremoniis, quatenus umbræ, & figuræ erant. Vide Bellarminum loco citato cap. 4. vers. *Ad secundum dico*. Hæc vero minime juvant Molinosium, ut per se patet. Quare stat inconcussum, quod in locis sacris adorandus sit Deus in spiritu, & veritate. Ad illud autem Actor. 17. dicendum, certum esse, Deum ubique existere aliquo modo; sed non omnibus modis. Profecto enim si Deus esset ubique eo modo, quo est in templo, & in locis sacris; frustra diceretur Psal. 10. vers. 5. *Dominus in templo sancto suo, Dominus in cælo sedes ejus*. Ubi aperte significatur, Deum speciali modo esse in templo, ibique sua præsentia, & protectione specialiter assistere, & ibi deprecantes favoribus cumulare, ut in persona Dei dicitur Salomoni III. Reg. cap. 9. vers. 3. de templo, expleta ejus dedicatione: *Exaudivi orationem tuam, quam deprecatus es coram me. Sanctificavi domum, quam ædificasti, ut ponerem nomen meum ibi in sempiternum. Et erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus*. Et Isaiæ 56. vers. 7. *Adducam eos in montem sanctum meum, & lætificabo eos in domo orationis meæ: holocausta eorum, & victimæ eorum placebunt mihi super altari meo*. Quamobrem speciali modo, & devotione particulari in templis colendus, adorandus, ac venerandus est Deus: ad quæ necesse est excitare in se devotum aliquem sensum. Unde male non agit anima etiam per viam internam incedens (cum respectu ad illas Deus etiam speciali modo in locis sacris inhabitet) si in hujusmodi locis conetur devotum aliquem in se concitare sensum. Nam ex dictis abunde constat, non omnia loca esse æqualia etiam respective ad animas per viam internam incedentes, in quibus proinde regnat spiritus libertas. Molinosius vero, ubi jam cum suis Ascetis excitabit excogitatæ devotionis sensum? Dicam candide, in suis nefandis, reconditisque omnis spurcitiei receptaculis.

§. XXXIII.

XXXIV. *Verbis, & lingua gratias agere Deo non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis. Et quo magis Deo se resignant, experiuntur, se non posse orationem Dominicam, seu* Pater noster *recitare*.

IN Propositione XV. generaliter loquens de gratiarum actione Deo reddenda, eam omnino abjiciendam docuit ab animabus internis, ne actus propriæ voluntatis elicerent. Ad hanc vero gratiarum actionem, lingua & verbis exprimendam, sermonem restringens, ejusmodi orandi genus, adstruit, non esse pro animabus, quæ in silentio manere debent, nullum impedimentum apponendo divinis operationibus: perinde ac verbis & lingua Deo gratias agere, sit divinas operationes impedire. Additque quo magis animæ Deo se resignant, eas per experientiam agnoscere, se non posse orationem Dominicam recitare.

Propositio, ut jacet, est *temeraria*, *scandalosa*, *periculosa in praxi*, *& valde male sonans*. Prævie ad impugnationem hujus Propositionis observare non pigeat, orationem mentalem non differre specie ab oratione vocali: ideoque eadem oratio in mentalem, & vocalem partitur, divisione, quam vocant Philosophi, accidentis in subjecta. Quamobrem S. Augustinus super III. Regum inquit: *Cur oratis Deum Psalmis, & hymnis; hoc versetur in corde, quod profertur in ore*. Hoc quod dicimus de oratione tam mentali, quam vocali, dicendum pariter est de gratiarum actione: quæ juxta S. Bernardum est *indeficiens, & indefessa intentio bonæ voluntatis in Deum ex cogitatione gratiæ Dei*; sive sola mente fiat, sive verbis & lingua.

Hac præmissa observatione, impugnatur Propositio quoad primam partem, ubi adstruitur, verbis & lingua Deo gratias agere, non esse pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis. Ad reddendas Deo grates pro beneficiis acceptis instruimur, monemur, & præcipimur auctoritate tum Sacræ Scripturæ, tum Sanctorum Patrum, & Doctorum. Sed immerito hoc fieret, si gratiarum actio, verbis & lingua expressa, impedimentum apponeret, ne Deus in animabus internis operaretur. Ergo verbis, & lingua Deo gratias agere, est pro animabus internis; nec impedimentum apponitur Divinæ operationi. Major constat ex dictis supra pro impugnatione Propositionis XV. Minor est certa. Absonum enim esset, dicere auctoritate Sacræ Scripturæ, Patrum, & Doctorum omnes fideles instrui, moneri, & doceri ad grates Deo reddendas pro beneficiis ab eo acceptis lingua & verbis; si hoc modo orandi impedimentum apponeretur, ne Deus in animabus internis operaretur.

Confirmatur. Gratiarum actio, mente tantum concepta, convenit animabus internis, nec impedit divinam in anima operationem. Ergo & verbis & lingua expressa convenit animabus internis, nec impedit operationem divinam in anima: nisi velint fatue sentire cum novis Arianis, *Deum non esse invocandum verbo, vel opere, sed corde duntaxat; quia spiritualis est*: vel cum Jacobo Philippo a S. Pelagia, *quod oratio mentalis, si uniatur cum vocali, perdat vim suam; sicut si vinum misceatur cum aqua, perdat suam vim*.

Impu-

Impugnatur Propositio quantum ad secundam partem, in qua dicitur, quod animæ internæ, quo magis se Deo resignant, experiuntur, se non posse orationem Dominicam, seu *Pater noster* recitare; ex eo, quia resignatio consistit in hoc, quod anima velit; quod Deus vult illam velle. Unde scribit S. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 10. in corp. *Conformatur quantum ad hoc voluntas hominis voluntati divinæ: quia vult hoc, quod Deus vult eam velle.* Atqui Deus vult animas etiam internas aliquoties recitare orationem Dominicam. Ergo resignatio Divinæ voluntati nequit impedire recitationem Dominicæ orationis. Probatur Minor ex verbis Christi Domini Lucæ 11. ubi sic habes: *Dixit unus ex discipulis ejus ad eum: Domine, doce nos orare; sicut docuit & Joannes discipulos suos. Et ait illis. Cum oratis, dicite: Pater, sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum &c.*

Quæ verba indicant præceptum. Hinc ad nostrum institutum Ven. Bellarminus Tom. IV. Controversiar. controvers. 3. lib. 1. cap. 4. hæc habet: *Nulla est alia forma precandi, quam omnes Christiani conceptis verbis tenere, & frequentare jubeantur, nisi ista oratio Dominica. In Constitutionibus Apostolicis lib. 7. cap. 25. monentur Christiani omnes, ter quolibet die orationem hanc fundere. Item in Concilio Toletano IV. can. 9. jubemur, nullo umquam die orationem hanc intermittere, quam non sine ratione Sancti Patres Cyprianus Serm. 6. & Augustinus in Enchirid. cap. 71. quotidianam vocaverant. Denique in Concilio Remensi cap. 2. docemus, non licere homini Christiano Dominicam orationem aut non tenere memoria, aut non intelligere, aut non frequentare.* Consonant his, quæ scribit D. Augustinus ad Hilarium Epist. 157. alias 88. cap. 1. in hæc verba: *Omnibus necessaria est oratio Dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis, id est Apostolis suis Dominus dedit. Quales, si aliquos futuros Demians prævideret, meliores utique quam exstiterunt ejus Apostoli, ulium orationem illos doceret.* Ex quibus Augustini verbis sic arguimus contra Molinosium. Vel animæ internæ sunt meliores Apostolis; vel non sunt. Si primum; ergo Christus Dominus non prævidit perfectionem hujusmodi animarum: alias eisdem diversam precandi formulam proposuisset; quod dici non potest. Si secundum, videlicet quod illæ animæ non sint meliores Apostolis; ergo & ipsæ tenentur aliquoties recitare orationem Dominicam. Proinde resignatio non potest, nec debet illis impedire hujusmodi recitationem: & si impediret, non esset vera resignatio ad Divinam voluntatem; sed voluntaria omissio precationis debitæ, & præceptæ. Hinc rursus idem S. Augustinus lib. 2. de Serm. Domini in Monte cap. 4. ait: *Per omnes Sanctas Scripturas varie, lateque diffusas poterit quisque considerare, cum legit: nusquam tamen invenitur præceptum populo Israel, ut diceret,* Pater noster, *aut ut oraret Patrem Deum; sed Dominus eis insinuatus est, tamquam servientibus.* Ergo fidelibus præceptum est, cum Christus dixit: *Cum oratis, dicite: Pater noster &c.* Dicere autem proprie est vocaliter loqui, & sensibili voce verba proferre: consequenter animæ etiam internæ aliquoties tenebuntur Dominicam orationem recitare, non obstante resignatione, quam prætendunt habere, vel ostentare.

Rursus, animas perfectissimas decet perfectissima uti oratione. Atqui oratio Dominica est perfectissima; ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 9. ubi ita scribit: *Oratio Dominica perfectissima est: quia, sicut Augustinus dicit ad Probam, si recte, & congruenter oramus, nihil aliud dicere possumus, quam quod in ista oratione Dominica positum est. Quia enim oratio est quodammodo desiderii nostri interpres apud Deum; illa recte solum orando petimus, quæ recte desiderare valemus. In oratione autem Dominica non solum petuntur omnia, quæ recte desiderare possumus; sed etiam eo ordine, quo desideranda sunt: ut sic hæc oratio non solum instruat postulare; sed etiam sit informativa totius nostri affectus.* Et prosequitur ibidem mirifice hæc omnia explicare. Ergo animas internas, quas perfectissimas jactitat Auctor novæ Mystices, decebit, orationem Dominicam aliquoties recitare. Demum omnes Christiani tenentur aliquando precari vocaliter; ut probat Cardinalis Brancatus de oratione Opusc. 1. cap. 7. Atqui oratio Dominica est oratio vocalis, & omnium perfectissima, atque a Christo Domino instituta. Unde scribit Augustinus Epist. 130. ad Probam alias 121. cap. 12. *Si per omnia precationum sanctarum verba discurras, quantum existimo, nihil invenies quod in ista Dominica non contineatur, & concludatur oratione:* & in Psal. 142. ait: *Ipsi Apostoli didicerunt orare quod oramus, ipsis data est regula postulandi, a Jurisperito cælesti. Sic orate, inquit.* Ergo & animæ internæ tenebuntur aliquando recitare orationem Dominicam: consequenter falso, ac temere prohibet Molinosius Ascetis suis hanc precandi formulam.

Sed pro coronide audiamus S. Theresiam, quæ utriusque partis dictæ Propositionis impugnationem mirifice illustrat. Hæc itaque loquens de animabus a Deo elevatis ad contemplationem, & orationem internam, ita scribit ad rem nostram Mans. 4. cap. 3. *Crede, che se vogliamo dar luoga a sua Divina Maestà, non darà queste solo a chè egli comincia a chiamare per cose maggiori. Lodi molto Dio, chi questa conoscerà in se stessa; essendo ragionevolissimo, che conosca il favore, e gliene renda grazie per disporsi ad altri maggiori.* Sed clarius ad confutandam secundam partem Propositionis prædictæ scribit in explicatione orationis Dominicalis, tradita pro suis Monialibus, quarum pleræque per viam internam incedebant, atque ad sublimissimam contemplationem a Deo elevatæ fuerant: ubi monet illas, hujusmodi orationem quotidie repetere ac meditari. Unde scribit in Proœmio ejusdem explicationis, insertæ ejus Operibus, pag. mihi 183. in hunc modum: *Essendo l'orazione Dominicale un legno più disposto per mantenere vivo questo fuoco divino, acciocchè dalla frequente ripetizione di quella non venga la volontà ad intiepidirsi, parmi che sarà conforme alla ragione trovar qualche modo, che ripetendola ogni giorno, dia all'intelletto nostro con nuove considerazioni il suo rinfrescamento, ed insieme conservi, e mantenga il fuoco, e calore della divozione nella volontà. Questo si farà comodamente, compartendo le sette petizioni per sette giorni della settimana, a ciascun giorno la sua, con nome e titolo differente.* Atqui frustranea esset hujusmodi explicatio, & admonitio illuminatissimæ Virginis; si Deus animabus internis recitationem Dominicæ orationis redderet impossibilem. Ergo liquido deprehenditur Molinosius novæ prorsus Mystices institutor, dum orationem omnium sanctissimam, atque perfectissimam, suis Ascetis interdicit. Accedit Beata Mater de Chantal, quæ instruens filias suas, per viam internam incedentes, par. 4. Vitæ suæ cap. 3. vers. *E' d'uopo*, ita docet: *Quando già è mosso l'affetto, non bisogna più moltiplicare parole, ma fermarsi un poco gustandolo, ed imprimendolo dolcemente ne' nostri cuori; e poi di quando in quando dirgli qualche parola di amore, di abbandonamento, di compunzione, e simili.* En, quomodo utræque illuminatissimæ feminæ doctrinam nostram egregie confirmant; dum non modo vocalem orationem, & præcipue Dominicam, animabus internis possibilem adstruunt, sed & commendant, docent, præcipiunt.

§. XXXIV.

XXXV. *Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione, & activitate: alias non essent mortuæ. Nec debent elicere actus amoris erga Beatam Virginem, Sanctos, & humanitatem Christi: quia cum ista objecta sint sensibilia; talis est etiam amor circa illa.*

NOn tantum esse a gratiarum actione, lingua & verbis Deo reddenda pro beneficiis acceptis, omnino alienas contendit Molinosius animas internas; verum etiam mystice mortuas. Disces tamen ex hac Propositione, in quo consistat hæc Mystica mors. Ut animæ internæ non conveniat facere opera virtutum; alias mortuæ non essent: nec debere elicere actus amoris erga Beatam Virginem, Sanctos, & Christi humanitatem; quia hæc objecta sensibilia sunt, ac per consequens amor circa illa deberet esse sensibilis. Quantum ad primam partem, repetit quod dixerat in Propositione XXXI. ac proinde cum Begnardis convenit; ut in impugnatione ejusdem observavimus. Quoad secundam, non longe distare videtur ab errore Hæreticorum nostri temporis, qui invocationem, & cultum B. Virginis, Sanctorum, & humanitatis Christi reprobare non desinunt; ut refert Ven. Bellarminus Tom. II. Controversiar. controvers. 4. de Eccl. triumph. lib. 1. cap. 11. & 15. Quandoquidem si non urgemur ad eliciendos actus amoris erga Christi humanitatem, B. Virginem, & Sanctos; consequens est, nulla nos premi necessitate ad illos venerandos, & colendos. Ut enim docet S. Thomas 2. 2. quæst. 81. art. 5. ad 1. *Caritas suo imperio causat actus religionis, quæ operatur quædam in ordine ad Deum.*

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, impia, Christianæ Disciplinæ relaxativa, erronea, & hæresim sapiens respective.* Falsitas Propositionis quoad primam partem evincitur, quia passim in Sacra Scriptura proponuntur quibuslibet personis, etiam per viam internam incedentibus, virtutum officia ad cælestem gloriam comparandam. II. Petri cap. 1. *Vos autem curam omnem subinferentes, ministrate in fide vestra virtutem; in virtute autem scientiam; in scientia autem abstinentiam; in abstinentia autem patientiam; in patientia autem pietatem; in pietate autem amorem fraternitatis; in amore autem fraternitatis caritatem. Hæc enim si vobiscum adsint, & superent, non vacuos, nec sine fructu vos constituent in Domini nostri Jesu Christi cognitione. Cui enim non præsto sunt hæc, cæcus est, & manu tentans, oblivionem accipiens purgationis veterum suorum delictorum.* Ad Rom. 12. *Haben-*

tes autem donationes secundum gratiam, quæ data est nobis, differentes: sive prophetiam secundum rationem fidei, sive ministerium in ministrando, sive qui docet in doctrina, qui exhortatur in exhortando, qui tribuit in simplicitate, qui præest in sollicitudine, qui miseretur in hilaritate. Dilectio sine simulatione. Odientes malum, adhærentes bono: caritate fraternitatis invicem diligentes: honore invicem prævenientes: sollicitudine non pigri: spiritu ferventes: Domino servientes: spe gaudentes: in tribulatione patientes: orationi instantes: necessitatibus Sanctorum communicantes: hospitalitatem sectantes. Ergo animæ etiam internæ exerceant necessum est opera virtuosa ex propria electione, & activitate. Rursus idem Apostolus ad Thessalon. 4. monet eos, ut sequitur: De cætero, fratres, rogamus vos, & obsecramus in Domino Jesu, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, & placere Deo; sic & ambuletis, ut abundetis magis. Atqui ambulare, & placere Deo, sicut oportet, est exercere operationes virtuosas ex propria electione, & activitate: alias ejusmodi operationes non forent meritoriæ, Deoque gratæ. Unde idem Apostolus I. ad Corinth. 9. ait: Si volens hoc ago, mercedem habeo: & Eccli. 31. dicitur de homine justo: Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino. Ergo animæ internæ, si velint placere Deo, & ambulare, sicut oportet, debent exercere opera virtuosa ex propria electione, & activitate.

e Confirmatur Minor ex eo, quod scribit S. Irenæus lib. 4. cap. 71. in hæc verba: Qui operantur bonum, gloriam & honorem percipient: quoniam operati sunt bonum, cum possint non operari illud. Et S. Joannes Chrysostomus Hom. 22. in Gen. scribit: Nonne manifestum est, sua quemque voluntate vel malitiam, vel virtutem eligere? Nam nisi ita esset, & natura nostræ potestas insita esset; neque illos puniri, neque istos præmia virtutum accipere oportebat. Verum quia in nostra voluntate totum relictum est; ideo & peccantibus supplicia proposita sunt, & bene operantibus mercedes, & præmia. His cohæret quod ait David Psal. 83. Elegi abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Profecto David ambulabat per viam internam, Deoque placere studebat; & tamen exercebat opera virtuosa ex propria electione, & activitate. Ergo & animabus internis convenit idem exercitium. Hinc Tridentinum sess. 6. de Justificat. cap. 10. inquit: Justificati, & amici Dei, ac domestici facti, euntes de virtute in virtutem, renovantur, ut Apostolus inquit, de die in diem: hoc est, mortificando membra carnis suæ, & exhibendo ea arma justitiæ in sanctificationem, per observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, in ipsa justitia per Christi gratiam accepta, cooperante fide bonis operibus, crescunt atque magis justificantur. Vel ergo animæ, quas Molinosius jactitat internas sunt justificatæ, amicæ Deique domesticæ; vel non. Si primum; illis incumbit operationes virtuosas exercere. Si secundum; Satanæ synagogam instituit.

Eorumdem operum virtuosorum necessitatem nobis tradiderat S. Augustinus exponens versus Psalmi 83. „ Cor „ meum, & caro mea exultaverunt in Deum vivum. „ Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum „ sibi, ubi ponat pullos suos. “ Cor tamquam passer, caro tamquam turtur. Invenit sibi domum passer, invenit sibi domum cor meum. Exercet pennas in virtutibus hujus temporis, in ipsa fide, & spe, & caritate, quibus volet in domum suam: & cum venerit, permanebit, & jam querula vox passeris, quæ hic est, non erit ibi. Nam ipse est querulus passer, de quo in alio Psalmo dicit, sicut passer singularis in tecto. De tecto volat ad domum. Jam sit in tecto, calcet domum carnalem: habebit quemdam cælestem locum, perpetuam domum: passer iste finiet querelas suas. Turturi autem dedit & pullos, idest carni: „ Invenit domum turtur, ubi ponat pullos suos. “ Passer domum, turtur nidum, & nidum utique, ubi ponat pullos suos. Domum tamquam ad sempiteraum eligitur, nidus ad tempus congeritur. Corde cogitamus Deum, tamquam volante passere ad suam domum: carne autem agimus opera bona. Videtis enim per carnem sanctorum quanta bona fient: per hanc enim operamur, quæ jussi sumus operari, quibus adjuvamur in hac vita. Frange esurienti panem tuum, & egenum sine tecto, induc in domum tuam; si videris nudum, operi eum: & cætera talia, quæ nobis præcepta sunt, non operamur nisi per carnem.

Præterea anima sponsa, antequam introducatur ad cælestem sponsum, pulchra esse studet, ut illi placeat, omniumque virtutum ornatum sibi comparat, ut illud Cantic. 1. v. 4. usurpare possit: Formosa sum sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Quis autem sit animæ sponsæ decor, S. Bernardus exponit Serm. 27. in Cantic. dicens: Decor ejus caritas est, justitia, patientia, voluntaria paupertas, humilitas. Sic prudentia, sic temperantia, sic fortitudo, & si quæ sunt virtutes aliæ, quid nisi margaritæ sunt quædam in sponsæ ornatu, perpetuo splendore coruscantes? . . . . . . Domino quoque sessuro super asellum, vestes suas discipuli substraverunt: significantes, Salvatorem, seu salutem nequaquam insidere animæ nudæ, quam non videlicet vestitam invenerit doctrina, & moribus Apostolorum. Et ideo Ecclesia promissionem habens futuræ felicitatis, curat interim præparare, & præornare se in vestitu deaurato, circumdata varietate gratiarum, atque virtutum, quo digna, & capax plenitudinis gratiæ inveniatur. Unde magis magisque conformari satagit formæ, quæ de cælo venit, discens ab ea verecunda esse & sobria, discens pudica & sancta, discens patiens atque compatiens, postrema discens mitis, & humilis corde. Et ideo moribus hujuscemodi contendit & absens placere ei, in quem Angeli prospicere concupiscunt: ut dum desiderio fervet Angelica, probet se proinde civem sanctorum, & domesticam Dei; probet dilectam; probet sponsam. Probet jam Molinosius animas suas internas Dei domesticas; probet dilectas, & sponsas: at non poterit absque ornatu operum virtuosorum. Totum hocce confirmat S. Thomas in 3. Sentent. dist. 35. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 3. ubi ait: Vita activa est dispositio ad contemplativam. Unde Isidorus in lib. de sum. bono ait: Qui prius in vita activa proficit bene, ad contemplationem ascendit. Et ideo quamdiu homo non pervenit ad perfectionem in vita activa, non potest in eo esse contemplativa vita, nisi secundum quamdam inchoationem imperfecte. Tunc enim difficultatem homo patitur in actibus virtutum moralium; & oportet, quod tota sollicitudine ad ipsos intendat, unde retrahitur a studio contemplationis. Sed quando jam vita activa perfecta est; tunc operationes virtutum moralium in promptu habet, ut eis non impeditus libere contemplationi vacet. En ex S. Thoma constat quibuscumque animabus, si ad contemplationem pertingere exoptent, incumbere exercitium virtutum.

Ad motivum vero adductum a Molinosio; scilicet, quia animæ internæ alias non essent mortuæ, si ex propria electione, & activitate exercerent opera virtutum: dicendum, quod animæ internæ debent esse mortuæ vitiis, & peccatis, non vero operationibus virtutum. Unde dicitur I. Petri 2. Si benefacientes patienter sustinetis: hæc est gratia apud Deum. In hoc enim vocati estis, ut peccatis mortui, justitiæ vivatis. Demum Apostolus scribens eis, qui sunt Colossis, sanctis, & fidelibus, cap. 3. inquit: Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam; propter quæ venit ira Dei super filios incredulitatis: in quibus & vos ambulastis aliquando, cum viveretis in illis. Nunc autem deponite & vos omnia: iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, turpem sermonem de ore vestro. Nolite mentiri invicem: expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis; & induentes novum, eum, qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem ejus, qui creavit illum. Induite vos ergo sicut electi Dei, sancti, & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam. Super omnia autem hæc, caritatem habete. Ex quibus evidenter constat, animas, etiam per viam internam incedentes, esse mortuas debere vitiis, & peccatis; atque e contra debere ex propria electione, & activitate exercere operationes virtuosas.

Quoad secundam vero Propositionis partem, falsitas aperitur ex eo, quod scribit S. Thom. 2. 2. quæst. 103. art. 3. ad 2. Dicendum, quod ratio diligendi proximum, Deus est. Non enim per caritatem diligimus in proximo nisi Deum. Et ideo eadem caritas est, qua diligitur Deus, & proximus. Porro proximus noster non sunt soli homines, quibus convivimus, verum etiam Angeli, & Sancti, qui sunt in cælo; ut bene docet ibid. S. Thomas quæst. 25. art. 10. & prius docuerat S. Augustinus lib. 1. de doctrina Christiana cap. 30. dicens: Jamvero, si vel cui præbendum est, vel a quo nobis præbendum est officium misericordiæ, recte proximus dicitur; manifestum est hoc præcepto, quo jubemur diligere proximum, etiam sanctos Angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiæ impenduntur officia, quanta multis divinarum Scripturarum locis animadvertere facile est. Ex quibus sic arguas contra Molinosium. Ratio diligendi Beatam Virginem, Sanctos, & humanitatem Christi, est Deus, quem in Sanctis diligimus: proinde eadem caritate diligimus Deum, & Sanctos. Atqui caritas non est in appetitu sensitivo, sed in intellectivo; ut bene docet ibid. S. Thomas quæst. 24. art. 1. Ergo amor, quo diligimus Beatam Virginem, Sanctos, & humanitatem Christi Domini, non est sensibilis. Ad rationem in contrarium dicendum, quod licet Beata Virgo, Sancti, & humanitas Christi sint objecta sensibilia; quia per sensum apprehenduntur: attamen, cum amor illorum habeat pro objecto bonum divinum, quod solo intellectu cognosci potest; sequitur, hujusmodi amorem non esse sensibilem, sed intellectivum, seu voluntatis. Declarat hoc S. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 1. in corp. his verbis: Cum species actus ex objecto sumatur

tur

tur secundum formalem rationem ipsius; necesse est, quod idem specie sit actus qui fertur in rationem objecti, & qui fertur in objectum sub tali ratione: sicut eadem est species qua videtur lumen, & qua videtur color secundum eamdem luminis rationem. Ratio autem diligendi proximum Deus est: hoc enim debemus in proximo diligere, ut in Deo sit. Unde manifestum est, quod idem specie actus est quo diligitur Deus, & quo diligitur proximus. Et propter hoc habitus caritatis non solum se extendit ad dilectionem Dei, sed etiam ad dilectionem proximi. Cum ergo Beatam Virginem, Sanctos, ac sacram Christi humanitatem in ordine ad Deum diligamus; sequitur plane, horum amorem non esse sensibilem. Confirmatur ex eodem Angelico Doctore ibid. quæst. 82. artic. 2. ad 3. ubi ait: *Devotio, quæ habetur ad Sanctos Dei, non terminatur ad ipsos, sed transit in Deum; inquantum scilicet in ministris Dei Deum veneramur*. Igitur amor, quo prosequimur Beatam Virginem, Sanctos, & Christi humanitatem, immerito dicitur sensibilis; cum caritas, qua diligimus Deum, non resideat in appetitu sensitivo, ut bene docet idem S. Thomas ibid. quæst. 24. art. 1. in corp.

Explicatur hoc magis. Amor a voluntate virtuose elicitus, & ab intellectu regulatus, spiritualis est; nec potest dici sensibilis, nisi objective, hoc est, quia attingit objectum sensibile. Quod profecto non obest spiritualitati amoris; ut patet in amore, quo anima S. Petri nunc Christi humanitatem, & Beatam Virginem diligit, qui ab objecto sensibilis dici potest: cum quo tamen optime compatitur, illum amorem ita esse spiritualem, ut ei prorsus repugnet, quod sit sensibilis elicitive; cum non detur in anima S. Petri principium elicitivum amoris sensibilis. Hinc si Molinosius de amore sensibili loquatur, non quia in se sensibilis sit; sed quia attingit objectum sensibile: libentissime hoc concedemus, vel omittemus. Illius tamen erit ostendere incompatibilitatem, & repugnantiam inter amorem sic sensibilem, & perfectionem viæ; qui profecto contrarius non est perfectioni Patriæ. Cæterum quia in hoc involvi potest æquivocatio, libet hic S. Bernardum afferre, qui in lib. Sententiar. numerum modorum diligendi partitur, & designat his verbis: *Modi diligendi sunt quatuor. Carnem amare carnaliter, spiritum carnaliter, carnem spiritualiter, spiritum spiritualiter*. Ex quo habes duplicem amorem carnalem, & duplicem spiritualem. *Amare carnem carnaliter*, malum est, & amor carnalis, & sensibilis tam objective, quam elicitive: elicitive, quia est amor carnaliter procedens; & objective, quia ad carnem terminatur. *Amare spiritum carnaliter*, similiter malum est: licet objective carnalis non sit; quia terminatur ad spiritum. *Amare carnem spiritualiter*, bonum est, & pariter *amare spiritum spiritualiter*. Differunt tamen in eo hi duo postremi modi, quod primus est formaliter, & entitative spiritualis, licet terminative sensibilis; secundus tam terminative, quam formaliter spiritualis est.

Sed dato etiam, quod amor quo diligimus B. Virginem, Sanctos, ac sacram Christi humanitatem, esset amor sensibilis; ex redundantia scilicet partis superioris in inferiorem (ut diximus ex S. Thoma in 1. Sentent. dist. 17. quæst. 2. art. 1.) attamen non esset respuendus; quia non esset malus, neque deordinatus. Nam ille solum est amor deordinatus, ac respuendus, qui respicit objectum contra legem, & ordinem rationis. Immo per ejusmodi amorem sensibilem, seu fervorem caritatis (ut eum appellat S. Thomas ibidem) magis perduceremur ad amorem Dei, atque ad perfectiorem caritatem; ut docet idem S. Doctor 2. 2. quæst. 82. art. 3. ad 2. his verbis: *Sicut mens humana indiget manuductione ad cognitionem divinorum; ita ad dilectionem per aliqua sensibilia nobis nota, inter quæ præcipuum est humanitas Christi. Et ideo, quæ pertinent ad Christi humanitatem, maxime devotionem excitant*. Præclare quoque ad institutum nostrum scribit S. Theresia contra aliquos sua ætate docentes, non convenire contemplativis amorem erga humanitatem Christi, utpote sensibilem, enutrire ac fovere. Unde Mans. 6. cap. 7. ita inquit: *Credo, che resti ben dichiarata, quanto convenga, per molto spirituale che sia la persona, non fuggir tanto dalle cose corporee, che paja loro, che ancor la sagratissima Umanità di Cristo faccia danno. Allegano quello ch' egli disse a' suoi Discepoli, che conveniva, ch' egli partisse. Io non lo posso soffrire. Assicuratevi, che non lo disse alla sua benedetta Madre; perchè stava ferma nella fede, e sapeva ch' era Dio ed uomo: e quantunque l' amasse più di loro; era però con tanta perfezione, che anzi erale d' ajuto. Non dovevano allora gli Apostoli star così fermi nella fede, come stettero dopo, e noi abbiamo ragione di stare ora. Io vi dico, figliuole, che lo tengo per pericoloso cammino; e che potrebbe il Demonio arrivare a far perdere la divozione al Santissimo Sagramento. L' inganno, nel quale mi parve di essere, non arrivò a tanto come questo: solamente e non gustar così bene di pensare in nostro Signor Gesù Cristo, ma andarmene in quell' imbevimento, o astrazione, aspettando quel regalo, e gusto: e vidi chiaramente, ch' io camminava male..... Vidi poi chiaramente, quanto io errava, onde mai finisco di dolermi, che sia stato alcun tempo, nel quale io mancassi d' intendere, che malamente si poteva guadagnare con sì gran perdita. E quando ben potessi far alcun acquisto; non voglio ben veruno, se non acquistato per mezzo di colui, dal quale ci vennero tutti i beni*. Dolet igitur illuminatissima Virgo Magistra orationis, quod ipsa fuerit in hoc errore aliquando (ut ait) quod deposuerit considerationem, & amorem erga humanitatem sacratissimam Christi Domini, ad hoc ut frueretur jugi contemplatione Divinitatis, & oratione quietis; quæ non semper haberi potest in oratione. Quare ibidem advertit dicens: *L' accarezzamento nell' orazione non è così ordinario, che non vi sia tempo per ogni cosa* (hoc est, pro consideratione affectiva ad humanitatem Christi Domini) *E se alcuna dicesse, che il suo godimento, e regalo sta sempre in uno stato; lo terrei io per sospetto. Parlo di chi non potessa mai far quello, che si è detto* (hoc est habere considerationem affectivam ad humanitatem Christi) *E così tenetelo voi, e procurate di uscire da questo inganno; e con tutte le vostre forze levatevi dallo star sempre immerse ne' gusti*: contemplationis videlicet Divinitatis, relicta affectiva consideratione humanitatis Christi. Ergo ex sacra Doctrice Theresia constat luculenter, animabus per viam internam incedentibus convenire, ac deberi amorem erga humanitatem Christi. Consonat sacræ Parenti S. Joannes a Cruce, qui lib. 3. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 1. ad rem nostram ita inquit: *Avvertendo, che questo studio, e diligenza di scordarsi, e di lasciar le notizie, e le figure, mai s' intende di Cristo, e della sua Umanità. Che sebbene alcuna volta in quell' altezza di contemplazione, e semplice vista della Divinità, l' anima non si ricorda di questa santissima Umanità; perchè Dio di propria sua mano inalzò lo spirito a questo come confuso, e molto soprannaturale conoscimento: contuttociò non deve mai far diligenza, e studio di scordarsene in nessuna maniera; poichè la sua vista, e meditazione amorosa sarà d' ajuto ad ogni bene, e per mezzo suo si salirà più facilmente al più alto dell' unione. Ed è chiaro, che quantunque le altre cose visibili, e naturali siano d' impedimento, e perciò si abbiano a scordare, non ha da entrare in questo numero quel Signore, che si fece uomo per nostra salute, il quale è la verità, la porta, la strada, e la guida per tutti i beni*. Vides, quantum distet Molinosius a doctrina SS. Theresiæ & Joannis a Cruce. Adstruit enim perfidus Pseudo-Mystica, quod animæ internæ elicere non debeant actus amoris erga humanitatem Christi, quia est sensibilis; proinde & talis foret amor circa illam. Sancti vero laudati valide commendant animabus contemplativis meditationem affectivam humanitatis Christi, tamquam medium efficax ad unionem, & contemplationem. Nec dissimili modo loquuntur Sancti circa amorem Beatæ Virginis Mariæ. Hinc S. Bernardus in Serm. de Nativitat. B. V. Mariæ ita inquit: *Totis ergo medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam. Hæc, inquam, voluntas ejus est; sed pro nobis. In omnibus siquidem, & per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem*. Et S. Petrus Damianus in Serm. pariter de Nativitat. B. V. Mariæ ait: *Scio, Domina, quia benignissima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te Deus tuus summa dilectione dilexit. Et quia amor nonnisi amore rependitur, ideo redamare eam pro virili studeamus*. Ecce, quod Sancti hortantur nos ad amandam Beatam Virginem Mariam; a quo nos retrahit Molinosius, sub prætextu sensibilitatis.

Demum de Sanctis a nobis venerandis, invocandis, & affectivo cultu honorandis videatur Concilium Tridentinum sess. 25. in decreto de invocat. & venerat. Sanctorum, ubi inter alia habetur, *utile esse suppliciter Sanctos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Illos vero, qui negant, Sanctos, æterna felicitate in cælo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, stultum esse, in cælo regnantibus voce, vel mente supplicare: impie sentire*. Ergo Molinosius impie sentit, dum negat animas internas non debere actus amoris elicere erga Sanctos. Oh nefandum perditissimum seductorem! hominem versipellem! Sanctis amorem negat; & impuram sordidissimam profanorum corporum libidinem, indecere non erubescit!

§. XXXV.

XXXVI. *Nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in nostro corde: quia solus Deus vult illud occupare, & possidere.*

Post interdicta animabus internis virtutum exercitia, & signanter amoris erga Christi humanitatem, Beatam Virginem, & Sanctos; ab earum cordibus removere Molinosius conatur creaturas, etiam Beatam Virginem & Sanctos, a Deo dumtaxat occupandis, & possidendis: perinde ac supremum Dei dominium, quod habet super hominum corda, minueretur, si ibi Beata Virgo, & Sancti sedem obtinerent.

Propositio, quæ, ut jacet, est *scandalosa, & hæresim sapiens*, impugnatur I. auctoritate Concilii Tridentini sess. 25. de invocat. & venerat. Sanctorum, qua docemur, omnes venerari, colere, & invocare debere Sanctos, cum Christo in cælo regnantes, juxta Sacrorum Canonum statuta, quod certe fieri non posset nisi Beata Virgo, & cæteri Sancti in corde nostro sedem haberent. Verba Concilii sunt hæc. *Mandat S. Synodus omnibus Episcopis, & cæteris docendi munus, curamque sustinentibus, ut juxta Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis Christianæ Religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem, & Sacrorum Conciliorum Decreta, in primis de Sanctorum intercessione, invocatione, honore fideles diligenter instruant; docentes eos, Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre, bonum atque utile esse eos invocare, & ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus noster Redemptor, & Salvator est, ad eorum orationes, opem, auxiliumque confugere. Illos vero, qui negant, Sanctos, æterna felicitate in cælo fruentes, invocandos esse; aut qui asserunt, vel illos pro hominibus non orare; vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam; vel pugnare cum Verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei & hominum Jesu Christi; vel stultum esse in cælo regnantibus voce, vel mente supplicare: impie sentire.* Ergo falsum est, nullam creaturam, nec Beatam Virginem, nec Sanctos debere sedem habere in nostro corde: quia solus Deus vult illud occupare, & possidere. Rursus hæc Propositio excludit secundum præceptum de amore proximi. Nam in duobus præceptis, scilicet de amore Dei & proximi, universa lex pendet, & Prophetæ, ut ait Christus Dominus Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum: hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum.* Si enim nulla creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti sedere debent in corde nostro; quia solus Deus vult illud occupare, & possidere: consequitur, necessario nos non debere amare proximum nostrum, sed solum Deum. Proximus autem noster non solum sunt homines viatores in terra, sed etiam Angeli, & Sancti in cælo; ut egregie advertit S. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 10. in corp. his verbis: *Dicendum, quod amicitia caritatis fundatur super communicatione beatitudinis æternæ, in cujus participatione communicant cum Angelis homines. Dicitur enim Matth. 22. quod in resurrectione erunt homines, sicut Angeli in cælo. Et ideo manifestum est, quod amicitia caritatis etiam ad Angelos se extendit.* Ibique citat S. Augustinum lib. 1. de doctr. Christian. c. 30. cujus verba dedimus in impugnatione secundæ partis Propositionis immediate antecedentis, ubi videri possunt. Ergo nos tenemur diligere Sanctos, ac in nostro corde retinere, & signanter inter plures creaturas sanctissimam Virginem, ut Regi sæculorum assistat, qui vult illud possidere, & occupare. Dementiæ quippe maximæ indicium est, cogitare, assistentiam Beatissimæ Virginis in nostro corde, dominio, quod exigit Deus a creaturis, derogare.

Confirmatur. Æquum est in mente nostra, & in corde versari exemplar illud nobis a Deo propositum ad imitandum, cujusmodi est Beatissima Virgo: *Exemplar Christianæ vitæ est B. Virgo Maria*, inquit S. Bernardus, *ad quod semper respicere debent, qui cum Christo regnare volunt*: & signanter incedentes per viam internam; ut ait Ernestus Prag. apud Polyanth. Marian. lib. 5. *Beata Dei Mater est*, inquit, *exemplar a Deo in monte monstratum iis, qui spiritu Dei aguntur, ut illud aspiciant, & proficiant, & ad ejus perfectionem, licet a longe, nitantur dirigere gressus suos: sicut illi, qui artem scribendi, scalpendi, aut pingendi addiscunt, habere solent in oculis exemplaria pulcherrima, & imagines formosissimas, quas magis ac magis de die in diem intuentur, ac student totis conatibus imitari.* Idem asserit Richardus a S. Laurentio de Laudibus Virginis. Quare cum idem, proportione servata, de aliis Sanctis tenendum sit; possumus eis locum dare in cordibus nostris.

Neque hoc excludit, quin Deus solus occupet, & possideat cor nostrum. Pro cujus dilucidatione, & doctrinæ Molinosticæ impugnatione, prænotandum, nos posse diligere proximum, tamquam finem principalem nostræ dilectionis; & posse illum diligere in ordine ad Deum. Prima dilectio est mala; & respective ad illam verum est, quod Deus solus vult occupare cor nostrum, ac possidere. Secunda vero dilectio est bona; & oritur a caritate, qua diligimus Deum: & hæc non impedit, quin solus Deus occupet, & possideat cor nostrum. Hinc S. Augustinus lib. 9. de Trinit. cap. 7. ait: *Amor concipitur sive creaturæ, sive creatoris: idest, aut naturæ mutabilis, aut incommutabilis veritatis. Ergo aut cupiditate, aut caritate: non quod non sit amanda creatura; sed si ad creatorem refertur ille amor, non jam cupiditas, sed caritas erit. Tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur creatura. Tunc non utentem adjuvat, sed corrumpit fruentem.* Ergo amare creaturam propter Deum, est caritas, quæ facit solum Deum possidere, & occupare cor nostrum, juxta illud ad Rom. 5. *Caritas Dei diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem spiritum ejus in nobis.* Ergo amando Deum in creatura, non impedimus, quominus Deus solus occupet, ac possideat cor nostrum.

Confirmatur ex S. Thoma 2. 2. quæst. 25. art. 1. ad 3. ubi ita scribit ad rem nostram: *Reprehensibile esset, si quis proximum diligeret tamquam finem principalem: non autem si quis proximum diligat propter Deum; quod pertinet ad caritatem.* Ergo possumus, immo debemus diligere creaturas in ordine ad Deum: quia hoc est secundum mandatum de dilectione a Deo nobis impositum. Proinde cum ita diligimus creaturas, Deus solus possidere, & occupare cor nostrum dicendus est: quia eadem dilectione, qua diligimus creaturas, diligimus & Deum. Hinc S. Augustinus Tract. 65. in Jo. scribit: *Qui sancte, ac spiritaliter diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguendo addidit Dominus:* „ Sicut dilexi vos. “ *Quid enim nisi Deum anexit in nobis? Non quod habebamus; sed ut haberemus.* Immo si quis diligeret solum Deum, & non proximum in ordine ad Deum, non haberet dilectionem Dei perfectam: ac proinde dici non posset, quod Deus sufficienter possideret, & occuparet cor illius; ut optime docet S. Thomas, destruendo simul fundamentum ruinosum doctrinæ Molinosticæ, 2. 2. q. 27. art. 8. in corp. ita ad rem nostram mirifice scribens: *Potest attendi, ut dilectio Dei accipiatur, secundum quod solus diligitur; dilectio autem proximi accipiatur, secundum quod proximus diligitur propter Deum. Et sic dilectio proximi includit dilectionem Dei; sed dilectio Dei non includit dilectionem proximi. Unde erit comparatio dilectionis Dei perfectæ, quæ extendit se etiam ad proximum, ad dilectionem Dei insufficientem, & imperfectam; quia hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum: & in hoc sensu dilectio proximi præeminet.* Ad hæc S. Bernardus in Sermone, qui inscribitur *De Aquæductu*, ait, *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam veneremur: quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam.* Et iterum S. Thomas Part. 3. quæst. 25. art. 6. in corp. de amore Sanctorum scribit: *Manifestum est, quod Sanctos Dei in veneratione nos habere debeamus, tamquam membra Christi, Dei filios, & amicos, & nostros intercessores.* Jamvero, cum Molinosius arceat a cordibus suorum Asseclarum amicos Dei, & filios; quomodo Deum illorum corda perfecte possidere, & occupare suadebit: cum certum sit, eum qui Regis amicos non diligit, nec Regem ipsum sincere diligere!

Doctrinam nostram mirifice illustrat suo more S. Theresia Mans. 6. cap. 7. ubi ita scribit: *Parerà ad alcune anime, che non potranno pensare alla Santissima Vergine, o nelle vite de' Santi, dalla memoria de' quali caviamo sì gran profitto, e leno. Io non posso intendere, in che pensano, allontanandosi da ogni cosa corporea: perchè lo stare sempre ardendo in amore, è proprio degli spiriti Angelici, e non di noi altri che viviamo in corpo mortale, a' quale fa di mestieri trattare, pensare, ed accompagnarsi; o valersi di quelli, che avendolo come noi, fecero sì gran prodezze per Dio.* Et post pauca ibidem addit. *La vita è lunga, e sono in lei molti travagli, che per sopportarli con perfezione abbiamo necessità di mirare, come dal nostro esemplare Gesù Cristo furono passati; e come anche li soffrirono i suoi Apostoli, e Santi. Molto buona compagnia, e da non separarsi da lei, è quella del buon Gesù, e della sua Santissima Madre.* Ergo Beata Virgo Maria, & Sancti sedere debent in nostris cordibus, ut eos imitemur, eorumque opem imploremus: idque non impedit, quod Deus solus regnet, ac sedeat in corde nostro, illudque occupet, & possideat.

Probatur veritas Catholica exemplis Sanctorum, qui in corde suo coluerunt, atque dilexerunt Sanctos. Prima omnium sit S. Theresia nuper laudata, ad sublimem absdubio contemplationem a Deo elevata, in cujus Vita,

typis

typis data Venetiis anno 1603. elucubrata a P. Francisco Riviera Societatis Jesu lib. 4. cap. 117. ita scribitur: *Leggeva le vite de' Santi molto volentieri, e si consolava, e faceva grand'animo con esse; e nel suo Breviario aveva una lista di quelli, a' quali aveva più particolar divozione, la quale metterò io qui.* Et post pauca. *Non si mette tra questi Santi la nostra Donna, come nè anche Cristo nostro Signore: perchè questo non era di bisogno, per esser cosa tanto chiara, e conosciuta; perchè la divozione, che aveva a nostra Donna, era particolarissima, e tenerissima. Questa ebbe ella fin dalla sua prima età: perchè, come dicemmo nel principio del primo libro, quando sua Madre si morì, rimanendo ella fanciulletta, se ne andò ad una immagine di nostra Donna, e la supplicò caldamente, ch' ella volesse essere sua Madre. E la divozione andò sempre crescendo cogli anni: perchè sempre la ritrovò vera Madre. Quella di S. Giuseppe ebbe alla parimente molto tenera. E però si vede ne' suoi libri, con quanto gusto parla di lui, e con quanta affezione; e quanto a tutti raccomanda la divozione di questo Santo. Nelle feste di questi Santi aveva particolar divozione, e le celebrava con allegrezza; e soleva alcune volte far canzonette in lode di quelli, perchè le Sorelle le cantassero, e gustava, che elleno eziandio le facessero: benchè non faceva, nè voleva, che facessero molto conto del rigor delle rime; perchè quello studio non disturbasse loro la divozione. Il giorno di S. Giuseppe faceva gran festa, e con gran solennità fin da' principj nel Monistero della Incarnazione. La divozione verso nostra Donna, e verso S. Giuseppe, quanto in lei fosse grande, quando altro segno non ve ne fosse, si vede molto bene ne' Monisteri, che fondò; che tutti erano dell' abito, ed ordine di nostra Donna, e per gloria di lei si facevano; e'l nome quasi di tutti era del glorioso S. Giuseppe. Ma verso tutti i detti Santi la ebbe ella molto grande: il che molto bene si conosce da' grandi favori, che da quelli ricevette.* Et multa alia, quæ loco citato, Lector, habes. Addenda his omnibus admirandis visio, & dona communicata eidem S. Theresiæ a Sanctissima Virgine Maria, & a S. Joseph (ex quibus specialissimus amor, & devotio ejusdem S. Theresiæ plurimum fuit adaucta) ut refert ipsamet in fundat. Monast. Abulæ cap. 2. §. *Stando io in questi medesimi giorni*. Quæ omnia si rite expenderis, deprehendas necessum est ad sensum palmarem falsitatem Propositionis Molinosticæ, adstruentis, Sanctos a nobis non debere diligi, & coli, ac nostro in corde sedere. S. Petrus de Alcantara, inter cætera fundamenta ad probandum spiritum ejusdem S. Virginis, afferre minime dubitavit (ut refertur in Vita laudati Sancti, Neapolis prelo data) specialem devotionem & cultum, quo ipsa Sanctos prosequebatur, eorumque festivitates. In Vita S. Joannis a Cruce, ejus Operibus præfixa, cap. 14. habetur. *La Beatissima Vergine era la sua Madre, già da' suoi teneri anni eletta. Per onor di questa proccurò, e piantò tanti rigori nella riforma del Carmine, che la riconosce per singolar Avvocata, Protettrice, e Madre. Non andavano punto a vuoto gli ossequj, a simil Regina prestati: perchè non corse Giovanni pericolo, che non fosse da lei manifestissimamente assistito*. In Vita Ven. P. Balthasaris Alvarez Soc. Jesu cap. 26. legitur. *Come visitò la Casa di nostra Signora di Loreto, e seco portò il Ritratto dell' Immagine, dipinta da S. Luca, per la gran divozione, che aveva alla Santissima Vergine*. Tandem in Vita B. Franciscæ de Chantal, filiæ spiritualis S. Francisci Salesii, cap. 7. plura leguntur de ejus pietate & religione ad Beatiss. Verg. S. Josephum, & S. Angelum Custodem.

Sed quid plura in re tam nota, tamque manifesta in omnibus Vitis Sanctorum? quorum exemplis proinde referendis hicsuper sedemus. Hoc unum addidisse sufficiat: inimicum Dei se prodere, qui B. V. Mariam, & Sanctos a suo corde dispellit; quo argumento jam olim usi fuere Catholici contra Iconoclastas, cultusque Sanctorum oppugnatores.

§. XXXVI.

XXXVII. *In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum; sed debet in supradicto amore, & resignatione manere.*

AD tentationes regreditur in hac Propositione Molinosius, etiam vehementes (quas in XVII. non expresserat) eisque per actus virtutum explicitos resistendum non esse docet animabus internis, quæ debent in supradicto amore, & resignatione persistere: immo (ut dixerat cum Beguardis in XXXI.) *opus est amittere virtutes*.

Propositio, ut jacet, est *scandalosa*, & *periculosa in praxi*.

Impugnatur I. Tentationes furiosæ, seu vehementes, sunt quæ multum sollicitant, & propter ingentem affectus propensionem ad objectum propositum, & propter magna motiva, quæ homini occurrunt ad deserendum bonum rationis, & amplectendum malum illi contrarium: sive (ut vult P. Suarez lib. 1. de gratia cap. 23. num. 2.) quæ pertinaciter suadent objectum contra rationem amplexari, multo tempore, constanter, ac moleste. His autem, juxta Christi doctrinam, per actus contrarios virtuosos debent omnes resistere: Matth. 17. vers. 20. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione, & jejunio*: ubi sermo est de dæmone immundo, atque de ejusdem furiosa aggressione (ut ad hunc locum observat Tirinus ad cap. 9. Marc.) cui oratio, carnisque mortificatio maxime opponuntur. Cum ergo Christus Dominus docuerit, quod ad hujusmodi furiosas tentationes superandas necessaria esset oratio, & jejunium; docuit consequenter, quod occasione tentationum furiosarum debeamus elicere actus explicitos virtutum oppositarum ad illas devincendas. Contradicit ergo Molinosius doctrinæ Christi, dum adstruit, animam non debere occasione tentationum furiosarum elicere actus explicitos oppositarum virtutum.

Confirmatur exemplo Apostoli, qui impetitus furiosis carnis tentationibus, utebatur ad illas devincendas oratione, & corporis castigatione: unde II. ad Corinth. 12. inquit: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me*: & I. ad Corinth. 9. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*. Ecce timet Apostolus, vas electionis, se reprobum evasurum, nisi tentationes carnis frenaret, atque reprimeret. Quid ad hæc Molinosius? Num melior Paulo? Num meliores ejus putidi Ascetæ. Absit, quod larvæ tartareæ meliores sint, ac perfectiores ipsomet vase electionis.

Impugnatur II. Communis Sanctorum Patrum sententia est hominem, ad prava opera etiam vehementer instigatum, in peccata letalia prolabi, esseque dignum æterna damnatione, cum quibuslibet tentationibus possit resistere. *Non est* (inquit S. Ambrosius lib. 1. de Jacob & vit. beat. cap. 3.) *quod cuiquam nostrum adscribamus ærumnam, nisi nostræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, nisi voluntate propria deflexerit. Non habent crimen, quæ inferuntur reluctantibus: voluntaria tantum commissa sequitur delictorum invidia, quod in alios derivemus. Voluntarium sibi militem elegit Christus: voluntarium servum sibi Diabolus auctionatur. Neminem jugo servitutis adstrictum possidet, nisi se prius peccatorum ære vendiderit. Quid carnem quasi infirmam accusamus? Membra nostra arma sunt iniquitatis, & arma justitiæ. Vidisti pauperem injuriam accipientem, protexisti eum; membra tua arma pietatis sunt, quibus pauperem ab injuria vindicasti. Vidisti egenum, donasti eum muneribus; dextera tua mortem a tuo pectore repulisti. Vidisti eum qui ducitur ad mortem, eripuisti eum; membra tua arma sunt justitiæ, si injuste hominem perire non passus es. Vidisti mulierem, castigasti corpus tuum, mortificasti libidines, procaces meretricis oculos aversatus deseruisti; membra tua arma sunt castimoniæ. Contra autem si oculus tuus vidit mulierem ad concupiscendum eam, aperuisti vulnus, impressisti telum corpori tuo; membra tua arma peccati sunt .... Affectus igitur, non caro auctor est culpæ; caro autem voluntatis ministra*. Non commendaret S. Augustinus Tract. 52. in Jo. conatum dæmonum fraudibus, ad malum inducentium, adhibendum, nisi per actus virtutum eisdem oppositos resistendi necessitatem agnosceret. *Quid aliud petimus*, ait, *cum dicimus, Ne nos inferas in tentationem, nisi ut ille, qui insidiatur, vel certat extrinsecus, nulla irrumpat ex parte, nulla nos fraude, nulla nos possit virtute superare? Quantaslibet tamen adversus nos erigat machinas, quando non tenet locum cordis, ubi fides habitat, ejectus est foras*. Tres ad peccandum impulsores enumerat S. Bernardus, exponens versiculum Psal. 117. Serm. 85. in Cantica. Ibi tamen observat, hominem præcipue seipsum impellere, si dæmonem suadentem malum, si ventum vanitatis, si pravas concupiscentiam per exactam sui cordis custodiam non repellat. Cor autem, urgentibus tentationibus exacte custodire, est actus virtutum pravis concupiscentiis vitiisque oppositos elicere. *Impulsor*, inquit, *non est unus. Impulsor diabolus est, impulsor mundus, impulsor homo. Quis iste homo sit, quæris? Quisque sui. Noli mirari. Usque adeo homo impulsor sibi est, & suimet præcipitator, ut non sit quod ab altero impulsore formides, si ipse a te proprias contineas manus*. Quis enim „ vobis nocere poterit si boni æmulatores fueritis? “ I. Pet. 3. *Manus tua, consensus tuus. Si diabolo suggerente, vel sæculo suadente quod non oportet, assensum tuum tenueris, & non dederis membra arma iniquitati, nec permiseris regnare peccatum in tuo mortali corpore: bonum te æmulatorem probasti, cui malitia omnino nihil nocuit; vide ne magis profuerit. Scriptum est enim ad Rom. 13.* „ Bonum fac; & habebis laudem ex illa. “ *Confusi sunt qui*

qua-

quærebant animam tuam; in vero cantabis: „ Si mei non „ fuerint dominati, tunc immaculatus ero. “ *Psal.* 18. *Boni plane æmulatoris insigne dedisti, si consilio Sapientis misereris animæ tuæ, si omni custodia servas cor tuum, si juxta Apostolum teipsum castitas custodis . . . . . Cum igitur tres sint stanti imminentes; horum diabolus livore malitiæ, mundus vento vanitatis, homo semetipsum pondere suæ corruptionis impellit. Impellit diabolus, sed non evertit, si quidem tuum illi negaveris consensum. Denique habes Jacobi* 4. „ Resistite diabolo, & fugiet a vobis. “ *Iste est qui stantes in Paradiso impulit invidus, & evertit, sed consentientes, non resistentes. Iste est qui seipsum de cælo superbus nullo impellente præcipitavit: ut scias multo magis hominem suo ipsius casui imminere, quem propriæ substantiæ pondus gravat. Est & mundus impulsor, quia in maligno positus est. Impellit omnes, sed solos evertit amicos sibi. Nolo esse amicus mundi, ne cadam. Nam qui vult esse hujusmodi amicus, inimicus Dei constituitur; quo utique nullus gravior casus. Ex quibus satis claret, quam sit homo præcipuus impulsor sui, qui suo sine alieno impulsu cadere potest; alieno absque suo cadere non potest.* Idem declarat S. Doctor laudatus in Serm. 23. de divers. his verbis: *Quoties importuna, ut assolet, carnalis cogitatio mentem pulsat; certum nobis sit, esse spiritum carnis qui loquitur, & tamquam adversarium repellamus eum, dicentes:* „ Vade retro, satana, quoniam non sa„ pis ea quæ Dei sunt: “ *Sed magis sapientia tua inimica est Deo. Cum autem non de illecebris carnis, sed de ambitione sæculi, de jactantia & arrogantia, cæterisque similibus cogitatio vana versatur in cordibus nostris; spiritus mundi est qui loquitur, longe perniciosior hostis, & majori sollicitudine repellendus.*

Impugnatur III. dicta Propositio ex eo, quia tentationes furiosæ non habentur nisi vel in appetitu sensitivo, vel in appetitu intellectivo. Unde omnia peccata vel sunt carnalia, vel spiritualia, ex S. Thoma 1. 2. quæst. 72. art. 1. Atqui hujusmodi appetitus non regulantur, neque perficiuntur, nisi per virtutes ipsorum proprias. Ergo in casu tentationum furiosarum, insurgentium in utroque appetitu, tenebimur elicere actus virtutum oppositarum ad eas vincendas, & superandas, ipsosque appetitus dirigendos, ac perficiendos. Major est certa ex Angelico loco citato. Minor probatur ex eodem S. Doctore ibid. quæst. 58. art. 3. ubi ad rem nostram ita scribit: *Virtus humana est quidam habitus perficiens hominem ad bene operandum; principium autem humanorum actuum in homine non est nisi duplex: scilicet intellectus, sive ratio; & appetitus. Hæc enim sunt duo moventia in homine, ut dicitur in 3. de anima. Unde omnis virtus oportet, quod sit perfectiva alicujus ipsorum principiorum. Si quidem igitur sit perfectiva intellectus speculativi, vel practici ad bonum hominis actum; erit virtus intellectiva: si autem sit perfectiva appetitivæ partis; erit virtus moralis.* Ergo occasione tentationum ad perficiendos & dirigendos hujusmodi appetitus, necesse habemus elicere actus explicitos oppositarum virtutum; alias fortasse consensum in malum haud vitabimus; ut tradit S. Augustinus Serm. 30. de Verb. Psal. 118. alias de Verb. Apost. 12. *Si spiritus tuus a carne contra concupiscente non dissentit, vide, ne forte carni mens tota consentiat: vide ne forte ideo non sit bellum, quia pax perversa est. Forte in totum carni consentis, & nulla rixa est.*

Confirmatur I. quia occasione tentationum deficimus, si non exerceamus virtutes oppositas. Ergo in casu tentationum tenebimur exercere actus explicitos virtutum oppositarum. Antecedens probatur: quia nisi vehementibus tentationibus per actus virtutum contrarios non resistamus, evadere non possumus periculum eisdem succumbendi; ut docet D. Thomas 1. 2. q. 53. art. 3. ubi ait: *Manifestum est, quod habitus virtutis moralis facit hominem promptum ad eligendum medium in operationibus, & passionibus. Cum autem aliquis non utitur habitu virtutis ad moderandas passiones, vel operationes proprias, necesse est, quod proveniant multæ passiones, & operationes, præter modum virtutis, ex inclinatione appetitus sensitivi, & aliorum, quæ exterius movent: unde corrumpitur virtus, vel diminuitur per cessationem ab actu. Similiter etiam est ex parte habituum intellectualium, secundum quod est homo promptus ad recte judicandum de imaginatis. Cum igitur homo cessat ab usu intellectualis habitus, insurgunt imaginationes extraneæ, & quandoque ad contrarium ducentes; ita quod, nisi per frequentem usum intellectualis habitus quodammodo succidantur, vel comprimantur, redditur homo minus aptus ad recte judicandum, & quandoque disponitur ad contrarium.* Ergo juxta doctrinam D. Thomæ, appetitus sensitivus, vel intellectivus inordinate operabitur, vel deficiet, si non exerceat virtutum actus, occasione tentationum insurgentium in eisdem appetitibus.

Confirmatur II. ex S. Thoma 1. 2. quæst. 68. art. 8. ubi ait: *Virtutes in tria genera distinguuntur. Sunt enim quædam virtutes theologicæ, quædam intellectuales, quædam morales. Virtutes quidem theologicæ sunt, quibus mens humana Deo conjungitur; virtutes autem intellectuales sunt, quibus ratio ipsa perficitur; virtutes autem morales sunt, quibus vires appetitivæ perficiuntur ad obediendum rationi.* Porro de ejusmodi virtutibus dantur præcepta, ut inquit idem S. Doctor 2. 2. quæst. 44. art. 1. in corp. dicens: *Omnes virtutes, de quarum actibus dantur præcepta, ordinantur vel ad purificandum cor a turbinibus passionum; sicut virtutes, quæ sunt circa passiones: vel saltem ad habendam bonam conscientiam; sicut virtutes, quæ sunt circa operationes: vel ad habendam rectam fidem; sicut illæ, quæ pertinent ad divinum cultum.* Atqui hujusmodi præcepta maxime obligent tempore tentationum insurgentium contra illas virtutes; ut docent omnes Theologi cum Matthæuccio ad primam Propositionem proscriptam ab Alexandro VII. Ergo occasione tentationum furiosarum tenebimur elicere actus explicitos oppositarum virtutum.

Confirmatur III. ex eo, quod docet idem S. Thomas 1. 2. quæst. 73. art. 4. in corp. his verbis: *Potest considerari oppositio virtutis ad peccatum secundum quamdam extensionem virtutis cohibentis peccatum. Quanto enim fuerit virtus major, tanto magis elongat hominem a peccato sibi contrario; ita quod non solum ipsum peccatum, sed etiam inducentia ad peccatum cohibet.* Jamvero anima interna, quam perfectam jactitat Molinosius, tenebitur elicere actus oppositarum virtutum, si tentationibus pulsetur; ut elonget se a peccato, simulque vitet & peccatum ipsum, & inducentia ad illud: alioquin quæ erit perfectio hujusmodi animæ internæ, nisi perfectio fortassis animæ sedentis in tenebris, & umbra mortis?

Confirmatur IV. ex eodem S. Doctore 1. 2. quæst. 63. art. 1. ubi scribit: *Virtutes tentationibus resistunt inducentibus ad peccata quæ contrariantur virtutibus. Unumquodque enim naturaliter resistit suo contrario: quod præcipue patet de caritate, de qua dicitur Cant.* 8. „ Aquæ „ multæ non potuerunt extinguere caritatem. “ Atqui anima quævis, etiam interna, & perfecta, tenetur vitare inducentia ad peccatum, & ea quæ opponuntur virtutibus. Ergo occasione tentationum, insurgentium contra rationem, tenebitur illas frenare, reprimere, propellere, ne a virtutibus se alienam prodat, & potius deperditam, quam perfectam sese demonstret. Consequenter ad hæc idem Angelicus 2. 2. quæst. 161. art. 1. scribit: *Circa motus appetitivos, qui se habent per modum impulsionis, oportet esse virtutem moralem moderantem, & refrenantem. Circa illos, qui se habent per modum retractionis, & resilitionis ex parte appetitus, oportet esse virtutem moralem firmantem, & impellentem. Et ideo circa appetitum boni ardui necessaria est duplex virtus. Una quidem, quæ temperet, & refrenet animum, ne immoderate tendat in excelsa; & hoc pertinet ad virtutem humilitatis. Alia quidem, quæ firmet animum contra desperationem, & impellat ipsum ad prosecutionem magnorum; & hæc est magnanimitas.* Quis jam queat ambigere de necessitate virtutum ad dirigendum, perficiendumque appetitum, ne tentationibus succumbat; sed ut eas fortiter devincat? quod non fit nisi exercendo actus virtutum oppositarum.

Demum confirmatur ex eodem S. Thoma, qui 1. 2. quæst. 59. art. 3. ait: *Hoc autem pertinet ad virtutem, ut appetitus sensitivus rationi conformetur.* Præterea 2. 2. quæst. 146. art. 2. scribit: *Virtus moralis conservat bonum rationis contra impetus passionum: & ideo ubi invenitur specialis ratio, qua passio abstrahit a bono rationis; ibi necesse est esse specialem virtutem.* Rursus ibid. quæst. 180. art. 2. inquit: *Virtutes morales impediunt vehementiam passionum.* Quo ergo jam fronte præcipit Molinosius suis Asceticis, ut maneant in solita sua resignatione sine ullo exercitio virtutum, etiamsi insurgant vehementes, ac furiosæ, ut inquit, tentationes? cum ad perfectionem spectet appetitum sensitivum rationi conformare; quod per illam resignationem fieri non potest.

Ex hactenus dictis constat, non sufficere prætensum amorem ad Deum, quando, urgente V. G. tentatione avaritiæ, obligati ad eleemosynam elargiendam, hujusmodi virtutem non exercemus: quia (ut I. Jo. cap. 3. habetur) *hæc est caritas Dei, ut mandata ejus custodiamus.* Quomodo jam Ascetæ Molinosii servabunt mandata Dei; si urgente gravi ac furiosa, ut ait ille, tentatione, renuent exercere virtutum actus præceptos, & oppositos illi tentationi? Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 35. art. 1. ad 4. ait: *Impugnatio peccati quandoque est vincenda fugiendo; quandoque resistendo. Fugiendo quidem, quando continua cogitatio auget peccati incentivum; sicut est luxuria. Unde dicitur I. ad Corinth.* 6. „ Fugite fornicationem. “ *Resistendo autem, quando cogitatio perseverans tollit incentivum peccati. Et hoc contingit in acedia: quia quanto magis cogitamus de bonis spiritualibus, tanto magis nobis placentia redduntur; ex quo cessat acedia.* Vides ergo, quod, urgentibus diversis tentationibus, diversis virtutum exercitiis ad illas devincendas nos utamur necesse sit: pu-

ta,

ta, ad luxuriam reprimendam, fuga utamur oportet; ad acediam vero repellendam, cogitatione de bonis spiritualibus.

Dices nihilominus in oppositum. Apostolus ad Rom. 13. inquit: *Plenitudo legis est dilectio*. Proinde anima persistens in amore Dei occasione tentationum furiosarum, etiamsi non eliciat actus virtutis contrariæ, satisfaciet præcepto de exercitio cujuscumque virtutis pro illo tempore. Ergo damnandus non est Molinosius, dum adstruit, animæ internæ jugem illam resignationem, & amorem Dei convenire quavis in occasione, etiam urgente furiosa tentatione, separatam, & disjunctam ab omni exercitio actus virtutis oppositæ.

Respondemus ex doctrina S. Thomæ, quam ex 1. 2. quæst. 23. art. 4. & art. 8. ad 1. dabimus infra, quod dilectio vocatur plenitudo legis, non quia per illam solam lex impleatur, nullusque aliarum virtutum actus exercere debeamus: sed quia dilectio causa est, quod cæteræ virtutes sint Deo gratæ, ac meritoriæ; quodque ipsa dilectio moveat voluntatem nostram ad exercendas cæteras virtutes, quando ad hujusmodi exercitium obligamur. *Nam qui Deum diligit, mandata ejus servat* (ut habetur Jo. 14.) & studium adhibet, ne Deo in aliorum præceptorum transgressione displiceat.

Verum qua ratione Molinosius (ut pro coronide hujus confutationis, propriis doctrinis invicem adversantibus eum redarguamus) qua, inquam, fronte suadere potest Propositione XLVII. immo jubere ut, insurgentibus tentationibus, anima interna sinat propriis manibus fieri pollutiones, tactusque obscenos; & modo dissuadet, immo prohibet fieri, insurgentibus tentationibus, actus virtutum: V. G. detestationis hujusmodi fœditatum, quas Deus ipse detestatur? Si enim vult, ut in tali casu permaneat anima in amore divino; certe in hoc manere nequit, nisi odio habeat, & detestetur hujusmodi fœditates. Nam verus amor Dei est diligere illum, & ea quæ ipse diligit, necnon detestari quæ ipse detestatur. Unde Salvator commendat, laudatque Episcopum Ephesinum Apocalyp. cap. 2. vers. 6. quod oderit mala facta Nicolaitarum: *Quæ & ego*, inquit Christus, *odi*. Cum ergo Christus oderit cupiditates obscenas, easque tot præceptis vetet; necesse est, ut eas anima quoque interna odio habeat, quando cor suum pulsant, & aditum tentant: alioquin non manebit in sincero Domini amore.

En ad sensum quodammodo demonstratas Molinosii inconsequentias, pugnantesque inter sese nequissimas doctrinas. Sed antequam huic confutationi metam statuamus, audiat Apostolum in eadem Epistola ad Romanos (ex qua productam vidimus instantiam supra propositam) cap. 8. v. 13. ita disserentem. *Fratres, debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis*. Mortuum ergo judicemus oportet Molinosium cum suis Asceticis, dum non solum facta carnis non mortificant, sed patentissimam sternunt januam vitiis omnibus, ac fœditatibus, per inauditam illam ac perniciosissimam resignationem passivam omni in eventu, etiam ingruentibus furiosis tentationibus, observandam, figendamque in corde indelebiliter a quoquam illorum.

§. XXXVII.

XXXVIII. *Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittendum.*

Doctrina in superiori Propositione tradita, de non resistendo vehementibus tentationibus per actus explicitos virtutum oppositarum, non compatitur cum studio mortificationis, quod regulariter ad contemplationem obtinendam adhibendum, juxta Theologiæ Mysticæ principia, commendant Patres, & Doctores. Idcirco Molinosius, novo per delirium excogitato contemplationis genere, in remotione cujuscumque actus virtutis per annihilationem potentiarum in esse operativo; crucem mortificationum voluntariam, tamquam pondus grave, & infructuosum exhibet, proindeque dimittendum. In quo sane non recedit a Beguardis, qui, ut in habetur in Clementina sæpe laudata *Ad Nostram* de Hæreticis num. 2. asseruerunt: *Jejunare non oportet hominem, postquam gradum perfectionis ejusmodi fuerit assecutus: quia tunc sensualitas est ita perfecte spiritui & rationi subjecta, quod homo potest libere corpori concedere, quidquid placet*. Premit insuper Illuminatorum vestigia, qui inter alias Propositiones (relatas a Cardinali Brancato Opusc. 2. cap. 4.) docuerunt Prop. 9. *Quod oratio mentalis, & abstinentia nequeunt diu simul consistere; neque miraculose: ideo lautis cibis utendum esset, ut quis ad orationem aptior esset*.

Propositio, ut jacet, est *scandalosa, temeraria, perniciosa Christianæ Disciplinæ, & damnata in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 8. & 9. & sess. 6. can. 24.*

Impugnantur I. Matth. 16. vers. 24. ubi Christus Dominus ita instruit fideles ad sui sequelam: *Si quis*, ait, *vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me*. Ad quæ verba S. Augustinus Epist. 243. ad Lætum alias 38. inquit: *Crucem nostram, quam Dominus portari a nobis jubet, ut eum expeditissimi sequamur, quid aliud quam mortificationem carnis hujus significat? Ipsa enim nos cruciat, donec absorbeatur mors in victoriam. Crux ergo hæc ipsa crucifigenda est, & transfigenda est clavis timoris Dei, ne solutis & liberis membris reluctantem portare non possis. Sequi enim Dominum, nisi eam portans, omnino non vales. Nam quomodo eam sequeris, si non es ejus?* „Qui autem Christi sunt (*ait Apostolus*) carnem suam crucifixerunt cum passionibus, & „desideriis." Rursus idem S. Doctor Serm. 330. de Sanctis alias 29. ita scribit: *Quid est, rogo vos:* „Si quis „vult post me venire, neget semetipsum, & tollat cru„cem suam, & sequatur me?" *Intelligimus quid est:* „Tollat crucem suam." *Sustineat tribulationem suam: tollat enim est ferat, sufferat. Patienter inquit, accipiat omnia quæ patitur propter me.* „Et sequatur me." Jamvero, si crux voluntaria mortificationum pondus grave foret, atque infructuosum, ut mentitur Molinosius; immerito Christus ad illam nos hortaretur: cum nefas sit dicere, vel etiam imaginari, fontem veri luminis, veræque perfectionis Christianæ nobis posse quidquam infructuosum suadere, & consulere.

Confirmatur ex eo, quod loco supra citato apud Matth. subdit Christus: *Qui perdiderit animam suam propter me*, abnegando, & mortificando seipsum, *inveniet eam*. Ergo abnegatio, & mortificatio sui ipsius causat animæ salutem: proinde non erit pondus infructuosum, nec dimittendum; ut temere suis Asceticis suadet Molinosius.

Impugnatur II. dicta Propositio. Christus Dominus mentiri non potest; cum ipse sit sapientia Patris. Atqui Christus Dominus testatur, quod crux voluntaria mortificationum sit pondus suave, ac leve. Ergo crux voluntaria mortificationum non est pondus grave, adeoque dimittenda. Major est de fide. Minor est evidenter nota ex eo quod asserit Christus Matth. 11. vers. 3. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*. Consequentia est legitima. Confirmatur ex eo quod scribit S. Augustinus Serm. 70. de Script. Vet. & Nov. Test. cap. 10. *Sub illo jugo leni, & sarcina levi audiamus Apostolum dicere:* „In o„mnibus commendantes nosmetipsos, tamquam Dei mi„nistros, in multa patientia, in tribulationibus, in ne„cessitatibus, in angustiis, in plagis:" & ibid. cap. 2. inquit. *Omnia ergo illa, quæ commemoravit aspera, & gravia, frequentius, & abundantius sustinebat: sed profecto aderat ei Spiritus Sanctus, qui in exterioris hominis corruptione interiorem renovaret de die in diem, & gustata requie spiritali in affluentia deliciarum Dei, in spe beatitudinis futuræ omnia præsentia deliniret aspera, & omnia gravia relevaret. Ecce quam suave jugum Christi portabat, & quam levem sarcinam: ut omnia illa, quæ superius enumerata dura & immania omnis auditor horrescit, levem tribulationem diceret; intuens interioribus, & fidelibus oculis, quanta pretio temporalium emenda sit futura vita, non pati æternos labores impiorum, & sine ullu sollicitudine perfrui æterna felicitate justorum*. Et cap. 3. subdit: *Quam facile toleratur qualibet adversitas temporalis, ut æterna pœna vitetur, & æterna requies comparetur? Non immerito ille vas electionis cum ingenti lætitia dixit ad Rom. 8.* „Non sunt condignæ passiones hujus temporis „ad superventuram gloriam, quæ revelabitur in nobis." *Ecce unde illud jugum suave est, & sarcina levis. Et si angusta est paucis eligentibus, facilis tamen omnibus diligentibus. Dicit Psalmista Psal. 16.* „Propter verba la„biorum tuorum ego custodivi vias duras." *Sed quæ dura sunt laborantibus, eadem ipsa mitescunt amantibus*. Ergo, juxta phrasim Augustini, crux voluntaria mortificationum non est pondus grave, sed sarcina suavis, ac levis, scilicet amantibus. Proinde si Molinosio, ejusque sectatoribus videtur gravis, quid sentiendum erit de amore eorumdem erga Deum? Judicet lector.

Impugnatur III. Nam Apostolus de seipso scribit I. ad Corinth. 9. vers. 27. *Castigo corpus meum, & in servitutem redigo; ne, cum aliis prædicavero, ipse reprobus efficiar:* & II. ad Corinth. 4. vers. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes:* item monet Colossenses 3. *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*. Atqui si crux voluntaria mortificationum esset pondus infructuosum; nec Apostolus in seipso illam suscepisset, nec aliis fidelibus amplectendam indixisset. Ergo crux voluntaria mortificationum non est pondus infructuosum, nec proinde dimittendum.

Confirmatur. Quamdiu vivimus, concupiscentiam domandam, ac debellandam sustinemus. Unde ait Tridentinum in Decreto de peccato originali: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere*

cere

cere non consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam pugnantibus non valet. Atqui ut ejusmodi concupiscentiam domemus, ac devincamus, necessum est mortificatione, aliisque operibus bonis ac pœnalibus. Unde idem Concilium sess. 6. cap. 13. de justificat. ait: *Qui se existimant stare, videant, ne cadant; & cum timore, ac tremore salutem suam operentur, in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, & oblationibus, in jejuniis, & castitate. Formidare enim debent, scientes quod in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt, de pugna quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia Apostolo obtemperent dicenti:* „ Debitores sumus non carni, ut secundum carnem „ vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. “ Apposite ad hæc scribit S. Bernardus Serm. in die Sancto Paschæ, de septem signaculis, in hæc verba: *Nos, quicumque sequimur caput nostrum, tota die hac, qua psalmati, & redempti sumus, non cessemus agere pœnitentiam, non cessemus tollere crucem nostram, perseverantes in ea, sicut ipse* (Christus Dominus) *perseveravit, donec dicat Spiritus, ut requiescamus a laboribus nostris. Neminem audiamus, fratres, non carnem & sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum a cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce: deponamur aliorum manibus, non nostra levitate. Caput nostrum deposuerunt viri justi: nos ergo dignatione sua Angeli sancti deponant, ut consummata viriliter die crucis, secunda quæ post mortem est, quiescamus suaviter, dormiamus feliciter in sepulchris, expectantes beatam spem, & adventum gloriæ magni Dei, qui resuscitabit corpora nostra tertia demum die, configurata corpori claritatis suæ.* Ex quibus apparet, crucem voluntariam mortificationis ferendam esse per totum vitæ nostræ spatium, donec fructum ejus consequamur; salutem scilicet animarum, gloriosamque corporum nostrorum resurrectionem: nec audiendum esse spiritum quemlibet, descensum a cruce suadentem; proinde nec Molinosium seductorem, quem asserere non puduit, crucem voluntariam mortificationis esse pondus infructuosum, ideoque dimittendum. Rursus idem S. Bernardus Serm. 3. de jejunio Quadrages. ita ad rem nostram mirifice scribit. *Jejunemus, carissimi, & devote jejunemus sancto hoc Quadragesimæ tempore: ita sane, ut noverimus, Quadragesimam nostram non solos quadraginta dies habere. Continuanda enim nobis est quadragesima cunctis diebus miseræ hujus vitæ, dum per auxilium gratiæ* (*quæ in quatuor Evangeliis commendatur*) *necesse est nos decalogum legis implere. Errant plane, qui paucissimos dies istos ad pœnitentiam sufficere credunt; cum certum sit, totum vitæ hujus tempus nonnisi ad pœnitentiam institutum. Quod si gula sola peccavit, sola quoque jejunet, & sufficit. Si vero peccaverunt & membra cætera, cur non jejunent & ipsa? Jejunet ergo oculus, qui deprædatus est animam; jejunet auris, jejunet lingua, jejunet manus, jejunet etiam anima ipsa. Jejunet oculus a curiosis aspectibus & omni petulantia, ut bene humiliatus coerceatur in pœnitentia, qui male liber vagabatur in culpa. Jejunet auris nequiter pruriens a fabulis, & rumoribus, & quæcumque otiosa sunt, & ad salutem minime pertinentia. Jejunet lingua a detractione, & murmuratione, ab inutilibus, vanis, atque scurrilibus verbis: interdum quoque ob gravitatem silentii, & ab ipsis quæ videri poterant necessaria. Jejunet manus ab otiosis signis, & ab operibus omnibus, quæcumque non sunt imperata; sed & multo magis anima ipsa jejunet a vitiis, & propria voluntate sua.* Exeat modo nequam seductor Molinosius, doceat Asceras suos, si poterit, quod crux voluntaria mortificationum pondus grave sit & infructuosum, ideoque dimittenda; cum Sancti, & quidem illuminatissimi, proindeque per viam internam incedentes, nos adeo nervose ad illam amplectendam cohortentur. Præterea S. Thomas 2. 2. quæst. 189. art. 1. in corp. ait: *Per jejunium, & vigilias, & obedientiam, & alia hujusmodi retrahitur homo a peccatis gulæ, & luxuriæ, & a quibuscumque aliis peccatis:* & ibid. quæst. 147. art. 1. disserens de jejunio pariter, ita ad rem nostram præclare scribit: *Ex hoc aliquis actus est virtuosus, quod per rationem ordinatur ad aliquod bonum honestum: hoc autem convenit jejunio. Assumitur enim jejunium principaliter ad tria. Primo quidem ad concupiscentias carnis reprimendas. Unde Apostolus dicit II. ad Corinth. 6.* „ In jejuniis, in castitate: “ *quia per jejunia castitas conservatur. Ut enim Hieronymus dicit, sine Cerere & Baccho friget Venus: idest, per abstinentiam cibi & potus tepescit luxuria. Secundo assumitur ad hoc, quod mens liberius elevetur ad sublimia contemplanda. Unde dicitur Daniel. 10. quod post jejunium trium hebdomadarum, revelationem accepit a Deo. Tertio ad satisfaciendum pro peccatis. Unde dicitur Joel. 2.* „ Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu. “ *Et hoc est, quod Augustinus dicit in quodam Sermone de oratione, & jejunio:* „ Jejunium „ purgat animam, mentem sublevat, propriam carnem „ spiritui subjicit, cor facit contritum & humiliatum, „ concupiscentiæ nebulas dispergit, libidinum ardores ex„ tinguit; castitatis vero lumen accendit. „ *Unde patet, quod jejunium est actus virtutis.* Idem dicas de alia quavis corporali mortificatione. Quare si hæc tot bona hominibus præstat, quomodo Molinosius illam pondus grave, atque infructuosum animæ internæ audet declamare? Audiamus modo S. Theresiam Magistram orationis in Via perfect. cap. 4. ita ad institutum nostrum docentem: *Dice la nostra Regola primitiva, che oriamo incessantemente: facendosi questo da noi con ogni nostra diligenza possibile, ch' è il più importante, non si lascieranno di adempiere i digiuni, le discipline, ed il silenzio, che comanda l'Ordine. Perocchè ben sapete, che per far buona, e vera orazione, dobbiamo ajutarci con questo, atteso che accarezzamento del corpo ed orazione non si compatiscono insieme.* Præclara sententia S. Doctricis! Nota verba. *Oratio*, inquit, *& corporis deliciæ non colligantur.* Quomodo ergo animæ internæ contemplativæ pondus asseritur grave, ac infructuosum, voluntaria carnis mortificatio; cum e converso deliciæ longe gravius, immo & perniciosissimum pondus spiritui ingerant? Consone ad mentem sacræ Parentis scripsit S. Joannes a Cruce in suis sententiis spiritualibus, quas habes in fine Operum ejus, ubi sententia 5. ita ad rem nostram præclare monet: *Nell' interiore, e nell' esteriore vivi sempre crocifissa con Cristo; e conseguirai pace, e soddisfazione dell' anima: e per mezzo della pazienza giugnerai a possederla:* & Sent. 339. *Considera, ch' è grandemente necessario il contrariare te stesso, e camminare per la strada della penitenza, se pretendi giugnere alla perfezione:* item Sent. 340. *Se alcuno t' insinuerà dottrina larga, tuttochè la confermasse con prodigj, non gli credere: ben se ti predicherà la penitenza, ed il distacco da tutte le cose.* Accedit Ven. P. Balthasar Alvarez Soc. Jesu, vir excelsa contemplatione præditus, atque a nobis in hoc Opere sæpe laudatus, qui contra Illuminatos (ut habes in Vita ejusdem cap. 33. §. 3.) ita ad institutum nostrum disserit: *Terzo, che pel medesimo effetto, che si pretende per mezzo della mortificazione, oltre il vincersi interiormente, ch' è la precipua parte di questo affare, ajuta grandemente pure ancora il gastigo del corpo, e l' affliggerlo con istraordinarie penitenze; quali sono digiuni, vigilie, discipline, cilicj, aspro vestire, usar duro letto, non usar panni lini, ed altre simiglianti cose, le quali, come dicemmo, conferiscono assai a soggettare il corpo allo spirito, ed a soddisfare a Dio per le proprie, ed altrui colpe . . . . Finalmente dee proporsi, che l' opere esterne della penitenza sieno non solamente utili, ma ad ora ad ora obbligatorie; e perciò come tali doversi caldamente raccomandare.* Quomodo ergo verum erit, quod in perniciem animarum subdole mentitur Molinosius, dum ab anima interna, Deoque resignata, crucem voluntariam mortificationis dimittendam esse docet, tamquam infructuosum pondus, internæque quietis impeditivum? Non credamus itaque Molinosio; etiamsi miraculis ejus doctrinam agnosceremus confirmari: nam talia miracula non essent utique vera, sed apparentia ad deceptionem, & efficta a Diabolo; uti Simonis Magi ascensus in cælum.

Objicies contra dicta illud Christi Domini Lucæ 5. vers. 34. ubi ait: *Numquid potestis filios sponsi, dum cum illis est sponsus, facere jejunare? Venient autem dies: cum ablatus fuerit ab illis sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.* Ex quibus verbis videtur inferendum, quod animæ contemplativæ, dum a Deo Sponso divinis charismatibus cumulantur, non debeant crucem voluntariam mortificationis amplecti, quodque pro illis pondus sit grave, & infructuosum, ideoque dimittendum.

Hunc reatum sibi objecerat S. Thomas 2. 2. quæst. 147. art. 4. & ibid. ad 5. ita respondet: *Dicendum*, inquit, *quod illud verbum Domini tripliciter potest exponi. Uno modo secundum Chrysostomum, qui dicit, quod discipuli, qui filii sponsi dicuntur, adhuc imbecillius dispositi erant: unde vestimento veteri comparantur; & ideo in præsentia corporali Christi erant magis fovendi in quadam dulcedine, quam in austeritate jejunii exercendi. Et secundum hoc magis convenit, ut cum imperfectis, & novitiis in jejuniis dispensetur, quam cum antiquioribus, & perfectis; ut patet in Glossa super illud Psal. 130.* „ Sicut „ ablactatus est super matre sua. “ *Alio modo potest dici secundum Hieronymum, quod Dominus ibi loquitur de jejunio veterum observantiarum. Unde per hoc significat Dominus, quod Apostoli non erant in veteribus observantiis detinendi, quos oportebat gratiæ novitate perfundi. Tertio modo secundum Augustinum, qui distinguit duplex jejunium. Quorum unum pertinet ad humilitatem tribulationis; & hoc modo non competit viris perfectis, qui dicuntur filii sponsi: unde ubi Lucas dicit:* „ Non possunt „ filii sponsi jejunare: “ *dicit Marcus:* „ Non possunt „ filii sponsi lugere. “ *Aliud autem est, quod pertinet ad gau-*

gaudium mentis in spiritualia suspensæ; & tale jejunium convenit perfectis. Hactenus Angelicus, ex cujus verbis constat, allatum in objectione Sacræ Scripturæ textum haudquaquam favere Molinosio, sed in sinistrum ab eo sensum detorqueri. Adstruit enim Christus Dominus eo loci, ut ex Chrysostomo observat S. Thomas, perfectis convenientius imponi jejunium, aliasque corporis austeritates, quam tironibus, & incipientibus per viam internam incedentibus. Perfecti autem sunt, qui contemplationis donum jam sunt consecuti, quibus Molinosius illam doctrinam proponit, eisque crucem voluntariam mortificationis veluti pondus grave, & infructuosum, adeoque dimittendum, perperam suggerit, ac declamat.

§. XXXVIII.

XXXIX. *Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.*

Optime animadvertit Molinosius præjactam doctrinam contra voluntariam crucem mortificationis, exemplis Sanctorum adversari. Hæc vero ut rejiciat, asserit in hac Propositione, sanctiora opera, & pœnitentialia a Sanctis præstita, non sufficere ad removendam ab anima unicam adhæsionem.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, perniciosa, Christianæ disciplinæ relaxativa, & injuriosa viris Sanctis.*

Falsitas hujus Propositionis aperitur ex eo, quod radices, unde prodeunt malæ adhæsiones in nobis, & affectiones inordinatæ, sunt tres: scilicet concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ; ut habetur I. Jo. 2. vers. 15. *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt. Quoniam omne quod est in mundo, est concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Istæ autem malæ affectiones ex memoratis radicibus progenitæ, per sanctiora, & pœnitentialia opera evelluntur, vel saltem mortificantur; ut docet Catechismus Romanus part. 2. cap. 5. de Sacramento Pœnitentiæ num. 74. in hæc verba: *Nihil aptius, & convenientius ad extirpandas omnium peccatorum radices esse potest oratione, jejunio, & eleemosyna. Nam cum omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis sit, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ; nemo non videt hisce tribus morbi causis totidem medicinas, priori scilicet jejunium, alteri eleemosynam, tertiæ orationem rectissime opponi.* Ergo per sanctiora opera, & pœnitentias removentur ab anima omnes affectiones malæ: proinde Molinosius putidissime mentitur, quod per ejusmodi opera nec unica adhæsio ab anima removeri queat.

Confirmatur I. ex S. Bernardo in Octava Paschæ de Fide vincente, & tribus testimoniis Serm. 1. ubi ad rem nostram ita inquit: *Siquidem hoc ipsum beatus iste Joannes indicat, dicens:* „Carissimi, nolite diligere mun„dum, neque ea quæ in mundo sunt. Omne enim „quod in mundo est, concupiscentia carnis est, & con„cupiscentia oculorum, & ambitio sæculi. " *Hæ sunt tres turmæ, quas fecerunt Chaldæi. Sed memini quoque sanctum Jacob fecisse tres turmas, cum timeret a facie Esau, rediens de Mesopotamia. Et vobis ergo adversus triplex genus tentationis triplici opus est munimento: ut carnis quidem concupiscentia ipsius mortificatione vincatur; oculorum vero concupiscentiam superet studium compunctionis, & assiduitas lacrymarum; porro ambitionis vanitatem virtus caritatis excludat, quæ sola castificat animam, sola purgat intentionem. Certum quippe triumphati mundi testimonium est, si corpus castiges, & subjicias servituti, ne perniciosa libertate serviat voluptati; si fletui præbens oculos magis, quam petulantiæ, vel curiositati; si denique spirituali dilectione flagrans nulli animum dederis voluptati.* Constat ergo ex S. Bernardo, quod affectiones malæ, & adhæsiones, quæ prodeunt vel ex concupiscentia carnis, vel ex concupiscentia oculorum, vel ex ambitione sæculi, refrenentur, moderentur, ac devincantur per sanctiora opera, & pœnitentias corporales. Hinc Apostolus ad Galat. 5. vers. 24. scribit: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitiis, & concupiscentiis suis.* Ergo per mortificationem, & pœnitentias corporales enecantur vitia, & concupiscentiæ; adhæsiones scilicet, & malæ affectiones. Unde S. Augustinus lib. 21. contra Faustum cap. 5. inquit: *Quod rationalis anima castigat corpus suum, & servituti subjicit, ne immoderato appetitu terrenorum impediatur a perceptione sapientiæ; etiam sic atque diligit carnem suam, quam sibi ad obediendum legitime subdit, & ordinat.* Et Joannes Cassianus lib. 5. de spiritu gastrimargiæ cap. 21. pag. 115. *Intestinum,* inquit, *in nobis quotidie gerimus bellum. Devicto eo, omnia quæ forinsecus sunt, redduntur infirma; ac militi Christi universa pacata erunt, & subdita. Non habemus adversarium nobis extrinsecus metuendum, si ea quæ intra nos sunt, spiritui devicta subdantur.* Ergo ex Augustino & Cassiano corporis castigatio deservit ad debellandos immoderatos appetitus: proinde turpiter alucinatur Molinosius, dum operibus sanctioribus adeo exilem vim concedit, ut per illa nec unicam ab anima pravam affectionem removeri posse impie propugnet. Consonat S. Thomas 2. 2. quæst. 189. art. 1. in corp. dicens: *Impedimenta caritatis sunt quæ implicant affectum hominis ad terrena. Per hoc autem, quod affectus hominis implicatur ad terrena, non solum impeditur perfectio caritatis; sed interdum etiam ipsa caritas perditur, dum per inordinatam conversionem ad bona temporalia homo avertitur ab incommutabili bono, mortaliter peccando. Unde Religionis observantiæ sicut tollunt impedimenta perfectæ caritatis; ita tollunt occasiones peccandi: sicut patet, quod per jejunium, & vigilias, & obedientiam, & alia retrahitur homo a peccatis gulæ, & luxuriæ, & a quibuscumque aliis peccatis.* Ergo ex D. Thoma per observantias Religionis, & alia opera sanctiora, quæ fiunt in Religione, atque per mortificationes, tolluntur impedimenta caritatis, quæ implicant affectum hominis ad terrena, ac per consequens removentur ab anima ipsæmet affectiones deordinatæ.

Confirmatur II. Illos dumtaxat tamquam sanctos Confessores probat, & veneratur, & super candelabrum ad aliorum exemplum constituit Ecclesia, quos sanctioribus, ac pœnitentialibus operibus pro cohibendis inordinatis affectionibus comperit studuisse. Quapropter nullas legimus in Ecclesia historias, aut Summorum Pontificum Bullas, pro sanctorum Confessorum aut Virginum Canonizatione latas, in quibus carnem & sensus macerandi studium, ut par est, non commendetur. Quod certe minime foret, nisi eorum sanctiora opera, & pœnitentialia ad cohibendos motus concupiscentiæ proficerent, quæ, ut loquitur Tridentinum in Decreto de Peccato Originali, ad agonem post baptisma relicta est. Plurimum ergo decipitur Molinosius, summaque injuria afficit Sanctos omnes, dum opera eorum sanctiora, ac pœnitentias adeo traducit, ut nullam eis inesse vim ad frenandos deordinatos motus adstruat.

§. XXXIX.

XL. *Beata Virgo nullum umquam bonum exterius fecit, & fuit sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.*

Attende hic novum Auctoris molimen, & argumentum ex sequenti discursu, ut animas incedentes per viam internam tam a virtutum & pœnitentiæ actibus avocet, quam ab aliis sanctis operibus exterioribus. Ducto siquidem exemplo ab ipsamet Beatissima Vergine, quam dicit numquam operibus exterioribus vacasse, etiamsi excellentiori sanctitatis gradu supra cæteras puras creaturas eminuerit; infert, ad sanctitatem, sive perfectionem sine operibus exterioribus posse perveniri.

Propositio, ut jacet, & etiam ut exposita, est *stulta, scandalosa, & injuriosa ipsi Beatissimæ Virgini.*

Ostenditur falsitas primæ partis hujus Propositionis ex eo, quia in Scriptura Sacra quamplures actus exteriores boni, ac virtuosi de Beata Maria enunciantur. Et I. quidem cum audivisset cognatam suam Elisabeth concepisse, *abiit in montana cum festinatione in Civitatem Juda, & intravit in domum Zachariæ, & salutavit Elisabeth. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus:* ut habetur Lucæ 1. Ad quæ verba S. Ambrosius lib. 2. in Lucam num 29. ait: *Bene inducitur Sancta Maria & exhibuisse officium, & mysticum numerum custodisse. Non enim sola familiaritas fuit causa, quod mansit; sed etiam tanti Vatis profectus. Nam si primo ingressu tantus profectus extitit, ut ad salutationem Mariæ exultaret infans in utero, repleretur Spiritu Sancto mater infantis: quantum putamus usu tanti temporis Sanctæ Mariæ addidisse præsentiam.* II. Habetur Lucæ 2. vers. 7. quod Beata Maria, *cum peperisset filium suum primogenitum, pannis eum involvit, & reclinavit in præsepio.* III. Ibid. vers. 22. *Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, tulit Jesum in Jerusalem, ut sisteret eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* IV. Habetur ibid. vers. 42. quod Beata Maria *ascendebat Jerosolymam secundum consuetudinem diei festi.* V. quod Beata Maria cum puero Jesu fugerit in Ægyptum, ut servaret illum de manu Herodis Matth. 2. vers. 14. VI. Quod deficiente vino in nuptiis Canæ Galilææ, oraverit filium suum, ut provideret de vino. Jo. 2. vers. 3. VII. Quod Beata Maria crucifixo filio suo, steterit juxta crucem. Jo. 19. vers. 5. VIII. Quod post resurrectionem filii sui perseveraverit in oratione simul cum Apostolis, aliisque piis feminis in Cœnaculo. Actor. 1. vers. 14. Atqui omnes recensiti actus virtutis fuerunt actus externi Beatæ Mariæ Virginis. Ergo impudentissime mentitur Molinosius,

seque delirare prodit, cum ait, Beatam Mariam Virginem nullum umquam opus exterius fecisse.

Confirmatur I. ex eo quod ait S. Thomas Part. 3. quæst. 28. art. 4. in corp. *Beata Virgo Maria, accepto sponso, secundum quod mores illius temporis exigebant, simul cum eo votum virginitatis emisit*. Atqui hoc fuit opus bonum exteriori actu completum. Ergo falsum est, quod Beata Virgo Maria nullum umquam opus exterius fecerit.

Confirmatur II. ex S. Ambrosio, qui lib. 2. de Virginibus hæc præclare scribit de Beata Virgine: *Talis fuit Maria, ut ejus unius vita omnium sit disciplina. Si igitur auctor non displicet, opus probemus, ut quicumque sibi ejus exoptat præmium, imitetur exemplum. Quantæ in una Virgine species virtutum emicant. Secretum verecundiæ, vexillum fidei, devotionis obsequium: Virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum . . . Quid ergo exsequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam: alterum ultra naturam superfuisse; alteram pene ipsa natura defuisse: illic nulla intermissa tempora; hic congeminatos jejunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obvius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit; & tamen, cum quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda prænunciat . . . Et de cæteris ejus virtutibus quid loquar? Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quæ nullo doli ambitu sincerum adulteraret affectum: corde humilis, verbis gravis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto divitiarum, sed in prece pauperis spem reponens: intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere: nullum lædere, bene velle omnibus, assurgere majoribus natu, æqualibus non invidere, fugere jactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu læsit parentes? quando dissensit a propinquis? quando fastidivit humilem? quando derisit debilem? quando vitavit inopem; eos solum solita cœtus virorum invisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia? Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum: non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior; ut ipsa corporis species simulacrum fuerit mentis, figura probitatis.*

Confirmatur III. ex S. Thoma, qui 3. sentent. dist. 35. quæst. 1. art. 3. probat utriusque vitæ, contemplativæ & activæ, in viatoribus compossibilitatem hoc argumento. *Beata Virgo, inquit, fuit in utraque vita: & ideo, secundum Anselmum, in Assumptione ejus legitur Evangelium de Martha & Maria, quæ significant vitam activam, & contemplativam. Sed Beata Virgo fuit tantum viatrix. Ergo in aliquo viatore potest esse simul activa & contemplativa.* Ex quo habes per venerandam Ecclesiæ ordinationem in ejusdem Beatissimæ Virginis Assumptionis festo fieri in Evangelio mentionem vitæ activæ figuratæ in Martha, satagente circa frequens ministerium, & vitæ contemplativæ, repræsentatæ per Mariam sedentem secus pedes Domini, & audientem verbum illius: ut detur intelligi, Beatissimam Virginem præclaris utriusque vitæ meritis manu collectis regna cœlestia conscendisse. Rursus non minori pollet efficacitate murmur operum exteriorum ad impediendam contemplationem; quam ipsamet contemplatio, dum valde sublimis est, ad usum sensuum impediendum, seu vires sensitivas, causando extasim, vel raptum. Sed Beatissima Virgo sublimissimam habuit contemplationem sine impedimento virium sensitivarum; ut dictum est supra Diss. IX. §. 3. Ergo fuit addicta vitæ activæ sine contemplativæ impedimento.

Quoad secundam vero Propositionis partem, in qua adstruitur, quod ad sanctitatem perveniri possit absque opere exteriori; falsitas eruitur ex eo quod docet S. Thomas 1. 2. quæst. 108. art. 1. ubi probat, quod lex nova aliquos exteriores actus præcipere debeat. Unde ait: *Sed contra est, quod per legem novam efficiuntur homines filii lucis. Unde dicitur Jo. 12.* „Credite in lu- „cem ut filii lucis sitis.“ *Sed filios lucis decet opera lucis facere, & opera tenebrarum abjicere, secundum illud Ephes. 5.* „Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux „in Domino. Ut filii lucis ambulate.“ *Ergo lex nova quædam exteriora opera debuit prohibere, & quædam præcipere.* Si ergo lex nova debet præcipere, & de facto præcipit quædam exteriora opera; ergo saltem regulariter, & in via ordinaria nemo poterit pervenire ad sanctitatem sine hujusmodi operibus exterioribus. Nam ex Epist. Jacobi 2. *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno; factus est omnium reus.* Rursus in corp. art. explicans, quæ sint opera exteriora præcepta in lege nova, inquit: *Dicendum, quod sicut supra dictum est principalitas legis novæ est gratia Spiritus Sancti, quæ manifestatur in fide, per dilectionem operante. Hanc autem gratiam consequuntur homines per Dei filium hominem factum, cujus humanitatem primo replevit gratia, & exinde est ad nos derivata. Unde dicitur Jo. 1.* „Verbum caro factum est:“ *& postea subditur:* „Ple- „num gratiæ, & veritatis:“ *& infra:* „De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.“ *Unde subditur, quod gratia, & veritas per Jesum Christum facta est. Et ideo convenit, ut per aliqua exteriora sensibilia, gratia a Verbo incarnato profluens in nos deducatur; & ex gratia interiori, per quam caro spiritui subditur, exteriora quædam opera sensibilia producantur. Sic igitur exteriora opera dupliciter ad gratiam pertinere possunt. Uno modo sicut inducentia aliqualiter ad gratiam; & talia sunt opera Sacramentorum, quæ in nova lege sunt instituta, sicut Baptismus, & Eucharistia, & alia hujusmodi. Alia vero sunt opera exteriora, quæ ex instinctu gratiæ producuntur: & in his est quædam differentia attendenda. Quædam enim habent necessariam convenientiam, vel contrarietatem ad interiorem gratiam, quæ in fide per dilectionem operante consistit: & hujusmodi exteriora opera sunt prohibita, vel præcepta in lege nova; sicut præcepta est confessio fidei, & prohibita negatio. Dicitur enim Matth. 10.* „Qui confitebitur me coram hominibus, „confitebor & ego eum coram Patre meo. Qui autem „negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum „coram Patre meo.“ *Alia vero sunt opera, quæ non habent necessariam convenientiam, vel contrarietatem ad fidem per dilectionem operantem: & talia opera non sunt in lege nova præcepta, vel prohibita ex ipsa prima legis institutione; sed relicta sunt a legislatore, scilicet Christo, unicuique, secundum quod aliquis alicujus curam gerere debet. Et sic unicuique liberum est circa talia determinare, quid sibi expediat facere, vel vitare; & cuicumque præsidenti circa talia ordinare suis subditis, quid sit in talibus faciendum, vel vitandum. Unde etiam quantum ad hoc dicitur lex Evangelii, lex libertatis: nam lex vetus multa determinabat, & pauca relinquebat hominum libertati determinanda.* Habes igitur ex S. Thoma, quod in lege nova aliqua exteriora opera præcipiuntur. Sunt autem primo, quæ inducunt ad gratiam acquirendam; puta, susceptio Sacramentorum novæ legis, quæ nonnisi opere externo impleri possunt: secundo vero sunt illa opera externa, quæ ex instinctu gratiæ prodeunt, quæque necessariam convenientiam ad interiorem gratiam, vel ad fidem per caritatem operantem præseferunt; puta, confessio externa fidei, vel alterius virtutis exterioris exercitium, præcepto divino demandatum in aliquibus circumstantiis: vel denique sunt opera illa exteriora, quæ a legitimo superiore, puta Ecclesia, nobis præcipiuntur. Atqui ad sanctitatem perveniri non potest nisi ea, quæ nobis vel a Deo, vel a legitimo superiore præcipiuntur, rite observentur. Ergo ad sanctitatem perveniri non potest sine aliquibus operibus exterioribus.

Confirmatur I. quia certum est, homines etiam perfectos, & justificatos teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ; juxta illud Tridentini sess. 6. de justificat. can. 20. ubi ait: *Si quis hominem justificatum, & quantumlibet perfectum, dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei, & Ecclesiæ, sed tantum ad credendum; quasi vero Evangelium sit nuda, & absoluta promissio vitæ æternæ sine conditione observationis mandatorum: anathema sit.* Atqui quædam mandata tum divina, tum Ecclesiæ adimpleri non possunt, saltem perfecte & totaliter, sine opere exteriori: ut patet in primo Decalogi præcepto, ubi mandatur adoratio Dei, quæ non solum interiori devotione, sed etiam exterioribus quibusdam corporalibus signis exequi debet; puta, genuflexione, prostratione, ut constat ex S. Thoma 2. 2. quæst. 84. art. 2. ad 2. cujus verba supra dedimus. Item in tertio Decalogi præcepto nobis præcipitur cultus Dei non solum internus, sed etiam externus per aliquod sensibile signum; puta, Sacrificium, de quo S. Thomas 2. 2. quæst. 122. art. 4. Præterea in quarto Decalogi præcepto indicitur honoratio parentum, quæ in quibusdam exterioribus actibus, & aliquando in sustentatione eorumdem consistit, juxta illud quod docet S. Thomas quæst. cit. art. 5. ad 3. Sic etiam præcepta quædam Ecclesiæ sine opere exteriori adimpleri non possunt, ut constat in auditione Missæ diebus festivis, in perceptione Eucharistiæ in Paschate, in jejuniis, & abstinentia a carnibus diebus designatis, in solutione decimarum. Ergo ad sanctitatem in lege nova perveniri non potest sine quibusdam operibus exterioribus: proinde Molinosius temere adstruit, quod ad sanctitatem perveniri possit sine opere exteriori.

Confirmatur II. Nos tenemur ex præcepto Christi Domini aliquando Dominicam orationem recitare, ut fuse probat Cardinalis Bellarminus Tom. IV. Controversiar. controvers. 3. lib. 1. cap. 4. §. *Nulla est*, & Cardinalis de Laurea de Orat. Christian. Opusc. 1. cap. 7. & habetur in Missa: *Oremus. Præceptis salutaribus moniti*,

moniti, & divina institutione formati, audemus dicere. Pater noster, qui es in cælis &c. Atqui recitatio Dominicæ orationis fieri non potest, nisi exteriori opere, lingua scilicet & verbis illam promendo. Ergo in lege nova tenemur ad aliquod opus externum efficiendum. Qua ergo fronte asseritur, quod in lege nova sine ullo externo opere ad sanctitatem perveniri possit?

Confirmatur III. ex proscriptione sextæ Propositionis Beguardorum, & Beguinarum, in qua adstruebant, *quod se in actibus virtutum exercere, est hominis imperfecti, & quod perfecta anima a se licentiat virtutes*. Ad quam doctissimus Ludovicus Bayl in annotationibus ad Concilium Viennense errore 6. ad rem nostram ita scribit: *Non desunt tamen hoc tempore, qui hanc doctrinam sequuntur, vel imitantur; asserentes, perfectionem majorem esse in quodam statu passivo quietis, ut vocant, & cessationis actuum spiritualium internorum: qua cessatione verendum est, ne foveant quamdam negligentiam spiritualem sub prætextu contemplationis cujusdam passivæ, quæ privat multis præmiis quæ debentur non minus actibus interioribus cum generoso conatu elicitis, quam operibus externis, a quibus cessare docent Beguardi & Beguinæ, hic condemnati a Concilio. Inde provenit, quod videas quosdam devotos, & devotas, ut cum vulgo loquamur, certe inertes, & variis phantasiæ illusionibus occupatos, qui dicunt, se pati quemdam statum spiritualem nescio quem: quibus optime dici poterit, statum illum negligentiæ interioris ex duplici fonte provenire in ipsis. Primo, quia satis sedulo & attente non laborarunt in acquirendis virtutibus moralibus justitiæ, religionis, obedientiæ, fortitudinis, patientiæ, & aliis. Secundo, quia non fervet in eis caritas, tepidus est, & infrequens actus amoris divinarum Personarum, ad quem actum contra tepiditatem indevotionis animam debere seipsam excitare, docet Avila in Epistolis*. Vide, doctissimum Auctorem in Beguinis confodere impium Molinosium, qui sub prætextu orationis Quietis, & passivæ contemplationis, asserere non dubitavit, ad sanctitatem perveniri posse sine operum exteriorum exercitio.

§. XL.

XLI. *Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram perfectionem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physice earum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos. In quo casu non sunt peccata: quia in his non adest consensus.*

XLII. *Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris & feminæ; & ex parte utriusque sequatur actus. In quo casu non sunt peccata: quia in his non adest consensus.*

PRoh luxuriandi libertas sub speciosæ perfectionis & sanctitatis velamine palliata! Egregie hunc nefariam simulationem observavit S. Hieronymus lib. 6. super Isaiam dicens: *Si castum me esse simulo, & aliud est in conscientia mea; habeo non gloriam mercenarii, sed supplicia peccatoris*: & lib. 2. super Oseam: *Raro Hæreticus diligit castitatem, sed amare se simulat*. Novum & horribile figmentum Molinosius in his duabus Propositionibus prodit, instinctu dæmonis excogitatum, de violentiis a dæmone animabus perfectis ad actus peccaminosos, & præcipue carnales, immissis; quod in præsentiarum aggredimur rejiciendum. Docet itaque primo, quod Deus non solum permittat, sed velit etiam, quod in aliquibus animabus perfectis, ad illas humiliandas, & ad divinam transformationem perducendas, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat etiam completos, & copulam inter marem & feminam, movendo physice earum manus, & alia membra corporis contra earum voluntatem. Secundo docet; hujusmodi prætensas violentias contingere in vigilia, præcisa dæmonis arreptione, & mentis offuscatione. Tertio demum asserit, quod hujusmodi actus carnales, etiam completi, aliique peccaminosi, ex prætensis violentiis sic ab animabus perfectis expleti, non sint peccata: quia in eis, ut ait, non adest consensus. In iis profecto veteres Gnosticos ac Beguardos imitatur, de quibus ita loquitur Taulerus serm. 2. in Domin. I. Quadr. *Se Dei patientes nuncupant, eo quod Dei sustineant, seu patiantur opera, quæ ipse (ut putant miseri) in eis operatur .... Quidquid agunt, nihil se peccare arbitrantur; cum Deus id per eos efficiat, ut ipsi dicunt, & quidquid ipse velit, id per eos fiat, nec prorsus aliud aliquid. Humilitatem quamdam præseferunt in conversatione, & actibus suis: facileque adversa omnia tolerant ea de causa, quod se Dei instrumentum esse arbitrantur. Sunt igitur veris Deo amicis admodum similes in multis. Sed in hoc nimium aberrant, quod omnia ea, ad quæ intus moventur, sive bona sint, sive mala, a Sancto Spiritu procedere, & fieri putant.*

Propositio XLI. ut jacet, est *temeraria, scandalosa, perniciosissima in praxi, totius Christianæ Disciplinæ relaxativa; Religionem Catholicam in summum discrimen adducens, eamque abominabilem, & detestabilem reddens apud omnes infideles; blasphema contra providentiam, & bonitatem, & sanctitatem Dei; erronea, hæresi proxima, & damnanda, & declaranda absolute hæretica.*

Idem dicendum de XLII. cum sit pejor præcedenti.

Impugnatur I. utraque Propositio, & signanter XLI. quoad primam partem ex eo quod habetur in Epist. Jacobi cap. 14. ubi dicitur: *Nemo, cum tentatur, dicat, quoniam a Deo tenteatur. Deus enim intentator malorum est; ipse autem neminem tentat.* Atqui si Deus non solum permitteret, sed etiam vellet, dæmonem inferre violentiam corporibus animarum perfectarum, easque committere faceret actus carnales, aliosque per se peccaminosos; Deus tentaret ad peccatum. Ergo Deus non vult, ad nos humiliandos, & ad veram perfectionem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physice earum manus, alique membra, contra earum voluntatem. Minor est certa: quia qui per alium facit, perinde est ac si faceret per seipsum; & nos velle dicimur non solum quæ per nos operamur, verum etiam quæ aliis facienda mandamus, ut habetur in Regula 72. juris in 6.

Impugnatur II. ex eo, quod scribit Apostolus I. ad Corinth. 10. vers. 13. in hæc verba: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis; sed faciet de tentatione proventum, ut possitis sustinere.* Ad quem locum ita inquit S. Cyprianus: *Faciet cum tentatione facultatem evadendi*: & S. Thomas lect. 3. *Fidelis Deus. Ubi commendat Deum adjutorem, qui dat nobis resistendi potentiam, quod notatur ibi:* „Sed faciet cum tentatione „proventum:“ *perseverantiam, quod notatur ibi:* „Ut „possitis sustinere.“ *Vere fidelis Deus, qui dat potentiam, ne vincamur; gratiam, ut mereamur; constantiam, ut vincamus ... Augustinus in Psal. 61. cir. fin.* „Qui „dat diabolo tentandi licentiam, ipse dat tentatis mise„ricordiam.“

Impugnatur III. quia in Psal. 5. habetur: *Non Deus volens iniquitatem tu es.* Atqui si Deus non solum permitteret, sed etiam vellet hujusmodi violentias ad actus per se peccaminosos causari a dæmone; recte dici posset, quod Deus volens iniquitatem esset. Ergo falsum est, quod Deus velit ad nos humiliandos, hujusmodi violentias ad actus per se peccaminosos.

Impugnatur IV. ex definitione Concilii Tridentini sess. 6. can. 6. ubi dicitur: *Si quis dixerit mala opera, ita ut bona, Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie, & per se; anathema sit.* Atqui si Deus non solum permitteret, sed etiam vellet, dæmonem causare hujusmodi violentias; Deus aliquo modo operaretur illas, & concurreret ad illas non solum permissive, sed etiam proprie, & per se. Ergo nullo modo dicendum est, Deum velle hujusmodi violentias, a dæmone causari. Confirmatur: quia intantum opera bona nostra non solum nobis, sed etiam Deo attribuuntur, juxta illud Arausicani can. 9. *Quoties bona operamur, Deus in nobis, atque nobiscum operatur*: quia Deus hujusmodi opera non solum permittit; sed etiam illa vult, & ad illa nos excitat, & movet per gratiam. Ergo etiam a pari, si Deus non solum permitteret, sed etiam vellet hujusmodi violentias, actusque peccaminosos ex illis prodeuntes, & ad eos ministerio dæmonum nos impelleret: hujusmodi actus peccaminosi non solum nobis proprie attribui deberent; sed esset proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli, quod damnat Tridentinum in laudato canone.

Impugnatur V. ex eo quod docet S. Augustinus lib. 11. de Trinitate cap. 12. dicens: *Modus, quo traditus est homo in Diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam Deus hoc fecerit, aut fieri jusserit; sed quod tantum permiserit.* Et clarius S. Thomas ad rem nostram Part. 1. quæst. 114. art. 1. ad 1. ait: *Mali Angeli impugnant homines dupliciter. Uno modo instigando ad peccatum: & sic non mittuntur a Deo ad impugnandum, sed aliquando permittuntur secundum Dei justa judicia. Aliquando impugnant homines puniendo: & sic mittuntur a Deo.* Et fortius ibid. quæst. 19. art. 12. scribit: *Permissio, & operatio dicuntur Dei voluntas; ut patet per Augustinum, qui in Enchiridion dicit. Nihil fit, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel faciendo. Permissio quidem ad malum; operatio vero ad bonum.* Ergo, licet Deus permittere possit nos tentari a dæmo-

 ne,

ne, & violentiam pati, & ex tentatione actus peccaminosos committere; non tamen velle potest: & contrarium adstruere cum Molinosio, erroneum est atque blasphemum.

Dices. Apostolus ad Romanos scribens cap. 1. v. 24. ait: *Propter quod* (scilicet peccatum) *tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam: ut contumeliis afficiant corpora sua in semetipsis*. Ergo Apostolus tribuit Deo velle, ut peccatores sese immunditiis coinquinent. Ergo poterit velle ad animarum purgationem ita eas tradere in dæmonum manibus, ut actus carnales perficiant, etiam in vigilia.

Respondeo, Deum ita eos, de quibus loquitur S. Paulus loco citato, in turpia desideria tradidisse non proprie ea immittendo, vel impellendo, vel volendo (ut arbitrantur Heretici, qui contra Deum blasphemantes eumdem faciunt auctorem peccati) sed permittendo in pœnam peccatorum, ut concupiscentia, & occasionibus peccandi, fornicationibus, & adulteriis corpora sua dedecorarent, ut locutus fuerat per Psalmistam Psal. 80. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis*: sicut exponit S. Augustinus lib. 5. contra Julian. cap. 3. & de gratia & lib. arbitr. cap. 22. ubi docet, Deum tradere peccatores in prava desideria, quando non solum denegat gratiam; sed etiam quando ponit occasionem & offendicula peccandi (licet alio, & pio fine) in quæ eos per suam malitiam gravius ac turpius prævidet impacturos: non autem prædefinit, impellit, & vult. Tales occasiones, & offendicula sunt opes, honores, & deliciæ, quibus Deus impios cumulat, ut iis bene utantur: scit tamen id eos non esse facturos, sed illis ad perpetranda peccata abusuros. Hinc docent Theologi, peccata sequentia præcedentium esse pœnam, & declarat S. Augustinus loc. cit. *Crimina criminibus*, ait, *vindicantur, & supplicia peccantium non tantum sunt tormenta, sed vitiorum incrementa*.

Instabis. Pluries in Scriptura habetur, Deum homines tentasse. Ita Genese 22. dicitur: *Tentavit Deus Abraham*: & Exodi 16. legitur: *Egredietur populus, ut tentem eum*: demum Deuteron. 8. scribitur de Populo Hebraico: *Adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, ut affligeret te, atque tentaret*. Immo in Scriptura perhibetur, Deum aliquando præcepisse Diabolo, ut tentaret. Hinc III. Reg. 22. ait Dominus Diabolo, qui promiserat se decepturum Achab: *Decipies, & prævalebis: egredere, & fac ita*. Ergo non repugnat, quod Deus vel per seipsum, vel per Diabolum tentet.

Respondeo cum S. Augustino lib. 2. de consensu Evangelistarum cap. 30. duplex esse genus tentationis: unum ad probandum, & alterum ad seducendum. Et de priori scriptum est Gen. 22. *Tentavit Deus Abraham*: de posteriori vero dictum est Jacobi 1. *Deus intentator malorum est; ipse autem neminem tentat*. Proinde S. Thomas Part. 1. quæst. 114. art. 2. in corp. ait: *Dicendum, quod tentare est proprie experimentum sumere de aliquo. Experimentum autem sumitur de aliquo, ut sciatur aliquid circa ipsum: & ideo proximus finis cujuslibet tentantis est scientia. Sed quandoque ulterius ex scientia quæritur aliquis alius finis, vel bonus, vel malus. Bonus quidem, sicut cum aliquis vult scire, qualis aliquis sit vel quantum ad scientiam, vel quantum ad virtutem, ut eum promoveat: malus autem, quando hoc scire vult, ut eum decipiat, vel subvertat. Et per hunc modum potest accipi, quomodo tentare diversis diversimode attribuatur. Diabolus autem semper tentat, ut noceat in peccatum præcipitando: & secundum hoc dicitur proprium officium ejus tentare. Deus autem tentare dicitur, ut sciat, eo modo loquendi, quo dicitur scire, quod facit alios scire. Unde dicitur Deuteron.* 10. „ Tentat vos Dominus Deus vester, ut pa-„ lam fiat, utrum diligatis eum. “ Ex quibus constat, diversimode tentationem attribui Deo, & Diabolo. Proinde licet possit Deus velle tentare, non potest velle quod Diabolus tentet, nisi voluntate permissiva: quia tentatio dæmonis ordinatur ad peccatum, non vero tentatio Dei, juxta doctrinam Angelici. Ad illud autem, quod ex III. Reg. 22. objicitur, respondendum est cum Bellarmino Tom. IV. Controversiar. controvers. 2. lib. 2. cap. 13. quod ipsemet Diabolus obtulit se Deo ad decipiendum Regem; nec tam imperio, quam permissione divina agebat: cum ex se promptissimus ad omne malum, immo & cupidissimus nocendi esset. Proinde non fuit inductus a Deo, ut tentaret, sed permissus tantum.

Urgebis. Saltem Deus potest velle, & permittere, quod Diabolus tentet, & inducat ad peccatum, ad nos humiliandos. Unde scribit S. Thomas 1. 2. quæst. 79. art. 4. *Deus permittit aliquos cadere in peccatum, ut peccatum suum agnoscentes humilientur, & convertantur*, prout videtur adstruere Molinosius in præsenti Propositione, quam impugnamus. Nam Deus in tali casu non vellet malum culpæ, nisi in ordine ad bonum.

Respondeo ex doctrina S. Thomæ, desumpta ex Part. 1. quæst. 114. art. 2. ad 1. quam dabimus in impugnatione Propositionis immediate sequentis, quod, cum tentationi a Diabolo immissæ, & malo culpæ per eam commissæ, competat solum per accidens, & non per se, ut ordinentur ad nos humiliandos: consequitur plane, Deum non posse velle hujusmodi malum, etiam ad nos humiliandos, sed solum quod possit permittere, ut ait Angelicus loco supra in objectione adducto; non vero quod possit Deus velle hujusmodi diabolicas violentias, præcipue ad actus carnales, in vigilia etiam completos, ad nos perducendos ad veram cum Deo transformationem, prout additur in Propositione Molinosii. Si enim volumus loqui, ut debemus; ea transformatio foret diabolica, & citra falsitatis periculum posset dicere Molinosius, Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me spiritus immundus: quia ex Apostolo ad Galat. 5. vers. 22. *Fructus Spiritus est caritas, continentia, & castitas*: & ad Ephes. 5. vers. 3. *Omnis immunditia non nominetur in vobis, sicut decet Sanctos*. Et ideo S. Thomas immunditiarum ejusmodi incompossibilitatem cum divina conjunctione animadvertens, 2. 2. quæst. 81. art. 8. inquit: *Munditia necessaria est ad hoc, quod mens Deo applicetur: quia mens humana inquinatur ex hoc, quod inferioribus rebus conjungitur. Oportet igitur, quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur ad hoc, quod supremæ rei possit conjungi: & ideo mens sine munditia Deo applicari non potest*. Et in Opusc. 18. cap. 9. scribit: *Impeditur animus hominis, ne libere possit Deo vacare non solum ex amore exteriorum, sed multo magis ex interiorum passionum impulsu. Inter omnes autem interiores passiones maxime rationem absorbet concupiscentia carnis, & venereorum*. Consonat Angelico Doctor Seraphicus S. Bonaventura de Perfect. Relig. lib. 2. cap. 75. dicens: *Spiritus Sancti visitatio sicut contra omnia vitia reprimenda, & detestanda infunditur; ita etiam singulariter contra carnales opponitur. Et ubi Spiritus munditiæ suo jubare resplenduerit; continuo omnes pravæ voluptatis motus evanescere, & veluti tenebras supervenienti lumine disparere necesse est*. Ex quibus sic argui potest contra Molinosium. Tantum abest, quod violentiæ ad actus carnales, cum effectu etiam secuto, sint medium proportionatum ad transformationem animæ cum Deo; ut potius abstrahant, & impediant animam ab ejusmodi transformatione. Ergo non potest Deus velle hujusmodi violentias, ad perducendas animas ad veram transformationem. Sed de hoc fusius in confutatione Propositionis XLVI.

Progredimur modo ad confutandam secundam partem dictæ Propositionis, in qua adstruit Molinosius, quod actus carnales, aliique per se peccaminosi, fiant ab animabus perfectis ex violentia dæmonis, præcisa arreptione, & mentis obfuscatione. Pro cujus falsitate aperienda supponendum est I. duobus tantum modis posse dæmonem nobis necessitatem inducere ad committendos actus carnales, aliosque per se peccaminosos: scilicet per arreptionem, de quo in cap. 8. Matth. quæst. 113. agit Abulensis; vel mentis obfuscationem, de quo S. Thomas 1. 2. quæst. 80. art. 3. Per arreptionem quidem, violentiam afferendo nostris corporibus, & membris; per obfuscationem vero mentis, si rationis necessitatem inducat voluntati ad actus suos. Supponendum est II. actus humanos alios esse a voluntate elicitos; puta velle, & desiderare: alios esse a voluntate imperatos; puta motus membrorum, & sensuum interiorum ex motu exteriorum, ex doctrina S. Thomæ 1. 2. quæst. 6. art. 4. Quoad primos homo pati violentiam non potest, sed quoad secundos tantum; ut bene probat ibidem Angelicus. Supponendum est III. duobus tantum modis posse dæmonem violentiam per arreptionem inferre ad actus peccaminosos. Primo quidem, vel per assistentiam extrinsecam, cogendo hominem ad aliquid faciendum quod sit in se peccatum; puta ad se percutiendum, de quo Marc. 5. legitur: sive ad se in ignem, vel aquam præcipitandum, ut ex Marc. cap. 9. colligitur: demum ad offendendum aliquem, ut habetur Actor. 19. Omnia enim hæc posse fieri a dæmone, manente extra corpus, per solam applicationem virtutis motivæ ad impellendum, vel opprimendum, erudite ac fuse docet doctissimus Abulensis in cap. 8. Matth. quæst. 113. Secundo dæmon potest nobis violentiam inferre ad actus per se peccaminosos per intrinsecam assistentiam: scilicet ad ea facienda, quæ per motum organorum interiorum tantum fieri possunt; quæ a dæmone moveri possunt intrinsecus assistendo, ut prosequitur ibidem laudatus Abulensis quæst. 119. Unde scribit in hunc modum: *Et ita potest dæmon cogere hominem ad fornicandum, & ad quæcumque alia, movendo omnia organa corporis ejus. Et potest esse, quod arreptitius videat se male agere, non perturbatus existens; & tamen resistere non possit: quia violenter moventur organa sua*. Nam dæmon, licet in arreptitiis ple-

plerumque perturbet etiam phantasiam, ita ut nesciant quid fecerint, aut dixerint ex violentia dæmonis, quando cessat dæmon torquere eos; attamen aliquando sine hujusmodi mentis obfuscatione, intrinsecus assistendo, potest arreptitios cogere ad actum peccaminosum, ut prosequitur ibidem Abulensis. Idem docet Raphael a Turre in 2. 2. quæst. 9. art. 2. disp. 2. ubi ait: *Contingit sæpe, obsessos compelli ad fornicationem, motis a dæmone organis generationis, ac ipsis obsessis compulsis ad actum fornicationis; ut narratur de quadam Moniali, quæ per multos annos a dæmone incubo nolens patiebatur. Et D. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 24. ait: Dæmones incubos sæpe improba libidine mulieres vexasse.* Quibus consonant Salmanticenses Tom. V. Theologiæ Moralis Tract. 22. de 2. Decalogi præcepto cap. unic. punct. 5. §. 2. num. 48. ubi scribunt: *Demoniaci per violentiam blasphemias proferunt, homines lacerant, & occidunt, aut mutilant (qualiter legitur Actor. 19. de quodam arreptitio) fornicantur, aut occulta crimina revelant; & in his non peccant: quia ipsi non agunt, sed aguntur.* Supponendum est IV. posse Diabolum, præcisa arreptione, ita perturbare phantasiam, ut non possit homo recte judicare; & tali modo potest nobis necessitatem inducere ad faciendum actum, qui sit per se peccatum, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 80. art. 2. in hæc verba: *Tota interior operatio Diaboli esse videtur circa phantasiam, & appetitum sensitivum, quorum utrumque commovendo potest inducere ad peccatum. Potest enim operari ad hoc, quod imaginationi aliquæ formæ imaginariæ præsententur. Potest etiam facere, quod appetitus sensitivus concitetur ad aliquam passionem. Dictum est enim in 1. libro, quod natura corporalis spirituali naturaliter obedit ad motum localem. Unde & Diabolus omnia causare potest, quæ ex motu locali corporum inferiorum provenire possunt, nisi virtute divina reprimatur. Quod autem aliquæ formæ repræsententur imaginationi, sequitur quandoque ad motum localem. Dicit enim Philosophus in libro de somno & vigilia, quod cum animal dormierit, descendente plurimo sanguine ad principium sensitivum, simul descendunt motus, sive impressiones relictæ ex sensibilium motionibus, quæ in sensibilibus speciebus conservantur, & movent principium apprehensivum, ita quod apparent, ac si tunc principium sensitivum a rebus ipsis exterioribus immutaretur. Unde talis motus localis spirituum, vel humorum procurari potest a dæmonibus, sive dormiant, sive vigilent homines: & sic sequitur, quod homo aliqua imaginetur. Similiter etiam appetitus sensitivus concitatur ad aliquas passiones secundum quemdam determinatum motum cordis, & spirituum: unde etiam ad hoc Diabolus potest cooperari. Et ex hoc, quod passiones aliquæ concitantur in appetitu sensitivo, sequitur, quod & motum, sive intentionem sensibilem, prædicto modo reductam ad principium sensitivum, magis homo percipiat: quia, ut ait Philosophus in eodem libro, amantes modica similitudine in apprehensionem rei amatæ moventur. Contingit etiam ex hoc quod passio est concitata, ut id, quod proponitur imaginationi, judicetur prosequendum: quia ei, qui a passione detinetur, videtur esse bonum id, ad quod per passionem inclinatur. Et per hunc modum interius Diabolus inducit ad peccandum.* Et art. sequenti magis proprie ad institutum nostrum scribit: *Diabolus propria virtute, nisi refrenetur a Deo, potest aliquem inducere ex necessitate ad faciendum aliquem actum, qui de suo genere peccatum est. Quod patet ex hoc, quod homo motivo ad peccandum non resistit, nisi per rationem, cujus usum totaliter impedire potest, movendo imaginationem, & appetitum sensitivum.*

Ex quibus omnibus constat, duobus tantum modis posse Diabolum nos cogere ad actum peccaminosum: scilicet vel per arreptionem; vel per mentis totalem obfuscationem. Et ratio est: quia, præcisa mentis obfuscatione, homo a potentiori extrinsecus, vel intrinsecus assistente non coactus, est dominus sui actus, præsertim quoad motum manuum, & membrorum non inservientium generationi. Quare nisi extrinsecus, vel intrinsecus, ut supra, cogatur, potest libere uti suis membris. Motus vero membrorum inservientium generationi, licet perfecte non subdantur rationi (& ideo possunt moveri contra rationem) potest, & debet anima advertens reprimere, vel saltem positive eis dissentire interne, eosque detestari. Quapropter, etiam præcisa arreptione, si ratio hominis totaliter non sit perturbata per phantasiam, aut appetitum sensitivum, potest recte judicare: quia intellectus & voluntas in seipsis numquam possunt perturbari. Proinde hisce duobus tantum modis (scilicet per arreptionem, modo supra explicato; vel per obfuscationem mentis, præcisa arreptione) potest dæmon nos cogere, vel necessitatem inducere ad faciendum actum, qui ex genere suo sit peccatum. Hinc cum Molinosius in sua Propositione adstruat, prætensas violentias ad actus per se peccaminosos causari a dæmone in animabus perfectis, excludendo arreptionem dæmonis, & mentis obfuscationem; consequitur plane, nullo modo Diabolum per hujusmodi prætensas violentias cogere posse animas perfectas in vigilia ad actus carnales, aliosque per se ex objecto peccaminosos committendos, nisi deliberatus his actionibus a voluntate præstetur consensus: & contrarium adstruere est omnino falsum, nullique vel auctoritati, vel rationi consentaneum.

Progredimur tandem ad tertiam partem Propositionis, in qua asseritur, quod actus carnales, aliique ex suo genere peccaminosi, commissi ab animabus perfectis in vigilia, ex hujusmodi prætensis violentiis dæmonis, non sint peccata; quia in his non adest consensus: cujus falsitatem liquido demonstrat argumentum, quod subjicio. Actus per se peccaminosi & carnales, commissi ab homine in vigilia, absque dæmonis arreptione, aut mentis obfuscatione, sunt voluntarii & liberi; non vero violenti, & necessarii: proinde sunt peccata; quia in eis adest consensus. Atqui ex terminis Propositionis Molinosianæ actus per se peccaminosi, & carnales, qui committuntur ab animabus perfectis, ex prætensis violentiis, committuntur in vigilia absque arreptione dæmonis, aut mentis obfuscatione. Ergo sunt actus voluntarii, & liberi; non vero violenti, aut necessarii: proinde sunt peccata, quia in eis adest consensus. Major est certa de fide, & colligitur ex illo ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Quæ Apostoli monitio esset vana, & frustranea, si actus per se peccaminosi & carnales, commissi in vigilia sine mentis obfuscatione, & dæmonis arreptione, non essent voluntarii, & liberi: proinde & peccata; quia in his adest consensus, ex eo quod scribit S. Thomas 1. 2. quæst. 71. art. 6. *Peccatum nihil aliud est, quam actus humanus malus. Quod autem aliquis actus sit humanus, habet ex hoc, quod est voluntarius; sicut ex supradictis patet:* hoc est in quæst. 1. art. 1. ubi ait: *Illæ actiones proprie humanæ dicuntur, quæ ex voluntate deliberata procedunt.* Ergo actus per se peccaminosi & carnales, commissi ab homine in vigilia, absque dæmonis arreptione, vel mentis obfuscatione, sunt voluntarii, & liberi; non violenti, aut necessarii: proinde sunt peccata; quia in eis adest consensus. Nam, ut diximus supra, homo in vigilia sine mentis obfuscatione, & a potentiori extrinsecus, vel intrinsecus assistente non coactus, est dominus sui actus, præsertim quoad motum manuum, aliorumque membrorum non inservientium generationi. Quare nisi, ut supra, cogatur, potest libere uti suis membris. Quamvis vero membra inservientia generationi perfecte non subdantur rationi, immo queant contra rationem moveri: attamen ejusmodi motus anima advertens reprimere debet, quantum potest; vel ubi non potest, saltem interne respuere. Quia (ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 74. art. 6.) *dicitur esse peccatum in ratione, quando non reprimit illicitum passionis motum:* & 1. 2. quæst. 77. art. 7. *Membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis. Hinc potest anima impedire ne suum consequantur effectum.* Minor constat ex terminis Propositionis. Consequentia est legitima. Ergo patet, actus peccaminosos, ex hujusmodi prætensis violentiis commissos ab animabus perfectis in vigilia, & sine mentis obfuscatione, esse peccata; quia in his adest consensus: & contrarium adstruere minime cohæret vel auctoritati, vel sanæ rationi; ut hactenus abunde demonstravimus.

§. XLI.

XLIII. *Deus præteritis sæculis efficiebat Sanctos tyrannorum ministerio; nunc vero efficit Sanctos ministerio dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias facit, ut illi seipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent.*

EXponit in hac Propositione Molinosius hoc divinæ providentiæ, & voluntatis arcanum: quod sicuti sæculis anteactis Sanctos efficiebat tyrannorum ministerio; ita nunc mediis tartareis spiritibus, ut per violentias prædictas, etiam in vigilia causatas, seipsos despiciant, & annihilent, ac majorem Deo resignationem obtineant. Numquid Diabolus, antiquus & veterator hostis sanctitatis, qui semper mille habuit tentandi artes, has violentias nostræ asservavit ætati? vel novo studio novas adinvenit tentationes? vel prius erat ligatus; & nunc solutus? vel prius erat inermis; nunc autem incedit armatus? vel tandem hac moderna ætate alii & novi sunt dæmones, qui sæculis retroactis non fuerint? Qui sic delirat, merito improbatur Act. 17. vers. 18. *Novorum Dæmoniorum videtur annuntiator esse.*

Propositio, ut jacet, subjacet eisdem censuris, quas supra dedimus ad Propositiones XXXVI. & XXXVII. & apertius *impia*.

Impugnatur I. Propositio sequenti discursu. Si Deus olim

olim effecit Sanctos, medio tyrannorum ministerio; & modo Sanctos efficit ministerio dæmonum, in eis causantium prædictas violentias, etiam in vigilia: Deus esset auctor peccati. Hoc dici non potest. Ergo Deus non efficit nunc Sanctos ministerio dæmonum, causantium in eis prædictas volentias, ut seipsos magis despiciant, annihilent, & Deo resignent. Major probatur Deo tribuenda foret tam persecutio tyrannorum, quam memorata dæmonum tentatio: *quia in omnibus causis ordinatis effectus plus dependet a causa prima, quam a causa secunda; quia causa secunda non agit, nisi in virtute causæ primæ*, ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 19. art. 4. Atqui hoc ipso fit Deus auctor peccati; cum tam persecutio tyrannorum, quam tentatio dæmonum, vel sint peccatum, vel ordinentur ad peccatum. Ergo si Deus effecit Sanctos ministerio tyrannorum, & modo efficit ministerio dæmonum; Deus est auctor peccati. Minor etiam probatur ex S. Thoma Part. 1. quæst. 19. art. 9. in corp. ubi sic scribit: *Nullum bonum Deus magis vult, quam suam bonitatem. Vult tamen aliquod bonum magis quam aliud quoddam bonum. Unde malum culpæ, quod privat ordinem ad bonum divinum, Deus nullo modo vult; sed malum naturalis defectus, vel malum pœnæ vult volendo aliquod bonum, cui conjungitur tale malum. Sicut volendo justitiam, vult pœnam; & volendo ordinem naturæ servari, vult quædam naturaliter corrumpi.* Ergo dici nequit, nisi per summam impudentiam ac temeritatem, quod Deus olim effecerit Sanctos ministerio tyrannorum, & modo efficiat ministerio dæmonum, qui causent in illis supradictas violentias etiam in vigilia.

Dices. Deus efficiendo Sanctos ministerio tyrannorum, vel ministerio dæmonum, non intendit malum culpæ, quod ex hujusmodi ministerio provenire potest; sed bonum sanctificationis illorum. Ergo Deus volendo persecutiones tyrannorum, vel tentationes dæmonum, non potest dici auctor peccati.

Respondeo cum D. Thoma ibid. ad 1. ubi inquit: *Dicendum, quod quidam dixerunt, quod licet Deus non velit mala; vult tamen mala esse, vel fieri: quia licet mala non sint bona; bonum tamen est mala esse, vel fieri. Quod ideo dicebant, quia ea, quæ in se mala sunt, ordinantur ad aliquod bonum: quem quidem ordinem importari credebant in hoc, quod dicitur mala esse, vel fieri. Sed hoc non recte dicitur: quia malum non ordinatur ad bonum per se, sed per accidens. Præter intentionem enim peccantis est, quod ex hoc sequatur aliquod bonum; sicut præter intentionem tyrannorum fuit, quod ex eorum persecutionibus claresceret patientia Martyrum. Et ideo non potest dici, quod talis ordo ad bonum importetur per hoc, quod dicitur, quod malum esse, vel fieri sit bonum: quia nihil judicatur secundum illud, quod competit ei per accidens; sed secundum illud, quod competit ei per se.* Ex quibus constat, non posse Deum efficere, & consequenter intendere persecutiones tyrannorum, & tentationes dæmonum ex intentione sanctificationis Martyrum, vel animarum sanctarum: quia hujusmodi mala (scilicet persecutio tyrannorum, & tentatio dæmonum) non ordinantur ad bonum sanctificationis animarum per se, sed per accidens. Proinde non possunt intendi a Deo; ac per consequens effici ministerio dæmonum, vel tyrannorum: quia nihil judicatur secundum illud, quod competit ei per accidens; sed secundum illud, quod competit ei per se, ut egregie advertit S. Thomas in præsenti loco citato. Consequenter potest Deus permittere persecutiones tyrannorum, vel tentationes dæmonum, ex intentione sanctificationis animarum. Unde S. Thomas 1. 2. quæst. 87. art. 2. ad 1. inquit: *Quod aliqui puniuntur a Deo, dum permittit eos in aliqua peccata profluere. Quod ad bonum virtutis ordinatur ipsorum, qui peccant; cum scilicet post peccatum humiliores, & cautiores resurgunt.* Non potest tamen illas efficere ministerio tyrannorum, vel dæmonum; quia sic Deus foret auctor peccati: quia per se vellet ejusmodi tentationes dæmonum, & tyrannorum persecutiones; per accidens autem sanctificationem animarum.

Confirmatur: quia, ut scribit S. Thomas Part. 1. quæst. 48. art. 6. in corp. *Deus est auctor mali pœnæ; non autem mali culpæ: quia hoc contrariatur impletioni divinæ voluntatis, & divino amori; quo bonum divinum in seipso amatur, & non solum secundum quod participatur a creatura.* Atqui si Deus efficeret Sanctos ministerio tyrannorum, vel dæmonum; esset auctor mali culpæ. Ergo Deus non efficit Sanctos ministerio tyrannorum, vel dæmonum. Minor patet: quia ministerium tyrannorum est malum culpæ; & ministerium dæmonum, quatenus tentant, ordinatur ad culpam: ut docet idem S. Thomas Part. 1. quæst. 114. art. 2. *Diabolus*, inquit, *semper tentat, ut noceat in peccatum præcipitando.* Ergo si Deus efficeret Sanctos ministerio dæmonum, vel tyrannorum; esset auctor mali culpæ: quod nefas est nedum dicere, verum etiam cogitare.

Impugnatur II. dicta Propositio: quia Dei influxum in sanctitatem cum dæmonum ministerio commiscet Molinosius, atque dæmonibus aliquid cooperationis attribuit ad eamdem sanctitatem efficiendam. Atqui hoc quammaxime repugnat dæmoni, in sua malitia obfirmato; ut docet S. Thomas pluribus in locis. Ergo repugnat, quod Deus efficiat Sanctos ministerio dæmonum, vel tyrannorum. Confirmatur. Ad sanctitatem habendam requiritur munditia. Ergo violentiæ, ad actus carnales a dæmonibus causatæ, etiam in vigilia, conducere non possunt ad sanctitatem. Proinde Deus non potest facere Sanctos ministerio dæmonum, qui causent in illis dictas violentias, ad actus carnales in vigilia committendos. Unde scribit S. Dionysius cap. 12. de Divin. Nomin. *Sanctitas est ab omni immunditia libera, & perfecta, & omnino immaculata munditia.* Ergo per violentias ad actus carnales obtineri non poterit sanctitas; ut subdole simul ac impie suis suadet Ascetis Molinosius.

§. XLII.

XLIV. *Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis: quia fecit ex dæmonis violentia.*

AD suam firmandam de sæpe memoratis violentiis sententiam, ad plura recurrit Molinosius exempla, ac novus Sacræ Scripturæ interpres effectus, Job blasphemasse hic dicit, atque violentiam eidem a dæmone illatam suadere conatur; quantumvis fuerit expers cujuscumque peccati. Quapropter, ut verbis utar S. Bernardi in Epist. 190. seu Tract. de erroribus Abaelardi ad Innocentium II. *Novum habemus de veteri Magistro Theologum, qui ab ineunte ætate sua in arte Dialectica lusit, & nunc in Scripturis Sanctis insanit. Olim damnata & sopita dogmata, tam sua videlicet, quam aliena, suscitare conatur; insuper & nova addit . . . . . . Quid in his verbis intolerabilius judicem? blasphemiam, aut arrogantiam? Quid damnabilius? temeritatem, aut impietatem? An non justius os loquens talia fustibus tunderetur, quam rationibus refelleretur? Nonne omnium merito in se provocat manus, cujus manus contra omnes? . . . Quid secretius tibi revelatum jactas, quod tot præterierit sanctos, effugerit sapientes? Aquas furtivas, & panes absconditos, puto, apponet nobis iste.*

Propositio, ut jacet, subjacet iisdem censuris cum tribus præcedentibus respective.

Pro cujus, aliarumque Propositionum huic similium, confutatione, præmittendum est Decretum Concilii Tridentini sess. 4. de Canonicis Scripturis, ubi sic habetur ad institutum nostrum. *Præterea, ad coercenda petulantia ingenia, decernit Sancta Synodus, ut nemo, suæ prudentiæ innixus, in rebus fidei, & morum, ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, Sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit, & tenet Sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum, Sacram Scripturam interpretari audeat.* Ex quo habetur, non licere cuicumque privato Sacram Scripturam interpretari in iis, quæ pertinent ad fidem, vel mores, juxta proprium sensum, contra illum quem tenet Ecclesia, vel quem tenuerunt unanimes Sancti Patres, quemadmodum in hac Propositione, & in aliis sequentibus ausus est Molinosius. Ad cujus pravæ interpretationis confutationem sufficeret ipsamet Scriptura, quæ de S. Job cap. 2. vers. 10. testatur: *In omnibus his non peccavit Job labiis suis.* Potuit Satanas, impetrata a Deo venia debacchandi, vexare, percutere, plagis afficere virum simplicem & rectum, timentem Deum, & recedentem a malo; eidemque occasionem præbere ægre ferendi bonorum jacturam, filiorum internecionem, & corporis contritionem, ut in desperationem prosiliret: potuit omnem movere lapidem, ut vir justus obrueretur, & blasphemaret. At *in omnibus his non peccavit Job labiis suis; neque stultum quid contra Deum locutus est*: hoc est, non tantum non peccavit labiis suis malitia formali blasphemiæ; sed neque stultum quid contra Deum locutus est, hoc est, neque verbum malum entitative, & pro substrato contra suam voluntatem, & per vim a Satana coactus. Idque perspicue patet ex S. Gregorio Papa in Exposit. Moral. lib. 2. cap. 19. ubi inquit: *Quia tentationum tribulationibus deprehensi, etiam tacita cogitationum motu possumus non loquendo peccare: beato Job & oris testimonium perhibetur, & cordis. Prius enim dicitur:* „ Non „ peccavit Job labiis suis: " *& tunc demum subditur:* „ Neque stultum aliquid contra Deum locutus est. " *Qui enim stultum locutus non est, culpam a lingua compescuit. Sed cum præmittitur, non peccavit, constat, quod murmurationis vitium etiam a cogitatione restrinxit.* Si beatus Job stultum aliquid locutus non est, sed culpam a lingua compescuit; immo murmurationis vitium a cogita-

gitatione restrinxit: dicendum est ex S. Gregorio, eum nec verbum malum entitative, & pro substrato, ut ajunt, contra voluntatem protulisse ex dæmonis violentia.

Nec valet, si replices, hujusmodi verba referri non posse ad ea, quæ posterius dixit cap. 3. Job scilicet: *Post hac aperuit Job os suum, & maledixit diei suo, & locutus est. Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo*), sed ad priora verba cap. 1. & 2. in quibus nulla apparet blasphemia. Nam contra est I. quia S. Augustinus immunem prædicat S. Jobum a blasphemia in omnibus iis, quæ locutus est. Unde Serm. 4. in Psal. 103. infra medium ita scribit: *Inter illa omnia, quæ dixit Job, nusquam lapsus est. Quod multi in illis verbis non intelligunt, & quædam ibi sic accipiunt, quasi aliquid durum dixerit Job in Deum*. Contra est II. quia in illis verbis scilicet: *Post hec aperuit Job os suum, & maledixit diei suo*), non habetur blasphemia, quæ ex S. Thoma 2. 2. quæst. 13. art. 1. *importare videtur quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis, & præcipue divinæ*: unde ab omnibus Doctoribus definitur, quod *sit convicium in Deum, vel in Sanctos*. Maledictio tantum habetur (ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 76. art. 2.) irrationalis creaturæ, quæ quatenus foret caussa malorum pœnæ, & occasio culpæ, sine ullo peccato maledici posset; ut dicit ibi Cajetanus. Unde S. Thomas ibid. scribit: *Tertio modo ordinatur creatura irrationalis ad rationalem per modum continentis, scilicet temporis, vel loci; & sic maledixit Job diei suæ nativitatis propter culpam originalem, quam nascendo contraxit, & propter sequentes pœnalitates*. Ex quibus constat, S. Jobum nec blasphemasse, nec maledixisse cum peccato, quando dixit: *Pereat dies, in qua natus sum*. Proinde immerito adstruitur, quod S. Jobus violentiam sit passus a dæmone, atque compulsus ad blasphemandum, aut maledicendum. Contra est III. quia Ecclesia, & SS. Patres unanimes docent, S. Jobum per illa verba minime blasphemando peccasse; ut videre est apud Tirinum in Job cap. 3. Ergo Auctor Scripturam Sacram ad suum sensum contorquet, contra eum sensum quem tenet sancta Mater Ecclesia, & SS. Patres: proindeque se opponit Tridentino, meritoque damnandus est tamquam perfidus Scripturæ Sacræ adulterator. Addimus: quod etsi detur, Jobum acerba illa imprecatione deliquisse saltem venialiter, uti puto sentire quosdam Scriptores, de quo videndi Tirinus & Cornelius a Lapide: attamen minime gentium evincitur, illi violentiam proprie dictam illatam fuisse a dæmone in vigilia, & extra arreptionem, aut obfuscationem, aut maledictionem hujusmodi, seu de se peccaminosam in sensu Molinosii, fuisse causatam a Deo ministerio dæmonis. Utraque est hæresis Molinosii hic retro confutata; & posterior quidem etiam blasphemia in divinam bonitatem.

§. XLIII.

XLV. *S. Paulus hujusmodi violentias in suo corpore passus est. Unde scripsit: Non quod volo bonum, hoc ago; sed quod nolo malum, hoc facio.*

AD probandas sæpe memoratas violentias in viris perfectis, aliud in Paulo Apostolo producit exemplum, male interpretatus textum illum Epistolæ ejusdem ad Rom. 7. vers. 15. Quantum vero ejus Discipuli profecerint in hac doctrina, eruitur ex Processibus contra Molinosium a Sacra, Suprema, & Universali Inquisitione Romæ constructis. Cum enim quidam animarum director ex Quietistis publice concionaretur, protulit: In statu contemplationis peccari non posse: ac per consequens si aliquod peccatum incedentibus per viam internam contingeret; hoc non ipsis, sed dæmoni esset imputandum. Et cum quædam puella cum juvene ejusdem fere ætatis non sine adstantium scandalo parum pudice conversaretur; protinus ad ejus patrocinium surrexit alius director Quietistarum factum excusans: Sinite, inquit puellam quidquid vult, operari, dæmone ita eam impellente, & cogente. Cum uterque historiam S. Job, & S. Pauli Epistolam sinistre interpretaretur, sublatisque verecundiæ legibus libidini frena laxaret.

Propositio, ut jacet, subjacet eisdem censuris cum præcedentibus.

Falsitas hujus Propositionis evincitur ex eo, quia numquam Ecclesia, & Patres juxtam pravum Molinosii sensum eam S. Pauli auctoritatem ex cap. 7. ad Romanos excerptam interpretati sunt. Constat enim, S. Apostolum de concupiscentia, ejusque motibus deordinatis fuisse locutum: propter quod ter Dominum rogaverat, ut discederet a se; & dixit illi Dominus, quod sufficeret ei gratia sua ad resistendum illis, ut inquit idem S. Paulus II. ad Corinth. 12. vers. 8. & 9. Itaque falsum est, Apostolum passum fuisse eo modo pure passivo, & permissivo, indifferenti ad malum, & otioso ad bonum; quemadmodum impie docet Molinosius. Si enim Deus permitteret, ac vellet hujusmodi violentias in sensu Auctoris patiendas esse sine resistentia, conflictu, & victoria; non diceret Apostolo, Sufficit gratia mea. Ad quid enim gratia daretur, nisi serviret ad usum, sed ad abusum; non ad exercitium, sed ad otium? & quomodo virtus perficeretur; si otiosa, & desidiosa succumberet violentiis? Proinde S. Augustinus explicans dicta verba: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio*: lib. 5. operis imperfect. contra Julianum cap. 59. inquit: *Vult, & non agit, quod bonum est; non vult, & agit, quod malum est. Unde ista necessitas? Agnoscunt eam quidem Catholici Doctores, qui Paulum Apostolum intelligunt etiam de seipso ista dicentem, & ex lege, quæ in membris repugnat legi mentis, sine qua nullus hominum nascitur, venire non dubitant. Et ideo dici, & a Sanctis vident, Non quod volo, facio bonum; sed quod nolo malum, hoc ago: quia vident, quantum bonum sit nec carne concupiscere, quæ menti adversantur; eosque id velle nec facere: & malum esse, quamvis mente non consentiente, vel carnem tamen talia concupiscere; eosque id nolle, sed facere, sine ulla quidem condemnatione, quoniam peccati hujus reatu regeneratione deleto, resistunt mente, ne perficiant quod concupiscunt carne; sed non sine ullo aliquo malo: quia non est aliena commixta, sed eorum natura est & in mente, & in carne*. Et in Serm. 3. in Psal. 118. sub initium scribit: *Utrumque enim dixit Apostolus, & Non quod volo, ago: & Non ego opero illud, sed quod habitat in me peccatum. Unde intelligere debemus, quando peccatum, quod habitat in nobis, operatur in nobis, tunc nos id non operari, quando nequaquam ei voluntas nostra consentit, & tenet etiam corporis membra, ne obediant desideriis ejus. Quid enim operatur peccatum nolentibus nobis, nisi sola illicita desideria? Quibus si voluntatis non adhibeatur assensus, movetur quidem nonnullus affectus, sed nullus ei relaxatur effectus*. Ubi vides, S. Augustinum docere, concupiscentiam posse quidem inordinatos motus causare; attamen hos suum non consequi effectum, nisi ex consensu voluntatis: quod et docuit S. Thomas sæpius a nobis laudatus (sed numquam satis contra Quietistas) 1. 2. quæst. 77. art. 7. ubi ait: *Quandoque passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis: & tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes; vel impedire, ne suum consequatur effectum: quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis*. Peccatum vero, de quo loquitur Apostolus, & Augustinus ubi supra, quod habitat in nobis, & operatur in nobis, intelligamus oportet ipsam concupiscentiam; ut inquit Tridentinum in Decreto de peccato originali: *Concupiscentiam, quam Apostolus aliquando peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam numquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit; sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit; anathema sit*. Demum S. Augustinus Serm. 151. de Verbis Apostoli alias 45. de tempore cap. 6. ait: *Non ergo, quod vult, agit Apostolus: quia vult non concupiscere, & tamen concupiscit; ideo quod non vult, agit. Numquid illa concupiscentia mala trahebat Apostolum subjugatum ad fornicationem, & adulteria? Absit. Non ascendant tales cogitationes in cor nostrum. Luctabatur, non subjugabatur. Sed quia nolebat nec hoc habere, contra quod luctaretur; ideo dicebat.* „ Non quod volo, ago. “ *Concupiscere nolo, & concupisco. Non ergo quod volo, ago: sed tamen concupiscentiæ non consentio. Non enim aliter diceret.* „ Concupiscentias carnis ne perfeceritis: “ *si eas ipse perficeret. Sed constituit tibi ante oculos pugnam suam, ne timeres tuam*. Constat igitur, Apostolum passum quidem esse motus pravos concupiscentiæ. Attamen inferri non debet, passum fuisse violentias a dæmone (de quo in XLI. Propositione) tum quia constat, Apostolum non fuisse arreptitium: tum quia ipse fatetur, in hujusmodi motibus se passum non fuisse mentis obfuscationem; unde scribit ad Rom. 1. vers. 25. *Mente quidem servio legi Dei; carne autem legi peccati*. Præterea ejusmodi motus oriebantur a concupiscentia; proinde a principio intrinseco: quia (ut ait S. Thomas 1. 2. quæst. 30. art. 1.) *concupiscentia proprie loquendo est in appetitu sensitivo, & in vi concupiscibili, quæ ab ea denominatur*. Consequenter motus illius violenti dici nequeunt; quia de ratione violenti est oriri a principio extrinseco. Rursus, hujusmodi motibus strenue, ac positive resistebat; non vero tantum negative nullam adhibendo industriam, nullumque conatum efficiendo contra illos: prout docetur faciendum in hujusmodi violentiis in Propositione XLVII. Porro quando anima resistit concupiscentiis, hæc minime peccata sunt, sed materia exercendæ virtutis; ut scripsit S. Thomas 1. 2. quæst. 80. art. 3. ad. 3. ubi ait: *Concupiscentia carnis contra spiritum, quando ratio ei actualiter resistit, non est peccatum,*

catum,

catum, sed materia exercendæ virtutis. Consonant his quæ scribit de Apostolo S. Bernardus Serm. 81. in Cantic. circa finem, ubi ait: *Testis est ipse Apostolus, qui ait:* „ Invenio aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ. " *Numquid suum quod carnis suæ est, & non suum quod mentis suæ est? Ego dico & plus. Quidni dicam, quod idem ipse Magister dicit? Nam* „ mente „ quidem serviens legi Dei, carne autem legi peccati: " *quid magis suum fateatur, evidenter ostendit, cum malum quod in carne est, ita a se alienum censet, ut dicat:* „ Itaque jam non ego operor illud; sed quod habitat in me „ peccatum. " *Et ideo fortassis signanter aliam dixerit legem inventam in membris suis, quod alienam hanc, & quasi advenitiam reputaret. Unde & adhuc ego aliquid audeo amplius, haud temere quidem: Paulum videlicet non jam malum, propter malum, quod in carne habet; magis autem bonum, propter bonum quod in mente habet. An non bonus, qui consentit legi Dei, quoniam bona est? Nam etsi se itidem fateatur servire legi peccati; carne hoc facit, non mente. Cum autem mente quidem serviat legi Dei; carne autem legi peccati: quidnam potissimum horum Paulo imputandum putes, tu videris. Nam mihi fateor facile suasum, quod mentis, quam quod carnis est, pluris esse, non solum mihi, sed & ipsi Paulo, ut jam dictum est, qui ait:* „Si autem quod nolo, illud facio; jam non ego „ operor illud, sed quod habitat in me, peccatum. " Ecce Paulum bonum, quia mente consentit legi Dei: & licet carne serviat legi peccati, Paulo imputandum quod est mentis, non vero quod est carnis: quia jam non ipse hoc operatur, sed concupiscentia repugnans legi mentis ejus. Ergo manet inconcussum, indubitatumque, Paulum haud passum fuisse violentias a dæmone, sed solum a concupiscentia fuisse tentatum; cui minime consentiebat, cum mente serviret legi Dei.

Dices. Apostolus aperte fatetur, se pati hujusmodi tentationes a dæmone. Unde scribit II. ad Corinth. 12. vers. 7. *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet*. Ergo videtur verum esse quod adstruit Molinosius in dicta Propositione.

Respondeo, Angelum Satanæ fuisse primum principium tentationum Apostoli; non vero principium proximum: hoc enim erat concupiscentia, commota quidem a dæmone, ut scribit S. Thomas 1. 2. quæst. 80. art. 2. dicans: *Tota interior operatio Diaboli esse videtur circa phantasiam, & appetitum sensitivum, quorum utrumque commovendo, potest Diabolus inducere ad peccatum*. Quod clare significat ipsemet Apostolus in verbis citatis dicens: *Datus est mihi stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ:* hoc est, mediante Angelo Satanæ, seu commovente Angelo Satanæ. Unde semper stat, quod principium proximum hujusmodi tentationum fuerit concupiscentia, commota quidem a dæmone: proinde non erat violentum; cum a principio intrinseco immediata procederet.

§. XLIV.

XLVI. *Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & eam ad veram transformationem, & unionem perducendam; nec alia superest via. Et hæc est via facilior, & tutior.*

QUantum deferat Molinosius sæpe dictis violentiis, a dæmonibus animabus perfectis illatis etiam in vigilia, disces ex hac Propositione, ubi docet, eas unicum esse medium, viamque faciliorem & tutiorem ad assequendam annihilationem, transformationem, & unionem cum Deo; quam constituunt Doctores Mystici in cognitione fidei, affectu spei & caritatis in Deum, humilitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum exercitio.

Propositio, ut jacet, subjacet iisdem censuris cum præcedentibus, cum apertiori nota impietatis, & blasphemiæ.

Impugnatur ex doctrina D. Thomæ 2. 2. quæst. 180. art. 2. in corp. ubi scribit: *Dispositive virtutes morales pertinent ad vitam contemplativam. Impeditur enim actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa, per vehementiam passionum, per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum: & ideo virtutes morales dispositive ad vitam contemplativam pertinent*. Ex quibus habes, quod dispositio ad contemplationem sit exercitium virtutum moralium; quodque vehementia passionum abstrahat animam a contemplatione. Ergo turpissime somniat Molinosius, dum adstruit, violentias ad actus carnales esse medium proportionatum ad unionem animæ cum Deo, ac viam faciliorem tutioremqua, immo unicam, ad contemplationem & transformationem cum Deo obtinendam. Præterea idem S. Thomas ibid. quæst. 182. art. 3. in corp. ait: *Potest considerari vita activa quantum ad hoc, quod interiores animæ passiones componit, & ordinat: & quantum ad hoc vita activa adjuvat contemplationem, quæ impeditur per inordinationem interiorum passionum*. Jamvero si vita activa, quæ consistit in exercitio virtutum, adjuvat contemplationem; quo jure dici poterit, quod violentiæ ad actus peccaminosos sint medium proportionatum, & unicum ad unionem animæ cum Deo obtinendam? Sane impedient potius, quam juvabunt ejusmodi transformationem consequendam; cum interiorum causent passionum deordinationem.

Confirmatur ex eo quod docet S. Thomas ibid. quæst. 180. art. 2. ad 3. in hæc verba: *Virtus castitatis maxime reddit hominem aptum ad contemplationem, inquantum delectationes venereæ maxime deprimunt mentem ad sensibilia, ut Augustinus dicit in libro Soliloquiorum*. Ergo dictæ violentiæ ad actus carnales non sunt medium proportionatum ad unionem animæ cum Deo acquirendam; immo sunt impedimenta ad hujusmodi transformationem: quia obscurant lumen rationis.

Sed notes velim hic incidenter, quod etsi fortasse violentiæ hujusmodi, permissæ a Deo animabus perfectis (per arreptionem scilicet, vel obsessionem) per accidens ad unionem majorem cum Deo, atque ad inde consequens exercitum grandis patientiæ, humilitatis, & sui contemptus deservirent: attamen violentiæ illæ assertæ a nefario Molinosio, in vigilia, & extra arreptionem, vel obsessionem, utpote permittentes libertatem, & quibus docet Molinosius, non esse positive repugnandum; hoc modo utique spectatæ, non sunt via ad unionem animæ cum Sponso cælesti, sed via potius ad unionem animæ cum spiritu omnis immunditiæ, & nequitiæ.

Rursus ibid. S. Thomas quæst. 81. art. 8. scribit: *Munditia necessaria est ad hoc, quod mens Deo applicetur: quia mens humana inquinatur ex hoc, quod rebus inferioribus conjungitur; sicut qualibet res ex immixtione pejoris sordescit, ut argentum ex immixtione plumbi. Oportet autem, quod mens ab inferioribus rebus abstrahatur, ad hoc, quod supremæ rei possit conjungi: & ideo mens sine munditia Deo applicari non potest. Unde ad Hebræos 12. dicitur:* „ Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum. " Quomodo ergo violentiæ ad actus carnales erunt medium proportionatum ad unionem animæ cum Deo acquirendam; si ad applicandam Deo mentem necessaria est munditia, juxta phrasim S. Doctoris? Demum in Opusc. 18. cap. 9. scribit idem S. Thomas: *Impeditur animus hominis, ne liber possit Deo vacare, non solum ex amore exteriorum, sed multo magis ex interiorum passionum impulsu. Inter omnes autem interiores passiones maxime rationem absorbet concupiscentia carnis, & venereorum usus*. Non ergo violentiæ ad actus carnales sunt medium proportionatum ad unionem animæ cum Deo obtinendam; si e contra ejusmodi violentiæ rationem obscurant, atque absorbent. Et profecto mens obscura, & absorpta, Deo utpote puro fonti superni luminis, perfecte uniri nequit.

Consone ad hæc differit Cardinalis de Laurea in Opusc. 6. de orat. per plura capita, ubi ex sanctis Doctoribus Mysticis producit media proportionata ad contemplationem: videlicet purgationem tum activam, tum passivam partis sensitivæ, & intellectivæ animæ; necnon exercitia virtutum, & exercitationem in oratione. Unde Opusc. 7. in fine cap. 10. concludit his verbis: *Ex quibus concluditur, quod dispositiones, quibus ex sua bonitate possit moveri Deus ad concedendam supernaturalem hanc contemplationem, difficiles, & laboriosæ sunt; & non solum carnalibus, sed etiam spiritualibus arduæ videntur. Purgatio enim a nobis in suo loco recensita ardua est; virtutum omnium moralium pro opportunitate exercitium difficile; continua cordis munditia moraliter impossibilis; frequens, ac perseverans oratio, meditatio, vel acquisita contemplatio, molesta. Ideo rarissimi ad infusam perveniunt*.

Vides, quantum distent dispositiones, & media hujusmodi, ad infusam contemplationem habendam, ab iis quæ recenset Molinosius in dicta Propositione; immo quantum hæc opponantur contemplationi. Ergo falsissimum est, enunciatas violentias medium esse proportionatum ad unionem animæ cum Deo assequendam; nec aliam superesse viam faciliorem ac tutiorem, ad divinam transformationem obtinendam, ut perperam asseritur. Addimus illuminatissimum Doctorem Mysticum S. Joannem a Cruce, qui per tres libros, *Ascensus montis Carmeli*, necnon per duos libros *Noctis obscuræ* pertractat de purgationibus tam activis, quam passivis partis tum sensitivæ, tum intellectivæ, quibus vacare necessum est, ut anima pertingat ad unionem Mysticam cum Deo; quæ adeo contraria sunt dispositionibus, ac mediis enunciatis in proscripta hac Molinosii Propositione, ut pudeat illa cum istis spurcissimis comparare. Demum egregia ad nostrum institutum scribit Cardinalis Bona in Via compendii ad Deum cap. 5. num. 6. his verbis: *Dico, viam compendii ad Deum, ad culmen Mysticæ Theologiæ, ad intimam cum Verbo unionem, esse motus anagogicos, & exer-*

exercitium aspirationum. Testes hujus dicti assere omni exceptione majores. Primus est Joannes a Jesu Maria Carmelita Excalceatus, qui ita scribit in sua Mystica Theologia cap. 9. „ Concors omnium, quos legerim, sententia est, ad altissimam Dei cognitionem, & sensum, sive experimentum, aspirationum exercitio ita animam erigi, ut si hoc Angelicum exercitium miris laudibus celebratum, cæteris omnibus antepositum frequentet, plurimum proficiat. Habet enim tam egregiam vim exstimulandi, & divinis flammis urendi, ut hoc unum idoneis circumstantiis septum, & studio virtutum armatum, ad summam Christianæ perfectionis virtutem, & puritatem corda nostra perducat. Quamvis enim dona Dei sint unio, raptus, fruitio, & illa indulgentissimi Dei interna blandimenta; & solis conatibus nostris, quantumvis nervosis, illa non producamus: at certe animæ, sese idonee ad eas nuptias ornanti & comparanti, munificentius, quam cogitare valeat, indulgentur. “ *Hæc Joannes; cui alter adjungi potest ejusdem Instituti, Thomas a Jesu de Oratione divina lib. 4. cap. 20.* „ Si Sanctorum Patrum, *inquit*, aliorumque Mysticorum, qui hanc viam experti sunt, sententiæ credendum est; nullam compendiosiorem viam, nullumque alium in Deum assurgendi modum faciliorem, ac nobiliorem eo invenies, quem sapientiam unitivam, sive amorem unitivum Mystici appellant: qui in motibus anagogicis, sive aspirationibus, quibus cor enititur ad Deum assurgere, ac illi avidissime adhærere, consistit. “ *Possem paginas late implere aliorum testimoniis hanc veritatem confirmantium; præsertim Bonaventuræ, Herrici, Arphii, Joannis Gersonis, Dionysii Carthusiani. Sed pro indicta mihi brevitate duo proposita sufficient.*

§. XLV.

XLVII. *Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum; sed permanere debet homo in suo nihilo. Et etiamsi sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus, & etiam pejora; non opus est seipsum inquietare: sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissime fit non confitendo: quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.*

IN deteriora ruere prosequens Molinosius, quid animæ internæ in ejusmodi violentiis, etiam in vigilia occurrentibus, usque ad nauseam repetitis, agendum sit, tradit: atque ut iis, quæ in antecedentibus Propositionibus exposuerat, majus robur adjiciat; quatuor enunciat. Primo, quod occasione violentiarum, a dæmone immissarum, anima sinere debeat, ut Satanas operetur, nullam industriam, nullumque conatum adhibendo ad illas reprimendas; sed mere passive se habendo. Secundo, quod etiamsi occasione hujusmodi violentiarum sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus, vel pejora; non debeat anima se inquietare, sed foras emittere scrupulos, dubia, & timores. Tertio, quod, mediantibus hujusmodi violentiis, anima fit magis illuminata, magis roborata, magis candida, & acquiratur sancta libertas. Quarto, quod præ omnibus non sit opus hæc confiteri, & quod sanctissime fiat non confitendo: quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.

Propositio, ut jacet, *subjacet iisdem censuris cum XXXVII. Est namque carnalis, animalis, diabolica, proscripta jam a SS. Apostolis Petro Epist. II. cap. 2. Juda in sua Epistola Canonica, & meretur damnari hæresica.*

Prima pars confutatur ex Sacræ Scripturæ auctoritatibus supra contra Propositionem XVII. & XXXVII. allatis; ex quibus constat, nos debere occasione tentationum resistere positive dæmonum insultibus, nec sufficere resistentiam pure negativam. Hinc S. Bernardus de Interiori domo ad nostrum intentum ita scribit: *Tuum est mala acta corrigere: tuum est in ordine, & officio familiam membrorum corporis, & animæ motum disponere: tuum singulorum negotia secundum competentiam assignare. Non sit in regno corporis tui, qui leges, & jura institutorum tuorum impune prævaricetur; non oculus, non manus, non pes, non auris, non guttur. Quid autem de ignobilioribus, & plebejis membris dicam? si vel attrectare rebellionem præsumpserint, lapidibus obruantur, jaculis increpationum confodiantur, & noverint Regem Salomonem sedere super mulam Regis; id est, rationem super sensualitatem corporis. Quid, si pudibunda illa (quæ velato semper nomine appellantur a pudicis & castis labiis mota inordinate rempublicam infestaverint? Certe abscindantur non ferro, sed jejunio; non detruncatione, sed mortificatione.* „ Utinam, *inquit Apostolus*, abscindantur, qui vos conturbant. “ *His persuasionibus cor effrenatum, in præceps cursum suum rapiens, teneri potest, ut sit bona conscientia.* Ex quibus constat, quam falsum sit, nos debere occasione tentationum nullam industriam adhibere, nullumque conatum efficere ad illas reprimendas, sed mere passive manere.

Confirmatur I. quia doctrina Molinosii in hac prima parte Propositionis opponitur praxi Apostolorum. Apostolus enim Paulus vehementibus dæmonum tentationibus contra castitatem exagitatus (ut supra expendimus pro impugnatione XXXVII. Propositionis) non otiose ac desidiose se gessit; quinimmo omnem industriam, conatum, & obsecrationem adhibuit, ut non sineret Satanam operari. *Datus est mihi* (inquit II. ad Corinth. 12.) *stimulus carnis meæ, Angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogavi, ut discederet a me.* Ad quæ verba S. Thomas lect. 3. ita disserit: „ Datus est mihi stimulus carnis meæ: “ *id est, concupiscentiæ surgentis ex carne mea, a qua multum infestabatur . . . . . Iste, inquam, stimulus est Angelus Satanæ; id est, Angelus malignus. Est autem Angelus a Deo missus, seu permissus, sed Satanæ: quia Satanæ intentio est, ut subvertat; Dei vero, ut humiliet, & probatum reddat. De ratione autem hujus stimuli removendi sollicitus erat Apostolus: unde propter hoc orabat . . . Ter enim expresse, & devote oravit, ut Deus tolleret ab eo stimulum carnis . . . . . Forte pluries hoc petiit; sed expresse, & instanter ter petiit: vel ter, id est, multoties; ternarius enim est numerus perfectus.* Quid dicis ad hæc, egregie imitator Apostolorum? Videtur ne tibi vita, ac doctrina tua cohærere exemplo Apostoli Pauli? Cohæret sane: at non Paulo; sed vitæ, ac moribus Pseudo-Apostolorum, præcipuorum, inquam, Hæresiarcharum.

Confirmatur II. ex eodem S. Thoma, qui 1. 2. qu. 74. art. 6. in corp. ita ad rem nostram scribit: *Dicendum, quod peccatum contingit esse in ratione, inquantum est directiva humanorum actuum. Manifestum est autem, quod ratio non solum est directiva exteriorum actuum; sed etiam interiorum passionum; & ideo quando deficit ratio in directione interiorum passionum, dicitur esse peccatum in ratione: sicut etiam, quando deficit in directione exteriorum actuum. Deficit autem in directione passionum interiorum dupliciter. Uno modo, quando imperat illicitas passiones; alio modo, quando non reprimit illicitum passionis motum: sicut cum aliquis, postquam deliberavit, quod motus passionis insurgens est inordinatus; nihilominus circa ipsum immoratur, & ipsum non expellit.* Ergo, quando ratio deficit in reprimendis interioribus passionibus, vel motibus malis exteriorum membrorum; peccat: ac proinde non sufficit resistentia pure negativa; sed requiritur ex parte rationis conatus, ac industria ad reprimendas, & expellendas tum internas passiones, tum inordinatos motus membrorum exteriorum.

Confirmatur III. quia, quando adest consensus rationis in passiones interiores, vel in membrorum exteriorum inordinatos motus; adest peccatum. Atqui, quando occasione violentiarum hujusmodi ratio nullam adhibet industriam, vel conatum ad reprimendos ejusmodi motus, sed mere passive se habet, sinendo quod Satanas operetur; adest consensus in passiones interiores, vel in membrorum exteriorum inordinatos motus. Ergo, quando ratio ejusmodi violentiis non resistit, sed mere passive se habet, nullam industriam, nullumque conatum adhibendo, ut reprimantur; adest peccatum. Major est certa. Minor probatur auctoritate S. Thomæ, qui 1. 2. quæst. 6. art. 3. in corp. ita scribit: *Dicendum, quod voluntarium dicitur, quod est a voluntate. Ab aliquo autem dicitur esse aliquid dupliciter. Uno modo directe; quod scilicet procedit ab aliquo, inquantum est agens, sicut calefactio a calore. Alio modo indirecte, ex hoc ipso quod non agit; sicut submersio navis dicitur esse a gubernatore, inquantum desistit a gubernando. Sed sciendum, quod non semper id, quod sequitur ad defectum actionis, reducitur sicut in causam in agens, ex eo quod non agit; sed solum tunc, cum potest, & debet agere. Si enim gubernator non posset navem dirigere, vel non esset ei commissa gubernatio navis; non imputaretur ei submersio navis, quæ præ absentia gubernatoris contingeret. Quia igitur voluntas volendo, & agendo potest impedire hoc, quod est non velle, & non agere; imputatur ei, quasi ab ipsa existens. Et sic voluntarium potest esse absque actu: quandoque quidem absque actu exteriori cum actu interiori, sicut cum vult non agere; aliquando autem & absque actu interiori, sicut cum non vult.* Ex quibus fit manifestum, quod voluntas, quando occasione hujusmodi violentiarum mere passive se habet, nullum conatum, nullamque industriam adhibendo ad hujusmodi violentias reprimendas, vel expellendas; indirecte illis consentit: & proinde peccat. Nec in tali casu potest dici pati violen-

tiam. Nam (ut ait S. Thomas ibid. art. 5. ad 2.) *cum actio infertur ab aliqua exteriori, manente in eo qui patitur, voluntate patiendi, non est simpliciter violentum: quia licet ille, qui patitur, non conferat agendo; confert tamen volendo pati. Unde non potest dici involuntarium.* Quod autem voluntas teneatur occasione hujusmodi violentiarum illas reprimere, eisque pro viribus resistere, constat ex Scripturis, & auctoritatibus supra memoratis. Quod vero possit, constat ex eo quod (ut ait S. Thomas loc. cit. quæst. 80. art. 1. & 2.) Diabolus non potest nos tentare ad peccatum, nisi vel *offerendo aliquid appetibile sensui; vel persuadendo rationi; vel commovendo phantasiam, aut appetitum sensitivum.* In quo casu vel ratio esset totaliter ligata, & obfuscata, ac proinde essemus extra casum nostrum; cum in Propositione supponatur, hujusmodi violentias fieri sine mentis obfuscatione: & tunc nullum foret peccatum actus malus vel internus, vel externus, ab illa proveniens. Si vero non esset totaliter ligata, & obfuscata, ut supponitur; tunc potest ratio resistere: & si non resistit, sed mere passive se habet, nullam industriam, vel conatum efficiendo; peccabit, quia non resistit, cum possit resistere, ut scribit S. Thomas ibid. art. 3. in hæc verba: *Homo motivo ad peccandum non resistit nisi per rationem, cujus usum Diabolus totaliter impedire potest, movendo imaginationem, & appetitum sensitivum; sicut in arreptitiis patet. Sed tunc, ratione sic ligata, quidquid homo agat, non imputatur ei ad peccatum: sed si ratio non sit totaliter ligata; ex ea parte qua est libera, potest resistere peccato. Unde manifestum est, quod Diabolus nullo modo potest necessitatem inducere homini ad peccandum.*

Dices. Ex S. Thoma 1. 2. quæst. 6. art. 4. *Voluntas potest pati violentiam quoad exteriora membra, quæ impediri possunt, ne imperium voluntatis exequantur.* Et hoc sine ulla mentis obfuscatione: alias non esset violentum; cum de ratione violenti sit, quod oriatur a principio extrinseco non conferente vim passo, ut ait S. Thomas ibid art. 6. ad 1. Atqui violentiis, ab aliquo nobis potentiore immissis, resistere non possumus. Ergo si dæmon moveat per violentiam exteriora membra ad peccatum; resistere non possumus: ergo non erit peccatum. Nec valet, si replices, scilicet violentiam posse dari quoad membra non inservientia generationi; non autem quoad membra hujusmodi: quia cum horum motus sint naturales, & minime dependentes a ratione, debent oriri a principio intrinseco, quod repugnat violento; cum hoc fit a principio extrinseco. Nam contra est: quia etiam a principio extrinseco possunt causari motus naturales, & vitales. Unde per motum manuum possunt causari motus membrorum inservientium generationi. De quo vide doctrinam S. Thomæ ubi supra quæst. 6. art. 1. ad 1. & quæst. 80. art. 2. ad 1. Ergo pati potest violentiam a dæmone non modo quoad membra non inservientia generationi; verum etiam quoad hujusmodi membra.

Respondeo, violentum esse duplex: aliud secundum quid; aliud simpliciter. Secundum quid esset, quando homo pateretur violentiam a dæmone quoad membra exteriora. Attamen quia dæmon non potest violentiam inferre voluntati hominis (ut ait S. Thomas ibid. art. 4.) homo non potest pati violentiam absolute, & simpliciter. Et licet dæmon possit phantasiam, & appetitum sensitivum commovere (ut docet S. Thomas ibid. quæst. 80. art. 2.) si per hoc ratio non maneat totaliter obfuscata, & ligata; poterit homo resistere. S. Thomas ibid. art. 3. Si vero sit totaliter ligata; in eo casu indubitatum est, non posse resistere. S. Thomas ibid. quæst. 10. art. 3. Attamen in tali casu, quia actus proxime orietur a principio intrinseco; actio non esset violenta: cum omne violentum petat oriri a principio extrinseco. Ex quibus concludendum, quod licet homo posset pati violentiam a dæmone quoad membra corporis, hujusmodi violentum esset secundum quid; non absolute, & simpliciter: quia homo in tali casu posset per rationem non consentire hujusmodi violentiis, eisque pro viribus resistere. Quod si non faciat, sed mere passive se habeat; consequitur, in tali casu non pati violentiam, sed actum esse voluntarium indirecte. Ad id vero, quod additur de membris inservientibus generationi, respondendum, quod licet hæc aliquando moveri possint ab aliquo principio extrinseco: attamen, quia proxime semper eorum motus a principio intrinseco oritur (ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 17. art. 9. ad 3.) homo, si non habuerit rationem totaliter obfuscatam, & ligatam, prout supponitur in Propositione Molinosii; poterit resistere ejusmodi violentiis, easque reprimere, ut docet S. Thomas ibid. quæst. 77. art. 7. in hæc verba. *Quando passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis: tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes; vel impedire, ne suum consequatur effectum: quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis.* Adde, quod hujusmodi motus, cum semper proxime oriantur a principio intrinseco; dici nequeunt violenti: ac proinde absolute quoad illos non potest verificari, hominem pati violentiam. Ergo quotiescumque dæmon impeller exteriora membra ad peccatum; homo peccabit, si hujusmodi motibus pro viribus non resistat. Vide S. Thomam ibid. quæst. 9. art. 4. ad 2. necnon dicta superius contra Propositiones XVII. & XXXVII.

Quoad secundam vero Propositionis partem, in qua dicitur, quod etiamsi occasione hujusmodi violentiarum sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus, vel pejora; non debeat anima se inquietare, sed foras mittere scrupulos, dubia, & timores: falsitas aperitur ex eo quod scribit Apostolus ad Galat. 5. v. 19. *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria . . . Quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Hinc ait S. Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 5. *Tertia vero causa pollutionis est spiritualis extrinseca; puta cum ex operatione dæmonis commoventur phantasmata dormientis in ordine ad talem effectum: & hoc quandoque est cum peccato præcedenti; scilicet cum negligentia præparandi se contra dæmonis illusiones. Unde in sero cantatur:* „Hostemque nostrum comprime, ne polluantur corpora." Si ergo pollutio nocturna erit peccatum ex negligentia præparandi se contra dæmonis illusiones; quanto magis erit peccatum propriis manibus in vigilia procurata? quia (ut scribit S. Thomas 1. 2. quæst. 74. art. 8. ad 1.) *actus exteriorum membrorum esse possunt peccata mortalia; secundum quod deficit ordinatio superioris rationis, regulantis eos secundum rationes æternas.* Præterea idem S. Thomas 2. 2. quæst. 154. art. 11. probat, pollutionem voluntariam esse speciem luxuriæ, in hæc verba. *Sed contra est, quia II. ad Corinth. 12. pollutio connumeratur aliis luxuriæ speciebus, ubi dicitur:* „Et non egerunt pœnitentiam super „immunditia, fornicatione, & impudicitia:" *ubi dicit Glossa: Immunditia; id est, luxuria contra naturam. Respondeo dicendum, quod ibi est determinata luxuriæ species, ubi specialis ratio deformitatis occurrit, quæ facit indecentem actum venereum. Quod quidem potest esse dupliciter. Uno quidem modo, quia repugnat rationi rectæ; quod est commune omni vitio luxuriæ. Alio modo, quia etiam super hoc repugnat ipsi ordini naturali venerei actus, qui convenit humanæ speciei; quod dicitur vitium contra naturam. Quod quidem potest pluribus modis contingere. Uno quidem modo, si absque omni concubitu causa delectationis venereæ pollutio procuretur; quod pertinet ad peccatum immunditiæ, quam quidam mollitiem vocant.* Unde art. seq. probat esse maximum peccatum, juxta species luxuriæ, peccatum contra naturam. Hinc ait: *Sed contra est, quod Augustinus dicit in libro de adulter. conjugiis; quod omnium horum vitiorum, scilicet quæ ad luxuriam pertinent, pessimum est, quod contra naturam fit. Respondeo dicendum, quod in quolibet genere pessima est principii corruptio, ex quo alia dependent. Principia autem rationis sunt ea, quæ sunt secundum naturam. Nam ratio, præsuppositis his, quæ sunt a natura determinata, disponit alia, secundum quod convenit: & hoc apparet tam in speculativis, quam in practicis. Et ideo sicut in speculativis error circa ea, quorum cognitio est homini naturaliter indita, est gravissimus, & turpissimus; ita in agendis agere contra ea, quæ sunt secundum naturam determinata, est gravissimum, & turpissimum. Quia ergo in vitiis, quæ sunt contra naturam, transgreditur homo id, quod est secundum naturam determinatum circa usum venereum; inde est quod in tali materia hoc peccatum est gravissimum.* Ex quibus constat, quod pollutio propriis manibus est peccatum gravissimum: quod idem dicendum de aliis actibus obscenis illa pejoribus, quos adstruit Molinosius in dicta Propositione. Qua ergo ratione docet impius iste Pseudo-Mysta, quod non sit opus se inquietare, sed arcendi sint procul scrupuli, dubia, & timores? Proh pudendissimum obscœnitatis Magistrum!

Dices. Hoc ideo adstruitur, quia hujusmodi actus obsceni sunt ex violentia; unde non sunt voluntarii.

Sed contra est, quia non datur violentia, ubi non datur resistentia. Cum igitur Molinosius adstruat, quod anima occasione hujusmodi actuum obscenorum debeat se mere passive habere, nullumque conatum, vel industriam adhibere ad reprimendos hujusmodi motus deordinatos; non adest resistentia. Ergo instantia ex se inermem se prodit. Insuper pollutio, etiam a dæmone procurata, non potest nisi a principio intrinseco provenire: unde ait S. Thomas Part. 3. quæst. 80. art. 7. in corp. *Pollutio quandoque provenit a causa extrinseca spirituali; scilicet ex dæmonum illusione, qui phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur.* Hæc igitur non poterit dici ulla ratione violenta; cum omne violentum proxime oriatur a principio extrinseco, necessum sit. Denique si pollutio propriis manibus pro-

procuratur; quis non videat, eam non modo non esse violentam, sed omnino voluntariam? Neque prætensa violentia cognita fuit a Patribus, & Doctoribus Ecclesiæ. Unde scribit S. Augustinus Serm. 128. de Verb. Evang. Jo. 5. cap. 10. *Noli armare adversarium tuum contra te. Tene pedes, ne eant ad illicita. Libido surrexit; tene tu membra: tene tu manus ab omni scelere: tene tu oculos, ne male attendant: tene aures, ne verba libidinis libenter audiant: tene totum corpus, tene latera, tene summa, tene ima. Quid facis libido? surgere novit, vincere non novit.* Certe si Augustinus scivisset aliquando hujusmodi motus oriri ex violentia dæmonis, non ita scripsisset. Et S. Thomas 1. 2. quæst. 6. art. 7. ad 3. *Quandoque in his*, ait, *quæ per concupiscentiam aguntur, non totaliter tollitur cognitio: quia non tollitur potestas cognoscendi; sed solum consideratio actualis in particulari agibili. Et tamen hoc ipsum est voluntarium, secundum quod totaliter voluntarium dicitur, quod est in potestate voluntarii; ut non agere, & non velle. Similiter autem & non considerare. Potest enim voluntas passioni resistere, ut infra dicitur.* Igitur in motibus concupiscentiæ, quando non tollitur totaliter cognitio (prout non tolli supponitur in XLI. Propositione) potest voluntas passioni resistere, & reprimere actus inordinatos: ac proinde si non resistat, non modo non erunt violenti hujusmodi motus, sed voluntarii saltem indirecte.

Quoad tertiam partem Propositionis, ubi dicitur, quod per hujusmodi violentias ad actus carnales, immo per pollutiones propriis manibus procuratas fiat anima magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiratur libertas: inconsequentia doctrinæ Molinosticæ, ejusque patentissima falsitas manifestatur ex eo quod docet, ac jubet Apostolus ad Rom. 13. vers. 12. & seqq. ubi scribit: *Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die honeste ambulemus: non in impudicitiis. Et carnis curam ne feceritis.* Ad quæ verba ita inquit S. Thomas Lect. 3. in text. cit. *Dicuntur autem opera tenebrarum, opera peccatorum: quia in seipsis privata sunt lumine rationis, quo illustrari debent humana opera . . . . .* „ Induamur arma lucis: “ *id est, virtutes, quæ & arma dicuntur, inquantum nos muniunt. Et dicuntur lucis arma, quia lumine rationis decorantur, & perficiuntur.* Itaque non ab hujusmodi obscenitatibus, seu impudicitiis, otiose & desidiose in vigilia permissis, & toleratis, lumen cæli, robur gratiæ, animæ candor, spiritus libertas, pax cordis derivantur; sed potius tenebræ, caligo, infirmitas, sorditudo, servitus, & seditio animi. Nemo sane non videt, quantis laboret absurdis, & erroribus hæc Propositio.

Confirmatur ex eo quod docet S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 2. ad 3. ubi ait: *Delectationes venereæ maxime lumen rationis obscurant*: & ibid. quæst. 15. art. 3. ubi inquit: *Vitia carnalia, scilicet gula, & luxuria, consistunt circa delectationes tactus, ciborum scilicet, & venereorum; quæ sunt vehementissimæ inter omnes corporales delectationes. Et ideo per hæc vitia intentio hominis maxime applicatur ad corporalia; & per consequens debilitatur operatio hominis circa intelligibilia. Magis autem per luxuriam, quam per gulam; quanto delectationes venereorum sunt vehementiores, quam ciborum. Et ideo ex luxuria oritur cæcitas mentis, quæ quasi totaliter spiritualium bonorum cognitionem excludit.*

Quod autem anima ex hujusmodi actibus carnalibus fiat magis roborata, horrent aures audire; & opponitur illi Proverb. 12. vers. 3. *Non roborabitur homo ex impietate.* Rursus, quod fiat magis candida, contradicit doctrinæ S. Augustini, qui lib. 7. de Genes. ad Literam cap. 6. ita inquit: *Animæ pulchritudo, virtus; & deformitas, vitium est*: & D. Thomæ 1.2. quæst. 87. art. 2. ad 3. ubi sic scribit: *Actus peccati facit distantiam a Deo; quam quidem distantiam sequitur defectus nitoris in anima.* Demum quod per hujusmodi violentias ad actus carnales, ipsasque operationes obscenas acquiratur sancta libertas, repugnat doctrinæ Apostoli ad Rom. 6. vers. 22. ubi sanctam libertatem dicit esse libertatem a peccato, cujus fructum ait esse sanctificationem. Unde scribit: *Nunc vero liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem.* Hinc libertas, de qua in Propositione damnata, est illa, quam adstruebant Beguardi, & Beguinæ, qui ut habetur in Clementina *Ad nostrum*, de Hæreticis, asserebant: *Quod homo, postquam gradum perfectionis fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est perfecte spiritui subjecta, potest libere corpori concedere quidquid placet.*

Demum quoad quartam partem, ubi concluditur, quod præ omnibus non opus est confiteri, & quod sanctissime fiat hujusmodi obscena, & immunda non confitendo; quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis: Propositio est directe contra Tridentinum sess. 14. cap. 5. de Pœnitentia, ubi declarat, *oportere a pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri.* Nec valet, si reponas cum Molinosio, hæc vera esse de peccatis, non vero de violentiis, & tentationibus dæmonis, quibus voluntas non consentit. Nam ostendimus supra, in sensu Propositionis non excludi, immo admitti consensum indirectum ad hujusmodi tentationes, & prætensas violentias; quod sufficit ad peccatum mortale: tum quia tentationes violentas, præcipue in materia luxuriæ, sanctissime fit, si confiteamur. Quod patet exemplo S. Bernardi Abbatis, qui suam Confessionem describens in libro, cui titulus de *Interiori domo*, cap. 20. per illam viris spiritualibus documentum præbet, quomodo de hujusmodi tentationibus accusare se debeant, ita inquit: *Audi ergo, Pater, miserum peccatorem: audi vocem lacrymantis, & pœnitentis.* Et post multa ad rem nostram ita scribit: *Super omnia mala delectatio carnis, quæ ab ipsis incunabulis semper mecum crevit, mihi semper adhæsit, nec adhuc jam præ senectute deficientibus membris me deserit; multis & variis modis infelicem animam meam maculavit, dissolvit, captivavit, & omni virtute destitutam, inanem, & debilem reddidit. Fateor, hujus operis nefarii immundis recordationibus me esse sæpe commotum, & incensum, ardores non modicos, & inhonestos passum: & non solum mearum delectationum mala memoria, & stultæ recordationes mihi nocuere; sed etiam aliorum malefacta mihi narrata, & per recordationes sordidas ad memoriam reducta, cor meum non parvo veneno iniquitatis maculavere. Et in hoc misrabiliter miserabilis sum, quia non tantum doleo, quantum dolendum me cognosco; sed sic securus torpeo, velut quid patiar, ignorem.* Ubi advertendum est, hujusmodi confessionem S. Abbatis Bernardi fuisse sacramentalem. Nam antiquitus Monachi, & Regulares tenebantur confiteri Prælato suo Regulari; ut colligitur ex Cap. *Omnis* 12. de Pœnit. & Remiss. De quo vide Donatum in praxi rerum Regular. Tom. III. Tract. 5. quæst. 4. & Fagnanum in Cap. *Cum & plantare*, de Privilegiis num. 13. Ex quo colligitur, antiquitus in Ecclesia Sanctos confiteri solitos suas tentationes impudicas, & defectus quos hujusmodi occasione committere potuissent contra castitatem. Quanto magis ergo sanctissimum erit confiteri prætensas violentias, contra id quod docet impius Molinosius; cum hoc pacto superetur dæmon, juxta illud Jacobi 4. vers. 7. *Resistite autem Diabolo; & fugiet a vobis?* Thesaurus vero pacis acquiritur per Confessionem, ut docet Tridentinum sess. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 3. ubi dicit: *Cum devotione hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, ac serenitas cum vehementi spiritus consolatione consequi solet.* Accedit authoritas S. Thomæ, qui ad rem nostram egregie ita scripsit in Opusc. 64. de fluxu seminis in vigilia. *Hic itaque prædictus fluxus, quia a quibusdam vocatur libido, si potest evitari ipsius occasio, & si studiose non evitetur; est omnino confitendus cum suis occasionibus, & negligentia habita circa ipsas.* Atqui qui nullam adhibet industriam, nullumque proprium conatum, ut Satanas non operetur; sed permanet in suo nihilo: studiose non evitat pollutionem. Ergo omnino est confitenda cum suis occasionibus, & negligentia habita circa ipsas.

Confirmatur I. quia in Propositione supponitur, ex hujusmodi violentiis dæmonum, & sequentibus pollutionibus, & actibus obscenis, propriis manibus patratis, exoriri scrupulos, dubia, & timores. Atqui quando adest dubium de peccato mortali, tenemur illud confiteri: unde scribit idem S. Thomas Part. 3. in Supplem. quæst. 6. art. 4. ad 3. *Dicendum, quod quando aliquis dubitat de peccato, an sit mortale; tenetur illud confiteri, manente dubitatione: quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse mortale; peccat mortaliter, discrimini se committens. Et similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri.* Ergo qui omittit conatum, aut industriam, ne sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus; omittit aliquid ad præcavendas pollutiones: peccat consequenter, ac tenetur confiteri.

Consonat Sanctissimo Præceptori Joannes a S. Thoma Part. 2. Doctrinæ Christianæ cap. 7. ubi quærit: *Si dæmon violentiam inferret alicui personæ, eamque ita opprimeret, ut se defendere non posset: num peccaret?* Et respondet. *Si dæmon id faciat per vim absolutam, & sine consensu patientis: potius ei duplicatur corona; & pœna, & afflictio, quam patitur, cedit eidem in meritum. Tamen hujusmodi persona utatur omnibus mediis arcendi a se tam malum vicinum: nam cum sit opus sensualitatis; maximum secum affert periculum. Proinde assidue oret, & humilietur, & Sacramentum frequentet confitendo hujusmodi suum statum, clare illum pandendo & cum magna confusione.* Ex quo sic argui potest. Si in veris violentiis ad actus carnales consultum est de ejusmodi confiteri; quanto magis in prætensis violentiis a Molinosio excogitatis, in quibus consulitur nullam adhibere indu-

ſtriam, vel conatum ad illas reprimendas, etiamſi ſequantur pollutiones, & actus obſceni propriis manibus, & etiam pejora, opus erit conſiteri, & alia remedia adhibere, de quibus laudatus P. Joannes a S. Thoma? Unde non ſolum non ſit ſanctiſſime, non confitendo; ſed ſacrilegium patratur, in Confeſſione hujuſmodi prætenſas violentias tacendo.

Confirmatur II. ex inſtructione Sacræ Congregationis S. Officii, de qua Cardinalis Albitius de Inconſtantia in fide cap. 32. num. 183. ubi dantur remedia pro Moniali oppreſſa a dæmone, a quo patiebatur pollutiones, & pejora: ac inter alia remedia præſcribitur frequens Confeſſio hujuſmodi impuritatum, & etiam Communio de conſilio Confeſſarii. Item ex eo quod traditur in Vita S. Petri de Alcantara, Neapoli impreſſa anno 1684. ubi lib. 2. cap. 19. refertur liberatio facta a dicto Sancto cujuſdam mulieris pariter oppreſſæ a dæmone; ubi ita legitur: *Uno tra gli altri precetti, che gli diede il Demonio, fu, che non ſi confeſſaſſe, nè con preteſto alcuno diſcopriſſe a creatura umana quello che paſſava; ed era da quella puntualmente ubbidito, in particolare in conſervare la ſegretezza, e non confeſſarſi.* Proinde verificatur in nefario Molinoſio dictum Apoſtoli I. ad Timoth. 4. v. 1. *In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Doctrinam enim Molinoſii, præcipientis non confiteri pollutiones, & alia pejora, propriis manibus patrata, nullam adhibendo induſtriam, vel conatum ad hujuſmodi violentias reprimendas; nihil aliud eſſe, quam diſcedere a fide, ac ſapere doctrinam dæmoniorum, liquido ex dictis deprehenditur.

Confirmatur III. exemplis ſanctarum animarum, quæ ejuſmodi violentias a dæmone paſſas confitebantur, etiamſi nullum conſenſum præſtitiſſent. Hinc in vita S. Catharinæ Senenſis lib. 1. cap. 13. legitur: *La Madre di Dio aſſegna a Caterina per Confeſſore F. Raimondo da Capua, uomo molto celebre per ſantità, e dottrina:* & poſtea cap. 16. legitur: *Delle formidabili battaglie moſſe contra la vergine da' demonj:* & cap. 17. *Di nuovo aſſalita da' demonj, di loro riporta glorioſa vittoria.* Proinde videtur dicendum, voluiſſe Deiparam Virginem, S. Catharinam Senenſem confiteri Confeſſario ſuo violentas tentationes, quas patiebatur contra puritatem a dæmonibus. Et cap. 10. lib. 2. legitur: *Per queſta ſteſſa cagione il Sommo Pontefice Gregorio XI. le aveva conceduto, che poteſſe ſempre aver ſeco un Sacerdote, che la confeſſaſſe, e comunicaſſe in qualunque luogo ella foſſe, ovvero andaſſe, ſenza licenza d' alcun' altra perſona.* Et in Vita Ven. Servæ Dei Sororis Catharinæ de Riccis, Romæ typis data, cujus ſpiritus approbatus fuit a ſanctiſſimis viris id temporis Romæ degentibus, ut refertur in laudata Vita: ubi lib. 2. cap. 11. narrantur terribiles, & inauditæ violentiæ paſſæ a dæmone contra puritatem a dicta Serva Dei; ibique præcipuum remedium, quod adhibebat, fuiſſe legitur Sacramentalis Confeſſio. Unde ibidem habetur: *Il Confeſſionario ſolo era immune da' loro inſulti. In eſſo prendeva qualche brieve riſtoro Caterina. Perciò non avrebbe mai voluto dilungarſi dal Confeſſore; ed era neceſſario, che il Signor Aleſſandro Arciprete di quel tempo, ſuo Confeſſore, dopo averla ſentita due, o tre volte, la licenziaſſe.* Erubeſcat igitur impius Molinoſius, edocendo, ſanctiſſime fieri, ſi hujuſmodi violentiæ non confiteantur. Redarguitur enim exemplis ſanctarum animarum, quæ paſſæ hujuſmodi violentias, ab eodem aſſertas, vel alias conſimiles, omni induſtria, omnique conatu adhibito ad eaſdem ſuperandas, devincendaſque, adhuc de illis confiteri voluerunt: tum ad majores vires acquirendas contra dæmonem; tum pro conſcientiæ ſuæ ſecuritate; tum demum ad propriam humilitatem, confitendo ejuſmodi obſcenas violentias, ac tentationes. Novum igitur perfectionis genus ſuis ingerit Aſcetis Molinoſius, dum ejuſmodi impudicitias libere eos ſinit committere, eiſque prohibet, ne Confeſſario eas pandant, revelentque.

§. XLVI.

XLVIII. *Satanas, qui hujuſmodi violentias infert, ſuadet deinde, gravia eſſe delicta, ut anima ſe inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur. Unde ad ejus vires enervandas, melius eſt ea non confiteri: quia non ſunt peccata, nec etiam venialia.*

DUos Auctor hic ſupponit contra fidem errores. Primum, violentias illas a dæmone illatas, & ſine reſiſtentia, vel diſſenſu acceptatas, & permiſſas, non eſſe peccata, nec mortalia, nec venialia; quæ vere talia ſunt, & quidem gravia. Secundum, ut tollat conſcientiæ remorſum, & formetur erronea conſcientia, ea non eſſe peccata; ſubdit, quod hujuſmodi dictamen de illorum malitia falſum ſit, utpote ſuggeſtum a dæmone, id ſuadente ad animas inquietandas. Inde ad enervandas Satanæ vires, ſuadentis violentias hujuſmodi gravia eſſe delicta, ut anima interna ſua quiete privetur, neque ulterius progrediatur; hoc præbet remedium: ſcilicet, melius eſſe eas ad Sacramentale judicium non deferre, cum a quocumque culpæ reatu, tam mortalis, quam venialis, exemptæ ſint. Nec ambigimus, hanc doctrinam ſcripto exaratam, ſuo exemplo firmaſſe. In Proceſſu ſiquidem faſſus fuit, per ſpatium viginti duorum annorum numquam acceſſiſſe ad Sacramentalem Confeſſionem: quia, ut aſſeruit, numquam recordabatur ſe habere materiam ſufficientem actualem Sacramenti Pœnitentiæ.

Propoſitio, ut jacet, *ſubjacet eiſdem cenſuris cum præcedenti reſpective.*

Impugnatur I. quoad primam partem, ubi dicitur, Satanam ſuadere, violentias hujuſmodi eſſe gravia delicta; ex eo quod docet S. Thomas Part. 3. quæſt. 8. art. 7. ad 1. ubi ſcribit: *Licet Diabolus interius non influat rationali menti; tamen ſuggerendo inducit ad malum.* Atqui ſi Diabolus ſuaderet, dictas violentias gravia eſſe delicta; ſic ſuggerendo non induceret ad malum, ſed ad bonum: quia ita anima de illis pœniteret, illaſque confiteretur. Ergo Diabolus non poteſt ſuadere, illas violentias gravia eſſe delicta; cum talia revera ſint, ut vidimus ſupra.

Confirmatur: quia Diabolus dicitur ſpiritus mendax II. Paralip. cap. 18. verſ. 21. Atqui ſpiritus mendax non poteſt ſuadere veritatem: ſuaderet autem, ſi violentias a Molinoſio prætenſas dictaret, gravia eſſe delicta. Ergo Satanas non ſuadet, violentias hujuſmodi eſſe gravia delicta. Rurſus, S. Thomas 1. 2. quæſt. 80. art. 1. docet, quod Diabolus nos tentat non per modum objecti appetibilis, *ſicut dicimus quod cibus excitat deſiderium hominis ad comedendum*; ſed per modum ſuggerentis, proponentis, & offerentis objectum. Atqui Diabolus in nihil movetur ad proponendum, & offerendum nobis objectum, niſi in ordine ad peccatum: quæſt. 89. art. 4. Ergo ſuadere non poteſt violentias, de quibus Molinoſius, gravia eſſe delicta: quia non proponeret, nec ſuaderet aliquid in ordine ad peccatum. Præterea idem S. Thomas Part. 3. quæſt. 8. art. 7. in corp. ſcribit: *Finis Diaboli eſt averſio rationalis creaturæ a Deo. Unde & a principio hominem ab obedientia divini præcepti removere tentavit.* Atqui ſi Diabolus ſuaderet, prætenſas violentias gravia eſſe peccata, non averteret rationalem creaturam a Deo; quin potius eſſet cauſa, ut rationalis creatura ad Deum converteretur per pœnitentiam, juxta illud Jerem. 31. verſ. 19. *Poſtquam oſtendiſti mihi; percuſſi femur meum, confuſus ſum, & erubui.* Ergo Diabolus ſuadere non poteſt, prætenſas violentias gravia eſſe delicta; immo potius cum ſeductore Molinoſio ſuaderet, nulla eſſe peccata, nec etiam venialia.

Impugnatur II. ex eo quod ſcribit S. Thomas 1. 2. quæſt. 8. art. 2. in corp. *Intellectus per ſe quidem movetur ab aliquo illuminante ipſum ad cognitionem veritatis; quod Diabolus circa hominem non intendit, ſed magis obtenebrat rationem ejus.* Atqui ſi Diabolus ſuaderet, dictas violentias gravia eſſe delicta, illuminaret ad cognitionem veritatis; quod ipſe intendere non poteſt, ſed potius obtenebrare rationem, ne ejuſmodi violentiæ crederentur eſſe peccata. Ergo tantum abeſt, quod Diabolus ita ſe gereret, ut fingit Molinoſius, quin potius ſuaderet oppoſitum, ut mentem obcæcaret, ne ſuſpicaretur de reatu contracto ex illis violentiis.

Sed quæres, a quo ſuadebitur animæ, hujuſmodi violentias gravia eſſe peccata, ut de illis ſe inquietet, atque remorſum habeat? Reſpondeo, a lumine rationis, juxta illud Pſal. 4. verſ. 7. *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine.* Cum enim mollities jure naturæ prohibita ſit, ut ex Propoſitione 47. proſcripta ab Innocentio XI. & ex doctrina S. Thomæ quæſt. 15. de malo art. 1. liquido conſtat; ſequitur, quod lumine rationis cognoſcere poſſimus, ac debeamus, pollutionem ex prætenſis violentiis propriis manibus procuratam, eſſe prohibitam, proinde omnino præcavendam. Item ex lumine divinæ gratiæ, *quæ illuminat omnem hominem.* Ad quæ verba S. Auguſtinus lib. 1. de Geneſ. contra Manichæos cap. 3. num. 6. ait: *Omnes homines poſſunt, ſi velint, divina præcepta ſervare: quia illud lumen omnem hominem illuminat.*

Impugnatur Propoſitio quoad ſecundum partem, in qua adſtruit Molinoſius, ad enervandas vires Diaboli, melius eſſe hujuſmodi actus carnales non confiteri; ex eo, quia contradicit Auguſtino docenti, Diabolum peccatorum Confeſſione retundi, & ſuperari. Unde Serm. 351. alias 50. inter 50. Homilias cap. 3. num. 6. ſcribit: *Sed neque facilius ab inimico dejicimur, quam cum eum ſuperbiendo imitamur; nec vehementius eum proſternimus, quam dum cum humilitate Dominum ſequimur; nec acriores ei dolores inferimus, quam cum plagas peccatorum*

torum nostrorum confitendo, & pœnitendo sanamus. Et Serm. 29. in Psal. 117. alias de diversis 3. cap. 3. inquit: *Vis ergo facere, quod doleat, & gemat accusator tuus?* id est, Diabolus. *Fac quod audisti, fac, quod didicisti; & dic Deo tuo:* „ Ego dixi, Domine, miserere „ mei, sana animam meam, quia peccavi tibi. " Consone ad hæc Tridentinum sess. 14. de Pœnit. cap. 5. ait: *Tenemur omnia peccata mortalia, quorum post diligentem nostri discussionem, conscientiam habemus, in Confessione recensere. Immo etiam peccata venialia recte, & utiliter in Confessione dicuntur; quod piorum hominum usus demonstrat.* Ergo ad vires dæmonis enervandas, præcepto divino parere debemus, confitendo omnia & singula peccata mortalia, & rite ac utiliter peccata etiam venialia. Proinde falsissimum est, quod melius sit ea non confiteri: quia si fuerint peccata mortalia, tenemur; si vero fuerint venialia, recte ac utiliter operamus, si confiteamur.

Dices. Hujusmodi violentiæ non sunt peccata; quia deficit in eis consensus. Ergo non tenemur eas confiteri.

Respondemus, nos supra demonstrasse, Propositionem XLI. & XLVII. impugnantes, falsum esse, quod in ejusmodi violentiis desit consensus: quia adest consensus indirectus, qui sufficit ad hoc, quod tales violentiæ sint nobis voluntariæ; ac proinde peccata mortalia. Unde scribit idem S. Augustinus lib. 2. de Baptismo contra Donatistas cap. 6. *Non afferamus stateras dolosas, ubi appendamus, quod volumus, & quomodo volumus pro arbitrio nostro dicentes, Hoc grave est, & illud leve: sed afferamus divinam stateram de Scripturis Sanctis, tamquam de thesauris Dominicis, & in illa quid sit gravius appendamus; immo non appendamus, sed appensa a Domino recognoscamus.* Porro ex Scripturis habemus, opera carnis gravia esse peccata; ac proinde Propositionem quoad secundam partem plurimum claudicare in fide. Apostolus enim ad Galat. 5. vers. 19. scribit: *Manifesta sunt opera carnis: quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria. Et qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Et ad Ephes. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, hereditatem non habebit in regno Christi, & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis:* prout facit Molinosius, qui sub prætextu violentiarum docuit, opera carnis non esse peccata, nec etiam venialia. Confirmantur hæc omnia ratione. Certum est, opera carnis esse peccata mortalia, quando adest consensus rationis. Atqui certum est, in hujusmodi prætensis a Molinosio violentiis adesse consensum rationis; ut fuse supra demonstratum est. Ergo certum est, hujusmodi violentias ad actus carnales aliosque peccaminosos, esse peccata mortalia; ac proinde deferenda ad sacramentale judicium, secus ac impius Molinosius verbo & exemplo suo nefando docuit, suisque Asceti suggessit.

§. XLVII.

XLIX. *Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces: sic interpretando locum in cap. 16. Job num. 18.*

IN Propositione XLIV. S. Job blasphemantem ex dæmonis violentia traduxerat Molinosius. Nunc asserit ex eadem ratione se propriis manibus polluisse eodem tempore, quo mundas ad Deum preces fundebat, ex cap. 16. Job, ubi habetur vers. 12. *Conclusit me Dominus apud iniquum, & manibus impiorum me tradidit:* vers. 14. *Circumdedit me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, non pepercit, & effudit in terra viscera mea:* vers. 18. *Hæc passus sum absque iniquitate manus meæ, cum haberem mundas ad Deum preces.*

Propositio, ut jacet, *subjacet eisdem censuris ac XXXVI. Et est diabolica interpretatio Sacræ Scripturæ, & auditu magis horrenda.*

Impugnatur I. Nullus enim Sanctorum Patrum, aut Expositorum, tam nefandum commentum secutus fuit. Vir erat S. Job in terra Hus, *Vir, inquam,* ut reflectit Hugo Cardinalis, *pugil, aptus ad pugnam, & omni virtutum genere armatus: vir a virore virtutum, in quo fortitudo ostenditur.* Quotquot sunt Expositores (cap. 5. & 16.) nemine excepto antilogiam, seu contradictionem apparentem optime componunt, atque hac distinctione conciliant: Deum scilicet Satanæ permisisse servum suum ulceribus, ac filiorum interfectione vexare; non vero per pollutiones in vigilia propriis manibus perpetratas. Audiamus Hugonem Cardinalem super cap. 2. vers. 6. „ Ecce in manu tua est: verumtamen animam illius „ serva. " *Quomodo dicitur animam servare, qui tantum animas quærit ad perdendum? Genes. 14. dicitur:* Da „ mihi animas: cætera tolle tibi. " *Respondeo. Servare dicitur, cum eum tentando superare prohibetur. Dominus igitur servum suum custodiendo deserit; & deserendo custodit: alia prodit; alia protegit. Caro data est in manu impii, sed anima est in manu Dei. Sap. 3. ait:* „ Justorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos „ tormentum mortis. " Brevius Calmet: „ Animam „ illius serva. " *Licet quidem tibi acerrimis in illum sævire doloribus: at cave, ne illum directe aggrediaris; immittens in illum cogitationes desperationis, blasphemiæ, iræ, impatientiæ.* Vide Majmon. Grot. Cocc. Clarius, & expressius ex eisdem verbis Job locutum fuisse contra sinistram Molinosii interpretationem, tradit Lyranus: „ Conclusit me Deus apud iniquum: " *id est, Diabolum, cui ex ordine sapientiæ suæ concessit potestatem affligendi me:* „ & in manibus impiorum me tradidit: " *tyrannum ab eis persequi me permisit.* „ Circumdedit „ me lanceis suis, convulneravit lumbos meos, & effu„ dit in terra viscera mea. " *Per hoc designat interfectionem filiorum, qui de lumbis ejus egressi fuerant.* „ Irruit in me quasi gigas: " *id est, in tanta fortitudine, quod quasi nihil virtutis remansit in me.* „ Hæc pas„ sus sum absque iniquitate manus meæ. " *Postquam Job ostendit suam percussionem multiplicem; hic consequenter ostendit suam innocentiam dicens:* „ Hæc passus sum „ absque iniquitate manus meæ: " *id est, operis mei; quod per manum designatur, quæ est organum organorum. Hoc autem dixit Job, non ad sui jactantiam, sed ad veritatis declarationem, & amicorum confutationem, qui non poterant ostendere ex operibus Job præteritis, quod demeruisset percuti tot & tantis plagis. Et quia possent dicere: Licet non possimus ostendere opera tua mala commissa; tamen illud, quod amisisti Deum colere, tamquam ingratus de ejus beneficiis hoc demeruisti: ideo Job excludens hanc objectionem ait:* „ Cum haberem mundas ad Deum „ preces: " *ipsum debite venerando.* Idem dicit S. Augustinus exponens ea verba: „ Hæc passus sum absque „ iniquitate manus meæ. " *Inde est* (inquit lib. de perfect. justit. hominis num. 25.) *quod dicit: Nihil iniquum erat in manibus meis, sed munda oratio mea:* & lib. 18. de Civit. Dei cap. 47. de S. Job scribens ait: *Qui divino sic laudatur eloquio, ut quod ad justitiam, pietatemque attinet, nullus ei homo suorum temporum coæquetur.* Quomodo ergo tam horrendum facinus committere poterat? Sed dices. Hoc accidit ex violentia dæmonis in actu mundæ ad Deum orationis. Sed contra est: tum quia Ecclesia, *cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum* (ut ait Tridentinum sess. 4. de edition. & usu Sacror. Libror.) numquam sic interpretata est verba adducta ex S. Job, immo prorsus contrarium sentit; unde vel ex hoc unico capite impia assertio Molinosii merebatur condemnationem: tum quia opera carnis, & præcipue pollutio propriis manibus procurata, impedit omnino actualem orationem. Unde scribit S. Thomas 1. 2. quæst. 4. art. 1. ad 3. in hunc modum: *Dicendum, quod delectatio concomitans operationem intellectus, non impedit ipsam, sed magis eam confortat; ut dicitur in 10. Ethicor. Ea enim, quæ delectabiliter facimus, attentius, & perseverantius operamur. Delectatio autem extranea impedit operationem intellectus. Quandoque quidem ex intentionis distractione; quia, sicut dictum est, ad ea, quibus delectamur, magis intenti sumus, & dum uni vehementer intendimus, necesse est, quod ab alio intentio retrahatur: quandoque autem etiam ex contrarietate; sicut delectatio sensus contraria rationi, impedit æstimationem speculativi intellectus.* Et quæst. 34. art. 1. ad 1. ita ad institutum nostrum ait: *Delectationes, quæ sunt de actu rationis, non impediunt rationem, neque corrumpunt prudentiam; sed delectationes extraneæ, cujusmodi sunt delectationes corporales: quæ quidem rationis usum impediunt, & per contrarietatem appetitus, qui quiescit in eo, quod repugnat rationi; & ex hoc habet delectatio, quod sit moraliter mala: vel secundum quamdam ligationem rationis; sicut in concubitu conjugali delectatio, quamvis sit in eo, quod convenit rationi, tamen impedit rationis usum propter corporalem transmutationem adjunctam.* Ex quibus habes, quod S. Job actualem orationem ad Deum fundere non poterat, cum propriis manibus se pollueret. Verum, etsi per impossibile talis actus admitteretur, malus tamen moraliter non fuisset: quia nec directe, nec indirecte volnutarius extitisset, sed ex omnimoda violentia dæmonis violentus. Unde impia doctrina Molinosii non modo repugnat auctoritati Ecclesiæ, & SS. Patrum; verom etiam rationi: ut etiam supra observavimus contra Propositionem XLI. & XLII.

§. XLVIII.

§. XLVIII.

L. *David, Jeremias, & multi ex sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.*

IDem de prætensis violentiis a dæmone causatis Davidi & Jeremiæ contigisse adstruit: ideoque Propositio, ut jacet, *in sensu præcedentis subjacet eisdem censuris.*

Quantum ad Davidem, solemniter mentitur Molinosius. Quomodo enim pati violentias prætensas poterat sanctus ille Rex, de quo Scriptura Sacra I. Reg. 16. v. 13. ait: *Directus est Spiritus Domini a die illa in David, & deinceps?* & Actor. 13. vers. 22. dicitur: *Cui testimonium perhibens Deus dixit: Inveni David Filium Jesse, virum secundum cor meum, qui faciet omnes voluntates meas?* Unde S. Hieronymus de seipso testatur in Epistola ad Marcellam, se orandi gratia ejus sepulchrum visitasse. Profecto Spiritus Domini non cohabitat cum spiritu immundo, prætensas violentias immittente: nec virum secundum cor suum adinvenisset Deus Davidem, si prædictis fœditatibus insorduisset, ut impie jactitat Molinosius: nec S. Hieronymus in Sacris Historiis versatissimus id ignorasset. Verum quia Molinosius in prædicta Propositione videtur intelligere adulterium a Davide commissum cum Bersabea (de quo II. Reg. 11.) observes velim inconsequentiam seductoris. Hujusmodi enim adulterium fuit verum, ac grave peccatum; non vero excessus ex dæmonis violentia perpetratus. Quare S. Ambrosius in lib. de Apologia David cap. 4. ita scribit: *Peccavit David; quod solent Reges: sed pœnitentiam gessit, flevit, ingemuit; quod non solent Reges. Confessus est culpam, obsecravit indulgentiam, humi stratus deploravit ærumnam, jejunavit, oravit, confessionis suæ testimonium in perpetua sæcula vulgato dolore transmisit. Quod erubescunt facere privati, Rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent suum negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis legibus tenebatur humanis. Quod peccavit, conditionis est; quod supplicavit, correctionis. Lapsus communis; sed specialis confessio. Culpam itaque incidisse, naturæ est; diluisse, virtutis.* Vides, Davidem peccasse gravissimo peccato, dum Bersabeam cognovit; non vero violentiam fuisse passum: flevisse peccatum suum, & condignam de illo egisse pœnitentiam. Non enim ausus est negare delictum suum, sed illud confessus est. Sane non ita se gerunt nefarii Quietistæ, dum sub prætextu violentiarum audent sua occultare peccata; contra quos videtur jam olim scripsisse S. Augustinus in Psal. 50. num. 3. ubi sic habet: *Tanti viri peccatum non tacetur, prædicatur in Ecclesia. Audiunt male viventes, & quærunt sibi patrocinia peccandi; attendunt, unde defendant quod committere paraverunt, non unde caveant quod non commiserunt, & dicunt, Si David, cur non & ego? Inde anima iniquior, quæ cum propterea fecerit, quia David fecit; ideo pejus quam David fecit. David nullum sibi ita ad exemplum proposuerat, ut tu; ceciderat lapsu cupiditatis, non patrocinio sanctitatis: tu tibi tamquam sanctum proponis, ut pecces, non imitaris ejus sanctitatem, sed imitaris ruinam. Hoc amas in David, quod in se odit David: præparas te ad peccandum, disponis peccare: librum Dei, ut pecces, inspicis; Scripturas Dei ad hoc audis, ut facias quod displicet Deo: hoc non fecit David; correptus est per Prophetam, non lapsus est in Propheta.* Validissime, ut puto, his verbis Augustini premuntur Quietistæ, qui sub prætextu sanctitatis habenas laxant cupiditati, & abutentes Scripturis Sanctis in patrocinium suorum errorum, non corripiuntur a Prophetis, sed labuntur in scriptis Prophetarum, affingendo eisdem turpissimas violentias carnales, quas numquam passi sunt sancti Prophetæ.

Sed adeamus jam Prophetam Jeremiam, cui violentias prætensas quomodo attingere audeat Molinosius, non video. Notum quippe est, illum in utero matris sanctificatum fuisse; ut habetur Jerem. cap. 1. vers. 5. *Antequam exires de vulva, sanctificavi te, & Prophetam in gentibus dedi te:* & Eccli. 49. vers. 9. *Male tractaverunt illum, qui a ventre matris consecratus est Propheta.* Porro vita sanctorum Prophetarum adeo pœnitens, ut eam describit doctissimus Calmet in Dictionario Verb. *Propheta*, abs dubio longissime distabat ab ejusmodi impudicitiis, fortissimeque arcebat dæmonis violentias, ac tentationes. Aliqua ad institutum nostrum delibabo ex laudato Auctore, qui loc. cit. ita scribit. *Prophetæ ut plurimum a populo segregatam, sive in agro, sive seorsim cum discipulis, orationibus, manuum exercitio, & studio intenti vitam instituebant. Domos habebant simplici opere constructos, quas ipsi suis manibus fabricabantur, ligna etiam, si opus foret, in eam rem ipsi cædentes. Nec tamen lucello operibus hisce captando studebant; quin & opus omne, quod contentionem mentis exigeret, respuebant .... Elias pellicea veste, & coriacea zona succinctus prodibat.* IV. Reg. 1. vers. 8. *Isaias sacco indutus, veste nempe pannosa, rudi, & atro colore teterrima .... Porro parsimoniæ studium in omnibus Prophetæ præseferebant; oblata illis munera panis erant, fructus, & mel: munera sane pauperibus digna.* I. Reg. 9. 7. 8. & III. Reg. 14. & IV. Reg. 42. *In usum illorum, veluti qui nihil possiderent, primitiæ ex fructibus terræ segregabantur. Femina Sunamitis Eliseum hospitio excipiens, simplici sane, atque modesto apparatu cellam illi destinavit.* IV. Reg. 4. 10. *Idem Propheta ditissima munera a Naamano oblata recusavit; ac Giezi, quem illa accepisse noverat, a contubernio statim segregavit.* IV. Reg. 5. 26. *Vitam vero frugi ducebant, uti ex historia colocyntidum, quas in cibum Prophetarum quidam ex fratribus coxerat, satis intelligimus.* IV. Reg. 4. 39. 40. *Elias solo pane & aqua ad prolixi itineris laborem sustinendum ab Angelo instructus fuit.* III. Reg. 19. 6. *Nec nisi pulmento Daniel a Propheta Habacuc refectus est.* Daniel. 14. 32. *Ac tandem solo pane & aqua Prophetæ illi, curante Abdia procuratore Achabi, in speluncis latentes victitarunt.* III. Reg. 18. 7. *A cœtibus tamen Prophetarum feminæ aberant. Elias & Eliseus, quantum scimus, cælibes erant; ac mulier Elisei hospes caute admodum ad illum alloquendum accessit. Nam Giezi mediatore illum convenit, neque in ejus cellam, & coram illo se sistere ausa est.* IV. Reg. 4. 27. *Si dolore adigente, illa ad pedes Prophetæ accidit, statim a Giezi prohibita, removetur. Demum vitam Prophetarum S. Paulus perhibet, ad Hebræos 11. vers. 35. scribens:* „ Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, „ egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat „ mundus. In solitudinibus errantes, in montibus, & „ speluncis, & cavernis terræ. “ Hæc fuit Sanctorum Prophetarum vita, de quibus nefarius Molinosius ausus est effutire, violentias dæmonum passos esse impurarum operationum exteriorum, adeo ut pollutiones, & actus obscenos propriis manibus perpetrarent. Quæso, quis non acuat linguam suam in ejusmodi impium seductorem? immo quis non ejus linguam abscindendam edicat, osque saxo contundendum, quod adeo sacrilege debacchatum est in sanctissimos Prophetas?

§. XLIX.

LI. *In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos. Ut illud de Samsone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila fornicatus est; quæ alias erant prohibita, & peccata fuissent. De Judith, quæ Holoferni mentita fuit. De Eliseo, qui pueris maledixit. De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Acab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit; in dubio relinquitur.*

ALios actus exteriores peccaminosos in Sacra Scriptura ex violentia causatos reperiri adstruit in hac Propositione Molinosius, ac recenset: anceps tamen hæres, an violentia immediate a Deo prodierit, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingere supra somniaverat.

Propositio, quæ, ut jacet, *subjacet censuris Propositionis XLVII. cum eisdem notis*, impugnatur I. ex eo quod Ecclesia, *cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum Sanctarum* (ut declaratur in Tridentino sess. 4. Decreto de edition. & usu Sacror. Libror.) nusquam sic prædictas actiones, & operationes intellexit; dum aliquas factas fuisse docet ex instinctu Spiritus Sancti. Proinde non prodierunt ex violentia: Deus enim infundens sua dona, eisque hominem dirigens, non cogit hominem per violentiam proprie dictam; licet suaviter compellere aliquando nostram voluntatem dicatur. Quasdam vero actiones, ibi recensitas, fuisse peccata fatetur: verum citra prætensam violentiam fuisse commissas adstruit.

Impugnatur II. specialiter quoad facta a Molinosio recensita. Et primo quidem Samson, qui seipsum occidit cum Philistæis, excusatur a peccato a sacris Interpretibus. Neque enim proprie, aut directe se occidit; sed indirecte dumtaxat, ac permissive, eadem Clade (quam ipse inferebat hostibus, & ipse evadere non poterat) sese involvi permittendo. Ita Cajetanus, Lyranus, Victoria, Soto, Lessius, Serarius, quos citat Tirinus ad cap. 16. Judith num. 3. Immo S. Augustinus dicit, Samsonem id egisse speciali Dei instinctu; ut colligitur ex pristino supernaturali robore, ad hunc finem illi jam pœnitenti divinitus restituto. Unde lib. 1. de Civit. Dei cap. 21. scribit: *Nec Samson aliter excusatur, quod seipsum cum hostibus ruina domus oppressit, nisi quia Spiritus*

ritus

situs latenter hæc jussesat, qui per illum miracula faciebat. Nec desunt Auctores, qui Samsonem martyrem prædicant ob egregium heroicæ fortitudinis actum, quem patravit; ac proinde meruit laudari ab Apostolo ad Hebræos 11. v. 32. ut prosequitur ibidem laudatus Tirinus. Quoad conjugium vero cum alienigena, & Philistæa, quod erat ei per legem Deuteron. 7. prohibitum: dicendum, in hoc quoque Samsonem fuisse immunem a peccato; quia id contraxit Deo inspirante, ac dispensante, ut legitur Judic. 14. vers. 4. *Parentes autem ejus nesciebant, quod res a Domino fieret.* Et ita explicant S. Ambrosius, Cajetanus, Arias, quos citat, & sequitur Tirinus ad cap. 14. Judic. num. 3. Circa fornicationem cum Dalila meretrice, multi Sanctorum Patrum (quos citat Tirinus ad cap. 16. Judic. num. 4.) contendunt, Dalilam fuisse uxorem Samsonis: unde cessaret objecta fornicatio. Alii vero majori cum fundamento affirmant, inter quos S. Ambrosius, S. Hieronymus, Abbas Joachim, Abulensis, & Serarius, quos citat, & sequitur loco dicto Tirinus, Dalilam revera fuisse meretricem, & Samsonem peccasse cum illa peccato fornicationis, licet postmodum pœnituerit: unde excluditur prætensa violentia.

Quoad Juditham vero, dicendum, eam non fuisse mentitam Holoferni duci Philistinorum. Hinc ait S. Augustinus Serm. 49. Append. de Juditha, alias de tempore 22. *Non decuit pudicam mentiri, non intelligentibus dixit, perfecit artibus, quod promisit.* Ipsa enim cap. 11. vers. 15. promiserat Holoferni se ducturam ipsum per mediam Jerusalem. Duxit; & implevit, quod dixerat, ejus caput abscissum Israelitis tradendo, qui illud gloriantes circumduxere, ac in muris tandem civitatis suspensum Philistæis hostibus exhibuere. Redeamus ad S. Augustinum, qui consone ad hæc lib. 21. de mendacio ita scribit: *Omnia in Evangelio, quæ imperitioribus mendacia videntur, figuratæ significationes sunt:* quod repetit lib. contra mendacium ad Cresconium cap. 10. S. Augustino subscribit S. Thomas 2. 2. quæst. 110. art. 3. ad 3. ubi inquit: *Quidam commendantur in Scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem: scilicet, quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur ad quædam indebita facienda. Et hoc modo Judith laudatur, non quia mentita est Holoferni, sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit. Quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum.* En iterum exclusa prætensa violentia in Judith. Quoad factum Elisei injuste traductum a Molinosio, audiendus est S. Augustinus, qui Serm. 41. Append. de Eliseo, alias 204. de tempore, ita scribit: *Dolens ergo beatus Eliseus de interitu populi, immo Sanctus Spiritus per beatum Eliseum volens reprimere superbiam Judæorum, fecit venire duas ursos, & laceraverunt quadraginta duos pueros; ut percussis parvulis, majores reciperent disciplinam, & mors filiorum fieret disciplina parentum. Nemo erga beato Eliseo ore vipereo derogare præsumat: quia hoc, quod de pueris illis factum est, non tam ipse propria virtute, quam per illum Spiritus Sanctus fecisse credendus est.* Ideo non violentia pulsus, sed divina inspiratione zelo Religionis percitus, ad correctionem Judæorum, Eliseus justam punitionem pueris a Deo est imprecatus.

Elias vero, quando combussit Duces cum turmis (ut habetur IV. Reg. 1.) non coactus violentia, sed animo, ac fine bono id patravit; ut scribit S. Augustinus lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 20. in hæc verba. *Magni autem, & Sancti viri, qui jam optime scirent, mortem istam, quæ animam dissolvit a corpore, non esse formidandam; secundum eorum tamen animum, qui illam timerent, nonnulla peccata morte punierunt, quod & viventibus utilis metus incuteretur, & illis, qui morte puniebantur, non ipsa mors noceret, sed peccatum, quod augeri posset, si viverent. Non temere illi judicabant, quibus tale judicium donaverat Deus. Inde est, quod Elias multos morte affecit, & propria manu, & igne divinitus impetrato: quod & alii multi magni, & divini viri eodem spiritu consulendi rebus humanis non temere fecerunt.* Impetravit itaque Elias, ut eorum puniretur peccatum, & irreverentia vocabatur enim ab eis per ironiam, *Homo Dei*, quem & captivum ducere tentabant ad Regem Ochoziam, ut ab eo puniretur, cui mortem prænuntiaverat) ac ut alii ad illorum exemplum corriperentur, emendarenturque. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 108. art. 1. ad 4. loquens de sanctis Prophetis Elia & Eliseo, tradit, quod dum injuria illata ad propriam personam spectat; toleretur patienter necessum sit: si vero ita inferatur propriæ personæ, ut simul redundet in Dei & Ecclesiæ contemptum; debeat ulcisci. Verba S. Doctoris sunt, quæ subjicio: *Injuria, quæ infertur personæ alicui, quandoque redundat in Deum, & in Ecclesiam: & tunc debet aliquis propriam injuriam ulcisci; sicut patet de Elia, qui fecit ignem descendere super eos, qui venerant ad ipsum capiendum, ut legitur IV. Reg. 1. Et similiter Eliseus maledixit pueris eum irridentibus, ut habetur IV. Reg. 2. Inquantum vero injuria in aliquem illata ad ejus personam pertinet; debet eam tolerare patienter, si expediat.* Ex quibus evanescit prætensa violentia in sanctis Prophetis Elia & Eliseo.

Demum id quod pro appendice subdit impius Pseudo-Mysta, scilicet: *An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit; in dubio relinquitur:* refellendum est auctoritate S. Thomæ, qui pluries docet, Deum non movere nos vel per seipsum, vel per Angelos ad operandum, nisi juxta exigentiam, & conditionem libertatis humanæ. Unde non modo non causat violentiam, sed neque necessitatem ad agendum. Hinc Part. 1. quæst. 83. art. 1. ad 3. ait: *Deus est prima causa movens & naturales causas, & voluntarias. Et sicut naturalibus causis, movendo eas, non aufert quin actus earum sint naturales; ita movendo causas voluntarias, non aufert quin actiones earum sint voluntariæ: sed potius hoc in eis facit. Operatur enim in unoquoque secundum ejus proprietatem.* Vides, quantum distet Molinosius a doctrina D. Thomæ, quæ merito doctrina Ecclesiæ dici potest. Affingit enim ille Deo per horribilem blasphemiam, quod aliquando violentiam per se, vel per dæmones nobis inferat ad patrandos etiam actus peccaminosos. Rursus idem S. Thomas Quodlibet. 1. art. 1. ad 1. ait: *Deus movet omnia secundum modum eorum. Et ideo divina motio a quibusdam participatur cum necessitate; a natura vero rationali cum libertate, propter hoc, quod virtus rationalis se habet ad opposita. Et ideo sic Deus movet mentem humanam, quod possit huic motioni resistere.* Ergo inconcussum stat, quod Deus numquam creaturam rationalem moveat ad agendum, eidem violentiam inferendo.

§. L.

LII. *Cum hujusmodi violentiæ, etiam impuræ, absque mentis obfuscatione accidunt; tunc anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.*

OBserva hic Molinosium hanc Propositionem intelligere eo sensu, quem præmiserat XLI. Propositione: prætensas scilicet violentias a dæmone immissas contingere animabus perfectis, etiam citra mentis obfuscationem, vel arreptionem; ac per consequens in vigilia, nempe dum cognoscerent, & adverterent actus de se malos operari. Quamobrem turpissimum fœtidissimumque proponit errorem amplectendum, primo perperam supponens, animam vere pati eas violentias; licet S. Thomas, aliique Doctores, ut supra diximus, fieri posse ejusmodi violentias in arreptitiis etiam in vigilia recipiant. Secundo alium cumulat errorem, quod anima sic male agendo in suo sensu, vere diabolico, adhuc nihilominus de facto Deo magis uniretur; quasi Deus esset spiritus immunditiæ, atque humanis obscenitatibus delectatus, eam sibi intime per unionem affectivam copularet. Quamobrem Propositio, ut jacet, *subjacet censuris XLVI. cum eisdem notis.* Ad impugnationem Propositionis quoad primam partem, videantur dicta superius pro impugnatione Propositionis XLVI. ex doctrina S. Thomæ.

Secunda vero pars Propositionis refellitur ex eo, quia unio animæ cum Deo habetur per actus intellectus, & voluntatis; ut ait S. Thomas 2. 2. quæst. 81. art. 7. *Mens hominis spiritualibus actibus Deo conjungitur:* & Part. 3. quæst. 6. art. 6. ad 1. ait: *Unio animæ cum Deo est per operationem, inquantum scilicet eum cognoscimus, & amamus:* & in 3. Sentent. dist. 2. quæst. 1. art. 3. quæstiunc. 1. ad 3. scribit: *Conjunctio animæ cum Deo consistit in operatione intellectus, & voluntatis.* Atqui hujusmodi operationes impediuntur per delectationes carnales; ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 33. art. 3. in corp. dicens: *Delectationes corporales impediunt usum rationis triplici ratione. Primo quidem ratione distractionis: quia ad ea, in quibus delectamur, multum attendimus. Cum autem intentio fortiter adhæserit alicui rei, debilitatur circa alias res, vel totaliter ab eis revocatur. Et secundum hoc si delectatio corporalis fuerit magna; vel totaliter impediet usum rationis, ad se intentionem animi attrahendo, vel multum impediet. Secundo ratione contrarietatis. Quædam enim delectationes maxime superexcedentes sunt contra ordinem rationis. Et per hunc modum dicit Philosophus in 6. Ethic. quod delectationes corporales corrumpunt existimationem prudentiæ. Tertio modo secundum quamdam ligationem, inquantum scilicet ad delectationem corporalem sequitur quædam transmutatio corporalis, major etiam, quam in aliis passionibus, quanto vehementius afficitur appetitus ad rem præsentem, quam ad rem absentem. Hujusmodi autem corporales perturbationes impediunt*

usum

usum rationis, sicut patet in vinolentis, qui habent usum rationis ligatum, vel impeditum. Vides, quam solide doceat S. Thomas, quod delectationes corporales impediant usum rationis. Proinde anima sordescens ejusmodi delectationibus non poterit Deo uniri, ut perperam docet si Molinosius. Quod jampridem tradiderat S. Augustinus lib. 5. contra Julianum Pelagianum cap. 10. in hæc verba : *Quid cogitari potest tunc, quando mens ipsa qua cogitatur, illa carnali delectatione submergitur? Nimirum in ejus impetu neminem posse sancta cogitare.* Et lib. 3. Confess. cap. 8. inquit : *Violatur quippe ipsa societas, quæ cum Deo nobis esse debet ; cum eadem natura, cujus ille auctor est, libidinis perversitate polluitur.* Ex quibus constat luculentissime Molinosii inconsequentia, ac falsa suppositio, qua laborat præsens hæc ejus doctrina. Si namque prætensæ violentiæ impuræ unionem animæ cum Deo absolute impediunt ; non stabit profecto unio major ejusdem cum Deo : cum deficiente absoluto, repugnet comparativum, ut ipsi quoque scioli probe norunt.

§. LI.

LIII. *Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta, regula quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, & videre, quod sint animæ, quæ proficiunt in via interna, sed regulam sumere a lumine quodam actuali, cognitione humana ac theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta : & certus sum quod hoc lumen a Deo procedit ; quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium ; eo modo, quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare.*

TRadit in hac Propositione Molinosius regulam ad cognoscendum, quando aliqua operatio prætensis violentiis tanto ardore inculcatis accensenda sit : atque hujus regulæ fundamentum esse non Sacræ Scripturæ, non Patrum, aut Ecclesiæ doctrinam, sed lumen quoddam actuale, humana ac theologica cognitione superius, quod ipsummet cognoscere facit cum interna certitudine, eam operationem esse violentam ; immo certum esse, lumen hoc a Deo provenire, cum ad ipsum perveniat conjunctum cum certitudine, quod a Deo procedat : eo modo, quo interdum divina revelatione illustratus ita certus redditur de divina revelatione, ut nequeat de opposito dubitare. Paucis dicam, ad spiritum privatum recurrit tum veterum, tum recentiorum novatorum commentum ad excusandas excusationes in peccatis excogitatum. Quare Propositio, ut jacet, est *temeraria, perniciosa, erronea, expresse sapiens hæresim, blasphema, & omnium hæresum subterfugium.*

Impugnatur I. Nemo habet proprii spiritus certam, & exploratam persuasionem ; atque hanc se habere præsumens, insigniter inflatus ac superbus temere sibi attribuit, quod Christus supremis Ecclesiæ rectoribus repromisit. Ezechiel. 13. *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident* : id est, ut exponunt Expositores : *Incautis venditant, quod ipsis suggeris non spiritus Dei, sed propria apprehensio.* Et I. Jo. 4. *Nolite omni spiritui credere ; sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Quod ita interpretatur S. Augustinus Serm. 182. de Verb. Epist. I. Jo. *Præcepit Spiritus Sanctus, ne omni spiritui credamus : & causam cur hoc præceperit, dixit. Quæ illa causa est?* „ Quoniam multi Pseudo-„ Prophetæ exierunt in hunc mundum. “ *Ibi sunt omnes Hæretici, omnesque Schismatici.* Allegabat Sabellius, se intus edoctum, unicam tantum dari Personam in Deo agnovisse. Arius, Filium non esse Patri consubstantialem. Photinus, Christum esse purum hominem. Zuinglius, qui in Lutheranis palæstris edoctus ad castra Sacramentariorum transierat, alio spiritu verba consecrationis interpretatus, circa doctrinam Cœnæ defecit, monitoremque habuit in somniis eum, de quo ipse scribit in Subsid. de Eucharist. non meminisse, *ater is fuerit, an albus.* Aliud insuper ejusdem erroneæ præsumptionis argumentum habes in Luthero, ita initio libri contra Regem Angliæ scribente : *Nactum se spiritum insignem contemptorem tam fraudis, quam furoris Papistici.* Itaque si spiritu privato ducitur Molinosius ad adstruendas sæpe dictas violentias, sicut plurimi jactarunt, se Spiritum Sanctum habere ad recte judicandum cum certitudine, a quo principio interni motus & cogitationes excitentur, quidquid scilicet a bono, quidquid a malo spiritu suggeratur ; qui tamen Pseudo-Magistri, spiritu vertiginis, & mendacii (ut dicitur III. Reg. cap. 22.) agitantur : insigniter inflatus, ac superbus censendus est, & deceptus, temere sibi tribuens, quod Christus supremis Ecclesiæ rectoribus promisit.

Confirmatur. Etiamsi quis certo cognosceret, quod lumen incertum, quo se illustratum existimat, a Deo proveniret, nec umbram hæsitationis admitteret ; adhuc id in materia morum numquam esse posset ad fidem faciendam idoneum, nisi Ecclesiæ approbatio accederet. Paulus enim per Jesu Christi revelationem Evangelium acceperat : hoc tamen cum Apostolis contulisse constat, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset ; ut ipse scribit ad Galat. 2. vers. 2. Quapropter S. Augustinus lib. 28. cap. 4. contra Faustum : *Quis est ergo*, inquit, *tam demens, ut credat nescio cui ex transversa post ducentos, & amplius annos de Perside venienti . . . . cum ipse Apostolus Paulus post Ascensionem Domini de cælo vocatus, si non inveniret in carne Apostolos, quibus communicando, & cum quibus conferendo Evangelium, ejusdem societatis esse appareret ; Ecclesia illi omnino non crederet?* Itaque vel hic spiritus privatus Molinosii, quo certo se jactat agnoscere, quod dictæ violentiæ a Deo prodeant, est spiritus mendacii ; vel veritatis? Si primum ; neque est, neque censeri debet idoneum fundamentum ad rectum in materia morum proferendum judicium. Si secundum ; veritates, quas dicit a Deo provenire, medio quodam lumine actuali cognitione humana & theologica superiore, ab Apostolica Sede, vel a SS. Patrum auctoritate, vel ab unanimi Theologorum sensu postulant dijudicari : si non causa sui, eorum saltem, qui in ea disciplina sunt erudiendi. Cum ergo, ut apertissime constat, ea doctrina de prætensis violentiis tum Sacræ Scripturæ auctoritatibus, tum Patrum sententiis, tum unanimi Theologorum sensui adversetur, ut patet ex superius dictis ; dicendum est, Molinosii Propositionem privato spiritui innixam sustineri non posse.

Impugnatur II. quia Deus non certificat nos de his, quæ per instinctum aliquando inspirat. Unde ruit tota damnata Propositio, in qua asseritur : *Regulam sumo a lumine quodam actuali, cognitione humana & theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta : & certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit ; quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium.* Contra quod aperte scribit S. Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 5. dicens : *Sed contra est, quod Gregorius dicit super Ezechielem : Sciendum est, quod aliquando Prophetæ sancti, dum consuluntur, ex magno usu prophetandi, quædam ex suo spiritu proferunt ; & esse hoc ex Prophetæ spiritu suspicantur.* Si ergo etiam Prophetæ sancti, dum consuluntur, proferunt aliquid ex suo spiritu, ut ait Gregorius relatus a S. Thoma, qui spiritus errori subjectus est, utpote spiritus humanus ; & credunt hoc esse ex Spiritu Sancto : quanto magis id accidere potest Pseudo-Prophetæ, ut fuit Molinosius, in quo de facto id accidit. Sed audiamus S. Thomam ubi supra ita prosequentem : *Dicendum, quod mens Prophetæ dupliciter a Deo instruitur. Uno modo per expressam revelationem ; alio modo per quemdam instinctum, quem interdum etiam nescientes humanæ mentes patiuntur ; ut Augustinus dicit II. super Genesim ad Literam. De his ergo, quæ expresse per spiritum Prophetiæ Propheta cognoscit, maximam certitudinem habet, & pro certo habet, quod hæc sunt sibi divinitus revelata . . . Sed ad ea, quæ cognoscit per instinctum, aliquando se sic habet, ut non plene discernere possit, utrum hæc cogitaverit aliquo divino instinctu, vel per spiritum proprium. Non autem omnia, quæ cognovimus divino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur. Talis enim instinctus est quoddam imperfectum in genere prophetiæ. Et hoc modo intelligendum est verbum Gregorii. Ne tamen error ex hoc possit accidere, per Spiritum Sanctum citius correcti, ab eo quæ vera sunt audiunt ; & semetipsos, quia falsa dixerint, reprehendunt, ut ibidem Gregorius subdit.* Ex quibus patet, quam false somniaverit Molinosius in præsenti Propositione, in qua de prætenso instinctu, non vero de revelatione loquens, adstruit, quod hujusmodi lumen certo sibi cognoscere fecit cum interna certitudine, quod talis operatio esset violenta : quodque certus esset, hujusmodi lumen a Deo procedere ; quia sibi obvenerit conjunctum cum certitudine, quod a Deo provenerit, nec sibi umbram dubii reliquerit in contrarium. Nam ex S. Thoma patentissime constat, ad ea, quæ nos cognoscimus per instinctum etiam divinum, non haberi certitudinem ; sed solum ad ea, quæ habemus per divinam revelationem, sive per spiritum prophetiæ. Hinc apposite ad rem nostram scribit Cardinalis Cajetanus ibid. *Nota cautissime distinctionem prophetiæ, scilicet per expressam divinam revelationem, vel per instinctum divinum, & differentiam tantum inter membra hujus distinctionis, ut prima sit prophetia simpliciter ; secunda autem non oportet quod sit prophetia, nisi secundum*

quid.

quid. Primo parit certitudinem in mente Prophetæ quoad duo; videlicet & quoad revelata, & quoad revelationem: ita quod Propheta per expressam revelationem instructus, clare scit, quæ sibi revelantur; & clare scit, quod Deus hæc sibi revelat. Secunda autem neutrum horum oportet quod det. Quibus apertissimæ falsitatis convincitur Molinosius, dum adstruit certitudinem & quoad rem, & quoad auctorem luminis prætensi.

Confirmatur ex S. Thoma Part. 1. quæst. 111. art. 1. ad 3. ubi ait: *Operatio intellectualis, & illuminatio dupliciter possunt considerari. Uno modo ex parte rei intellectæ: & sic quicumque intelligit, vel illuminatur, cognoscit intelligere, vel illuminari: quia cognoscit rem sibi esse manifestam. Alio modo ex parte principii: & sic non quicumque intelligit aliquam veritatem, cognoscit, quid sit intellectus, qui est principium intellectualis operationis. Et similiter non quicumque illuminatur ab Angelo, cognoscit se ab Angelo illuminari.* Ex qua Angelici doctrina habes luce clarius comprobatum, non posse obtineri certitudinem, an prætensum lumen a Deo procedat, prout certum se jactitat Molinosius in dicta Propositione.

In sequelam vero doctrinæ Angelicæ addimus duos doctissimos Theologos, qui sæculo elapso floruerunt, & antequam detegeretur Molinosiana perversitas, scripserunt de Mystica Theologia. Primus sit eruditissimus æque ac piissimus Cardinalis Bona, qui in suo Opere de discretione spirituum cap. 5. ad rem nostram ita præclare inquit. *Quod in fine præcedentis capitis diximus, nullam certam, & evidentem regulam dari, qua discerni spiritus possint; id paulo fusius, & distinctius tractandum est, antequam de singulis spiritibus disseramus, ut e salebris, in quas multi impingere, & labi solent, initio Operis, Deo juvante, evadamus. Norunt omnes in hac palæstra exercitati, dubiæ quæstionis esse, sit ne evidens, vel obscurum, certum, vel incertum illud judicium, per quod spiritus discernuntur, sive dono specialis gratiæ id fiat, sive per modum artis, & doctrinæ. In cujus rei explicatione, ut ordinatim procedamus, de illo primo, quod fit per gratiam Spiritus Sancti, agendum est: quod sane certum, & infallibile videtur esse, sicut est prima, & summa veritas, quæ ipsum suggerit, & inspirat. Nihilominus dicendum est, hoc judicium non esse evidens per evidentiam rei in se, sive in causa; quia causa est occulta, & non conceditur judicanti visio perspicua, & intuitiva illius spiritus, cujus instinctum dijudicat, sive bonus, sive malus ille sit: neque per evidentiam ab effectu; quia si posset ab effectibus evidenter cognosci, non esset ad tale judicium gratia specialis necessaria. Asserendum item est, non esse proprio, & formaliter certum: quia esset assensus fidei, cui proprium est certitudinem habere cum inevidentia; vel esset assensus propheticus per expressam revelationem, de cujus ratione est, divinæ auctoritati, & veritati inniti. At hoc judicium fit per instinctum Spiritus Sancti sine expressa revelatione; & qui hoc modo discernit spiritus, non est certus, Deum esse, qui ipsum movet ad ita judicandum, nec id alteri proponit ut de fide credendum. Ex quo fit, ut judicium certum non proferat, ac interdum decipi possit; quod aliquando Prophetis contigisse magnus Gregorius testatur. Quia vero Spiritus Sanctus non movet speciali instinctu nisi ad id, quod reipsa verum & certum est; potest hoc judicium infallibile dici ex parte principii moventis, ac proinde materialiter certum: quamvis in eo qui judicat, nulla sit certitudo; quia prorsus ignorat, aut saltem dubitat, an illud judicium ex motione & directione Spiritus Sancti procedat .... Hinc fraudes* (prosequitur laudatus Cardinalis ubi supra cap. 1. n. 4.) *hinc doli, hinc illusiones, hinc pericula, & lapsus. Hinc horrenda magnorum virorum præcipitia, quorum cum plurima proferre valeam exempla, duo tamen præ cæteris notanda sufficient, ut discant fideles, non altum sapere, nec sibi temere spirituum discretionem arrogare. Quis inter Ecclesiæ Proceres sapientior, & nobilior Origine? cujus tanta vis ingenii, tanta doctrinæ profunditas, tanta eruditionis ac eloquentiæ ubertas, tanta vitæ sanctimonia fuit, ut apud omnes admirationi esset. Et hic tantus, ac talis vir, dum ingenio suo nimium indulget, dum proprio spiritu inflatus veterum traditiones contemnit; in absurdos errores lapsus est. Tertulliani quoque par casus fuit. Hic enim mira ingenii capacitate, omnes Philosophorum sectas, omnes disciplinas complexus, vetustæ fidei parum tenax, dum specie deceptus castitatis, & abstinentiæ, falsa Montani dogmata, & insanarum mulierum deliramenta, tamquam veras prophetias præcipiti judicio suscipit; ex Ecclesiæ magistro orthodoxæ fidei hostis acerrimus factus est.* Hactenus Eminentissimus Bona, qui si scripsisset post exortam Quietistarum hæresim, & impugnare voluisset Propositionem, quam confutamus, necnon præcipitium infelicis Molinosii prædicere intendisset; fortioribus eum terminis urgere, atque refellere non potuisset.

Alter Theologus, qui pariter, antequam Molinosii errores panderentur, & damnarentur, perdocte scripsit de Mystica Theologia, est P. Dominicus a Sanctissima Trinitate Carmelita Discalceatus, quem non semel laudavimus in confutatione aliarum Propositionum. Hic ergo in sua Mystica Theologia lib. 7. sect. 7. cap. 5. ad nostrum institutum ita inquit. *Datur duplex spirituum discretio. Una acquisita, quæ nimirum a Theologis per modum artis, & doctrinæ fit, de qua agemus capite sequenti; altera autem infusa, sive quæ fit ex infuso lumine quam inter gratias gratis datas septimo loco recenset I. ad Corinthios 12. Apostolus, quæ a Spiritu Sancto non omnibus datur, sed quibus, & quando vult, ad discernendos spiritus non solum in seipsis, sed etiam in aliis ad communem Ecclesiæ utilitatem, de qua modo est sermo. Advertendum est autem primo, per quod spiritus discernuntur, sive dono specialis gratiæ fiat, sive per modum artis, & doctrinæ, non esse omnino certum, & infallibile, nisi adsit expressa revelatio. Unde qui hoc modo discernit spiritus, non est etiam certus Deum esse, qui ipsum movet ad ita judicandum, nec id alteri proponit ut de fide credendum: sicque aliquando non solum, ut judicium certum non proferat; sed decipi possit, ut diximus supra, ex Divo Gregorio Magno, Prophetis etiam contigisse. Quia tamen Spiritus Sanctus speciali non movet instinctu, nisi ad id, quod reipsa verum ac certum est; potest hoc judicium infallibile dici ex parte principii moventis, ac proinde materialiter certum: quamvis in eo qui judicat, nulla sit certitudo formalis; quia vel ignorat, vel saltem dubitat, an illud judicium ex motione, & directione Spiritus Sancti procedat.* Ex quibus omnibus clarissime proditur Molinosii commentum, dum asserere non erubescit, se habuisse lumen divinum ad discretionem spirituum cum interna certitudine tam quoad res discernendas, quam quoad principium talis certitudinis, scilicet quod a Deo proveniret. Unde dicendum cum Jer. cap. 23. contra Molinosium ejusque doctrinæ promulgatores: *Seduxerunt populum meum, cum ego non misissem eos.* Demum pro coronide confutationis hujus Propositionis adnotandum est cum laudato P. Dominico a SS. Trinitate ubi supra, quod licet gratiæ gratis datæ etiam in malis hominibus reperiri queant, cum ex primario & intrinseco fine, non ad propriam sanctificationem, sed ad aliorum ædificationem tribuantur, & ordinentur; attamen hæc gratia discretionis spirituum solis justis, & mundis corde inesse non incongrue affirmari potest. Nam ex doctrina S. Thomæ 2. 2. quæst. 172. art. 4. per morum malitiam donum discretionis spirituum impeditur. Siquidem infusio luminis superioris, ac supernaturalis ad illud necessaria, mentis tranquillitatem, & internam pacem requirit, quæ in animo vitiis obnoxio, terrenisque affectibus perturbato locum non habet: & qui spiritu Dei pleni sunt, hi soli, quidquid Dei est, protinus percipere consueverunt. Proinde ex hac Angelici doctrina semper magis falsitatis convincitur Molinosius (cujus vita, & mores perditi satis ex iis, quæ docuit ipsemet, ac operatus est, dijudicari possunt) dum adstruit, se lumine divino donatum fuisse cum interna certitudine ad spirituum discretionem, & præcipue ad prætensas violentias dæmonis ad actus peccaminosos a peccato absolvendas.

Addimus his omnibus, jam luculenter constare ex judicio Ecclesiæ, manifestaque errorum ejus detectione, Molinosium aut petulantissima hypocriseos præsumptione contra conscientiæ dictamen hujusmodi doctrinam jactasse in summam animarum ruinam; aut a Diabolo ita illusum fuisse, & obcæcatum, ut sibi persuaderet, se spiritum Dei habere, dum vitam sceleratissimam doceret esse ducendam. Enimvero jam ostensum est, violentias ab eo prætensas non esse violentias veras, sed solum allectiones, & suasiones vehementiores. Deinde doctrinam illam perditissimi hominis, quod hujusmodi tentationibus nullo modo sit resistendum, nec etiam per actum internum; non item esse reprimendos fœdissimos motus; non retinendas manus ab absurdis pollutionibus, tactibus, amplexibus, & ad fornicandum trahentibus membra alterius sexus: hujusmodi, inquam, doctrinam quis vel cæcus mente non videt prodire non potuisse ab instinctu Spiritus Sancti; sed ortam fuisse a consilio, & suggestione spiritus immunditiæ, & omnis nequitiæ, totiusque potestatis tenebrarum, ad quas jamdudum illam relegavimus.

§. LII.

LIV. Spirituales via ordinaria in hora mortis se delusos invenient, & confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

EN vulpes de earum spiritualium personatum conqueritur infelicitate, quæ per suam viam internam gradientes, in extremis se confusas animadvertent, propter omnes passiones in alia vita purgandas.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, arrogans, & injuriosa viris sanctis.*

Observa, juxta Molinosii sensum in superioribus Propositio-

positionibus explicatum, illos sub nomine sectatorum ordinariæ vitæ spiritualis intelligi, qui per viam meditationis incedunt, atque nondum ad contemplationem infusam pervenerunt, velut a recto tramite aberrantes, propter neglectam animæ annihilationem prætensis violentiis obtinendam.

Falsitas hujus Propositionis colligitur ex eo quod scribit Apostolus I. ad Corinth. 15. 58. in hæc verba: *Abundate in omni opere bono; scientes, quod labor vester non est inanis in Domino. Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis.* Atqui sectatores ordinariæ vitæ spiritualis non raro abundant in operibus bonis. Ergo se delusos in hora mortis non invenient. Non enim injustus est Deus, quin *retribuat unicuique secundum opera sua*, ut legitur Matth. 10. Probatur Minor. Spirituales vitæ ordinariæ pugnant sæpe sæpius, ac devincunt passiones, virtutesque exercent; ut docet S. Gregorius Homil. 9. in Evangelia dicens: *Sunt nonnulli, qui etsi interna ac mystica penetrare nesciunt, pro intentione tamen supernæ patriæ docent recta, quos possunt, de ipsis exterioribus, quæ acceperunt, duplum talentum portant. Dumque se a carnis petulantia, & a terrenarum rerum ambitu, atque a visibilium voluptate custodiunt, ab his etiam alios admonendo compescunt.* En, quod juxta sensum D. Gregorii, sectatores vitæ spiritualis ordinariæ, qui scilicet interna ac mystica penetrare nesciunt, hoc est, qui ad contemplationem non pervenerunt, virtutes exercent, ac contra passiones pugnant, dum nimirum se a carnis petulantia, a terrenarum rerum ambitu, atque a visibilium voluptate custodiunt; proinde a cælesti patrefamilias ad æternam remunerationem vocantur. Qua ergo fronte docere poterit Molinosius, quod in hora mortis se delusos, ac confusos invenient, cum omnibus passionibus in alia vita purgandis? Unde idem S. Gregorius ad rem nostram ita scribit Homil. 3. in Ezechielem. *Quis enim cognoscens Deum, ad ejus regnum ingreditur, nisi prius bene operetur? Sine contemplativa ergo vita intrare possunt ad cælestem patriam, qui bona quæ possunt operari, non negligunt. Sine activa autem intrare non possunt, si negligant bona operari quæ possunt. Ista ergo in necessitate, illa in voluntate est.* Quid clarius? Itaque sectatores vitæ spiritualis ordinariæ, qui proinde per viam internam non incedunt, si bona operari studeant; coronam æternam consequentur. Adhæret S. Gregorio D. Bernardus, qui Serm. 3. de Circumcisione, loquens de contemplatione, scribit in hunc modum. *Multi tota vita sua ad hoc tendunt, & numquam pertendunt: quibus tamen si pie, ac perseveranter conati sunt, statim ut de corpore exeunt, redditur quod in hac vita dispensatorie est negatum, illuc perducente eos sola gratia, quo prius tendebant cum gratia.* Vides iterum ex sancto Abbate, quod spiritualis vitæ ordinariæ sectatores in hora suprema haudquaquam animo dejicientur, sed summa perfruentur tranquillitate, ob spem imminentis præmii æterni, quod illis retribuet judex justus.

Confirmatur I. ex eo quod docet S. Thomas in 3. Sentent. distinct. 29. quæst. 1. art. 8. in hæc verba. *Sicut in augmento corporali distinguuntur diversæ ætates, secundum diversos effectus notabiles, in quos natura proficit, quos prius exercere non poterat; ita etiam in augmento spirituali assignantur gradus diversi caritatis, secundum aliquos notabiles effectus, quos in habente caritatem caritas relinquit. Primus autem effectus caritatis est, ut homo a peccato discedat; & ideo mens caritatem habentis in primis circa hoc maxime occupatur, ut a peccatis præteritis emundetur, & a futuris præcaveat: & quantum ad hunc effectum dicitur caritas incipiens. Secundus effectus est, ut jam fiduciam de liberatione peccatorum habens, in bonum adipiscendum se extendat: & quantum ad hunc effectum dicitur caritas proficiens; non quia in aliis statibus non proficiat, sed quia in hoc statu præcipua cura est de adipiscendis bonis, dum homo semper ad perfectionem anhelat. Unde iste status duo habet. Unum secundum quod comparatur ad primum statum; quia roboratur contra mala, de quibus caritas incipiens sollicita est: aliud quod nutritur, secundum quod tendit in statum tertium, semper magis ac magis bona quasi sibi comparando.* Ergo ex D. Thoma spiritualis vitæ ordinariæ professores, hoc est, incipientes, ac proficientes, & roborantur contra passiones, & virtutum opera exercent. Quomodo ergo stabit, quod in hora mortis se delusos, atque confusos invenient, cum omnibus passionibus in alia vita purgandis; cum proprium sit hujusmodi status devincere passiones, & contra illas pugnare, atque virtutes acquirere, seseque in iis exercere? Præterea idem S. Thomas ad institutum nostrum 2. 2. quæst. 24. art. 9. ait: *Primo quidem incumbit homini studium principale ad recedendum a peccato, & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium caritatis movent: & hoc pertinet ad incipientes; in quibus caritas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc, quod in bono proficiat: & hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis caritas per augmentum roboretur.* Habes iterum ex S. Thomæ doctrina, quod sectatores vitæ spiritualis ordinariæ, qui sunt vel incipientes, vel proficientes, resistant passionibus, atque in bonis operibus proficiant; quodque hoc spectet, tamquam munus proprium, ad hujusmodi status personas respective. Ergo perperam mentitur Molinosius, dum absolute ac indiscriminatim adstruit, ejusmodi vitæ spiritualis ordinariæ professores in hora mortis se inventuros delusos, confusosque, dum illis remanebunt passiones omnes purgandæ in alia vita. Nam licet fortassis particulari cuipiam accidere queat, si negligat facere, quod debet; summæ tamen arrogantiæ nota est, id affirmare de omnibus in supradictis statibus constitutis.

Confirmatur II. ex eo quod spiritualis vitæ ordinariæ sectatores dicuntur illi, qui profitentur vitam activam, ad discrimen eorum, qui spirituali vitæ extraordinariæ incumbunt, quique dicuntur a Deo elevati ad contemplationem. Unde scribit S. Thomas 2. 2. quæst. 181. art. 1. *Vita activa, & contemplativa distinguuntur secundum diversa studia hominum, intendentium ad diversos fines: quorum unum est consideratio veritatis, quæ est finis vitæ contemplativæ; aliud autem est exterior operatio, ad quam ordinatur vita activa.* Atqui proprium vitæ activæ est non solum exercitium exteriorum actionum, puta, auxiliari proximo per opera misericordiæ tam corporalia, quam spiritualia; verum etiam suas interiores passiones componere, ac ordinare, ut docet idem S. Thomas ibid. quæst. 182. art. 3. in hæc verba: *Vita activa potest considerari quantum ad duo. Uno modo quantum ad ipsum studium, & exercitium exteriorum actionum. Alio modo potest considerari vita activa quantum ad hoc, quod interiores animæ passiones componit, & ordinat.* Ergo, qui incedunt per viam ordinariam, hoc est, per vitam activam, velut ex proprio munere ad hos status spectante, debent interiores passiones suas componere, ac ordinare. Non ergo delusos se invenient, atque confusos in hora mortis, cum dictis passionibus in alia vita componendis, seu purgandis. Vel enim ordinant, & componunt animæ suæ passiones; vel non ordinant, nec componunt. Si primum; ergo ruit Molinosii doctrina, dum eas statuit in altera vita purgandas. Si vero secundum; ergo evanescit status quæstionis: supponimus enim, Molinosium sub nomine spiritualium vitæ ordinariæ intelligere incedentes per vitam activam; quibus proinde incumbit, toto studio corrigere passiones suas. Consequenter quocumque se verterit impius somniator, se delirasse animadvertet. Expendas quoque cum eodem Angelico 2. 2. quæst. 181. art. 1. quod *virtutes morales pertinent essentialiter ad vitam activam*: cumque ex eodem S. Doctore ibid. quæst. 180. art. 2. *Virtutes morales impediant vehementiam passionum*; inferas proinde necessum est, quod ad vitam activam spectet frenare, ac impedire vehementiam passionum. Ergo semper magis proditur ruinosa Molinosii doctrina.

Confirmatur III. ex eo quod docet S. Thomas 2. 2. quæst. 182. art. 2. scilicet, quod aliquis possit magis mereri in vita activa, quam in contemplativa. Unde ait: *Potest contingere, quod aliquis in operibus vitæ activæ plus mereatur, quam alius in operibus vitæ contemplativæ: puta, si propter abundantiam divini amoris, ut ejus voluntas impleatur propter ipsius gloriam, interdum sustinet a dulcedine divinæ contemplationis separari ad tempus; sicut Apostolus dicebat ad Rom. 9.* „ Optabam ego ipse anathema esse a Christo, pro fratribus meis. " *Quod exponens Chrysostomus in libro de compunctione dicit: Ita totam mentem ejus demerserat amor Christi, ut etiam hoc, quod ei præ cæteris omnibus amabilius erat, esse cum Christo; rursus idipsum, quia ita placeret Christo, contemneret.* Sed qui magis merentur in vita activa, hoc est, in via ordinaria, quam in vita contemplativa, immerito dicuntur, quod in hora mortis se delusos, atque confusos invenient, cum omnibus passionibus in alia vita purgandis. Ergo spirituales, qui per vitam activam incedunt, non se delusos invenient in hora mortis, & confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

Confirmatur ultimo ex eo quod docet S. Thomas 2. 2. quæst. 24. art. 8. ubi triplicem assignat perfectionem caritatis; & quidem de tertio gradu, qui est proprius spiritualis vitæ ordinariæ sectatorum, ait: *Tertio modo, quod habitualiter aliquis totum cor suum ponat in Deo: ita scilicet, quod nihil cogitet, vel velit, quod divinæ dilectioni sit contrarium. Et hæc perfectio est communis omnibus caritatem habentibus.* Si ergo proprium est sectatorum vitæ spiritualis ordinariæ, quod habitualiter totum cor suum collocent in Deo, nihil inde cogitantes, aut volentes, quod divinæ dilectioni repugnet; non stabit profecto impium commentum Molinosii, quo temere fingit, ejusmodi sectatores spiritualis vitæ ordinariæ sese delusos in hora mortis deprehensuros esse, cum omnibus passionibus in alia vita purgandis. Flagito enim a Molinosio, num ejus-

ejusmodi spiritualis vitæ ordinariæ professores habeant perfectionem caritatis; necne? Si responderit primum; habebimus intentum. Si vero secundum concesserit; pugnat extra castra, ut ajunt: cum revera non profiteantur vitam spiritualem ordinariam, quæ juxta S. Thomam consistit in perfectione caritatis in tertio gradu assignata.

Consone ad hæc scripsit illuminatissima Virgo S. Theresia cap. 17. Itin. perfect. ubi inter alia præclare docet, spiritualis vitæ ordinariæ sectatores, qui non pervenerunt ad contemplationem, posse magis mereri apud Deum, & esse aliquando perfectiores ipsismet contemplativis, seu vitæ spiritualis extraordinariæ professoribus. Verba sanctæ Doctricis sunt quæ subjicio. *E' cosa che grandemente importa, l'intendere, che il Signore non guida tutti per un cammino: e per avventura quegli, a cui pare di star più basso, sta negli occhi di Dio in più alto luogo. Sicchè non perchè tutte in questo Monistero attendono all' orazione, hanno da essere tutte contemplative: questo è impossibile; e gran consolazione sarà per chi non è, l'intendere tal verità. Questa è cosa data da Dio: a poichè non è necessaria per la salute, nè la dimanda egli per contraccambio; non pensi, che veruno gliela dimanderà, nè perciò lascierà di essere molto perfetta, se fa quello, che si è detto. Anzi potrà essere, che abbia molto più merito, perchè opera con sua maggior fatica, e la guida il Signore come forte, e le tiene serbato tutto insieme quello ch' ella non gode qui. Non si perda dunque d'animo, nè lasci l'orazione, e di far quello che fanno l'altre . . . . Nell' umiltà, mortificazione, staccamento, ed altre virtù sempre è maggior sicurezza. Non ci è che temere, nè con queste abbiate paura di non arrivare alla perfezione, come i molto contemplativi. Santa era S. Marta, benchè non dicano, che fosse contemplativa. Or che volete voi più, che poter arrivare ad essere come questa beata, che tante volte meritò ricevere Cristo Signor Nostro in casa sua, e dargli da mangiare, e servirlo, e mangiar ancor alla sua tavola? State sicure, che facendo voi quello che dovete, e disponendovi per la contemplazione con quella perfezione, che si è detta; se egli non ve la dà, vi tien serbato questo regalo per darvelo tutto insieme in cielo, e che vi vuole guidare come forti dandovi croce di qua, come Sua maestà portò sempre. E qual migliore amicizia, che volere per voi quello, che volle per se? e potrebbe essere, che voi non foste per aver tanto premio per la contemplazione.* Vides, quantum deviet Molinosius a cælesti doctrina S. Theresiæ. Docet enim, posse animas non contemplativas, sed vitam spiritualem ordinariam sectantes, esse perfectas, magisque mereri apud Deum, quam ipsasmet animas vitæ contemplativæ addictas: immo aliquando esse sanctas, ut fuit S. Martha, si exerceant se in virtutibus humilitatis, mortificationis, & contemptus sui, rerumque temporalium. Quomodo ergo ejusmodi animæ, prævio jam virtutum exercitio peracto, delusas se invenient in hora mortis, atque confusas cum omnibus passionibus in alia vita purgandis? Manifestissimæ inconsequentiæ hic argui debet Molinosius, dum ex uno capite hujusmodi animas incedere fatetur per viam activam; proinde & viam incipientium, atque proficientium, quorum est proprium passiones, ac vitia purgare: & ex alio docet, easdem miserrimam sortem subituras in hora mortis, dum illis passiones supererunt in alia vita purgandæ. Consone ad hæc firmanda scribit eadem illuminatissima Virgo Mans. 6. cap. 9. in hunc modum. *Trovansi molte persone sante, che non seppero mai, che cosa fosse ricevere una di queste grazie; ed altre, che le ricevono, e non sono sante . . . . Vero è, che sono di grande ajuto per acquistare le virtù in più alta perfezione: ma chi le otterrà, guadagnandole a spesa, e costo de' suoi travagli, meriterà molto più.* Et in Itin. perfect. cap. cit. idem, ut vidimus supra, declarat; additque: *Io conosco una persona assai vecchia, e di molto buona vita (che piacesse a Dio, che così fosse la mia) penitente, e gran serva di Dio, la quale spende molte ore, ed ha perseverato così molti anni, in orazione vocale: nella mentale non c'è rimedio; il più che possa fare, è trattenersi nelle orazioni vocali.* En quod per solam vitam activam sine contemplativa pertingi potest ad sanctitatem. At quis nisi demens adstruat, sanctum in hora mortis confusum, ac delusum iri? Immo in articulis Issiacensibus habes art. 22. *Absque his extraordinariis orationibus animæ Christianæ ad summam sanctitatem efferri, atque apicem Christianæ perfectionis adipisci possunt*: & art. 23. *Redigere statum interiorem, ac purificationem animarum, ad has orationes extraordinarias, error est manifestus.* Ergo sectatores spiritualis vitæ ordinariæ nedum communem sanctitatem adipisci queunt; verum & summam, atque extraordinariam. Quomodo ergo delusos se invenient in hora mortis, cum omnibus passionibus in alia vita purgandis? Sane repugnat summæ, & extraordinariæ sanctitati extrema hæc confusio, a Molinosio efficta. Addimus his omnibus S. Franciscum Salesium, qui in Collationibus spiritualibus, vulgo *Trattenimenti*, loquens de contemplatione, aliisque divinis charismatibus, Collatione 1. num. 4. ita scribit: *Si ritrovano persone molto perfette, alle quali Nostro Signore non dà mai tali dolcezze, nè simili riposi; e le quali operano ogni cosa colla parte superiore dell'anima, e fanno morire la loro volontà nella volontà di Dio a viva forza colla punta dello spirito. E questa morte è la morte della Croce, la quale è molto più eccellente, e più generosa dell' altra, che si deve piuttosto chiamare sonno, che una morte: perchè quest' anima, che si è imbarcata sul naviglio della provvidenza di Dio, si lascia andare, e va vogando dolcemente; come una persona, che dormendo entro un vascello sopra il mare tranquillo non lascia di avanzarsi. Questa maniera di morte così dolce si dà per modo di grazia; e l'altra per modo di merito.* Nota verba, o Molinosi. Vitam contemplativam vocat sanctus Præsul, gratiam; activam vero, crucem ac meritum. Quomodo ergo ille, qui vices hujus ac munera fideliter expleverit, in hora mortis se delusum inveniet, cum omnibus passionibus in alia vita purgandis?

§. LIII.

LV. *Per hanc viam internam pervenitur, etsi cum multa sufferentia, ad expurgandas, & extinguendas omnes passiones: ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum; nec amplius se anima commoveri sinit.*

ADmittunt Doctores Mystici, collatam fuisse quibusdam peculiarem, ac rarissimam gratiam, quæ concupiscentiæ fomitem extinctum habuerint, aut saltem ita repressum, ut non sentiant ejusdem commotionem: uti fuit extinctus in B. Virgine Maria; atque compressus in S. Thoma Aquinate post victoriam in arce Castri S. Joannis, contra libidinis insultus reportatam, & in quibusdam paucissimis. Asserunt tamen, minime frequentem esse contemplativis.

Molinosius vero hic supponit, per suam viam internam in sensu suo iniquissimam, & execrabilem ex continua conniventia in permittendis pollutionibus, animam ad illam pacem deventuram, ut ex immersione, & obcæcatione demum non sentiat inquietudinem, nec se commoveri patiatur dubiis, scrupulis, & anxietatibus. Quare Propositio, ut jacet, *subjacet eisdem censuris cum XLI*.

Falsitas Propositionis aperitur ex eo quod scribit Apostolus ad Galat. 5. v. 17. in hæc verba: *Caro concupiscit adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur; ut non quæcumque vultis illa faciatis.* Præterea de seipso testatur ad Rom. 7. v. 23. dicens. *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo! Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Constat igitur, etiam sanctos, & contemplativos sentire concupiscentiam repugnantem, & contradicentem legi mentis, & captivantem in lege peccati.

Proditur magis falsitas ejusdem Propositionis ex eo quod definivit Concilium Tridentinum sess. 5. in Decreto de peccato originali dicens: *Manere autem in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet; quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur.* Ergo incedentes per viam internam habent concupiscentiam repugnantem, & impugnantem, quacum dimicent necessum est: proinde passiones habent extinguendas, expurgandasque, quibus inquietantur non raro, & commoventur. Hinc S. Cyprianus in Epistola, sive in Tractatu de mortalitate, ait: *Cum avaritia nobis, cum impudicitia, cum ambitione congressio est, cum carnalibus vitiis, cum illecebris sæcularibus assidua & molesta luctatio est. Obsessa mens hominis, & undique Diaboli infestatione vallata, vix occurrit singulis, vix resistit. Si avaritia prostrata est, exsurgit libido. Si libido compressa est, succedit ambitio. Si ambitio contempta est, ira exasperat, inflat superbia, vinolentia invitat, invidia concordiam rumpit, amicitiam zelus abscindit. Cogeris maledicere, quod divina lex prohibet. Compelleris jurare, quod non licet. Tot persecutiones animus quotidie patitur, tot periculis pectus urgetur, & delectat hic inter Diaboli gladios diu stare, cum magis concupiscendum sit, & optandum ad Christum, subveniente velocius morte, properare. Hinc Apostolus Paulus ait:* „ Mihi vivere Christus est, & mori lucrum: " *lucrum maximum computans jam sæculi laqueis non teneri, jam nullis peccatis, & vitiis carnis obnoxium fieri.* Describit S. Cyprianus vitam hominis justi, qui cupit dissolvi, & esse cum Christo, passionibus, & tentationibus agitatam; nunc his, nunc illis impugnatam. Quomodo ergo verum erit, quod per viam internam perveniatur ad expurgandas, & extinguendas omnes passiones, ita ut amplius anima se commoveri non sentiat? Observat S. Ambrosius de bono mort. cap. 3. victoriam completam a concupiscentiæ insultibus, dum vivimus, obtineri non posse,

sed pro alia vita post mortem reservari: *Operetur igitur mors in nobis, ut operetur & vita. Bona vita post mortem; hoc est, bona vita post victoriam; bona vita, absoluta certamine: ut jam lex carnis legi mentis repugnare non noverit, ut jam nulla sit cum mortis contentio.* Consonat S. Augustinus pluribus in locis idipsum docens, & præsertim Serm. 152. de Verb. Apost. Rom. 8. ubi hæc scribit: *Meminisse debetis, ne propter istam pugnam, sine qua homo esse non potest, etiam qui juste vivit; immo ille in ea est, qui juste vivit: nam nec pugnat, sed trahitur, qui juste non vivit.* Ergo qui juste vivunt, sive qui per viam internam incedunt, juxta phrasim Augustini habent concupiscentiam, eamque expugnent necessum est. Præterea idem S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 15. scribit: *Concupiscentiæ reatus in Baptismate solvitur, sed infirmitas manet, cui, donec sanetur* (in patria) *omnis fidelis, qui bene proficit, reluctatur.* Profecto bene proficientes fideles, in sensu Molinosii, sunt incedentes per viam internam, quos S. Doctor, ut vides, non eximit a certamine contra fomitem, ac concupiscentiam. Rursus ibidem S. Augustinus cap. 23. ait: *Propter istam concupiscentiam, cum qua ita confligunt sancti, non ei consentientes ad malum, ut tamen ejus motibus, quibus repugnantibus resistunt, non careant in hac vita: non eos autem habebunt in illa, ubi absorbebitur mors in victoria.* Vides, Molinosium hanc vitam cum futura beatorum confundere, quæ immunis erit ab omni tentatione, ac passione expugnanda: vere impius seductor qui Ascetis suis spondet quietem diabolicam fuco sanctitatis obvallatam. Insuper S. Augustinus lib. 6. contra Julianum Hæresis Pelagianæ defensorem cap. 14. scribit: *Non enim sine anima ulla potest esse carnis concupiscentia. Nam utique concupiscere viventis, sentientisque naturæ est ..... Motibus igitur suis anima, quos habet secundum spiritum, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum carnem, & rursus motibus suis, quos habet secundum carnem, adversatur aliis motibus suis, quos habet secundum spiritum. Et ideo dicitur:* „ Caro concupiscit adversus spiritum, spiritus adversus carnem. " En iterum ex S. Augustino pugna concupiscentiæ contra spiritum, & spiritus contra carnem; consequenter & inquietudo, ac commotio passionum rebellium. Demum idem S. Augustinus Serm. 30. de verbis Psal. 118. & Apost. Rom. 7. alias de Verb. Apost. 12. cap. 3. dicit: *Itane tu ita vivis in hoc corruptibili corpore, quod aggravat animam, ut caro non concupiscat adversus spiritum tuum, & spiritus adversus carnem tuam? Ista rixa non est in te? Nulla est est concupiscentia carnis, quæ resistat legi mentis? Si nihil in te alteri consistit, vide totum ubi sit. Si spiritus tuus a carne contra concupiscente non dissentit, vide, ne forte carni mens tota consentiat: vide, ne forte ideo non sit bellum, quia pax perversa est. Forte in totum carni consentis, & nulla rixa est.* Sane nihil melius, urgentiusque proferri poterat contra Molinosium, qui ideo adstruit, per viam internam perveniri ad expurgandas, & extinguendas omnes passiones, nullamque inquietudinem, seu commotionem sentiri: quia motibus inordinatis concupiscentiæ solam negativam resistentiam animas voluit adhibere; & inique docuit, oportere, ut sinant naturam commoveri, eo quod hoc sit opus naturæ, non voluntatis. Accedit S. Gregorius, qui lib. 20. Moral. cap. 3. & 4. docet, Sanctos in hac vita semper debere ad tentationes esse paratos; illasque timere, ac præcavere vigili custodia, electorum esse proprium, dicens: *Electi quique, quamdiu in hac vitæ sunt, securitatis sibi confidentiam non promittunt. Horis enim omnibus contra tentamenta suspecti, occulti hostis insidias metuunt: qui etiam tentatione cessante, vel sola graviter suspicione turbantur. Nam sæpe multis grave periculum incauta securitas fuit, ut callidi hostis insidias non tentati, sed jam prostrati cognoscerent. Vigilandum quippe semper est, ut mens continue sollicita numquam relaxetur intentione superna; ne laboriosa deserens, in cogitationibus fluxis, quasi in quibusdam mollibus stramentis jacens, venienti corruptori Diabolo mens se resoluta prostituat. Semper vero est ad certamen adversarii erigendus animus; semper contra occultos insidias cautela providenda. Hinc per Salomonem dicitur:* „ Uniuscujusque ensis super femur suum; propter timores nocturnos. " *Nocturni quippe timores sunt insidiæ tentationis occultæ: ensis autem super femur est custodia vigilans, carnis illecebras premens. Ne erga nocturnus timor, id est, occulta, & repentina tentatio subrepat, semper necesse est, ut femur nostrum superpositus custodiæ ensis premat. Sancti enim viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti. Meminerant namque, quod scriptum est:* „ Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. *Meminerunt, & certitudinem sibi in se promittere non præsumunt; sed positi inter gaudium spei, & tentationis, metuunt, confidunt, & timent; confortantur, & titubant; certificantur, & suspecti sunt.* Audiendus est etiam Cassianus qui lib. 5. de Instit. Renunc. docet immobilem mentis tranquillitatem obtinere in hac vita non posse viros spirituales, & perfectos, ut numquam se commoveri sinant, sed ad eam tendere, semperque pugnare. *Athletæ Christi*, inquit, *in corpore commoranti numquam deficit colluctationum palma, sed quanto magis triumphorum successibus creverit, tanto et etiam colluctationum robustior ordo succedit. Subjugata etenim carne, atque devicta, quantæ adversariorum cohortes, quanta adversariorum agmina adversus victorem militem Christi, triumphis ejus instigata consurgunt? Scilicet ne pacis otio miles Christi lentescens, incipiat oblivisci colluctationum suarum gloriosa certamina, assecuritatis inertia dissolutus, præmiorum stipendiis, ac triumphorum meritis defraudetur. Itaque si ad hos triumphorum gradus cupimus, crescente virtute, conscendere; eodem nos quoque ordine oportet præliorum inire certamina, & primum cum Apostolo dicere:* „ Sic pugno non quasi aerem verberans; sed castigo corpus meum, & in servitutem redigo: " *ut hoc conflictu superato, rursus cum eo dicere possimus:* „ Non est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem; sed adversus principatus, & potestates, adversus Mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus. " Quæso, quomodo hæc vera erunt, si per viam internam perveniatur ad expurgandas, extinguendasque omnes passiones, ita ut amplius non sentiatur inquietudo aliqua, seu commotio? Num melior Sanctis Molinosius? num meliores ejus Ascetæ? Ecce Sancti spem inter & metum jugiter fluctuant, & vos, o novæ stupidæque perfectionis, a natando cerebro Pseudo-Mystæ constructæ ac fabricatæ, protectores, quiescitis securi, tutique per omnia? Heu miseram quietem! heu somnum perfectionis infelicem, cujus extrema luctus interni occupat! Subscribit S. Bernardus Serm. 72. in Cantic. his verbis: *Propterea, ut dixi, huic diei maledixere Sancti, brevem optantes, & cito verti in tenebras, quod sit contentionis & contradictionis dies, dum non cesset in ea caro concupiscere adversus spiritum, legique mentis membrorum contraria lex rebellione infatigabili assidue contradicat. Electos, propter quos omnia fiunt, diu defatigat molesta contradictio; qua captivi ducuntur & ipsi in lege peccati, quæ est in membris ipsorum. Horrent nimirum, ægerrimeque ferunt turpem captivitatem, & tristem contentionem.* Audiat hæc impius Asceta. Ecce Sancti, & electi patiuntur rebellionem passionum, carnisque concupiscentiam, adeo ut brevem exoptent vitam præsentem, diesque suos abbreviari desiderent; & Quietista nefandus in hac tentationum palæstra erit securus? Non sentiet amplius commotionem aliquam, seu tumultum passionum in membris suis corruptibilibus? Hinc S. Thomas Part. 3. quæst. 69. artic. 3. in argum. Sed contr. ait: *Per baptismum id agitur, ut vetus homo crucifigatur, & corpus peccati destruatur, non ita ut in ipso vivente carnis concupiscentia respersa, & innata repente absumatur, & non sit; sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato:* & in corp. art. addit: *Hoc est conveniens propter spirituale exercitium; ut videlicet contra concupiscentiam pugnans homo, victoriæ coronam acciperet. Unde super illud Rom. 6.* „ Ut destruatur corpus peccati: " *dicit Glossa: Si post Baptismum vixerit homo in carne, habet concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque, adjuvante Deo, superet, in cujus figuram dicitur Judicum 3.* „ Hæ sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem, & postea discerent filii eorum certare cum hostibus, & consuetudinem præliandi. " Et art. 4. ad 3. ait ibidem: *Difficultas ad bonum, & pronitas ad malum inveniuntur in baptizatis non propter defectum habitus virtutum, sed propter concupiscentiam, quæ non tollitur in Baptismo.* Vel ergo concupiscentiam a suis Ascetis sublatam per Baptismum concedat necessum est Molinosius; vel fateatur oportet, in illis vigere passionum rebellionem, ac tumultum. Primum repugnat sensui omnium Catholicorum: ergo perperam docere deprehenditur, quod animæ incedentes per viam internam non patiantur concupiscentiam; cum paucissimis dumtaxat, ut supra observavimus, tamquam privilegium speciale fuerit concessa compressio ejusdem, vel extinctio.

Demum audienda est S. Theresia Magistra orationis, quæ pluribus in locis serio admonet animas internas, seu ad contemplationem a Deo elevatas, ut fugiant occasiones peccandi, attenteque vigilent ad tentationes, quas pati gravissimas ex dæmonis infestatione animas ejusmodi docet, & præcipue Mans. 4. cap. 3. ubi ita scribit: *Di una cosa avvertisca io molto chi si vedrà in questo stato* (di contemplazione) *ed è, che si guardi assaissimo dal mettersi in occasioni di offendere Dio: perchè l'anima non è qui ben cresciuta, e forte; ma è come un bambino, che incomincia a lattare, il quale se si discosta dal petto della Madre, che si può di lui aspettare, se non la morte? Temo grandemente, che a chi avrà fatto Dio questa grazia* (dell'orazione di quiete) *e si allontanerà dall'orazione, interverrà così, ed andrà di male in peggio. Io so, che in questo caso vi è da temere assai, e conosco alcune persone, delle quali ho grandissima compassione, avendo in esse ve-*

deto

dato questo che io dico, per essersi discostate da chi con tanto amore voleva darsi loro per amico, e dimostrarlo coll' opere. Avvertisco tanto, che non si mettano nelle occasioni, perchè il Demonio si adopera, e s' industria molto più contr' una di queste anime, che non fa contro molte, alle quali il Signore non faccia tali grazie: perchè possono fargli del gran danno, con tirar altre seco, che facessero gran profitto nella Chiesa di Dio. E benchè non vi fosse altra cosa, che il vedere, che Sua Maestà mostra loro particolare amore; basta a lui per istruggersi in forle perdere, e rovinare. Onde sono da lui grandemente combattute; e se non vinte, rimangono molto più maltrattate, e rovinate dell' altre. Vides ex S. Theresia periculum animarum incedentium per viam internam, & tentationes graviores, quas patiuntur ex dæmonis operatione, quam omnes aliæ animæ per internam viam non ambulantes. Porro dæmon potissimum tentat per commotionem passionum inordinatarum in appetitu sensitivo (ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 80. art. 2.) ac proinde animæ internæ ex operatione dæmonis fortissimam experiuntur passionum deordinatarum rebellionem. Quomodo ergo verum erit, quod per viam internam perveniatur ad expurgandas, extinguendasque omnes passiones, ita ut nihil amplius sentiantur, nihil, nihil; ut impie exaggerat in dicta Propositione Molinosius? Ne autem quisquam arbitretur, S. Theresiam loc. cit. sermonem dumtaxat instituere de animabus internis incipientibus, quæ nondum pervenerunt ad contemplationem infusam; idemque non docere de animabus internis jam provectis: audiatur eadem Sancta, quid astruat de animabus, quæ pervenere ad orationem supernaturalem unionis cum Deo, Mans. 5. cap. 4. ubi ita mirifice ad rem nostram docet. *Io vi dico, figliuole, che ho conosciute persone molto eminenti in ispirito, e ch' erano arrivate a questo stato di unione; e poi il Demonio con le sue grandi astuzie, ed inganni averle guadagnate a se: perchè tutto l' Inferno deve unirsi insieme a questo effetto, attesochè non perde un' anima sola, ma molte. Già tiene egli esperienza in questo caso: imperocchè se consideriamo la moltitudine dell' anime, che per mezzo di una Iddio tira a se, è cosa da grandemente lodarlo.* Quid clarius ad institutum nostrum? Ut vides, docet illuminatissima Virgo, animas internas, quæ multum profecerunt in contemplatione, adhuc a dæmone tentationibus vehementibus infestari, ita ut aliquando etiam expugnentur? Quomodo ergo jactitat Molinosius suorum Ascetarum animas immunes omnino a rebellione passionum, & concupiscentiæ furentis in membris corruptibilibus hominum, & præcipue eorum qui specie sanctitatis foedissimis indulgent obscenitatibus. Si plura exoptas de tentationibus & afflictionibus, quas perferunt animæ proficientes in via interna, vide dicta Dissert. VI. §. 5. & 6.

§. LIV.

LVI. *Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius. Unde quando hic purgatus est, & mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.*

PER viam internam superius expositam Deo inimicam, atque Diabolo amicissimam, primo supponitur amorem proprium purgari: cum potius amor proprius, qui forte solum erat humanus, mundanus, terrenus, & animalis, per hanc viam internam, ubi vehementibus tentationibus non resistitur, atque naturam operari permittitur, quia natura est, velut scarabeus in stercore nutritus, diabolicus evadat. Deinde, hac expleta purgatione diabolica, docet Molinosius duas leges, & cupiditates esse penitus sublatas, animamque gaudere munditia a contagione cujuscumque peccati, etiam venialis.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, & hæresim sapiens respective.*

Impugnatur I. prima pars Propositionis. Sancti enim, & incedentes per viam internam habent duas leges, duasque cupiditates: animæ unam, amoris proprii alteram. Ita S. Thomas 1. 2. quæst. 74. art. 3. ad 2. ait: *Perversa corruptio sensualitatis est intelligenda quantum ad fomitem, qui numquam totaliter tollitur in hac vita. Transit enim peccatum originale reatu, & remanet actu.* Et S. Bernardus in Tractatu de diligendo Deo cap. 10. inquit: *Amor iste mons est, & mons Dei excelsus. Revera mons coagulatus, mons pinguis. Quis ascendet in montem Domini? . . . . . Caro, & sanguis, vas luteum, terrena inhabitatio quando capit hoc? quando hujuscemodi experitur affectum, ut divino inebriatus amore animus, oblitus sui, factusque sibi ipsi tamquam vas perditum, totus pergat in Deum? Beatum dixerim, & sanctum, cui tale aliquid in hac mortali vita raro interdum, aut vel semel, & hoc ipsum raptim, atque unius vix momenti spatio experiri donatum est. Te enim quodammodo perdere, tamquam qui non sis, & omnino non sentire teipsum, & a teipso exinaniri, & pene annullari, cælestis est conversationis, non humanæ affectionis.* SS. Thomæ & Bernardo præiverat D. Ambrosius docens, non dari in hac vita perfectionem numeris omnibus absolutam; proinde nec dari extinctionem, seu purgationem totalem amoris proprii, sed hanc in vita æterna dumtaxat esse futuram. Verba S. Doctoris sunt quæ subjicio ex lib. 3. de offic. Ministr. cap. 2. num. 11. ubi ita scribit. *Ipsum Paulum lego perfectum, & non perfectum. Nam cum dixisset:* „ Non quod jam acceperim, aut perfectus sim: sequor „ autem, si comprehendam: " *statim subjecit:* „ Quicumque ergo perfecti sumus. " *Duplex enim forma perfectionis. Alia media, alia plenos numeros habens: alia hic, alia ibi: alia secundum hominis possibilitatem, alia secundum perfectionem futuri. Deus autem justus per omnia, sapiens super omnia, perfectus in omnibus.*

Confirmatur I. ex eo, quia omnes Sancti, dum vitam agunt in hoc mundo, concupiscentiam habent, quam debellent, expugnentque necessum est. Atqui concupiscentia mala est effectus amoris proprii: unde scribit S. Th. 1. 2. quæst. 77. art. 4. ad 2. *Concupiscentia, qua aliquis appetit sibi bonum, reducitur ad amorem sui, sicut ad causam.* Ergo Sancti habent amorem proprium, quoadusque vivunt: falsum proinde est, quod incedentes per viam internam ita extinguant amorem proprium, ut non adsint amplius illæ duæ leges, duæque cupiditates, ex quibus oriuntur pugnæ, & lapsus in peccatum. Confirmatur II. quia amor proprius est caussa omnis peccati. Atqui perfecti, & incedentes per viam internam aliquando peccant. Ergo perfecti, & incedentes per viam internam extinctum non habent amorem proprium; ut impie mentitur Molinosius. Major est D. Thomæ loc. cit. in corp. ubi ait: *Propria, & per se causa peccati accipienda est ex parte conversionis ad commutabile bonum; ex qua quidem parte omnis actus peccati procedit ex aliquo inordinato appetitu alicujus temporalis boni. Quod autem aliquis appetat inordinate aliquod temporale bonum, procedit ex hoc, quod inordinate amat seipsum; hoc enim est amare aliquem, velle ei bonum. Unde manifestum est, quod inordinatus amor sui est causa omnis peccati.* Patet igitur ex S. Thoma, quod amor proprius est causa omnis peccati. Minor vero ex eodem Angelico Doctore probatur 2. 2. quæst. 184. art. 2. ad 2. ubi inquit: *Illi qui sunt in hac vita perfecti, in multis dicuntur offendere, secundum peccata venialia, quæ consequuntur ex infirmitate præsentis vitæ: & quantum ad hoc etiam habent aliquid imperfectum, per comparationem ad perfectionem Patriæ:* & Part. 3. quæst. 79. art. 4. ad 2. ait: *Vitam istam Sancti non ducunt sine peccatis venialibus.* Ergo perperam astruit Molinosius, quod perfecti, & incedentes per viam internam numquam delinquant: proinde & quod in eis extinctus sit amor proprius, ex quo omne peccatum oritur. Confirmatur III. ex eo quod scribit S. Augustinus de Perfect. just. hom. cap. 8. ubi ex oratione Dominica docet, justos sine peccatis, & sine amore proprio in vita præsenti esse non posse. Unde inquit: *In qua oratione, si contentiosi esse nolumus, satis nobis propositum speculum est, ubi inspiciatur vita justorum, qui ex fide vivunt, & perfecte currunt, quamvis sine peccato non sint. Unde dicunt, Dimitte nobis: quia nondum quo curritur, pervenerunt. Hinc dicit Apostolus:* „ Non quod jam acceperim, aut perfectus sim . . . . . Fratres, ego me non arbitror com„ prehendisse. Unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens, ad ea vero, quæ sunt priora, extendens me „ ipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ voca„ tionis Dei in Christo Jesu. " *Quotquot ergo perfecti, hoc sapiamus; id est, quotquot perfecte currimus, hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur, quo perfecte adhuc currimus: ut cum venerit quod perfectum est, quod ex parte est destruatur; idest, non jam ex parte sit, sed ex toto: quia fidei & spei jam res ipsa, non quæ credatur & speretur, sed quæ videatur teneaturque, succedet: caritas autem, quæ in his tribus major est, non auferetur, sed augebitur & implebitur, contemplata quod credebat, & quod sperabat indepta. In qua plenitudine caritatis præceptum istud implebitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Nam cum est adhuc aliquid carnalis concupiscentiæ, quod vel continendo frenetur, non omnimodo ex tota anima diligitur Deus. Non enim caro sine anima concupiscit, quamvis caro concupiscere dicatur, quia carnaliter anima concupiscit. Tunc erit justus sine ullo omnino peccato, quando nulla lex erit in membris ejus repugnans legi mentis ejus, sed prorsus toto corde, tota anima, tota mente diliget Deum.* Ex quibus constat, juxta sensum Augustini fieri non posse in hac vita, quod purgetur omnino amor proprius, & extinguatur; proinde & quod nullus incurratur lapsus, etiam venialis peccati. Præterea idem S. Augustinus in lib. de spir. & lit. cap. 36. inquit: *Hoc primum præceptum*

ptum justitiæ, quo jubemur diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente, in illa vita implebimus, cum videbimus facie ad faciem. Sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, ut admoneremur, quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliviscendo quæ retro sunt, in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ergo ex S. Augustino amor proprius in Patria dumtaxat ita purgabitur, & extinguetur, ut amemus Deum ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente. Unde idem S. Doctor de Perfect. just. hom. cap. 3. præclaram enunciat sententiam, scilicet: *Tunc ergo erit plena justitia, quando plena sanitas; tunc plena sanitas, quando plena caritas; plenitudo enim legis caritas: tunc autem plena caritas, quando videbimus eum, sicuti est. Neque enim erit, quod addatur ad dilectionem, cum fides pervenerit ad visionem.* Ergo in cælo dumtaxat purgabitur, & extinguetur amor proprius, ubi plena perfruetur homo caritate, plenaque justitia, ac nullum incurret lapsum.

Refellitur II. prima pars dictæ Propositionis ex eo quod tradit laudatus S. Augustinus lib. 1. Op. imperf. contra Julianum cap. 71. in hæc verba. *Quid litigas de concupiscentia litigante, hoc est, de lege in membris repugnante legi mentis? Lex peccati dicitur, quia suadet peccata, atque ut ita dixerin, jubet; & si ei mente serviatur, sine excusatione peccatur. Peccatum dicitur, quia peccato facta est, appetitque peccare. Reatus ejus regeneratione solutus est, conflictus ejus ad agonem relictus est. Malum est, elorum est. Non viribus nostræ voluntatis, ut putas, huic obsistimus, nisi divinitur adjuvemur. Delectandum hoc malum est, non negandum: vincendum est, non defendendum. Postremo si ei consentis, malum agnosce peccando: si ei resistis, malum agnosca pugnando.* Ad rem ergo: quid litigas, o Molinosi, de concupiscentia litigante? En, S. Augustinus hanc asserit ad agonem, & conflictum animæ relictam esse; & tu illam fingis extinctam? Rursus idem S. Augustinus velut præsentiens Molinosii doctrinam, adversus eam ita scribit lib. 4. ejusdem Op. Imperf. contra Julianum cap. 14. *Unde & in Sanctis*, inquit, *in hujus vitæ agone luctantibus, caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: cum spiritus cælestia ac divina quærit; caro terrena, & sæcularia concupiscit. Hinc est ille conflictus, quod nobis sit cum carnalibus vitiis, atque illecebris sæcularibus assidua & molesta luctatio . . . . Intra nosmetipsos propriis vitiis, & passionibus impugnamur, & die noctuque ignitis stimulis corporis humilitatis hujus, & corporis mortis urgemur: nunc latenter, nunc etiam palam provocantibus ubique, & irritantibus rerum visibilium illecebris.* Itaque ex S. Augustino etiam sancti, & perfecti sentiunt in se duas illas leges, & cupiditates; animæ unam, & amoris proprii alteram: quæ in nobis perseverant ad agonem, & ad meritum, si illis generose reluctemur, & obsistamus.

Impugnatur Propositio quoad secundam partem, ubi dicitur, quod in via interna, extincto, ut falso prætenditur, amore proprio, non incurratur lapsus aliquis, etiam venialis peccati; ex eo quod definitur in Concilio Tridentino sess. 6. de justificat. can. 23. in hæc verba: *Si quis dixerit, hominem justificatum posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali privilegio, quemadmodum de Beata Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.* Ex quo sic argui potest. Nemo potest omnia peccata venialia per totam vitam cavere, nisi ex speciali Dei privilegio. Atqui hujusmodi privilegium non agnoscit Tridentinum nisi in Beata Virgine Maria, non vero in animabus incedentibus per viam internam. Ergo ejusmodi animæ vel æquales sint oportet Beatæ Virgini Mariæ; vel aliquando labantur in aliqua peccata, saltem venialia, necessum est. Primum adstruere non potest Molinosius, nisi velit in re theologica insanire, perditumque se prodere, ac impium: ergo admittere cogitur lapsum in animabus prædictis. Confirmatur ex eo, quod pluribus in locis edocet Sacra Scriptura: omnes scilicet homines, in hac vita degentes, aliquando peccare. Hinc III. Reg. cap. 8. dicitur: *Non est homo, qui non peccet:* & Jacobi 3. *In multis offendimus omnes.* Quare S. Augustinus de dono Persever. cap. 2. scribit, *in quantacumque justitia sine qualibuscumque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere.* Ergo etiam incedentes per viam internam committunt aliquod peccatum, saltem veniale: quod cum sit lapsus; nescio qua fronte Molinosius animas internas immunes ab omni peccato statuat.

Sed Molinosticam doctrinam quoad utramque partem funditus evertit Doctor Angelicus 1. 2. quæst. 74. art. 3. ad 2. ubi docet, remanere in nobis fomitem, ex amore proprio prodeuntem, ex quo non solum experimur luctam, & impugnationem, verum etiam sæpius expugnationem: unde aliquod peccatum veniale committimus. Verba S. Doctoris sunt quæ subjicio. *Perpetua corruptio sensualitatis intelligenda est quantum ad fomitem, qui numquam totaliter tollitur in hac vita. Transit enim peccatum originale reatu, & remanet actu. Sed talis corruptio fomitis non impedit, quin homo rationabili voluntate possit reprimere singulos motus inordinatos sensualitatis, si superveniant; puta, divertendo cogitationem ad alia. Sed dum homo cogitationem ad alia divertit, potest etiam circa illud aliquis inordinatus motus insurgere; sicut cum aliquis transfert cogitationem suam a delectationibus carnis, volens concupiscentiæ motus vitare, ad speculationem scientiæ, insurgit quandoque aliquis motus inanis gloriæ impræmeditatus. Et ideo non potest homo vitare omnes hujusmodi motus propter corruptionem prædictam; sed hoc solum sufficit ad rationem peccati voluntarii, quod possit vitare singulos.* Ergo ex D. Thoma, ejusque fundamentali ratione evincitur, fomitem in nobis semper persistere; ex cujus motibus inordinatis, quos omnes, saltem collective, non possumus vitare, consequitur aliquod peccatum, saltem veniale, nos committere. Unde non potest dari status in hac vita hominis etiam perfecti, & per viam internam incedentis, qui aliquod saltem veniale peccatum non admittat.

Sed dices. Motus impræmediati inanis gloriæ, vel alterius vitii, non videntur esse posse peccata venialia ex hoc tantum, quod insurgant in nobis, illos reprimere, aut prævenire nobis negligentibus. Ergo nulla solutio, seu impugnatio.

Respondet Cardinalis Cajetanus art. cit. ad objectionem per hæc verba. *Certum est, quod omnes motus mali, quos voluntas potest, & debet prævenire, si non præveniat, quando, & sicut potest, ac debet, sunt peccata: sed quod voluntas possit, ac debeat semper singulos motus sensualitatis, aut vanitatis prævenire, non videtur consonum, eo quod videtur, quod sit obligatio ad impossibile in reali executione singulorum præventionum. Si tamen auctoritas Augustini & Auctoris veneranda pensetur, & ratio in litera insinuata; non apparebit hoc dissonum. Cum enim peccatum veniale sit imperfectum quid in genere moris, & peccati, propter quod & sine deliberatione committitur; consequens est, quod imperfecta ratio potentiæ, & debiti sufficiat ad commissionem ipsius. Unde concederem, quod est in nobis imperfecta potentia ad reprimendum, vel obviandum singulis motibus malis; quia dum attendo uni, & do operam rei sanctæ, insurgit alius: attamen talis imperfecta potentia cum aliquali debito sufficit ad rationem peccati imperfecti.* Hactenus Cajetanus: ex cujus doctrina constat, motus impræmeditatos passionum, nobis negligentibus illos prævenire, ne succedant, posse esse, immo de facto esse peccata venialia. Proinde semper firma subsistit ratio Doctoris Angelici, ex qua evincitur, non posse nos in hac vita, in quocumque statu perfectionis, & viæ internæ maneamus, vitare omnia & singula peccata venialia.

§. LV.

LVII. *Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.*

Purgatis omnibus passionibus, extinctaque lege amoris, per suam viam internam execrabilem dicit Molinosius statum comparari non peccandi de cætero nec mortaliter, nec venialiter. Dignum sane corollarium, ex præcedentibus immediate erroneis Propositionibus illatum: ex quo nemo ibit inficias, Molinosium prædamnato Beguardorum errori subscripsisse; cum de iis in Clementina *Ad Nostrum*, de Hæreticis, referatur: *Homo in vita præsenti tantum & talem perfectionis gradum potest acquirere, quod redderetur penitus impeccabilis.*

Propositio, ut jacet, est *temeraria, & hæresi proxima.*

Ad Propositionis impugnationem observa, statum ex sua ratione firmitatem importare. *Status* (inquit S. Thomas 2. 2. q. 183. art. 1.) *proprie loquendo significat quamdam positionis differentiam, quasi in quadam immobilitate:* & ibid. ad 3. *Ad statum requiritur immobilitas in eo.* Sumitur itaque pro ordine, vel dispositione, qua humana negotia cum aliqua immobilitate nostro studio assequimur: & hac ratione, dum actu agitur, dicimus, illum statum non habere; quando vero terminus acquiritur, dicimus esse in tali, vel tali statu.

Hac præmissa observatione, impugnatur Propositio ex Sacra Scriptura, loquente de homine justificato, & perfecto, quem posse, & aliquando de facto peccare mortaliter, & sæpe venialiter, aperte docet. Unde ad rem nostram dicitur ad Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, & gustaverunt donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti, & prolapsi sunt, renovari iterum ad pœnitentiam.* Ubi sermo est de animabus divinæ contemplationi vacantibus, ejusque dulcedinem degustantibus, ut explicat Tirinus. Et nihilominus adstruitur, quod prolapsæ sint: unde ait, esse impossibile, hoc est, difficillimum, eas iterum renovari ad pœnitentiam. En igitur, animas contemplativas aliquando prolabi in peccata, nedum venialia, sed etiam letalia. Quomodo igitur verum erit, quod per contemplationem acquisitam

per-

perveniatur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia? Confirmatur Dogma Catholicum ex Concilio Carthaginensi, anno 418. celebrato, cujus Canones Milevitano a quibusdam perperam sunt attributi. Canone enim 6. definitur inhunc modum: *Item placuit, quod ait S. Apostolus Joannes I. Epist. cap. 1. vers. 8.* „ Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi „ nos seducimus, & veritas in nobis non est: “ *quisquis sic accipiendum putaverit, ut dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non vere, quia ita est; anathema sit. Loquitur enim Apostolus, & adjungit:* „ Si confiteamur peccata nostra; fidelis est, & justus, ut „ remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab o- „ mni iniquitate. “ *Ubi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere; Si dixerimus, quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est. Sed cum ait; Ipsi nos decipimus, & veritas in nobis non est: satis ostendit, eum, qui se dixerit non habere peccatum, non vere loqui, sed falsum.* Ergo in hac vita non datur status, in quo aliquis sit sine ullo peccato. Rursus can. 7. melius ad institutum nostrum definitur in hæc verba: *Item placuit, ut quicumque dixerit, in oratione Dominica ideo dicere Sanctos, Dimitte nobis debita nostra, ut non pro seipsis hoc dicant: quia non est eis jam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in populo peccatores: & ideo non dicere unumquemque Sanctorum, Dimitte mihi debita mea, sed Dimitte nobis debita nostra; ut hoc pro aliis potius, quam pro se justus petere intelligatur: anathema sit. Sanctus enim, & justus erat Apostolus Jacobus, cum dicebat:* „ In multis offendimus omnes. “ *Nam quare additum est, Omnes? nisi ut ista sententia conveniret & Psalmo 142. ubi legitur:* „ Non intres in judicium cum „ servo tuo: quia non justificabitur in conspectu tuo o- „ mnis vivens: “ *& in oratione sapientissimi Salomonis Eccl. 7.* „ Non est homo, qui non peccet: “ *& in libro Job in libro omnes homines signat, ut sciat omnis homo infirmitatem suam. Unde etiam Daniel sanctus & justus cum in oratione pluraliter diceret:* „ Peccavimus, iniquitatem „ fecimus: “ *& cætera, quæ ibi veraciter, & humiliter confitetur: ne putaretur, quemadmodum quidam sentiunt, hæc non de suis, sed de populi sui potius dixisse peccatis; postea dixit:* „ Cum orarem, & confiterer peccata mea, & „ peccata populi mei Israel, & prosternerem preces meas „ in conspectu Dei mei. “ *Noluit dicere peccata nostra; sed & populi sui dixit, & sua: quia futuros istos, qui tam male intelligerent, tamquam Propheta prævidit.* Ex quibus sic argui potest. Vel per contemplationem acquisitam pervenitur ad sanctitatem, vel non. Si primum; ergo per contemplationem acquisitam non pertingitur ad statum non peccandi de cætero: cum Sancti quoque, juxta Concilii laudati definitionem, aliquando peccent. Si secundum; ergo per contemplationem acquisitam non pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata: si enim non pervenitur ad sanctitatem, a fortiori non pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia. Confirmatur: quia Daniel erat Propheta, & divina contemplatione donatus: atqui Daniel commiserat peccata; unde coram Domino confitebatur peccata sua: ergo per contemplationem non pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata. Accedit Concilium Tridentinum, quod sess. 6. de justific. cap. 11. ita declarat: *Propterea Apostolus ipse monet justificatos dicens I. Cor. 9.* „ Nescitis, quod ii, in stadio currunt, omnes quidem „ currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut „ comprehendatis. Ego igitur sic curro, non quasi in „ incertum; sic pugno, non quasi aerem verberans: sed „ castigo corpus meum, & in servitutem redigo; ne for- „ te cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. “ *Item princeps Apostolorum Petrus II. Epist. cap. 1.* „ Sata- „ gite, ut per bona opera certam vestram vocationem, „ & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non pec- „ cabitis aliquando. “ Hactenus Tridentinum. Ex quibus fit evidens, animas etiam justificatas, & sanctas posse peccare nedum venialiter, sed etiam letaliter, cum pervenerint ad contemplationem. Nonne Apostolus, ut de se fatetur, raptus fuerat in Paradisum, & audierat arcana verba, quæ non licet homini loqui: &, hoc non obstante, lapsum; & non modo lapsum, sed & reprobatum se iri metuebat? Ergo falsum est, quod per contemplationem acquisitam perveniatur ad statum non faciendi amplius peccata nec letalia, nec venialia. Præterea, David nonne spiritu prophetico fuerat repletus: & nihilominus in gravissimum scelus tum adulterii, tum homicidii lapsus est? Unde Psal. 31. ajebat: *Et tu remisisti impietatem peccati mei: pro qua orabit omnis sanctus:* cognoscens, sanctos quoque, & perfectos labi posse, quemadmodum ipse lapsus fuerat. Et rationem theologicam adducit S. Thomas Part. 3. quæst. 63. art. 5. ad 1. dicens: *Gratia est in anima, sicut quædam forma habens esse completum in ea. Forma autem completa est in subjecto secundum conditionem subjecti: & quia anima est mutabilis secundum liberum arbitrium, quamdiu est in statu viæ, consequens est, quod gratia insit animæ mutabiliter. Hinc qui habet gratiam, potest illam amittere, peccando mortaliter, etiamsi pervenerit ad contemplationem.* Quod si hoc verificatur de peccatis letalibus, quanto magis verificabitur de venialibus: cum de fide certissimum sit, omnes sanctos, & contemplativos illis minime carere? Unde Apocal. capit. 2. dicitur: *Angelo Ephesi Ecclesiæ scribe . . . Habeo adversum te, quod caritatem tuam primam reliquisti. Memor esto itaque, unde excideris: & age pœnitentiam, & prima opera fac.* Ubi sermo est de S. Timotheo Episcopo Ephesino Discipulo Sancti Pauli; ibique redarguitur ejus tepor, ac negligentia in primævo fervore, ac devotione: quod non erat nisi peccatum veniale, ut ex communi Patrum & Doctorum expositione docet Tirinus ad hunc locum. Ergo animæ, etsi pervenerint ad contemplationem, aliquando peccant. Hinc S. Joannes Epist. I. cap. 1. scripsit: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est:* quia, teste Spiritu Sancto Proverbiorum 24. *septies cadet justus, & resurget.* Unde Concilium Tridentinum cap. cit. inquit: *Licet in hac mortali vita quantumvis Sancti, & justi, in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quandoque cadant, non propterea desinunt esse justi.* Ad hæc scribit S. Augustinus in lib. de natura & gratia cap. 36. *Excepta sancta Virgine Maria, de qua, propter honorem Domini, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habere volo quæstionem: hac ergo Virgine excepta, si omnes illos Sanctos, & Sanctas, cum hic viverent, congregare possemus, & interrogare, utrum essent sine peccato; quid fuisse responsuros putamus? utrum hoc, quod iste* (Pelagius) *dicit; an quod Joannes Apostolus? Nonne una voce clamassent?* „ Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, „ ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. “ Ergo juxta sensum Augustini omnes Sancti & Sanctæ, excepta dumtaxat Beata Virgine Maria, peccant aliquando, saltem venialiter. Atqui Sancti & Sanctæ plerumque pervenerunt ad contemplationem acquisitam; ut constat ex eorum actis, ac vitis. Ergo per contemplationem acquisitam minime pervenitur ad statum non peccandi de cætero, saltem venialiter. Rursus in eodem libro cap. 35. scripserat Augustinus: *Parum attendit* (Pelagius) *cum sit acutissimus, non frustra etiam justos in oratione Dominica dicere:* „ Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos di- „ mittimus debitoribus nostris. “ Si ergo justi tenentur recitare orationem Dominicam, ut suo loco probavimus; & in ea dicitur; *Dimitte nobis debita nostra:* sequitur necessario, justos aliqua peccata habere, si non letalia, saltem venialia. Quod adstruit idem S. Augustinus in lib. de spir. & lit. cap. 28. dicens: *Sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur: sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera.* Ergo non datur status in hac vita sine peccatis saltem venialibus. Præterea Augustinus Epist. 157. ad Hilarium alias 89. cap. 5. ad institutum nostrum ita inquit: *Omnibus necessaria est oratio Dominica, quam etiam ipsis arietibus gregis, id est, Apostolis suis Dominus dedit, ut unusquisque Deo dicat:* „ Dimit- „ te nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debito- „ ribus nostris. “ *Cui enim hæc in oratione verba necessaria non fuerint, ipse hic sine peccato vivere pronunciandus est. Quales si aliquos futuros Dominus prævideret, meliores utique, quam extiterunt ejus Apostoli, aliam orationem illos doceret, qua non peterent dimitti sibi peccata.* Ex quibus verbis ita argui potest contra Molinosium. Aut Christus Dominus cognovit, quod qui pervenerunt ad contemplationem acquisitam essent in statu non peccandi amplius vel letaliter, vel venialiter; ac proinde quod futuri essent meliores suis Apostolis: aut non cognovit. Si primum; indubitatum est, quod aliam orationem pro hujusmodi animabus instituisset, ac docuisset, qua non peterent remissionem peccatorum: cum hac minime indigerent. Si secundum; ergo Christus Dominus non erat sapientia incarnata: quod sine hæresi, & blasphemia enormi dici non potest. Proinde dicendum, quod revera cognoverit, nullas fore animas omnis omnino peccati, etiam venialis, expertes: ac consequenter pro omnibus instituit orationem, qua veniam peccatorum a Deo poscerent. Demum idem S. Augustinus in lib. de Perfect. just. hominis cap. 21. ad rem nostram ait: *Quisquis dicit, post acceptam remissionem peccatorum ita quemquam hominem juste vixisse in hac carne, vel vivere, ut nullum habeat omnino peccatum; contradicit Apostolo Joanni, qui ait:* „ Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, „ ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est. “ *Non enim ait, habuimus; sed habemus. Quod si quisquam asserit de illo peccato esse dictum, quod habitat in carne mortali nostra secundum vitium quod peccantis primi hominis voluntate contractum est, cujus peccati desideriis ne obedia-*

mus,

mus, Paulus Apostolus præcipit; non autem peccare, qui eidem peccato, quamvis in carne habitanti, ad nullum opus malum omnino consentit, vel facti, vel dicti, vel cogitati, quamvis ipsa concupiscentia moveatur, quæ alio modo peccati nomen accepit, quod ei consentire peccatum sit, nobisque moveatur invitis: subtiliter quidem ista discernit, sed videat, quid agatur de Dominica oratione, ubi dicimus: „ Dimitte nobis debita nostra. “ *Quod, nisi fallor, non opus esset dicere, si numquam vel in lapsu linguæ, vel in oblectanda cogitatione, ejusdem peccati desideriis aliquantulum consentiremus; sed tantummodo dicendum esset, Ne nos inferat in tentationem, sed libera nos a malo. Nec Jacobus Apostolus diceret:* „ In multis offendimus omnes. “ *Non enim offendit, nisi cui mala concupiscentia contra justitiæ rationem appetendo, seu vitando, faciendum, vel dicendum, vel cogitandum aliquid, quod non debuit, sive fallens, sive prævalens persuadet.* Constat igitur ex Augustino, omnes nos, etsi ad contemplationem acquisitam pervenerimus, alicui peccato esse obnoxios. Quid ergo blaterat Molinosius contra firmam & ineluctabilem Sanctorum Patrum doctrinam, qui statum animarum per viam internam incedentium probe norunt?

Dices. Job nullum peccatum commisit, quem novimus in via interna plurimum profecisse. Ait enim cap. 23. vers. 11. *Vestigia ejus secutus est pes meus, viam ejus custodivi, & non declinavi ex ea. A mandatis labiorum ejus non recessi, & in sinu meo abscondi verba oris ejus.* Et cap. 16. vers. 6. *Nec enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.* Ergo per viam internam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec venialia, nec mortalia.

Respondeo, profectum sancti viri in via interna per divinorum mandatorum custodiam non officere, quominus in conflictu adversus dæmonem, mundum, & carnem, adversus quos inimicos, dum vivimus, habemus continuam luctam, in pluribus saltem leviter delinquat: ea siquidem cessare non potest, nisi deposito mortali corpore. *Ille custodit* (inquit S. Augustinus lib. de perf. justitiæ cap. 11.) *vias Domini, qui non sic exorbitat, ut eas relinquat, sed in eis currendo proficit; & si aliquando ut infirmus offendit, aut titubat: proficit autem minuendo peccata, donec perveniat ubi sine peccato sit. Non enim aliter potest eo modo proficere, nisi custodiendo vias ejus. Declinat autem a mandatis Domini, atque discedit apostata; non ille, qui etiamsi habeat peccatum, confligendi tamen cum eo perseverantiam non relinquit, donec eo perveniat ubi nulla cum morte contentio remanebit. In isto ergo conflictu induimur ea justitia, qua ex fide vivitur, & ea quodammodo loricamur. Assumimus quoque judicium, quod contra nos pro nobis facimus, quando peccata nostra accusando damnamus: unde scriptum est:* „ Justus ipse „ sui accusator est in primordio sermonis. “ *Hinc item dicit:* „ Justitia indutus sum: & vestivi me, sicut vesti„ mento, & diademate, judicio meo. “ *Nam & ista vestis belli magis solet esse quam pacis, ubi adhuc expugnatur concupiscentia, non ubi erat plena sine aliquo prorsus hoste justitia, novissima inimica morte destructa.*

Sed juvat audire S. Thomam, qui 1. 2. quæst. 109. art. 8. egregie pro suo more ad institutum nostrum ita disserit: *In statu naturæ corruptæ indiget homo gratia habituali sanante naturam, ad hoc, quod omnino a peccato abstineat. Quæ quidem sanatio prima fit in præsenti vita secundum mentem, appetitu carnali nondum totaliter reparato. Unde Apostolus ad Rom. 7. in persona hominis reparati dicit:* „ Ego ipse mente servio legi Dei; carne „ autem legi peccati. “ *In quo quidem statu potest homo abstinere ab omni peccato mortali, quod in ratione consistit. Non autem potest homo abstinere ab omni peccato veniali propter corruptionem inferioris appetitus sensualitatis, cujus motus singulos quidem ratio reprimere potest; & ex hoc habent rationem peccati, & voluntarii: non autem omnes: quia dum uni resistere nititur, fortassis alius insurgit; & etiam, quia ratio non semper potest esse vigil ad hujusmodi motus vitandos.* En ratio theologica ex S. Thoma, propter quam non potest homo esse sine peccato veniali in statu vitæ præsentis; scilicet quia mens sanatur quidem, at carnalis appetitus jugem patitur infirmitatem: unde non potest omnes ejus motus collective sumptos reprimere; nec proinde omnia vitare peccata venialia. Consequenter dicant necessum est Quietistæ, vel quod per contemplationem omnino reparetur etiam appetitus carnalis in præsenti vita; quod dicere non audebunt, refragantibus ipsorum Propositionibus XVII. & XXXVII. ubi in contemplativis fatentur tentationes etiam furiosas reperiri: vel quod per contemplationem acquisitam non resarciatur penitus carnalis appetitus; nec proinde acquiratur status non peccandi amplius vel mortaliter, vel venialiter.

Rursus impugnatur Propositio Molinostica, ratione theologica in hunc modum efformata. Certum est de fide, absque speciali Dei adjutorio non posse homines, etiam contemplativos, perseverare in statu gratiæ, & non peccare letaliter: unde definivit Concilium Tridentinum sess. 6. can. 22. de justificat. quod *si quis dixerit, justificatum, vel sine speciali auxilio Dei, in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.* Item neque sine speciali Dei privilegio posse omnia & singula peccata venialia vitare, ut definivit idem Concilium ibid. can. 23. Atqui hujusmodi speciale Dei adjutorium, & particulare privilegium non potest consistere in contemplatione acquisita. Ergo per contemplationem non acquiritur status non peccandi amplius vel mortaliter, vel venialiter. Minor est certa, tum quia Ecclesia nusquam docuit, per contemplationem acquisitam obtineri hoc speciale privilegium, vel adjutorium ad vitanda omnia & singula peccata tum mortalia, tum venialia; cum e contra Beguardos, & Molinosistas oppositum adstruentes condemnarit: tum quia contemplatio acquisita potest esse communis omnibus, ac singulis fidelibus. Ergo sic non peccare venialiter, non foret speciale, & singulare privilegium; vel non peccare mortaliter, non foret quædam gratia specialis paucis data, & raro. Quod vero contemplatio possit esse communis omnibus, ac singulis fidelibus, docuit S. Gregorius Homil. 17. in Ezechiel. dicens: *Non enim contemplationis gratia summis datur, & minimis non datur; sed sæpe hanc summi, sæpe minimi, sæpius remoti, aliquando etiam conjugati percipiunt. Si ergo nullum est fidelium officium, a quo possit gratia contemplationis excludi; quisquis cor intus habet, illustrari etiam lumine contemplationis potest: quia intra portam undique per circuitum fenestræ obliquæ constructæ sunt, ut nemo ex hac gratia quasi de singularitate glorietur.*

Demum Molinosticam Propositionem impugnat S. Theresia Magistra orationis cap. 19. Vitæ suæ dicens: *Di qui rimane inteso (e notisi molto bene per l'amor di Dio) che quantunque arrivi un'anima a ricevere dal Signore grazie grandi nell'orazione, non però deve fidarsi di se stessa; poichè può cadere: nè in modo alcuno si deve mettere in occasioni, e pericoli.* Et Mans. 5. cap. 4. ait: *Io vi dico, figliuole, che ho conosciute persone molto eminenti in ispirito, e ch' erano arrivate a questo stato di contemplazione; e poi il Demonio con le sue grandi astuzie, ed inganni averle riguadagnate a se: perchè tutto l'Inferno deve unirsi insieme a questo effetto.* Et Mans. 7. cap. 3. inquit: *Finalmente, Dio mio, finchè non ci diate la vera pace, e non ci conduciate, dov' ella non finisce mai, si ha sempre da vivere con timore. Dico la vera pace: non perchè io intenda, che questa della contemplazione non sia tale; ma perchè da essa si potrebbe ritornare alla prima guerra, se ci allontanassimo da Dio. Ma che sentiranno queste anime in vedere, che potrebbon essere prive di così gran bene? Questo le fa camminare con più pensiero, e vigilanza, e procurare di cavar forza dalla fiacchezza, per non lasciare per colpa loro cosa alcuna, che possa ad esse offerirsi, di maggiormente piacere a Dio.* Tandem Mans. 3. cap. 1. scribit: *Gran miseria in vero è il vivere in una vita, dove sempre abbiamo a stare, come coloro che hanno i nemici alla porta, i quali non possono sicuramente dormire, nè mangiare, senza avere del continuo le armi in mano, e sempre con batticuore, e timore, se per qualche parte possono pertugiare la fortezza dell'anima, e impadronirsene . . . Consideriamo, che questo e molto maggior timore avevano alcuni Santi, che caddero in gravi peccati: nè siamo noi sicuri, se cadendo ci porgerà Dio la mano (intendete dell'ajuto particolare) per cavarne fuori, e perchè facciamo la penitenza, ch' essi fecero. Per certo, che scrivendo io questo, sto con tanto timore, che non so, come lo scrivo, nè come io viva, quando me ne ricordo; che pure è molte volte.* Ad rem ergo. Si S. Theresia agnovisset, quod animæ, quæ jam pervenerunt ad contemplationem acquisitam, obtinerent statum non amplius peccandi, etiam venialiter; ut docet Molinosius: nec ipsa adeo timuisset; nec alias animas tam sæpe, tamque nervose monuisset de ejusmodi timore jugiter fovendo, fugiendisque occasionibus peccandi. Ergo inane est figmentum Molinosii doctrina, qua adstruit, pervenire animas per contemplationem acquisitam ad statum nulli amplius obnoxium peccato, etiam veniali: cum tamen secundum contemplationem, perniciose otiosam ab eo assertam, ipsius contemplativi connivere debeant fœdis motibus, tactibus, pollutionibus, & incestibus, non eos ullo modo, ullove actu retrahendo, retinendo, domando. Quod sane prodit, contemplativos Molinosii esse semper in statu peccati, inque affectu ad omnia absurdissima impuritatis scelera perpetranda. Vide S. Joannem a Cruce lib. 1. Noct. obsc. cap. 2. & sequentibus, ubi refert plures imperfectiones, quas non raro committere solent animæ contemplativæ, quæ aliquando sunt peccata, saltem venialia. Hinc ibidem tractat de superbia; cap. 3. de avaritia; cap. 4. de luxuria spirituali; cap. 5. de ira; cap. 6. de gula; cap. 7. de

invi-

invidia, & acedia spirituali. Ergo falsum omnino deprehenditur, quod incedentes per viam internam pertingant ad statum quemdam beatificum non peccandi de cætero, etiam venialiter; quem impie spondet Molinosius Ascetis suis, ut eos incautos decipiat perdatque.

§. LVI.

LVIII. *Ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes: quia defectus ex reflexione oriuntur.*

COmmendat hic Molinosius studium animabus internis ad propulsandam in posterum quamcumque ad proprias operationes reflexionem, tamquam culparum originem; ut ad statum perveniant nec mortaliter, nec venialiter amplius peccandi. Quis enim propriarum fœditatum turpitudinem recogitans, in otio marcesceret, atque earum horrore perculsus, adhuc Auctoris hujus vestigiis inhæreret?

Propositio, quæ, ut jacet, est *temeraria*, *periculosa*, *piarum aurium offensiva*, *hæresim sapiens*, & *erronea*, impugnatur quoad primam partem in hunc modum. Tantum abest, quod non reflectendo ad proprias operationes, perveniatur ad statum non perpetrandi amplius peccata, sive mortalia, sive venialia; quin potius hoc modo pervenitur ad statum quemdam damnabilem, committendi omne genus flagitii, ac sceleris. Unde Jeremiæ 12. vers. 11. dicitur: *Desolatione desolata est omnis terra; quia nullus est, qui recogitet corde*: hoc est, nemo reflectit ad proprias operationes; ex quo oriuntur peccata, & imperfectiones: ut legit Tirinus ibidem. Et observa cum Sacris Expositoribus, Prophetam nuncupare terram gemina desolatione affectam iis verbis, *Desolatione desolata*: ad exprimenda gravissima mala, & scelera, quæ ex omissione reflexionis ejusmodi oriri solent. Ergo tantum abest, quod Molinosius Ascetis suis viam sternat sanctitatis; quin potius eos agit præcipites in semitam æternæ damnationis. Confirmatur auctoritate Apostoli, scribentis ad Galat. 6. ubi ait: *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris*: & ad Ephes. 5. scribit: *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes*. Ergo sapientes caute ambulant, considerando vias suas. Unde David Psal. 118. vers. 59. inquit: *Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in testimonia tua*: rursus ibid. vers. 109. de se ait: *Anima mea in manibus meis semper*: & Isaiæ 38. vers. 15. dicitur: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*. Ergo non reflectens ad proprias operationes, non disponit se ad statum non peccandi amplius, etiam venialiter; sed potius in via, ac statu perditionis se collocat. Proinde Molinosius impudentissime mentitur, dum omissionem omnis reflexionis ad proprias operationes, dispositionem esse tradit ad ejusmodi statum, effictum ac impie excogitatum ad decipiendos incautos.

Refellitur Propositio quoad secundam partem, ubi additur, ex reflexione defectus oriri; ex Sacra Scriptura, quæ reflexionem summopere commendat, atque plurium bonorum esse originem, ac causam tradit. *Cogitavi vias meas*, inquit regius Psaltes ubi supra, *& converti pedes meos in testimonia tua*: & Psal. 17. *Quoniam omnia judicia ejus in conspectu meo, & justitias ejus non repuli a me: & ero immaculatus cum eo, & observabo me ab iniquitate mea*: & Psal. 76. *Meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam spiritum meum*. En luce clarius demonstratum, quod ex reflexione plurima bona in animam profluant: conversio scilicet ad legem Dei, abstinentia a peccatis, & vita immaculata. Jamvero, qua fronte iniquus Molinosius adstruet, ex reflexione defectus oriri? Sed audiendi sunt Sancti Patres idipsum dilucide comprobantes; & præ cæteris S. Gregorius Papa qui lib. 16. Moralium cap. 17. docet expresse, quod reflectere ad proprias operationes proprium sit justorum: *Hæc namque est*, inquit, *sollicitudo justorum, ut actus suos quotidie juxta vias veritatis examinent, & eas sibi in regulam proponentes, a rectitudinis earum tramite non declinent. Super semetipsos quippe quotidie irecontendunt, & quod in virtutum verticem provehuntur, cauta reprehensione dijudicant quidquid de eis ex semetipsis remanet infra semetipsos, & totos se illo festinant trahere, ubi se inveniunt ex parte pervenisse*. Ergo non erit defectus, ad proprias operationes reflectere; quinimmo hæc erit via tutior atque securior, perveniendi ad perfectionem, & contemplationem. Luculenter quoque idipsum tradit S. Bernardus, expendens, quanta bona proveniant nobis ex reflexione nostrarum operationum, defectuum, & imperfectionum: quam hæc sit necessaria, quam meritoria, quam fructuosa, quamque commendata a Sanctis, & custodita ab iis qui per viam internam, hoc est, viam orationis & contemplationis, incessere; qua reflexione & sua vitia expurgarunt, & virtutes vel acquisierunt, vel indemnes servarunt. S. Doctoris verba sunt quæ subjicio ex ejus Tract. de interiori domo cap. 36. *Cum inter omnia animalia*, inquit, *humanum genus tum digniori forma, tum digniori potentia dignius reperiatur; nulla scientia melior est illa, qua cognoscit homo seipsum. Relinque ergo cætera, & teipsum discute: per te curre, & in te consiste. A te incipiat cogitatio tua, & in te finiatur; nec frustra in alia distendaris, te neglecto. Præter salutem tuam nihil cogites: quoniam in acquisitione salutis tuæ nemo est tibi germanior, nemo propinquior teipso. Si vero aliquid cogitationi tuæ se offerat, quod non quoquo modo ad tui ipsius salutem pertineat, illico respue, & expue, ut semper te possis inspicere, & de cognitione tui venire ad cognitionem Dei. Agnoscere se debet homo, ad quæ bona sit naturaliter promptior, vel ad quæ mala proclivior: quibus studiis debeat vehementius insistere, contra quæ mala debeat instantius vigilare: quibus exercitiis valeat melius promoveri, quibus vitiis valeat facilius corrumpi: quibus culpis subjaceat, vel quibus meritis emineat, & quid pro his pœnæ, vel præmii expectare debeat: quantum quotidie proficiat, vel deficiat: cum quanta animi industria satagat præterita mala flere, præsentia declinare, futura prævenire: cum quanta animi constantia studeat reparare bona amissa, custodire & multiplicare possessa. O quam necessaria discussio, & quam miranda speculatio, tot animi virtutes, tot ejus exercitationes, tot ejus studia, vel merita præ oculis habere, & hujusmodi contemplationi diutius inhærere! Suspende ergo animum tuum ab inferiorum amore; ne forte de sublimibus ejectus, & de loco voluptatis a propria concupiscentia abstractus & illectus, post concupiscentias tuas eat, & vagus fiat, & profugus super terram. Denique si cupis implere Dominicum præceptum*: „ Omni custodia serva cor tuum. " *Nescit enim quid de spiritu angelico, quid de Spiritu divino sentire debeat, qui suum prius non cogitat. Nihil recte existimat, qui seipsum ignorat. Nescit, quod sub pedibus suis omnis mundanæ gloriæ subjaceat, qui conditionis suæ dignitatem non pensat. O custos cordis, si nondum es idoneus intrare ad teipsum; quomodo ad illa rimanda idoneus eris, quæ sunt intra, vel supra teipsum? Si needum dignus es intrare tabernaculum primum; qua fronte præsumis ingredi tabernaculum secundum, hoc est, in Sancta sanctorum? Si nondum moliri potes gressus altos, ut cum Domino Jesu, vel saltem cum Moyse ascendas in montem excelsum; qua præsumptione paras volare in cœlum? Prius redi ad te, quam rimari præsumas quæ sunt supra te. Prius Sol ortus sui confinia irradiat, quam ad altiora conscendat. Primum ergo est, ut redeas ad teipsum; intres ad cor tuum, discas æstimare spiritum tuum. Discute, quid sis; quid fueris; quid esse debueris; quid esse poteris: quid fueris per naturam; quid modo sis per culpam; quid esse debueris per industriam; quid adhuc esse possis per gratiam. Disce ex tuo spiritu cognoscere, quid debeas de aliis spiritibus æstimare. Hæc porta, hæc scala, hic introitus, iste ascensus: hac intratur ad intima, hac elevatur ad summa. Vides, quantum valeat homini plena cognitio sui? Ex hac siquidem proficit ad cognitionem omnium cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Hactenus S. Bernardus, quem ex industria fusiorem produximus, ut evidenter constet, quot bona gignat animæ seria propriarum operationum reflexio; quamque petulanter proinde ac impie mentiatur Molinosius, dum adstruit, ex hujusmodi reflexione oriri defectus.

Confirmantur hæc omnia ex eo quod docet S. Thomas 2. 2. quæst. 161. art. 1. ad 1. scilicet, quod consideratio propriorum defectuum sit causa, & principium humilitatis: ergo verum non erit, quod reflectere ad proprias operationes, sit defectus. Verba S. Doctoris sunt: *Dupliciter sumi potest humilitas. Uno modo ex principio extrinseco; puta, cum aliquis ab alio dejicitur: & sic humilitas est pœna. Alio modo ex principio intrinseco; cum aliquis considerans suum defectum, tenet se in infimis, secundum modum suum, sicut Abraham dixit ad Dominum Genes*. 18. „ Loquar ad Dominum meum, cum „ sim pulvis, & cinis: " *& hoc modo humilitas ponitur virtus*. Rursus ibid. quæst. 82. art. 4. in corp. docet, quod reflexio ad proprios defectus conducat ad veram devotionem obtinendam, his verbis: *Secundario causatur devotio ex consideratione propriorum defectuum. Nam hæc consideratio pertinet ad terminum, a quo homo per motum voluntatis devotæ recedit; ut scilicet non in se existat, sed Deo se subdat. Hæc autem consideratio per se quidem nata est tristitiam causare, recogitando proprios defectus; per accidens autem lætitiam, scilicet propter spem divinæ subventionis*. Si ergo consideratio propriorum defectuum generat humilitatem in anima; si causat veram devotionem: quomodo verum erit, quod defectus ex reflexione propriarum operationum oriantur; ut impie somniat perditus Molinosius? qui hac doctrina voluit suos Ascetas sordescere in spurcitiis, non volens fieri reflexionem ad

actus fœdos admissos; ne forte, visa eorum turpitudine, recidant a vita & doctrina impii Magistri, perculsi fœditatis horrore.

§. LVII.

LIX. *Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, a casibus conscientiæ, a Theologia, & Philosophia.*

Viam suam extraordinariam innixam purgationi ab omnibus passionibus, expositæ superius, actuali lumine, cognitione humana & theologica superiori roboratæ, segregatam exoptat Molinosius a Confessione, Confessariis, conscientiæ casibus, ac Theologiæ, & Philosophiæ principiis: iis quippe adhibitis, suo systemati animadverterat exitium imminere.

Propositio, ut jacet, est *temeraria*, *scandalosa*, *periculosa in praxi*, *Christianæ disciplinæ relaxativa*, *arrogantissima*, *injuriosa variis Ecclesiæ statibus*, & *hæresim sapiens*.

Ad lucem confutationi conciliandam, triplicem sensum habere posse Propositionem observa. Primum; quod animæ incedentes per viam internam, sive contemplationem, non teneantur ad Confessionem Sacramentalem. Et quantum ad hunc sensum impugnandam reservamus paragrapho sequenti. Alterum sensum habere potest: scilicet, quod animæ internæ non teneantur in Confessione, & Confessariis pandere internum suum, quoad orationem, & contemplationem, aliaque dona supernaturalia. Et quoad hunc sensum Propositio non distat a veritate, tum quia non tenemur in Confessione, & Confessariis pandere nisi peccata, & eorum circumstantias, ut habetur ex Tridentino sess. 14. cap. 5. de Sacramento Pœnitentiæ; tum quia potest dari casus, quod Confessarius non sit doctus, & capax ad dirigendam animam pro statu orationis: unde illam potius perturbabit, quam juvabit, pandendo ei suum internum; ut se expertas esse ultro fatentur plures animæ contemplativæ, quibus inscitia Confessariorum non raro maximum attulit detrimentum. Tertium sensum habere potest Propositio: nimirum, quod excludat a directione, & directore animarum internarum auxilium Theologiæ, & Philosophiæ; unde dicit: *Viam internam sejunctam esse a Theologia, & Philosophia*. Capitale enim dogma Molinosticum est, quod soli contemplativi capaces sint ad directionem animarum internarum; non vero Theologi, aliique Philosophi. Unde in Epistola Encyclica Cardinalis Cybo, anno 1687. de ordine Inquisitionis omnibus Ordinariis Italiæ transmissa super erroribus novæ Sectæ Molinosticæ, num. 3. legitur: *La scienza, e la medesima Dottrina Teologica, e Sacra, è un ostacolo, ed un allontanamento alla contemplazione, della quale gli uomini dotti non sono atti a formar giudizio, ma solamente i contemplativi medesimi.*

Hac præmissa observatione, impugnatur Propositio ex eo quod dicit Apostolus ad Ephes. 4. vers. 11. *Deus dedit Pastores, & Doctores, ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ex quo recte colligitur, internum animæ dirigi debere a Pastoribus, id est, Episcopis, (quod expresse Molinosius negat in Propositione LXVI. ut videbimus infra in confutatione ejusdem) & Doctoribus, id est, Theologis, ad errores præcavendos; non vero per solam propriam experientiam: in cujus sequelam in celeberrimis articulis Issiacensibus art. XXVIII. stabilitur: *Le vie straordinarie rolli segni, che ne hanno lasciati i veri, ed approvati Spirituali, sono rarissime secondo essi, e restano soggette all' esame de' Vescovi, de' Superiori Ecclesiastici, e de' Dottori, che ne devono giudicare non tanto secondo l' esperienza, quanto secondo le regole immutabili della Scrittura, e della Tradizione. L' insegnare, e praticare il contrario, è scuotere il giogo dell' ubbidienza, che si deve alla Chiesa.* Ergo tantum abest, quod via interna sejuncta sit a studio literarum; quin potius hoc necessarium est animabus internis vel in se, vel in earum directoribus, ut vitentur, ac præcaveantur errores, qui sæpius obvenire solent animabus contemplativis, ut dictum est supra Differt. VI. §. 7. Proinde doctrina Molinosii plurimum claudicare deprehenditur, dum contendit, animas internas propriæ niti debere experientiæ, ab omni semotæ directione fundata in studiu literarum, præsertim Philosophiæ & Theologiæ.

Confirmatur I. ex eo quod D. Thomas scribit 1. 2. quæst. 112. art. 5. ubi triplicem cognitionem Divinorum nos habere posse docet. Et primo quidem per revelationem; & hæc est certissima: secundo per lumen naturale; & hæc non potest esse certa: tertio demum per experientiam; & hæc pariter non est certa, sed solum conjecturalis. Ex quo recte colligitur, nos posse judicare de donis supernaturalibus tum in nobis, tum in aliis, certa cognitione, fundata in revelatione divina, quæ habetur per Theologiam Scholasticam, & Positivam; per cognitionem vero naturalem, vel experimentalem non posse certo nos judicare de hujusmodi donis, sed solum imperfecte, & conjecturaliter. Unde consequitur, animas internas non esse dirigendas per lumen experimentale, vel naturale tantum, sed per lumen theologicum; quod cum sit fundatum in divina revelatione, certitudinem habet.

Confirmatur II. ex alia doctrina ejusdem S. Doctoris, qui 2. 2. quæst. 45. art. 2. docet, quod rectitudo judicii potest esse vel per rationis inquisitionem, vel per quamdam connaturalitatem. Et ad hoc judicium secundum de rebus divinis, & præcipue de contemplatione, requiri adstruit donum sapientiæ; quod donum, ut ibidem observat Cajetanus, per instinctum facit nos judicare de rebus divinis. Porro ea, quæ per instinctum cognoscimus, non cognoscimus sub certitudine, sed imperfecte; ut docet ibidem Angelicus quæst. 17. art. 5. Ergo judicando de rebus divinis, sive de contemplatione, per quamdam connaturalitatem, sive per experimentalem cognitionem, non possumus habere judicium certum. Consequenter animæ internæ regulandæ non sunt per lumen solum experimentale; quod non est certum: sed per lumen theologicum, quod est certum, utpote fundatum in divina revelatione; vel saltem per rationis inquisitionem, per quam habetur rectum judicium, ut docet ibidem S. Thomas. Inquisitio autem rationis habetur per Philosophiam. Ergo ad formandum judicium rectum de interno animarum, necessarium est lumen Theologiæ, & Philosophiæ. Proinde falsa est assertio Molinostica, & explodenda; docens, viam internam sejunctam esse a Philosophia, & Theologia. His robur addit doctrina notatu digna S. Theresiæ Magistræ orationis, adducta a P. Balthasare a S. Catharina Carmelita Discalceato ad Mans. 4. ejusdem S. Theresiæ Refl. 4. Splend. 2. ubi refert S. Virginem in sua Vita scripsisse ita ad institutum nostrum. *Non dico già, che chi non ha spirito, ha però dottrina, non debba istruire, ed ammaestrare quelli, che hanno spirito: ma questo quanto all' interiore, ed esteriore, nelle cose naturali si deve conformare al dettame della ragione, ed intelletto; e nelle cose soprannaturali secondo alla norma delle divine lettere.* Ecce, quod S. Theresia advertit, quod juxta dictamen rationis, & dictamen theologicum debeat regulari internum animarum: quo nihil opportunius proferri poterat ad eludendam Molinosii doctrinam, excludentem a directione animarum lumen philosophicum, & theologicum.

Quod confirmari potest ex eo quod scribit Richardus a S. Victore in lib. de præparatione animæ ad contemplationem cap. 11. *Suspecta est mihi omnis veritas, quam non confirmat Scripturarum auctoritas: nec Christum in sua clarificatione suscipio, si non assistant ei Moyses, & Elias:* & post pauca: *Nec rata poterit esse, quamvis verisimilis, revelatio sine attestatione Moysis, & Eliæ; hoc est, sine Scripturarum auctoritate.*

Confirmatur III. auctoritate S. Theresiæ, quæ in cap. 13. Vitæ suæ ita scripsit. *Quelli che vanno per lo cammino d' orazione, hanno di ciò* (id est, tractandi cum viris literatis) *maggior necessità, e quanto più sono spirituali, tanto più bisogno ne hanno. E non s' ingannino con dire, o pensare, che persone letterate senza orazione non sono a proposito per chi la tiene, ed esercita. Io ho trattato con molti; imperocchè da certi anni in qua l' ho più procurato per la maggior necessità, che ne ho avuta: sempre sono io stata amica di essi, e fattone stima. Che sebbene alcuni non tengono esperienza; non però abborriscono lo spirito, nè affatto ne sono ignoranti: atteso che nella Sacra Scrittura, la quale continuamente hanno tra le mani, ritrovano la verità dello spirito buono. Io sono di questa opinione, che persona di orazione, la quale tratti con Letterati, se non si vuole da se stessa ingannare, non sarà ingannata dal Demonio con illusioni: perchè io credo, che i Demonj temono grandemente le lettere umili, e virtuose; e sanno, che per esse saranno scoperti, e ne rimarranno con perdita. Ho detto questo per quelli, i quali son d' opinione, che persone dotte, se non hanno spirito, non sieno buone, nè al proposito per gente d' orazione. Già dissi, esser necessario Maestro spirituale; ma se questo non è dotto, grande inconveniente è: siccome all' incontro è di grande ajuto il trattare con persona tale, quando ella sia anche virtuosa, benchè non abbia spirito; e le darà il Signore a conoscere quello, che ha da insegnare.* Et in Itin. Perfect. cap. 5. scripsit: *La Superiora procuri sempre dal Vescovo, o dal Provinciale, che oltre a' Confessori Ordinarj, ella, e tutte trattino, e conferiscano lo spirito, ed anime loro con persone dotte, particolarmente se i Confessori Ordinarj non sono letterati, per buoni che sieno. Dio vi liberi, per buono spirito che uno vi paja avere (e veramente*

l' ab-

l'abbia) da reggervi in tutto per suo detto, se non è letterato. Sono gran cose le lettere per dar luce in tutto. Demum eadem Sancta cap. 1. Manf. 5. loquens de altissima contemplatione scripsit: *Sempre nelle cose difficili, benchè mi paja d'intenderle, e che dica la verità; soglio nondimeno dire, che mi pare: perchè se io per sorte m'ingannassi, sto molto apparecchiata a creder quello che dicessero coloro che hanno molte lettere; che sebbene non sono passati per queste cose, hanno nondimeno un non so che i gran Letterati, che come Iddio li tiene per lume della sua Chiesa, mostra loro la verità delle cose.* Ad quæ verba laudatus P. Balthasar a S. Catharina loc. cit. ita addit: *Finalmente s'avverta, di quali Letterati parla la Santa Madre, che è de' gran Letterati. E vuol dire, che non basta qualsivoglia scienza per farsi arbitri di queste dottrine Mistiche; ma devesi restringere a quei Teologi, che sono veramente perfetti, e compiti Teologi. Non qualsivoglia dottrina, ma dottrina insigne è necessaria per formare giudizio di queste materie, e dogmi Mistici: il che è parere comune de' SS. Padri, e Dottori, co' quali parla qui conformemente la nostra gran Teologhessa.* Et post pauca: *Che però non qualsivoglia Teologo, o dotto versato nella sacra dottrina, ma gran letterato disse con ragione la Santa: cioè non solo pratico delle cose Scolastiche, ma ancor delle Positive, e singolarmente de' SS. Padri, dev' esser chi senza pericolo d'errore, e però senza temerità, possa lanciarsi a far giudizio, a dar parere nelle materie, e dogmi di questa sublimissima, e divina Scienza, per deversi formare il giudizio da' fonti della Teologia, regolata da' principj della fede divina, e conseguentemente delle Scritture Sacre, e loro profonde intelligenze, sotto pena di usurpato giudizio esposto ad evidente pericolo di errore, con perdita ancor del totale profitto dell' anime negli atti pratici del loro governo. Questa è dottrina comune di' Padri, e Dottori Mistici con S. Bonaventura, che lo pondera gravemente nella sua Mistica Teologia p. 4. cap. 3. e l'insegna elegantemente il Ven. Riccardo di S. Vittore nel libro* Benjamin minor *cap. 81.*

Confirmatur ex eo quod scribit Cardinalis Bona de discret. spirit. cap. 2. num. 6. in hæc verba. *Quia vero discretio ex lumine cælitus infuso paucorum est; idea alia via discernendi spiritus inquirenda est, quæ communior sit, & facilior. Illa nimirum, quæ per modum artis, & doctrinæ fit, examinatis motionum principiis, & effectibus; perpensis item regulis, quæ a Spiritu Sancto præscriptæ sunt in Sacris Scripturis, & quas SS. Patres a Deo inspirati, aliique Doctores ab experientia instructi tradiderunt.*

Sed pro coronide hujus Propositionis non duxi relinquendam rationem fundamentalem, adductam a laudato P. Balthasare a S. Catharina, depromptam ex S. Thoma, qua demonstratur, cur ad dirigendas animas internas necessarium sit lumen theologicum, non vero lumen experimentale. *Per la cui intelligenza* (scribit loc. cit.) *suppongansi due cose con S. Tommaso* 1. 2. *quest.* 68. *art.* 8. *La prima è, che il lume della fede altissimo, e certissimo, come procedente dalla prima verità, e sua immediata rivelazione, è la prima regola di tutte le verità soprannaturali, e sue notizie; e da quello si devono regolare, e giudicare: ciò prova singolarmente l'Angelico rispetto ai doni dello Spirito Santo, e loro notizie, il cui lume è inferiore a quello della fede, e per tanto da esso regolato. La seconda è, che la contemplazione soprannaturale, ed altre notizie di Teologia Mistica appartengono a' doni dello Spirito Santo: da che inferisce l'Angelico, che alla fede, e suo lume spetta regolare, e giudicare delle notizie spettanti ad essi doni dello Spirito Santo. Ora stabilite queste, ne siegue subito per necessaria illazione, che alla Teologia Scolastica, e Positiva appartiene regolare, e giudicare della verità, e certezza delle notizie soprannaturali, e mistiche. La conseguenza è più che evidente: perchè la Teologia acquisita, o Scolastica, e Positiva, immediatamente si fonda sopra il lume della fede; essendo i suoi principj formalmente rivelati, e dal lume divino immediato della stessa fede. E tanto ciò è vero, che anche agli stessi sperimentati in tanto sono noti e certi, in quanto per esperienza conoscono, che sono conformi, o almeno non contrarj alla prima verità rivelata, ed al lume stesso di fede.* Ex quibus constat evidenter, necessarium esse lumen theologicum, non vero experimentale ad dirigendas animas internas.

Dices. S. Joannes a Cruce, in via interna illuminatissimus, ad dirigendas animas lumen exposcit experimentale. Scribit enim in Tract. Flam. Amor. viv. Manf. 3. vers. 3. §. 4. in hunc modum: *E' necessario grandemente all' anima, che vuole approfittare, e non tornare indietro, guardare in quali mani si mette: perchè quale sarà il Maestro, tale sarà il Discepolo, e quale il Padre, tale il Figlio. E per questa strada, almeno per lo più alto di essa, e bene spesso anche per lo mezzo, appena troverà una guida buona, e perfetta, secondo tutte le parti, che ha bisogno. Percioocchè ha bisogno di esser sapiente, discreto, ed esperimentato. Che per guidar lo spirito, benchè il fondamento sia il sapere, e la discrezione; tuttavia se non vi è esperienza delle cose più alte, non si riuscirà ad incamminare l'anima in quelle, quando Dio gliele dà, e potrebbesi cagionare assai gran danno.* Quid clarius? Non ergo damnandus est Molinosius, utpote a doctrina Sanctorum Mysticorum non devians.

Respondeo, illuminatissimum Sanctum loc. cit. haudquaquam docere, quod animæ internæ per solum lumen experimentale sint regulandæ, non vero per lumen theologicum; cum potius e contra tamquam fundamentum exposcat *Scientiam*, & *Sapientiam*, ut ex ejusdem verbis evidenter constat: sed pro gradibus contemplationis dumtaxat sublimioribus requirere experientiam; quæ si haberi possit, melius erit, ut probat laudatus P. Balthasar loc. cit. Reflex. 4. per tot. ubi ex pluribus textibus S. Theresiæ advertit, magis requiri in directore excellentem doctrinam, quam experientiam, quando utrumque haberi non possit. Rursus experientia intelligi non debet de experientia in propria persona (ut bene addit ibid. P. Balthasar sed de experientia in doctrina Mystica, quæ per studium acquiritur; alias rarissimi essent directores, qui perfectissime regulare possent animas internas. Ex quibus omnibus fit evidens, principium, cui nititur Molinosii doctrina, esse falsum; proindeque explodendum, atque damnandum.

§. LVIII.

LX. *Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet tanta gratia præveniente, quantam in Sacramento reciperent: & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere; quia id est illis impossibile.*

IN cujus doctrinæ sequelam Domina Guionia, in Schola Molinostica edocta, ita loquitur apud Illustrissimum Episcopum Meldensem in Tractatu de statibus orationis contra Quietistas, in actibus condemnationis Quietistarum, pag. mihi 377. num. 23. *Le anime, de cui parlo, quasi mai non possono confessarsi: perchè quando vogliono accusarsi, non sanno di che, non potendo trovare in se nulla di vivente, e che possa aver voluto offender Dio, avendo già interamente perduta la loro volontà in Dio. E come Iddio non può volere il peccato, così nè anche esse ponno volerlo. Se dicasi loro di confessarsi; esse lo fanno, perchè sono ubbidientissime. Ma dicono solamente con la bocca quello, che si fa lor dire: come un fanciullino, a cui si dicesse, Bisogna che vi confessiate di questo; egli lo dice senza saper quel che dice, senza saper, se quella cosa sia, o non sia, senza ribrezzo, nè rimorso. Imperocchè quivi l'anima non può trovar più la coscienza, e tutta è talmente perduta in Dio, che in lei più non trovasi che l'accusi. Ma dicendosele, Voi avete fatto questo errore; ella in se non trova, che l'abbia fatto: e dicendosele, Dite che l'avete fatto; ella lo dirà colle labbra senza dolore, e senza pentimento.* Et post pauca, scilicet num. 40. addit: *Le anime, di cui parlo, non possono quasi mai confessarsi, non potendo trovare in se niente di vizio, e che possa aver voluto offender Dio, a causa della total perdita della loro volontà in Dio.* Digna quidem discipula Michaelis Molinosii, de quo legitur in Processu, quod per duodeviginti annos quotidie celebravit sacrum, nec umquam confessus fuit. Oh dogma novissimum, ac inauditum, ab ore Catholico non prolatum, usque dum impius Molinosius in hæc absurdissima incidit! Vides proinde in hac Propositione Molinosium se clarius explicare: ac primo quidem adstruere, pro animabus internis Confessionem quandoque impossibilem; secundo, Deum id supplere per suam gratiam prævenientem; & tertio, iis non esse bonum, ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere.

Propositio, ut jacet, est *temeraria*, *scandalosa*, *perniciosa*, *injuriosa Sacramento*, *blasphema in Deum*, & *hæresi proxima*.

Impugnatur prima pars dictæ Propositionis. Possunt animæ provectæ labi in peccata letalia; hujusmodi enim lapsus complures in Historiis Ecclesiasticis deprehendimus. Ergo Deus ejusmodi animabus non efficit Confessionem impossibilem. Antecedens est certum, ne dicamus cum Beguardis, quorum superius Diss. I. §. 1. meminimus, animas contemplationi deditas sibi statum in hac vita impeccabilitatis comparare. Consequentia probatur. Deus impossibilem non efficit animabus provectis divinorum mandatorum observantiam; alias Deus esset auctor peccati. Sed si Deus animabus provectis efficeret impossibilem Confessionem sacramentalem; redderet impossibilem observantiam divinorum præceptorum. Etenim de jure divino post lapsum in peccatum

letale confiteri tenentur, ut docet Tridentinum sess. 14. de Sacram. Pœnit. cap. 2. his verbis : *Quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit ; hos, si se postea crimine aliquo contaminaverint, tamquam reos sisti voluit : ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum pœnitentes confugerint, possent liberari* : & can. 8. ejusdem sess. definit : *Si quis dixerit, Confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem . . . & ob id suadendum esse Christifidelibus, ut non confiteantur ; anathema sit*. Ergo Deus numquam animabus provectis efficit Confessionem impossibilem.

Confirmatur. Animæ etiam provectæ, ut ex superius dictis §. 57. constat, in plura cadunt peccata venialia : ergo non convenit Deo eorum Confessionem reddere impossibilem. Consequentia probatur : quia salubre remedium est ad eorum expiationem Confessio sacramentalis. *Quamvis* (inquit S. Bonaventura in 4. dist. 17. p. 3. art. 2. quæst. 1.) *de ratione sui generis non sit ea* (scilicet peccata venialia) *confiteri necessarium ; tamen ea confiteri congruum est maxime viris perfectis : quia utile est multum, & pœna illis debita minuitur ex vi clavium* : & Concilium Tridentinum sess. cit. cap. 5. declaravit : *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quamquam recte, & utiliter, citraque omnem præsumptionem dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat ; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt*.

Ad hæc faciunt exempla Sanctorum. Eis siquidem, in via interna mortuis sibi & mundo, tantum abest quod Deus Confessionem reddiderit impossibilem; quin potius frequentissime confessi sunt. In actis S. Segolenæ Abbatissæ apud Mabillonium in Sæc. III. Benedict. & in t. præfat. ad illud narratur, Sanctam prædictam cuidam Monacho, qui erat Sacerdos, omnia parva minimaque peccata, sine quibus esse non possumus, cum gravia deessent, lacrymando confessam fuisse. In Bulla Bonifacii IX. edita pro Canonizatione S. Birgittæ pag. 155. Codic. Canonizat. hæc habentur de frequenti usu Sacramenti Pœnitentiæ : *Et superstite marito, cum singulis sextis feriis confessa fuisset ; post ejus transitum, veram Confessionem semel saltem in die cum magna contritione studuit iterare, tam amare levia, sicut alii gravissima, deplorans, & nihil de suis verbis, moribus, cogitationibus, & actibus præteriens indiscussum*. In Bulla edita a Joanne XXII. pro Canonizatione S. Ludovici Episcopi Tolosani, de eo, antequam ad Episcopatum fuisset assumptus, sic dicitur pag. 123. Codic. Canonizat. *In tempore namque ipse, sacramentali Confessione præmissa, Missas audiebat devote*. In actis Canonizationis S. Francisci Regis §. 21. habetur : *Quamvis ageret vitam paula majoris cujuslibet expertem culpæ; nec in eo quidquam animadversum fuerit umquam vel levissima reprehensione dignum : sacra nihilominus Confessione singulis diebus, si Sacerdotis copia foret, animam purgabat*. Ex Processibus Causæ B. Alexandri Saulii Aleriensis primum, deinde Papiensis Episcopi legitur, *Missam ab eo quotidie fuisse celebratam, prævia pia dispositione, & sacramentali Confessione*. Hinc S. Franciscus Salesius animas devotas in sua Philothea instruens, quæ non habeant peccatum letale, eas hortatur, ut singulis hebdomadibus Confessionem sacramentalem peragant. *Confessatevi* (inquit 2. part. cap. 19. dictæ Philotheæ) *riverentemente, e divotamente ogni otto giorni, ancorchè voi non sentiate nella vostra coscienza alcun rimorso di peccato mortale : perchè così voi non solamente riceverete l' assoluzione de' peccati veniali ; ma anche una gran forza per evitarli nell' avvenire, un gran lume per discernerli, ed una grazia abbondante per ristorare il danno che vi hanno arrecato. Oltre di che voi praticherete in questo santo esercizio la virtù dell' umiltà, della simplicità, della carità, e dell' ubbidienza, ed in questa sola azione della Confessione eserciterete assai più virtù*. Ex quibus omnibus invictissime contra Molinosium arguitur, non subsistere, quod Deus animabus provectis in via interna, & quæ sunt mortuæ in sensu ejusdem Pseudo-Mystæ, Deus efficiat Confessionem impossibilem.

Verum quidem est, juxta falsa principia Molinosii, quod animæ non reflectentes ad proprias operationes, seu non volentes ad eas reflectere, non possint ex propria iniquitate Confessionem explere; cum primaria actio ad Confessionem explendam sit discussio conscientiæ. Sed hoc non oritur ex Deo, qui reddat illis Confessionem, & discussionem conscientiæ ad illam necessariam, impossibilem; sed ex perversa doctrina Molinosii, qui (ut vidimus supra Propositione LVIII.) adstruere non dubitavit, quod ad hujusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes : quo nihil absurdius, nihil perniciosius dici potest ad ruinam animarum, contra Sacram Scripturam, & Traditionem, contra omnium Sanctorum & Doctorum Mysticorum documenta.

Impugnatur secunda pars dictæ Propositionis, in qua asseritur, quod in tali casu Deus suppleat tanta gratia præveniente, quantam in Sacramento reciperent ejusmodi animæ. Hoc enim sine ullo fundamento vel auctoritatis, vel rationis adstruitur; ac proinde respondendum cum S. Thoma 1. 2. quæst. 111. art. 4. in corp. *Quod doctor debet confirmare, vel probare ea, quæ dicit ; alias non esset efficax ejus doctrina*. Porro Molinosius nusquam probabit, nec probare poterit hujusmodi falsam, ac perversam doctrinam; cum certum sit Dogma Catholicum, quod Deus nusquam concedat gratiam sanctificantem ad peccata eluenda, nisi per actualem Confessionem, sive per contritionem cum voto Confessionis emissam : proinde exsufflanda, detestanda, ac proscribenda ejusmodi putida doctrina.

Refellitur quoad tertiam partem dicta Propositio, ubi dicitur, ideo hujusmodi animabus non esse bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est illis impossibile ; ex eo quod scribit S. Thomas in Supplem. 3. Part. quæst. 7. art. 2. ubi ait : *Confessio peccatorum est bonum ex suo genere, & actus virtutis*. Proinde adstrui non potest, quod animabus internis bonum non sit in aliquo casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, & hujusmodi actum virtutis exercere. Licet enim hujusmodi animæ internæ nonnisi peccatis venialibus sint irretitæ ; attamen illa etiam confiteri est bonum, & actus virtutis. Unde in Concilio Tridentino sess. 14. cap. 5. de Sacram. Pœnit. recta ac utilis declaratur peccatorum venialium confessio. Verba dedimus supra in confutatione primæ partis, ad quam remittimus lectorem, ne jam dicta repetamus.

§. LIX.

LXI. *Anima, cum ad mortem mysticam pervenerit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult : quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit*.

UT omnino credibile reddat, Deum quandoque animabus provectis efficere Confessionem sacramentalem impossibilem, asserit in hac Propositione Molinosius, animam, assecuta morte mystica (de qua locutus fuerat Propos. LVIII. & immediate antecedenti) nihil velle posse, nisi quod vult Deus ; quia propriam voluntatem non habet, ablatam ab ipso Deo : & hac via pervenire ad mortem peccati, & ad vitam in Deo, & cum Deo. Quare dum animas contemplativas nimis exaltare contendit ; non solum illas deprimit, quin potius mortuas, & execrabiles Deo, atque Diabolo viventes & operibus ejus constituit.

Propositio quæ, ut jacet, est *temeraria, & hæresi proxima*, falsissima demonstratur ex can. 6. sess. 6. de justificat. Concilii Tridentini, ubi sic habetur : *Si quis dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari non permissive solum, sed etiam proprie, & per se ; anathema sit*. Atqui si animæ internæ non possent amplius velle aliud, quam quod Deus vult ; non haberent in potestate vias suas malas facere. Rursus, si non haberent amplius voluntatem, quia Deus illis eam abstulit ; Deus mala opera, ita ut bona, operabitur in illis non permissive solum, sed etiam proprie, & per se, si quando peccaverint. Ergo falsum est, animam, cum ad mortem mysticam pervenerit, non posse amplius aliud velle, quam quod Deus vult, eo quod habeat voluntatem sibi a Deo ablatam. Præterea can. 23. sess. cit. ejusdem Concilii dicitur : *Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam amittere ; anathema sit*. Sed si animæ internæ non possent amplius aliud velle, quam quod Deus vult ; non possent amplius peccare, & gratiam amittere. Ergo animæ internæ possunt etiam aliud velle, quam quod Deus vult. Hinc Eccli. 31. de homine justo dicitur : *Qui potuit transgredi, & non est transgressus ; facere mala, & non fecit : ideo stabilita sunt bona illius in Domino*. Atqui si anima, cum ad prætensam mortem mysticam pervenerit, non posset amplius aliud velle, quam quod vult Deus ; quia non habet amplius voluntatem, utpote ablatam a Deo : verum haud esset, quod posset transgredi, & facere mala. Ergo nec laudem merebitur, nec præmium ex operibus suis. Consonat S. Augustinus lib. 15. de Civit. Dei cap. 21. ubi ita ad rem nostram scribit : *Voluntas, in natura quæ facta est bona a Deo bono, sed mutabilis ab immutabili, quia ex nihilo, & a bono potest declinare, ut faciat malum, quod fit libero arbitrio ; & a malo, ut faciat bonum, quod non fit sine divino adjutorio*. Si ergo juxta phrasim Augustini voluntas humana est mutabilis, unde potest a bono declinare, ac facere malum per liberum arbitrium ; quomodo anima in casu Propositionis non poterit aliud velle, quam quod Deus vult ? Quomodo

non

non habet amplius voluntatem? Quomodo Deus illi eam abstulit? Non congruunt, sed discrepant hæc plurimum a doctrina S. Augustini, ut nemo non videt. Nec dissentit S. Thomas ab Augustino t. 2. quæst. 109. art. 9. ita scribens: *Humana natura licet per gratiam sanetur, quantum ad mentem; remanet tamen in ea corruptio, & infectio, quantum ad carnem, per quam servit legi peccati, ut dicitur Rom. 7. Remanet etiam quædam ignorantiæ obscuritas in intellectu, secundum quam (ut etiam dicitur ad Rom. 8.) quid oremus, sicut oportet, nescimus. Propter varios enim rerum eventus, & quia etiam nos ipsos non perfecte cognoscimus; non possumus ad plenum scire, quid nobis expediat, secundum illud Sapientiæ 9.* „ Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ pro„ videntiæ nostræ." *Et ideo necesse est nobis, ut a Deo dirigamur, & protegamur, qui omnia novit, & omnia potest. Et propter hoc etiam renatis in filios Dei per gratiam convenit dicere:* „ Et ne nos inducas in tentatio„ nem:" & Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in „ terra." Si renatis in filios Dei propter infectionem, & corruptionem carnis, & propter ignorantiam mentis, convenit clamare ad Deum, ac dicere: *Ne nos inducas in tentationem: & Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra:* quomodo verum erit, quod non possint amplius velle, quam quod Deus vult? Quomodo dici poterit, quod non habeant amplius propriam voluntatem, quodque Deus illis eam abstulerit? Sane hæc non cohærent inter se. Vel ergo falsum adstruit Molinosius; vel falsum docet S. Thomas. Hoc secundum dicet nemo, nisi perfidus aliquis blatero, aut prorsus demens homuncio. Ergo primum asserendum: Molinosium nempe a veritatis tramite toto cælo aberrasse.

Sed dices. S. Thomas non loquitur ibidem de animabus, quæ ad mortem mysticam pervenerunt, de quibus dumtaxat verificatur Propositio; sed de aliis animabus viæ ordinariæ. Ergo corruit impugnatio dictæ Propositionis, innixa auctoritati S. Thomæ.

Sed contra est I. quia Doctor Angelicus loquitur de omnibus ac singulis animabus renatis in filias Dei. Si ergo animæ, quæ pervenerunt ad mortem mysticam, sunt renatæ in filias Dei; quod Molinosius non inficiabitur: necessum erit ut ipsæ orent Dominum, ac dicant: *Et ne nos inducas in tentationem: & Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra:* ac proinde fatebuntur, se posse aliud velle, quam quod Deus vult; ac indulgere propriæ voluntati, qua possint tentationibus succumbere. Contra est II. quia in confutatione Propositionis XXXIV. satis probatum est, animas internas teneri recitare aliquando orationem Dominicam, a cujus recitatione nec Sancti dispensare se queunt: in qua inter alia Deum precamur ut fiat voluntas ejus in nobis, sicut fit in cælo ab Angelis; ut nos non inducat in tentationem; ut liberet nos a malo, hoc est, a peccato, de quo S. Augustinus Epist. 130. ad Probam, alias 121. cap. 11. Hæc autem omnia demonstrant apertissime, animas internas, etiam ad prætensam mortem mysticam elevatas, propria potiri voluntate, & posse aliud velle, quam quod Deus vult. Contra est III. quia animæ, ad prætensam mortem mysticam elevatæ, vel indigent dono perseverantiæ, vel non indigent. Si indigent; ergo habent propriam voluntatem, & possunt velle aliud, quam quod Deus vult: ergo mentitur Molinosius. *Nam perseverantia* (ut ait S. Thomas ibid. art. 10.) *dicitur continuatio quædam boni usque ad finem vitæ. Et ad talem perseverantiam habendam, homo in gratia constitutus non quidem indiget aliqua alia habituali gratia, sed divino auxilio ipsum dirigentes, & protegente contra tentationum impulsus. Et ideo postquam aliquis est justificatus per gratiam, necesse habet a Deo petere prædictum perseverantiæ donum; ut scilicet custodiatur a malo usque ad finem vitæ: multis enim datur gratia, quibus non datur perseverare in gratia.* Ergo animæ internæ indigent dono perseverantiæ. Si vero non indigent; ergo animæ, quæ perveniunt ad prætensam mortem mysticam, sunt confirmatæ in gratia, ita ut amplius peccare non possint, & gratiam amittere; quod est hæreticum adstruere, palam refragante Concilio Tridentino sess. 6. can. 23. Ergo penitus ruit doctrina Molinosii.

Quod vero anima non habeat amplius propriam voluntatem, quia Deus illi eam abstulerit, ut perperam suis suadet Ascetis Pseudo-Mysta; est doctrina pariter cineribus Inferni exsufflanda: & contrarium clare demonstrat S. Joannes a Cruce in Cantico spirituali, seu exercitio amoris divini, ubi loquens de altissima contemplatione, & transformatione animæ cum Deo in statu matrimonii spiritualis Mans. 38. ita scribit ad institutum nostrum. *Non può l'anima arrivare a questa uguaglianza, e perfezione di amore, se non in totale trasformazione della sua volontà con quella di Dio, in cui di tal maniera si uniscono le volontà, che si fanno di due una nel senso, che disse l'Apostolo:* „ Vivo ego, jam „ non ego; vivit vero in me Christus." *E così in questo senso vi è uguaglianza di amore. Imperciocchè la volontà dell'anima convertita nella volontà di Dio, è diventata tutta la volontà di Dio: e non si perde la volontà dell'anima; ma diviene volontà di Dio. E così l'anima ama Dio con volontà di Dio, la quale insieme è volontà dell'anima nel senso detto.*

§. LX.

LXII. *Per viam internam pervenitur ad statum continuum immobilem in pace imperturbabili.*

A Morte mystica, pessime tamen exposita, non recedens Molinosius, docet hic per viam internam impiissimam atque scelestissimam in suo sensu statum immobilitatis in pace imperturbabili comparari; cum potius ea via statum præseferat obcæcationis, & obfirmationis in malitia, de qua pace olim a Beguardis propugnata, ita loquebatur Gersonius: *Quam pacem causabat Angelus Satanæ, transfiguratus in Angelum lucis.*

Propositio, ut jacet, est *temeraria, & male sonans.*

Aperitur falsitas hujus Propositionis. Quando adest perfrequens, ac fere assidua pugna, haberi non potest status continuus in pace imperturbabili. Atqui usque dum vivimus, etiamsi incedamus per viam internam, datur hujusmodi pugna. Ergo quoad vivimus, etiamsi per viam internam gradiamur, non possumus assequi hujusmodi statum continuum, & immobilem in pace imperturbabili. Major est evidenter nota. Minor est de fide, ex allatis auctoritatibus Apostoli ad Galat. 5. & ad Rom. 7. supra contra LIII. Propositionem: ex quibus infertur, Paulum, Ascetarum omnium perfectissimum exemplar, ad prætensum statum continuum immobilem in pace imperturbabili non pervenisse. Quomodo ergo Ascetæ tui, o perfide seductor, ad hunc pertingent? Oh inauditum, horrendumque mendacii genus!

Accedit S. Augustinus, qui in lib. de continentia cap. 8. ad Apostoli verba Rom. 7. *Igitur ipse ego mente servio legi Dei; carne autem legi peccati:* ad rem nostram ita scribit: *Audiant, qui aures habent:* Igitur ipse ego; *ego mente, ego carne:* sed mente servio legi Dei; carne autem legi peccati. *Quomodo* carne legi peccati? *Numquid concupiscentiæ carnali consentiendo? Absit: sed motus desideriorum illic habendo, quos habere nolebat, & tamen habebat. Sed eis non consentiendo serviebat legi peccati, & tenebat membra, ne fierent arma peccati.* Rursus ad institutum nostrum Tract. 34. in Joannem erga finem ait: *Redi ad teipsum, ibi invenis rixam: si cœpisti Deum sequi, ibi invenis rixam. Quam rixam, inquis, invenio? Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem. Ecce tu ipse es, ecce tu solus es, ecce tecum es, ecce alium nullum hominem pateris: sed vides aliam legem in membris tuis, repugnantem legi mentis tuæ, & captivantem te in lege peccati quæ est in membris tuis. Exclama ergo, & a rixa interiore clama ad Deum, ut tibi pacificet te. Miser ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum.* Non poterat Augustinus clarius ostendere pugnam, quam patimur, spiritus adversus carnem, & carnis adversus spiritum, ex qua homo infelix pacem in seipso experiri non potest. Ergo falsum erit, quod per viam internam (per quam hujusmodi pugna non tollitur, ut satis ostendimus in confutatione dictæ Propositionis LIII.) perveniatur ad statum continuum immobilem in pace imperturbabili, ut perperam docuit Molinosius. Consonant ea, quæ leguntur apud Cassianum lib. 5. de institutis renuntiantium cap. 19. ubi vita perfecti spiritualis, & hominis interni describitur in hæc verba: *Athletæ Christi, in corpore commoranti, numquam deficit colluctationum palma; sed quanto magis triumphorum successibus creverit, tanto ei etiam colluctationum robustior ordo succedit. Subjugata etenim carne, atque devicta, quantæ adversariorum cohortes, quanta hostium agmina adversus victorem militem Christi, triumphis ejus instigata consurgunt! Scilicet ne pacis otio miles Christi lentescens incipiat oblivisci colluctationum suarum gloriosa certamina, ac securitatis inertia dissolutus præmiorum stipendiis, ac triumphorum meritis defraudetur. Itaque si ad hos triumphorum gradus cupimus, crescente virtute, conscendere; eodem nos quoque ordine oportet præliorum inire certamina: & primum cum Apostolo dicere:* „ Sic pugno, non quasi aerem verberans; sed ca„ stigo corpus meum, & in servitutem redigo:" *ut hoc conflictu superato, rursus cum eo dicere possimus:* „ Non „ est nobis colluctatio adversus carnem, & sanguinem; „ sed adversus principes & potestates, adversus mundi „ rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ „ in cælestibus." Quam contraria sint hæc Molinosticæ doctrinæ, nemo non videt. Docet quippe Cassianus, viros spirituales pacis otio non gaudere, sed continuis con-

cupi-

cupiscentiæ impugnationibus concuti, dæmonumque insidiis perpetim infestari, adeo ut decertare semper eisdem incumbat. Quomodo ergo pertingent ad prætensum statum immobilitatis in pace imperturbabili, quam suis asseclis promittit Molinosius?

Sed audire juvat S. Thomam, qui expresse quasi prævidens Molinosii systema, hanc ejus Propositionem refellit 2. 2. quæst. 29. art. 2. ad 4. his verbis: *Cum vera pax non sit nisi de bono: sicut dupliciter habetur verum bonum, scilicet perfecte, & imperfecte; ita est duplex pax vera. Quædam perfecta, quæ consistit in perfecta fruitione summi boni, per quam omnes appetitus uniuntur quietati in uno: & hic est ultimus finis creaturæ rationalis, secundum illud Psal.* 147. „Qui posuit fines tuos pacem." *Alia est pax imperfecta, quæ habetur in hoc mundo: quia etsi principalis animæ motus quiescat in Deo, sunt tamen aliqua repugnantia intus & extra, quæ perturbant hanc pacem.* Ergo ex S. Thoma animæ etiam contemplativæ, & per viam internam incedentes, licet aliquatenus in Deo quiescant per contemplationem, impetuntur nihilominus, ac perturbantur a passionibus, & appetitu carnali nondum totaliter reparato, atque e sollicitudinibus hujus vitæ, quæ perturbant hanc pacem. Proinde non possunt assequi hujusmodi animæ contemplativæ, & per viam internam incedentes, statum continuum & immobilem in pace imperturbabili, ut mentitus est Molinosius. Rursus idem S. Thomas in 1. dist. 1. quæst. 4. art. 1. ad 5. inquit: *Est duplex quies: scilicet quies desiderii, & quies motus. Quies desiderii est, quando desiderium sistit in aliquo, propter quod omnia facit, & quærit, & non desiderat aliquid ulterius: & hoc modo voluntas justi quiescit in via in Deo. Quies autem motus est, quando pervenitur ad terminum quæsitum: & ista quies voluntatis erit in Patria. Hæc autem quies facit perfectam fruitionem; sed prima imperfectam.* Jamvero, si quies, quæ fruitur contemplativus in via, efficit imperfectam fruitionem; consequens erit, quod causet & imperfectam pacem: ac proinde in via non erit possibilis prætensus ille status continuus & immobilis in pace imperturbabili, ut contendit Molinosius.

§. LXI.

LXIII. *Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quinimmo signum, quod quis in statu nihilitatis maneat, id est, mortis Mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles, ac si non essent: quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.*

NEmo non videt, sub pallio mortis Mysticæ, quam necessariam exposcunt Doctores ad studium perfectionis, & sanctitatis, Molinosium novæ viæ internæ construendæ Architectum, quæ in ejus sensu in vita animali & diabolice collocatur, veram & realem sensuum externorum mortem invehere: *quia non perveniunt*, inquit, *ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.*

Falsitas Propositionis, quæ, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, & perniciosa in praxi*, patet ex eo, quia sensus externi moventur necessario ab objectis sufficienter applicatis, & secundum propriam rationem. Unde scribit S. Thomas 1. 2. quæst. 10. art. 2. *In motu cujuslibet potentiæ a suo objecto, consideranda est ratio, propter quam objectum movet potentiam. Visibile enim movet visum, sub ratione coloris actu visibilis. Unde si color proponatur visui; ex necessitate movet ipsum, nisi aliquis visum avertat, quod pertinet ad exercitium actus.* Posita igitur operatione sensus externi, intellectus necessario in proprium actum exit: nam, producta E. G. ab oculo visione, ascendit a visu ad sensum communem nova species repræsentans objectum visibile; subinde e phantasia fabricatur phantasma, cum quo intellectus agens speciem intelligibilem ejusdem objecti immediate, ut quibusdam placet, & necessario progignit. Hinc ait S. Thomas Part. 1. quæst. 115. art. 4. *Intellectus ex necessitate accipit ab inferioribus viribus apprehensivis. Unde, turbata vi imaginativa, vel cogitativa, vel memorativa, ex necessitate turbatur actio intellectus.* Quare constat, falsum esse, quod sensus externi non perveniant ad faciendum, quod intellectus se ad res sensibiles applicet. Sola enim voluntas potest facere, quod intellectus ad eas se non applicet. Est quippe voluntas libera tum elicitive quoad suos actus, quatenus, positis omnibus ad agendum requisitis, ex parte actus primi est indifferens indifferentia activa, & potest eos producere, vel suspendere: tum imperative; quatenus potest cæteris potentiis tum internis, tum externis imperare, ut suos actus producant, vel non producant, divertendo eas ad objecta diversa, vel avertendo objectum debite applicatum, circa quod necessario actum proprium habent, in eoque perseverant, nisi a voluntate retrahantur. Hinc bene S. Thomas 1. 2. quæst. 9. art. 1. ad 3. ait: *Voluntas movet intellectum quantum ad exercitium actus: sed quantum ad determinationem actus, quæ est ex parte objecti, intellectus movet voluntatem.* Attamen hoc non fit ex necessitate: quia potest voluntas respuere objectum sibi præsentatum ab intellectu, vel intellectum applicare ad diversum objectum. Quare constat falsitas Propositionis: quia pro illo statu vitæ propter naturalem colligationem intellectum inter & sensum externum, posita hujus operatione, intellectus necessario in suum actum prodit.

Explicatur hoc magis, atque aperitur discrimen inter mortem vere Mysticam, quam in ordine ad perfectionem & sanctitatem exigunt Doctores, ac pessimam illam, quam tradit Molinosius. Prima in illorum sensuum mortificatione sita est, ita ad praxim redacta a Ven. P. Alvarez de Paz de nat. perfection. vitæ Christianæ: *Si quæ videre cupis; dum sunt inutilia, non videas: quæ audire velles; si vana, & curiosa, non audias: quæ olfactui suavia, aut gustui dulcia, aut tactui mollia, percipere concupiscis; si necessaria non sunt, nequaquam percipias, sed ab eis constanter abstineas. Similiter imaginationem cohibe, ne per vana discurras . . . . . Mens enim tua, si divinam gratiam est adepta, & ad perfectionem aspirat, spiritualis est Hierosolyma, quam Christus non omnino in suam transfert potestatem, quousque sensus mortificentur, & affectus ad pacem, & ad debitum ordinem dirigantur . . . . Nec putes, te perfectam virtutem assequi posse, nisi januas sensuum claudas, per quas non solum imperfectiones multæ, sed ipsa etiam animæ mors interdum ingreditur.* Illa vero perfidi Molinosii diabolica est: & si daretur; realis, & physica foret. Sensus quippe externi instituti non sunt, ut sint; sed ut cognoscant, atque ut sint januæ, per quas species ad sensus interiores ingrediantur, indeque ad intellectum transeant. Quare ponere sensus in eo statu, in quo *non repræsentent amplius res sensibiles, ac si non essent*, idem est ac statum introducere, in quo sensus exteriores non sint januæ ad cognitionem intellectivam. Semper tamen homo justus, etiamsi sanctus & perfectus, debet ad sensuum externorum, ut animæ quietem non turbent, mortificationem conari: & ideo perfectissimus David ita clamabat ad Dominum Psal. 118. v. 37. *Averte oculos meos, ne videant vanitatem:* & patientissimus Job æque ac justissimus cap. 31. v. 1. *Pepigi fœdus cum oculis meis, ut non cogitarem quidquam de virgine.* Attendat Quietista, quod David non postulat, ne oculi sui videant, immo supponit, quod videant; sed clamat, *ne videant vanitatem:* idque non peteret, si ejus oculi nihil viderent; insanus enim esset, qui neminem videns, peteret ut Paulum non videret. Videbant David & Job: & ne a vanitate allicerentur, orabat ille, ne vanitatem videret; iste vero pepigerat fœdus cum oculis suis. Mors ergo Mystica cohærens Mysticæ Theologiæ principiis toto cælo distat a morte versa & reali diabolica per Molinosium excogitata.

Hinc bene per Jeremiam dicitur Thren. 3. v. 51. *Oculus meus deprædatus est animam meam in cunctis filiabus Urbis meæ:* ad demonstrandum, quod post actionem sensus externi visus consequitur necessario, modo supra explicato, applicatio intellectus ad illud; ex quo causatur actus voluntatis, licet hic libere fiat, ut diximus. Hinc observat Ven. Beda ad illud Thren. 3. *Oculus meus deprædatus est animam meam:* dicens: *Semel species formæ est li per oculum alligata, vix magnitudinis manu solvitur. Nemo de senectute, ac frigido sanguine confidat: nemo se adepta sanctitate securum reddat; nemo de servata per multos annos castitate sibimetipsi blandiatur: quia universa hæc unus incircumspectus mulieris aspectus solet contemnere, & senes, & castos debellare. Judices illi Israelis senes erant; videndo Susannam, capti sunt ejus amore. David sanctus erat, & cælesticus; & per aspectum unius mulieris cecidit. Dicitur enim Eccli.* 9. Nec respi„cias mulierem multivolam (*idest, ad multorum concu„piscentiam evolantem*) ne forsitan incidas in laqueos „illius." Vides, in sanctis quoque sensus externos repræsentare non raro res sensibiles adeo efficaciter sensibus internis, ut trahant intellectum, & voluntatem ad consensum; non necessario quidem quoad voluntatem, sed solum quoad alios sensus internos, & applicationem intellectus ad ipsos: quibus positis, non raro voluntas consentit. Quomodo igitur verum erit, quod astruit Molinosius, sensus nimirum externos non repræsentare amplius res sensibiles, ac si non essent; unde non perveniant ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet?

Roboratur impugnatio ex iis quæ dixit Christus Dominus Marc. 9. v. 46. *Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum: bonum est tibi luscum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Ubi scandalum activum attribuitur oculo, ad ostendendum, quam necessario ex hujusmodi sensu externo sequatur actus intellectus: quo posito, voluntas facillime consentit in peccatum. Unde ad rem nostram satis apposite scripsit S.

Lan-

Laurentius Justinianus cap. 7. de Vita Solitaria in hæc verba : *O quantis concupiscentiarum sagittis ex inordinato oculorum aspectu, imprudentis transfigitur cor ? Transmittunt utique effrenati intuitus ad animam corporearum formas rerum, atque concupiscibilium qualitatum imagines, suaque importunitate internam dividunt unitatem, sanctas dissipant cogitatus, animi vigorem debilitant, tepefaciunt caritatem, compunctionem minuunt, devotionem fœdant, pacis tranquillitatem turbant, & terreni pulveris insufflatione rationalem caligant obtutum*. Igitur ex S. Laurentio Justiniano sensus externi agunt in sensus internos, immo & in intellectum & voluntatem suo modo; ut proinde non raro hæc contingat, ac deplorabilis ruina animæ subsequatur : ut eam mirifice describit laudatus Sanctus. Quod validius confirmat S. Gregorius lib. 21. Moral. cap. 2. dum scribit : *Reprimendi sunt oculi, quasi raptores ad culpam. Quisquis enim per has corporis fenestras incaute exterius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus desideriis incipit velle quod noluit*. Ergo res sensibiles per sensus externos repræsentatæ alliciunt, & trahunt voluntatem ad consentiendum peccato.

Demum S. Thomas ad illud Genes. 3. *Vidit igitur mulier, quod bonum esset lignum* : ita scribit ad institutum nostrum : *Ponitur post tentationem ipsa prævaricatio; & tria per ordinem. Primo vidit; postea tulit; deinde comedit : propter tria, quæ sunt in peccato. Videlicet cogitatus, cum dicit, Vidit. Ideo summe cavendum est, quod homo in corde revolvit : quia omne malum intrat per sensus, & cogitatus; unde ille est janitor Diaboli, scilicet oculus, & malus cogitatus, qui introducit bestias infernales, quæ animas vastant secundum illud Threnor. 3.* „ Oculus meus deprædatus est animam meam. “ *Et ponuntur tria, quæ sunt in cogitata, quæ solent movere affectum : scilicet bonum utile; quod ponitur, cum dicitur, Bonum ad vescendum : bonum honestum, cum dicitur, Pulchrum oculis : bonum delectabile; cum dicitur, Aspectu delectabile. Et cum isti affectum moveant, sequitur, quod tulit de fructu : quia post cogitatum, vel consensum sequitur effectus : & comedit, quo fuit completum peccatum. Fortissimus Samson vidit mulierem de filiabus Philistiim : vidit, & adamavit, & uxorem accepit; & in pretium visionis, aut in ultionem vanæ curiositatis, vires, & libertatem, & vitam amisit. David vidit mulierem se lavantem, quam fortassis numquam viderat : vidit; sed qui Philistæum vicit, ab impura fuit voluptate devictus, & maximis pœnis, quæ ex eo peccato ortum habuerunt, exagitatur. Dina egreditur, ut videat mulieres illius regionis : vidit, & oculos curiose pavit; sed curiositatem suam pudoris, & famæ amissione persolvit. Dicit Salomon :* „ Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis. “ *Quid autem inde secutum, attenta meditatione est cognoscendum. Nam mulieres alienigenas vidit; visas concupivit; concupitas possedit; possessas cordi suo dominari permisit. Quo intelligimus, quam sit salubre consilium Domini Jesu :* „ Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, & projice abs te. “ *Melius enim illi fuisset, oculos non tantum clausisse, sed amisisse; quam in damnationem suam tanta facinora perpetrasse*. Hactenus Doctor Angelicus, adducens præclariora Scripturæ exempla, ex quibus colligas necessum est, quam efficaciter sensus externi repræsentent res sensibiles, & necessario trahant intellectum ad se illis applicandum; unde sequitur consensus voluntatis. Quæ vero diximus de sensu oculorum, seu visus, utpote principaliori inter sensus externos, eadem dicta velim de aliis sensibus externis. Unde Jeremiæ 9. v. 21. habetur : *Mors ascendit per fenestras nostras* : fenestræ enim interiorum sensuum & potentiarum, sunt sensus exteriores, per quos transmittitur mors, quæ est peccatum, ad interiores sensus & potentias, efficiendo quod ad res sensibiles repræsentatas intellectus & voluntas se applicent, easque concupiscant, & amplectantur.

Verum enimvero nemo melius, fortiusque refellit Propositionem Molinosticam, quam Cassianus, qui Collat. 23. cap. 16. ita scribit. *Hoc ergo inevitabile corpus est mortis, in quod perfecti quique, qui gustaverunt, quam suavis est Dominus, quotidie revoluti, sentiunt cum Propheta, quam malum sibi & amarum sit discedere a Domino Deo suo. Hoc est corpus mortis, quod a cælesti eos intuitu retrahens ad terrena deducit; quod psallentes eos, atque in oratione prostratos, vel humanas effigies, vel sermones, vel negotia, vel actus facit superfluos retractare. Hoc est corpus mortis, quod æmulantes Angelicam sanctitatem, & volentes Domino jugiter inhærere, perfectionem tamen hujus boni, quia corpus mortis obsistit, invenire non possunt; sed faciunt malum, quod nolunt, id est, traducuntur mente etiam ad illa, quæ ad profectum virtutum, perfectionemque non pertinent. Denique ut hoc de sanctis, atque perfectis, sibique similibus se dixisse beatus Apostolus exprimeret; digito quodammodo semetipsum, ita luque designans, continuo infert :* Igitur ego ipse, *id est, qui hæc pronuncio, meæ, non alterius conscientiæ latebras pando; ego ipse, quem nostis Apostolum esse Christi, quem creditis summum atque perfectum esse, & in quo loquitur Christus, cum mente serviam legi Dei, carne tamen legi peccati servire me fateor*. Ex quibus fit evidens, quod per viam internam non pervenitur ad mortem sensuum, & in statu mortis Mysticæ suppositæ sensus exteriores adhuc repræsentant res sensibiles, pertinguntque ad faciendum, quod mens, sive intellectus ad eas se applicet; secus ac docuit impius Molinosius in præsenti Propositione, quam confutamus.

Dices. Licet supradicta verificentur in Christifidelibus, per viam internam ordinariam incedentibus; attamen non verificantur in animabus internis, quæ pervenerunt ad mortem sensuum : in hujusmodi quippe animabus accidit id, quod adstruit Molinosius in hac sua Propositione.

Sed contra est I. quia Christus Dominus, quando dixit Marc. 9. *Si oculus tuus scandalizat te, ejice eum*, erudiebat Apostolos suos, & in eis totam fidelium communitatem, inter quos erant, ac esse debebant Sancti, & Mystici; & nihilominus pro cunctis advertit, quod oculi, hoc est, sensus externi, poterant inducere animam ad consensum, & ad peccatum : proinde quod repræsentarent res sensibiles efficaciter, efficerentque, quod tum intellectus, tum voluntas se ad eas applicarent. Contra est II. quia ex Ven. Beda, & S. Thoma, etiam in Sanctis sensus externi agunt in sensus interiores, immo in intellectum & voluntatem, quod in quibuscumque aliis hominibus efficiunt; ita ut etiam Sanctos ad peccatum deduxerint. Unde figmentum censendum est hujusmodi mors Mystica sensuum, quæque prætensos effectus in Propositione assertos causet in animabus incedentibus per viam internam. Nam certum est, animas etiam internas, quæque ad prætensam mortem Mysticam pervenerint, teneri recitare orationem Dominicam, ut supra in confutatione Propositionis XXXIV. probavimus, eamque Christus Dominus Apostolis, & aliis quibuscumque fidelibus recitandam imposuit, cum Lucæ 11. dixit : *Cum oratis, dicite : Pater noster, sanctificetur nomen tuum* : ubi observat S. Augustinus Epist. 157. ad Hilarium alias 89. cap. 1. *Quod si aliquos futuros Dominus prævideret, meliores utique quam extiterunt ejus Apostoli; aliam orationem illos doceret*. Atqui in oratione Dominica præcipue oramus, ne inducamur in tentationem, quæ potissimum causatur in nobis ex sensibus externis, repræsentantibus res sensibiles, sicque efficiendo, ut intellectus ad eas se applicet, & trahat voluntatem ad consensum. Ergo etiam in animabus internis sensus externi repræsentant res sensibiles, efficiuntque non raro, quod intellectus ad eas sese applicet, & trahat voluntatem ad consensum. Proinde ut commentum explodenda est mors illa Mystica sensuum, a Molinosio excogitata, & effectus ex illa prætensi ab eodem Pseudo-Mystica. Consequenter ad hæc Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 13. de justificat. inquit : *Verumtamen, qui se existimant stare, videant, ne cadant : & cum timore, ac tremore salutem suam operentur in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate. Formidare enim debent, scientes, quod in spem gloriæ, & nondum in gloriam renati sunt, de pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum Diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia obtemperent Apostolo dicenti :* „ Debitores „ sumus non carni, ut secundum carnem vivamus : si „ enim carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu „ facta carnis mortificaveritis, vivetis. “ Quæ certe non efficerent, si animæ internæ pervenissent ad mortem sensuum, ita ut hi non repræsentarent amplius res sensibiles, ac si non essent; nec pervenirent ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicaret : essent enim tutæ a tentationibus, nec indigerent uti mediis enunciatis a Concilio, ut persisterent in divina gratia, & in statu prætensæ mortis sensuum.

§. LXII.

LXIV. *Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis ad statum contemplativi. Primo, quia non habet fidem ita puram. Secundo, quia non est adeo humilis. Tertio, quia non adeo curat propriam salutem. Quarto, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus; & non potest in illum ingredi verum lumen.*

SI assereret Molinosius, unumquemque Theologum ob excellentiorem præ cæteris doctrinam esse minus dispositum ad suum excogitatæ Quietis statum, ad quem assequendum annihilare animam oportet in esse operativo, ut mere negative se habeat, urgentibus gravibus tentationibus, etiam carnalibus; a veritate non aberraret : nihil quippe est Sacræ Theologiæ principiis magis adversum, quam Quies Molinostica. At dissonantiam ponit in

hac

hac Propositione inter eamdem sacram Theologiam, & statum contemplationis, ita ut rudis & idiota magis ad hunc statum dispositus sit, quam Theologus.

Propositio, ut jacet, est *temeraria*, *scandalosa*, *perniciosa Ecclesiæ*, *& injuriosa Theologis*.

Falsitas hujus Propositionis constat ex eo quod scribit Apostolus I. ad Timoth. 4. dicens: *Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & teipsum salvum facies, & eos qui te audiunt.* Si ergo per doctrinam acquiritur beatitudo æterna; a fortiori acquiretur beatitudo vitæ præsentis, quæ in contemplatione consistit. Unde ait S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 4. *Per contemplationem fit nobis quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continuetur.* Proinde Apostolus tam valide hortatus Timotheum, ut vacet doctrinæ; quod non fecisset, si hæc ipsum a divina contemplatione avocasset. Rursus idem Apostolus Epist. II. ad eumdem Timotheum cap. 3. ita scribit. *Tu vero permane in iis, quæ didicisti, & credita sunt tibi: sciens a quo didiceris; & quia ab infantia sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem. Omnis enim scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus.* Præterea, si sacra Theologia hominem redderet ineptum ad contemplationem; non diceret S. Augustinus l. 14. de Trinit. cap. 2. (relatus a S. Thoma Part. 1. quæst. 1. art. 2. in argum. Sed cont.) *Huic scientiæ* (scilicet Theologiæ) *attribuitur illud quo fides saluberrima gignitur, nutritur, defenditur, roboratur.* Si ergo sacra doctrina, seu Theologia, fidem nutrit & roborat, si instruit ad salutem, si utilis est ad erudiendum in justitia, ad perficiendum hominem ad omne opus bonum: quomodo indispositum reddet Theologum ad contemplationem; cum contemplatio sit magnum bonum, quod in hac vita haberi potest? Et ideo S. Thomas 2. 2. quæst. 181. art. 3. ita scribit: *Actus doctrinæ habet duplex objectum. Fit enim per locutionem; locutio autem est signum audibile interioris conceptus. Est ergo unum objectum doctrinæ id, quod est materia, sive objectum interioris conceptionis; & quantum ad hoc objectum quandoque doctrina pertinet ad vitam activam, quandoque ad vitam contemplativam. Ad activam quidem, quando homo interius concipit aliquam veritatem, ut per eam in interiori actione dirigatur; ad contemplativam autem, quando homo interius concipit aliquam veritatem intelligibilem, in cujus consideratione, & amore delectatur. Unde Augustinus dicit in libro de Verbo Domini: Eligant sibi partem meliorem, scilicet vitæ contemplativæ; vacent verbo; inhient doctrinæ dulcedini; occupentur circa scientiam salutarem. Ubi manifeste dicit, doctrinam ad vitam contemplativam pertinere.* Si ergo doctrina, scientia, & Theologia ex S. Thoma pertinent ad vitam contemplativam, inquantum per illas cognoscimus veritates fidei, in quarum consideratione & amore sistimus, ac delectamur; dicamus oportet, Theologum, quantum ad hoc, majorem dispositionem sortiri ad contemplationem, quam hominem rudem, secus ac effutivit impius Molinosius in hac sua Propositione: quia Theologus habet materiam, circa quam exerceat sese in contemplatione, quam non habet homo rudis. Contemplatio enim non solum respicit ipsum Deum, verum etiam divinos effectus, ut ait S. Thomas ibid. quæst. 180. art. 4. Ergo mendacii redarguitur Molinosius, dum Theologos ineptos deprædicat ad contemplationem. Rursus S. Thomas mirifice doctrinam Molinosticam refellit ibidem quæst. 188. artic. 5. dum scribit: *Ad vitam contemplativam studium literarum dupliciter adjuvat. Uno modo, directe coadjuvando ad contemplandum; illuminando scilicet intellectum. Vita enim contemplativa principaliter ordinatur ad considerationem divinorum, in qua dirigitur homo per studium ad considerandum divina. Unde in laudem viri justi dicitur in Psal. 1.* „In lege Domini „meditabitur die, ac nocte:" *& Eccli. 39. dicitur:* „Sapientiam antiquorum exquiret sapiens, & in Pro„phetis vacabit." *Alio modo, studium literarum juvat ad contemplativam indirecte, removendo contemplationis pericula, scilicet errores qui in contemplatione divinorum frequenter accidunt his, qui Scripturas ignorant: sicut in collationibus Patrum legitur, quod Abbas Serapion propter simplicitatem incidit in errorem Antropomorphitarum, id est, eorum qui Deum habere humanam formam arbitrantur. Unde dicit Gregorius in 6. Moralium, quod nonnulli, dum plus exquirunt contemplando quam capiunt, usque ad perversa dogmata erumpunt; & dum veritatis esse discipuli humiliter negligunt, magistri errorum fiunt.* Nihil melius proferri poterat adversus perniciosam Propositionem, ejusque auctorem Molinosium, qui a dispositione contemplationis excludens sacram Theologiam, ed perversa dogmata erupit; & dum veritatis esse discipulus humiliter noluit, magister errorum superbus evasit. Constat igitur ex S. Thoma, studium literarum dupliciter adjuvare contemplationem: primo modo, directe, illuminando scilicet intellectum ad considerationem divinorum; secundo vero, indirecte, removendo scilicet errores, qui in contemplativa vita frequenter accidunt his, qui Theologiæ non vacarunt.

Nec obstant ea quæ Pseudo-Mysta in dicta sua Propositione expendit: quia gratis concesso, quod in aliquibus Theologis dentur impedimenta ibidem adnotata, in ejusmodi casu esset per accidens, & non per se, quod Theologia redderet suos Professores minus dispositos ad contemplationem. *Nihil autem judicatur secundum illud, quod competit ei per accidens; sed secundum illud, quod competit ei per se:* ut bene observat S. Thomas Part. 1. quæst. 19. art. 9. ad 1. Unde mirifice æque ac valide contra fundamenta Propositionis prædictæ idem Doctor Angelicus 2. 2. quæst. 82. art. 3. ad 3. ait: *Dicendum, quod scientia, & quidquid aliud pertinet ad magnitudinem, occasio est, quod homo confidat de seipso, & ideo non totaliter se Deo tradat. Et inde est, quod hujusmodi quandoque occasionaliter devotionem impediunt, & in simplicibus, & mulieribus devotio abundat, elationem comprimendo. Si autem scientiam, & quamcumque aliam perfectionem homo perfecte Deo subdat, ex hoc ipso devotio augetur.* Vides igitur ex S. Thoma, quod scientia & doctrina occasionaliter impediunt contemplationem, inquantum scilicet homo vanitatem habet, & complacentiam de se, ac de sua doctrina; non autem impediant per se. Nam si homo se suamque doctrinam, ut debet, perfecte Deo subdat, ex hoc, ait Angelicus (hoc est, ex scientia) devotio, sive contemplatio augetur. Quomodo igitur scientia ineptum reddet Theologum ad contemplandum? Non video. Hinc S. Theresia Magistra contemplationis cap. 12. suæ Vitæ scribit: *Le lettere sono a mio giudizio un gran tesoro per questo esercizio della contemplazione; se però sono accompagnate con l'umiltà. Da certi giorni in qua l'ho veduto in alcuni letterati, i quali poco tempo è, che cominciarono, ed hanno fatto grandissimo profitto: e questa mi cagiona ardente brama, che molti di loro sieno spirituali.* Consonat S. Franciscus Salesius in Tract. de divin. Amor. part. 1. lib. 6. cap. 4. in fine, ubi ita scribit ad institutum nostrum: *Conviene avvertire, che la volontà tirata dal diletto, ch'ella sente nel suo oggetto, è più gagliardamente portata ad unirsi seco, quando l'intelletto dalla sua parte le propone eccellentemente la sua bontà: perchè essa allora è tirata, e spinta tutta insieme; spinta dalla cognizione, tirata dalla dilezione. Sicchè la scienza non è punto contraria per se stessa, ma è molto utile alla divozione; e se si trovano unite insieme, si ajutano maravigliosamente l'una e l'altra Sebbene talora per la nostra miseria, la scienza impedisce la nascita della divozione, perchè la scienza gonfia, e riempie di orgoglio; e l'orgoglio, che è contrario a tutte le virtù, è la rovina totale della divozione. Certo l'eminente scienza di Cipriano, di Agostino, d'Ilario, Grisostomo, Basilio, Gregorio, Bonaventura, ha non solo molto illustrata, ma grandemente assinata la loro divozione; come reciprocamente ha la loro divozione non solamente inalzata, ma infinitamente perfezionata la loro scienza.* Quare ex doctrina Sanctissimi Præsulis dicendum, falsam omnino esse Molinosticam Propositionem, & summopere injuriosam omnibus sacris Theologis, dum in illa absolute, & indiscriminatim adstruitur, quod Theologus sit minus dispositus, quam homo rudis, ad statum contemplativi ob quatuor illa motiva a seductore Molinosio expensa: scilicet primo, quia non habet fidem ita puram; secundo, quia non est adeo humilis; tertio, quia non adeo curat propriam salutem; quarto demum, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen. Esto namque: hæc verificari queant, de aliquo particulari Theologo. Vera tamen non sunt de omnibus absolute, & indefinitim, ut impius contendit Molinosius, cujus nefariam calliditatem jam abunde deteximus, & confutavimus.

§. LXIII.

LXV. *Præpositis obediendum est in exteriore; & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus, & director intrant.*

DEclarat hic Molinosius obedientiæ, etiam ratione voti debitæ Præpositis, latitudinem in iis quæ exteriorem concernunt disciplinam, non vero interiorem, quæ dumtaxat ad Deum spectat, & directorem. Hanc declarationem e Beguardis Auctorem accepisse non dubitamus, quos ex Clementina *Ad nostrum* de Hæreticis constat docuisse, *Quod illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, non sunt humanæ subjecti obedientiæ, nec ad aliqua Ecclesiæ præcepta obligantur.* Hinc hujus pestiferæ doctri-

doctrinæ contagione diffusa, ut habetur in relatione P. Thomæ Mazze Sacræ, Supremæ, & Universalis Inquisitionis Commissarii ad Ven. Innocentium XI. *Crebro querebantur Mariti, Parentes, Superiores tum Cœnobiorum, quam Monasteriorum de uxoribus, filiis, & subditis, qui, ne Quietis Molinosticæ orationem interpolarent, vacare reluctabant injunctis exterioribus exercitiis, atque observantiis Regularibus.*

Propositio, ut jacet, est *temeraria, seditiosa, perniciosa in praxi, Regularis disciplinæ relaxativa, & injuriosa Hierarchiæ Ecclesiasticæ.*

Impugnatur Propositio quoad primam partem, ubi asseritur, Præpositis obediendum esse in exteriore; ex illo texto ad Hebræos cap. 13. *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Ubi, ut vides, Apostolus non distinguit forum externum, & internum; sed absolute loquendo, utrumque comprehendit per illa verba, *Obedite, & subjacete:* immo, si verum fateri volumus, Paulus eo in textu expresse loquitur de foro interno. Cum enim dicat, quod Præpositi pervigilant pro animabus, & pro illis reddituri sint rationem: consequitur, quod animas dirigere, & gubernare debeant in viam salutis; & animæ seipsas gubernandas, ac dirigendas Præpositis consignent necessum sit non solum quoad exteriores actus, verum etiam, & multo magis, quoad interiores. Unde Cornelius a Lapide exponens textum Apostoli laudatum inquit: *Quidquid vobis Pastores præcipiunt, quod sanctum, & sanum est, facite. Jejunium, orationes, festa, supplicationes, & similia indicit Episcopus; popinas, & symposia vetat: obtemperate.* Huc pariter spectat quod habetur Actor. 15. vers. 41. *Paulus perambulabat Syriam, & Ciliciam, confirmans Ecclesias: præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & seniorum:* & II. ad Thessalon. 3. vers. 14. *Si quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.* Præterea doctrina fidei, & Moralis Christianæ, vitæque spiritualis rudimenta, ac regulæ non exteriorem tantummodo, sed interiorem animæ statum concernunt. Hujusmodi autem regulas atque rudimenta non quisquis pro arbitrio potest aligere, sed ab Ecclesia, & Pastoribus debet accipere, quorum officium ita describit S. Paulus ad Colossenses 1. vers. 28. *Docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Jesu.* Doctrina nempe fidei, & Moralis, vitæque spiritualis regulæ ac rudimenta ex Sacra Scriptura, atque Ecclesiæ Catholicæ traditione haurienda. Ergo iis obedire tenentur animæ, Præpositorum Pastorali regimini commissæ, *quas Ecclesia*, ut verbis utar Tertulliani, *ob Apostolis, Apostoli a Christo, Christus a Deo accepit.*

Nec valet, si objicias S. Thomam 2. 2. quæst. 104. art. 5. docuisse: *In his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo.* Respondendum enim est cum Cajetano ibidem: scilicet, *quod actus interiores dupliciter inveniuntur: scilicet secundum se tantum; & sic non subjiciuntur judicio humano, juxta illud Apostoli I. ad Corinth. 4.* „ Nolite ante tempus judicare, donec Dominus manifestet „ consilia cordium. “ *Alio modo, ut sunt rationes actuum exteriorum; & sic computantur cum actibus exterioribus humano judicio subditis: & hoc modo cadunt sub inhibitionibus Ecclesiæ.* Proinde actus interiores, quando sunt rationes actuum exteriorum, ut hi fiant, sicut oportet, cadunt sub præcepto, vel sub prohibitione Præpositorum Ecclesiæ. Unde in Clement. 1. de Hæreticis §. *Verum* prohibetur Inquisitoribus sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, ne ex odio, vel intentione turpis lucri procedant contra aliquem tamquam suspectum de hæresi. Sic in Clement. 1. de statu Monachorum prohibetur eisdem sub pœna excommunicationis, ne animo accusandi Prælatum conferant se ad Curiam Principis. Item annuam Confessionem & Communionem in Paschate præceptam in Cap. *Omnis utriusque Sexus*, de Pœnit. & Remiss. cum debitis actibus internis adimplendam esse, declaratum fuit in damnatione Propositionis 14. inter viginti & octo, ab Alexandro VII. emanata, & Propositionis 55. inter 65. ab Innocentio XI. habita. Demum in cap. *Dolentes*, de celebr. Missarum præcipitur recitatio horarum canonicarum cum devotione, & attentione; quod & de auditione Missæ communiter Doctores advertunt, ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, cum Bonacina de Sacramentis disp. 5. quæst. ultima, puncto 11. num. 4. Ex quibus Canonistæ unanimes cum Fagnano in cap. *Dolentes*, de celebr. Missarum, a num. 58. & Theologi communiter firmant, Prælatum posse præcipere indirecte actum etiam internum; sive legem Ecclesiasticam se extendere ad prohibendos, vel præcipiendos actus internos, qui necessario connectuntur cum actibus externis rite &, ut oportet, faciendis. Unde fit manifesta falsitas primæ partis dictæ Propositionis, ubi adstruitur, quod Præpositis obediendum sit in exteriore dumtaxat: quia aliquando etiam in interiore obediendum est; quando scilicet interior actus necessariam importat connexionem cum exteriore, ut non raro accidit.

Dices. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas* II. Corinth. 3. Ergo in iis quæ interiorem animæ statum concernunt, non tenemur nos subjicere Præpositis, eorumque directionem postulare.

Respondeo, Apostolum loco laudato esse intelligendum de libertate a servitute peccati, qua libertate nos Christus donavit: non vero de libertate a servitute, seu obedientia debita legi, superioribusque tam Ecclesiasticis quam sæcularibus. Insuper intelligi potest de libertate a servitute & jugo legis Mosaicæ, quod erat revera grave jugum: non vero a servitute Dei, & justitiæ officiis, quorum unum est Præpositis obedire.

Quoad secundam vero partem, ubi dicitur, quod latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit; falsitas constat ex eo quod scribit S. Thomas 2. 2. quæst. 186. art. 5. ad 1. in hæc verba: *Illi, qui vivunt in Religione, totaliter se, & sua tribuunt Deo. Unde eorum obedientia est universalis.* Atqui universalis non esset obedientia Religiosorum, si ejus latitudo pertingeret ad exterius dumtaxat, non vero ad interius, ut perperam docet Molinosius. Ergo latitudo voti obedientiæ Religiosorum non solum ad exterius, sed etiam ad interius se extendit. Præterea idem S. Thomas ibid. art. 8. ad rem nostram ita inquit: *Dicendum, quod votum obedientiæ est præcipuum inter tria vota Religionis: & hoc triplici ratione. Primo quidem, quia per votum obedientiæ aliquid majus homo offert Deo: scilicet ipsam voluntatem, quæ est potior quam corpus proprium, quod offert homo Deo per continentiam; & quam res exteriores, quas offert homo Deo per votum paupertatis. Unde illud quod fit ex obedientia, est magis Deo acceptum, quam id quod fit per propriam voluntatem, secundum Hieronymum, qui dicit ad Rusticum Monachum: Ad id tendit oratio, ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum: & post pauca subdit: Non facias, quod vis; comedas, quod jubeus; habeas, quantum acceperis; vestiaris, quod datur. Unde & jejunium non redditur Deo acceptum cum propria voluntate, secundum illud Isaiæ 58.* „ Ecce in diebus jejunii vestri invenitur voluntas vestra. “ Ex quibus sic argui potest contra Molinosium. Si latitudo voti obedientiæ Religiosorum se extendit etiam ad propriam voluntatem: ergo actus interni voluntatis aliquando possunt cadere sub voto obedientiæ Religiosorum. Proinde falsum est, quod latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingat, ut iniquus contendit Molinosius. Rursus idem S. Thomas ibid. art. 5. ad 1. ait: *Ad primum ergo dicendum, quod obedire Prælatis in his, quæ pertinent ad necessitatem virtutis, non est supererogationis, sed omnibus commune; sed obedire in his, quæ pertinent ad exercitium perfectionis, pertinet proprie ad Religiosos: & comparatur ista obedientia ad aliam, sicut universale ad particulare. Illi enim, qui in sæculo vivunt, aliquid sibi retinent, & aliquid Deo largiuntur: & secundum hoc obedientiæ Prælatorum subduntur. Illi vero, qui vivunt in Religione, totaliter se & sua tribuunt Deo, ut ex supradictis patet. Unde obedientia eorum est universalis.* Ad quæ verba scribit Cajetanus. *In responsione ad primum nota illud:* „ Et comparatur obe„ dientia ista ad illam, sicut universale ad particulare. “ *Hinc enim habes, quod Religiosus ex voto obedientiæ tenetur obedire Prælato non solum in his, quæ Religioni propria sunt, sed in communibus, hoc est in his, quæ sunt de necessitate salutis: & eadem ratione sub voto castitatis eorumdem cadit non solum abstinere a conjugio, sed ab omni violatione castitatis; puta, adulterio, incestu &c. & similiter sub eorum paupertatis voto cadit non solum carere propriis bonis, sed non accipere aliena; ita quod Religiosus, qui contra Superioris præceptum fornicationem, & furtum committit, non solum contra divina agit præcepta, sed contra sua vota. Et ratio est, quia professio Religiosi se habet ad sæculares vinculo, sicut universale ad particularia.* Demum ibid. ad 4. ait S. Doctor: *Dicendum, quod votum obedientiæ ad Religionem pertinens se extendit ad dispositionem totius humanæ vitæ: & secundum hoc votum obedientiæ habet quamdam universalitatem, licet non se extendat ad omnes particulares actus; quorum quidam ad Religionem non pertinent, quia non sunt de rebus pertinentibus ad dilectionem Dei & proximi: sicut confricatio barbæ, vel levatio festucæ de terra, & similia, quæ non cadunt sub voto, sed sub obedientia.* Ex quibus constat, votum obedientiæ Religiosorum gaudere aliqua universalitate. Unde se extendit ad omnes particulares actus, ad dilectionem Dei & proximi pertinentes, quatenus a Superiore imponuntur; consequenter etiam ad actus internos, quos actus dilectionis Dei & proximi necessario connotant. Quare falsum omnino esse deprehenditur, quod Molinosius ad decipiendos animos suorum Ascetarum perperam confingit: scilicet, votum obedien-

tiæ Religiosorum ad exterius dumtaxat pertingere. Hinc Suarez lib. 4. de legibus cap. 12. in fine ait : *Lex fundatur in jurisdictione, quæ solum data est, quantum expedit ad bonum communitatis. Præceptum autem Prælati Regularis fundatur in voluntate voventis, & pacto, seu promissione ejus : quæ quia principaliter fit Deo, de actu etiam mere interno fieri potest.*

Ad fundamentum autem Molinosticæ Propositionis, nimirum, quod in interiore solus Deus & director intrent ; falsitas est manifesta : cum ex supradictis abunde constet, interiores actus, quando sunt rationes actuum exteriorum, & cum illis connectuntur, subjici præceptis Superiorum Ecclesiasticorum. Unde illos vel prohibere, vel præcipere possunt, secundum quod conducunt ad salutem animarum.

Exinde qua demum ratione potiore probat perfidus Molinosius, ad interiora contemplativæ animæ dirigenda, regulanda, judicanda, examinanda posse intrare directorem, non vero Præpositum Ecclesiæ ? non Superiorem spiritualem sui subditi, qui de natura status Religiosi gerit curam animarum, eisque invigilare debet ? Vides, quot quantisque absurdis inconsequentiis sese implicet Molinosius.

§. LXIV.

LXVI. *Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo ; quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo directore adeat ; novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam umquam tradiderunt, nec tradere possunt ; quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.*

POstquam exposuit suo modo Molinosius latitudinem voti obedientiæ Religiosorum, risu excipiendam novam tradit doctrinam (animarum scilicet internam gubernationem ad Episcopos pertinere) nullo solido fundamento roboratam : hoc assumpto principio, Ecclesiam de occultis non judicare, atque animam jus habere ad eligendum, quem maluerit, sibi bene visum directorem ; cui pareat, non quia ab Ecclesia electum, & datum, sed quia ab ipsamet electum, & assumptum. Ex quo sequitur, animam nulli debere parere, sed sibi.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, schismatica, injuriosa Hierarchiæ Ecclesiasticæ, maxime Episcopis, scandalosa, & Ecclesiasticæ disciplinæ relaxativa.*

Falsitas hujus Propositionis constat primo ex Scriptura. Etenim Actorum 20. dicitur: *Attendite universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Præterea Pastores, & Episcopi habent a jure divino facultatem examinandi, & probandi spiritus, juxta illud I. Jo. 4. *Nolite omni spiritui credere ; sed probate spiritus, si ex Deo sint.* Atqui hujusmodi attentio, discretio, & gubernatio non solum se extendit ad actus exteriores, & operationes extrinsecas ; verum multo magis ad actus internos, & animarum directionem. Ergo Episcopi possunt, ac debent animas gubernare non solum quoad externum, verum etiam potissimum quoad internum : præsertim cum illi sint ordinarii judices in tribunali Pœnitentiæ, & possent adimere de jure omnibus aliis potestatem cognoscendi conscientias. Minor probatur ex illis verbis Christi Domini, directis ad Apostolos, eorumque successores, qui sunt Episcopi, Jo. 20. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos :* ad quem locum ait S. Joannes Chrysostomus: *Suum eis reliquit ministerium.* Et ex illis Luc. 10. *Qui vos audit, me audit.* Quæ verba ad Apostolos proprie, eorumque successores pertinere docent S. Cyprianus lib. 4. Epist. 9. & S. Basilius in Constit. Monasticis cap. 23. Atqui Dominus missus est a Patre cum potestate gubernandi fideles non solum quoad externum, verum etiam multo magis quoad internum ; quod nemo audebit negare, salva fide. Ergo eamdem facultatem, ac potestatem largitus est Apostolis, eorumque successoribus, hoc est, Episcopis.

Rursus I. Petri 5. dicitur de Episcopis : *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro : pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Atqui pascere gregem, est non solum quoad exteriora, verum etiam multo magis quoad internum, monita salutis eidem præbere, ac docere ea quæ facere, quæve evitare debeat, ut salutem æternam consequatur. Unde S. Thomas 2. 2. quæst. 185. art. 1. ait : *In Episcopatu tria possunt considerari : quorum unum est principale, & finale ; scilicet Episcopalis operatio, per quam utilitati proximorum intenditur, secundum illud Joannis ultimo :* „ Pasce oves meas. “ Ergo præcipue spectat ad Episcopos animarum gubernatio, & directio non solum quoad externum, sed potissimum quoad internum.

Demum Apostolus ad Ephes. 4. scribit : *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos ; alios vero Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum :* hoc est, ad perficiendos Christifideles, eosque ad sanctitatem, & perfectionem perducendos ; quod fit præcipue media directione quoad internum. Unde prosequitur ibid. Apostolus : *Ut non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Audiat Molinosius. Si Christus Dominus dedit pastores, hoc est, Episcopos, qui fideles animas erudiant, gubernentque, ne omni vento doctrinæ circumferantur in nequitia hominum : consequens erit, Episcopis deberi jus examinandi internum animarum, illasque teneri proprio Pastori illud aperire, cum interrogantur. Unde mirifice suo more scribit S. Thomas Part. 3. quæst. 71. art. 4. ad 3. *Instructio de profundis Mysteriis fidei, & perfectione Christianæ vitæ, ex officio pertinet ad Episcopos.* Si ergo ex S. Thoma ex officio spectat ad Episcopos docere fideles Christianæ vitæ perfectionem, procul dubio interna directio animarum, & gubernatio eisdem erit attribuenda. Rursus ibid. quæst. 67. art. 2. ad 1. ait idem Doctor Angelicus : *Utrumque officium, scilicet docendi, & baptizandi, Dominus Apostolis injunxit, quorum vices gerunt Episcopi : aliter tamen, & aliter. Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi per se illud exercerent, tamquam principalissimum. Unde & ipsi Apostoli dixerunt Actor. 6.* „ Non „ est æquum nos relinquere verbum Dei, & ministrare „ mensis. “ *Officium autem baptizandi commisit Apostolis, ut per alios exercendum. Unde & Apostolus dicit I. ad Corinth. 1.* „ Non misit me Christus baptizare, sed „ evangelizare. “ *Et hoc ideo, quia in baptizando nihil operatur meritum, & sapientia Ministri, sicut in docendo.* Quid dicis ad hæc, o perfide seductor ? Si officium proprium Episcoporum, per seipsos exercendum, a Christo illis injunctum, est docere fideles ea quæ pertinent ad salutem, & ad perfectionem Christianam : consequenter munus proprium eorumdem erit gubernare, ac dirigere animas quoad internum ; & vicissim tenebuntur fideles ab Episcopis hujusmodi directionem, & gubernationem exquirere. Denique idem Angelicus 2. 2. quæst. 185. art. 4. scribit : *Perfectio Episcopalis status in hoc consistit, quod aliquis ex divina dilectione se obligat ad hoc, quod saluti proximorum insistat. Et ideo tamdiu obligatur ad hoc, qui curam pastoralem retinet, quamdiu potest subditis sibi commissis proficere ad salutem ; quam quidem negligere non debet.* Si perfectio status Episcopalis consistit in procuranda salute æterna animarum : cum hoc fiat præcipue per internam directionem, & gubernationem ; tenebitur Episcopus dirigere animas quoad internum, & istæ vicissim tenebuntur se Episcopo tradere quoad internum gubernandas, ac dirigendas. Hinc can. *Quæcumque* 10. quæst. 1. dicitur : *Episcopo totius plebis animæ videntur esse commissæ.* Proinde primis Ecclesiæ sæculis per seipsos fidelium Confessiones excipiebant Episcopi. Unde cap. *Inter cætera*, de Offic. Ordinar. præcipitur, *quod in Ecclesiis Cathedralibus viros idoneos Episcopi ordinent, quos ipsi habere possint coadjutores in officio prædicationis, & in audiendis Confessionibus.* Verbum autem *Coadjutores* indicat ministerium eorumdem Episcoporum adjuvandum ab aliis ; ut bene advertit Pax Jordanus Episcopus Traguriensis in suis elucubrationibus Tom. I. lib. 3. de Sacramento Pœnitentiæ num. 2. ubi num. 3. addit S. Ambrosium, S. Hugonem Gratianopolitanum, & S. Ludovicum Tolosanum Episcopos, aliosque sanctos Antistites sedulam in hoc ministerio excipiendi fidelium Confessiones navasse operam, uberrimosque fructus retulisse.

Verum audiamus necessum est S. Franciscum Salesium, qui præ cæteris validissime redarguit, refellitque contrariam doctrinam in Præfat. ad librum Introduct. ad Vitam devotam, a se compositum, sanctissimeque observatum, ubi ita scribit ad rem nostram : *Io insieme con il gran Dionisio ti dico, mio Lettore, che appartiene principalmente a' Vescovi il perfezionare le anime ; e tanto più, che il loro ordine è il supremo tra gli uomini, come quello de' Serafini tra gli Angioli. Sicchè il loro tempo non può essere meglio destinato, che a questo ; e gli antichi Vescovi, e Padri della Chiesa erano per lo meno tanto affezionati a' loro carichi, come noi, e non lasciavano per questo di avere la cura d'una guida particolare di molte anime, che ricorrevano al loro ajuto, come appare per le loro Epistole : imitando in ciò gli Apostoli, che in mezzo alla messe generale dell' universo raccoglievano nondimeno certe spighe più segnalate con una speciale e particolare affezione. Chi non sa, che Timoteo, Tito, Filemone, Onesimo, S. Tecla, Apia erano figli del grande S. Paolo ; come S. Marco e S. Petronilla di S. Pietro ? dico, S. Petronilla, la quale, come dottamente provano il Baronio, e Galonio, non fu figliuola carnale, ma solamente spirituale di S. Pietro. E S. Giovanni non iscrive egli una delle*

sue

fue Epistole Canoniche alla divota Matrona Eletta? Questa è una pena, io lo confessa, il guidare anime in particolare; ma pena, che ristora, simile a quella dei mietitori, e vendemmiatori, i quali mai sono più contenti, che quando sono più carichi, e più occupati. Questo è un travaglio, che dilata, e ravviva il cuore per la soavità, che ne sentono coloro che l'intraprendono: come fa il cinnamomo a coloro, che lo portano là nell'Arabia felice. Si dice, che la tigre avendo ricoverato uno de' suoi piccioli figli, che il cacciatore gli lascia sopra la strada per trattenerla, mentre ch' egli se ne porta via gli altri, ella se la carica, per grosso ch' ei sia; e non per questo più grave, anzi più leggiera al corso, ch' essa fa per metterla in salvo, dentro la sua tana, facendola l'amore naturale più leggiera con quel peso. Quanto più un cuore paterno piglierà volentieri a suo carico un'anima, nella quale egli si abbatte, e la trova desiderosa della santa perfezione, portandole innanzi con sollecitudine, come fa una Madre al suo picciolo figlio, senza risentirsi punto di quell' amato peso? Ma bisogna senza dubbio, che questo sia un cuore paterno: e perciò gli Apostoli, e gli uomini Apostolici chiamarono i suoi discepoli non solamente loro figli, ma ancora teneramente piccioli figli. Hactenus S. Franciscus Salesius, qui docuit, & fecit. Nam & ipse innumerabiles animas quoad internum direxit, gubernavitque, ut cernere licet in ejus Epistolis, inter quas celeberrima evasit B. Francisca de Chantal, fundatrix, & Mater Ordinis Visitationis. Constat ergo, hujusmodi doctrinam (scilicet quod internum animarum debeat dirigi ab Episcopo) non esse novam in Ecclesia Dei; & multo minus esse risu dignam, ut impie satis asseruit Molinosius: sed esse doctrinam Ecclesiæ antiquam, in Scriptura, & Traditione fundatam, quam Catholici omnes agnoscunt, ac profitentur. Unde inter articulos celebres Issiacenses, contra Molinosticam doctrinam in Gallia grassantem editos, XXXVIII. quem subjicio, perpendas: *Viæ extraordinariæ cum notis iis, quas Spirituales approbati tradiderunt, rarissima sunt, subjiciunturque examini Episcoporum, atque aliorum Superiorum Ecclesiasticorum, & Doctorum e siquidem de iis judicare debent non tam experimentis, quam immutabilibus Scripturarum, Traditionisque regulis. Qui autem ab ea menta, & praxi discedunt, debitæ obedientiæ jugum excutiunt.*

Hinc cum Beguinæ, & Beguardi sub prætextu contemplationis, & devotionis multos gravesque errores contra fidem disseminarent, in Concilio Viennensi fuerunt proscripti, ac condemnati; & eorum internum, vita, ac doctrina Episcoporum examini fuit commissa: ut habetur in Clementina *Ad nostrum*, de Hæreticis, ubi in fine ita disponitur: *Porro Diœcesani illarum partium, in quibus Beguardi, & Beguinæ hujusmodi commorantur, suum officium circa eos diligenter exerceant; inquirentes de vita, & conversatione ipsorum, qualiterve sentiant de articulis fidei, & Ecclesiæ Sacramentis.* Porro inquisitio hujusmodi non modo intelligi debet de inquisitione judiciali, verum etiam de extrajudiciali per examen interni hujusmodi animarum, ad illas revocandas ab erroribus, & in viam tutam Christianæ perfectionis deducendas.

Ad fundamentum vero Molinosticæ Propositionis (scilicet, quod Ecclesia non judicat de occultis) dicendum cum Fagnano in cap. *Tuæ fraternitati*, de Spon. & matrim. num. 24. hoc intelligendum esse quantum ad judicium contentiosum; non vero quoad judicium occultum, respiciens internum, & directionem animarum: Fagnan. in cap. *Dolentes* de Celebr. Missarum, a num. 58. & sequentibus. Nam certum est, Ministros Ecclesiæ officium judicis exercere in excipiendis Confessionibus fidelium, eosque absolventes, vel ligantes denegando absolutionem in foro interno. Proinde etiam officium judicis exercere queunt discutiendo viam internam animarum; approbando, vel reprobando per judicium occultum, directum a Scriptura & Traditione, illarum viam ac methodum procedendi in oratione: quod præcipue spectat ad Episcopos, ut patet ex supradictis.

Confirmatur, quia ex eo quod de jure divino pertinet ad Ministros Ecclesiæ absolvere a peccatis, recte colligitur, teneri etiam animas confiteri peccata sua, etsi occultissima, Ministris Ecclesiæ, eorumque judicio illa subjicere, vel absolvenda, vel retinenda; ut docet Tridentinum sess. 14. de Sacramento Pœnitentiæ cap. 1. & 5. Ita a pari, quia de jure divino spectat ad Episcopos præcipue judicium, & examen interni animarum; recte colligimus, teneri animas, per viam internam incedentes, suum internum Episcopis pandere, quando de hoc ab illis fuerint requisitæ. Ad illud autem, quod additur, animam jus habere eligendi quemcumque bene visum pro directione sui interni; respondendum, id falsum omnino esse. Cum enim Episcopis incumbat salus animarum, de quibus rationem reddant necessum est in die judicii Christo Domino, supremo judici humani generis (ut habetur ad Hebræos 13.) sicut animæ non possunt arbitrio suo confiteri cuicumque Sacerdoti, sed solum approbato ab Episcopis ad hunc effectum; ita non poterunt internum suum dirigendum tradere alteri, nisi ex approbatione tacita, vel expressa Episcopi: ut colligitur ex cap. *Si Episcopus* de Pœnit. & Remiss. in 6. Ergo animæ jus non obtinent eligendi quemcumque sibi bene visum pro directione.

Objicies I. vias interiores sola experientia cognosci: adeoque si Episcopus non fuerit capax, non erit illi obediendum quoad manifestationem proprii interni.

Respondeo, ex confutatione Propositionis LIX. abunde constare, quod ad judicium ferendum de animabus per viam internam incedentibus non requiratur experientia, & capacitas; sed lumen theologicum, sapientia, & scientia, qua præditus debet esse Episcopus: unde inter alias dotes, quas in Episcopo I. ad Timoth. 3. Apostolus exposcit, est doctrina. Cæterum si quis parum se in rebus asceticis versatum agnoscat, necessum est petat a Deo lumen, juxta illud Jacobi 1. *Si quis indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter: & dabitur ei.* Subinde consulat oportet viros sapientes, & Theologos: proinde repetendum duximus articulum XXXVIII. inter Issiacenses: *Le vie straordinarie con li segni, che ne hanno lasciato i veri spirituali, sono rarissime, e restano soggette all' esame de' Vescovi, de' Superiori Ecclesiastici, e de' Dottori, che ne devono giudicare non tanto secondo l'esperienza, quanto secondo le regole immutabili della Scrittura, e della Tradizione.* Ecce, quod Episcopi judicare debent, adhibitis Doctoribus, & Theologis; nec est necessarium, ut anima adeat Episcopum cum suo directore: quia corruit argumentum; Si director non sit capax, quid agendum?

Objicies II. Christus Dominus suis Apostolis ait Jo. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere; sed non potestis portare modo.* Ex quibus eruitur, multa a Christo Apostolis non fuisse manifestata. Unde ea, quæ interiorem animæ viam spectant, non erunt aperienda Episcopis; si constet, eos non esse capaces.

Respondeo, verba laudata fuisse dicta a Christo Domino Apostolis, antequam Spiritum Sanctum accepissent; cujus illapsu, & illustratione illos omnem cognituros veritatem ad regimen Ecclesiæ, ad instructionem, atque directionem fidelium necessariam, ibidem promisit, dicens: *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Proinde a Spiritu Sancto edocti fuerunt Apostoli, eorumque successores de omni veritate, potissimum vero de iis, quæ ad regimen animarum, & interni directionem pertinent. Hinc erunt Episcopis aperienda secreta cordium, illisque secundum regulas ex Dei verbo & Ecclesiæ doctrina, ab Apostolis ad nos usque per Patres tradicta, docentibus, dirigentibus, præcipientibus, corrigentibus patendum, ut illusionum pericula evitentur, Deique lex adimpleatur. Quamobrem omnes piæ animæ S. Augustini verbis Tract. 97. in Jo. admonendæ sunt, & contra Pseudo-Mysticorum venena, eo magis periculosa, quo dulciora ac blandiora, muniendæ & confortandæ. *Cavete*, inquit loc. cit. S. Doctor, *maxime qui parvuli estis, & adhuc alimentis lacteis indigetis, ne hominibus sub hac occasione deceptis, ac deceptoribus, quia Dominus ait:* „ Adhuc multa habeo vobis „ dicere; sed non potestis portare modo: " *aurem curiosam præbeatis ad incognita scienda, cum mentes invalidas habeatis ad vera & falsa dijudicanda: maxime propter obscenissimas turpitudines, quas docuit Satanes animas instabiles, atque carnales, ad hoc Deo sinente, ut ejus ubique sint tremenda judicia, & in comparatione impuræ nequitiæ dulcescet purissima disciplina; atque ut illi det honorem, timorem autem, vel pudorem sibi, qui in illa mala vel illa tegente non cecidit, vel illo inde levante surrexit. Cavete timendo, & orando, ne irruatis in illud ænigma Salomonis, ubi mulier insipiens & audax, inops panis effecta, convocat prætereuntes dicens, Panes occultos libenter attingite, & aquæ furtivæ dulcedinem. Hæc enim mulier vanitas est impiorum, cum sint insipientissimi, aliquid se scire opinantium; sicut de ista muliere dictum est, inops panis effecta. Quæ cum sit inops panis, promittit panes: id est, cum sit ignara veritatis, promittit scientiam veritatis. Occultos tamen panes promittit, quos dicit libenter attingi, & aquæ furtivæ dulcedinem: ut ea scilicet libentius, & dulcius audiantur, & agantur, quæ palam in Ecclesia dici, credique prohibentur. Ipsa quippe occultatione condiunt quodammodo nefarii Doctores sua venena curiosis: ut ideo se existiment aliquid discere magnum, quia meruit haberi secretum; & suavius hauriant insipientiam, quam putant scientiam, cujus prohibitam quodammodo furantur audientiam.* Hactenus mirifice S. Augustinus contra novos directores, qui sub prætextu incapacitatis Episcoporum avertunt animas a manifestando proprio interno, quando ab Episcopis ad id compelluntur, ne omni vento doctrinæ circumferantur in ne-

quitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris; ut ait Apóstolus ad Ephesios 4.

Demum, quod addit Molinosius, animas internas non esse gubernandas ab Episcopo, *quia hoc nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores umquam tradiderunt, nec tradere possunt*; prodit summam ignorantiam ejusdem nequissimi seductoris. Sufficiunt enim ea, quæ produximus in hac Propositione tum ex Scriptura, tum ex sacris Canonibus, tum ex Auctoribus, ad redarguendum de mendacio Molinosium: addimusque dumtaxat id, quod disponit Concilium Tridentinum, ut vel ejus auctoritate percitus obmutescat. Sess. igitur 6. cap. 1. de Reformat. ita habetur: *Omnes Cathedralibus Ecclesiis præfectos monet, ac monitos esse vult, ut attendentes universo gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent, sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant. Implere autem illud se nequaquam posse sciant, si ovium suarum custodiæ minime incumbant.*

§. LXV.

LXVII. *Dicere, quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere; est manifesta deceptio: quia Ecclesia non judicat de occultis; & propriis animabus præjudicant his deceptibus & simulationibus.*

LXVIII. *In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ directoris, quoad internum animæ: & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanæ.*

Ex male asserto superius principio (videlicet: *Ecclesia non judicat de occultis*) deceptos arbitratur eos omnes, qui asserunt, internum exteriori tribunali esse manifestandum: nec dari facultatem, aut jurisdictionem in mundo ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ directoris.

Prima Propositio, ut jacet, est *perniciosa, temeraria, & male sonans*.

Secunda, *perniciosa in praxi, & jurisdictionis Ecclesiasticæ eversiva*.

Utraque Propositio impugnatur ex eo quod scribit Apostolus ad Rom. 13. his verbis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non enim est potestas nisi a Deo: quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*: & infra: *Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Hic textus non tantum intelligitur de Principibus Sæcularibus, sed multo magis de Prælatis Ecclesiasticis: quod manifestum est, quia Apostolus loquitur in genere de omnibus Potestatibus. Ait enim: *Non est potestas, nisi a Deo*: quod æquivalet huic, Omnis potestas a Deo est. Esse autem aliquam potestatem Ecclesiasticam idem Paulus docet II. ad Corinth. 13. dicens: *Hæc absens scripsi, ut non præsens durius agam secundum potestatem quam dedit mihi Dominus*. Proinde qui recusat manifestare internum suum exteriori tribunali Præpositorum, quando juridice interrogatur, peccat mortaliter; quod patet ex illis verbis: *Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*. Quod de damnatione tum temporali, tum æterna exponunt Chrysostomus, Œcumenius, Theophylactus, & Ambrosius, teste Bellarmino Tom. I. Controversiar. controvers. 3. de Summo Pontifice lib. 4. cap. 16. Item ex illis verbis: *Ideo necessitate subditi estote*: id est, non est liberum non respondere, sive negare veritatem, sed necessarium. Item ex illis verbis: *Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam*: id est, necessario parendum exteriori tribunali Præpositorum non solum propter metum pœnæ, sed etiam propter metum culpæ, quæ incurritur. Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 69. art. 1. scribit: *Quicumque facit contra debitum justitiæ, mortaliter peccat. Pertinet autem ad debitum justitiæ, quod aliquis obediat Superiori in iis, ad quæ jus Prælationis se extendit. Judex autem est Superior respectu ejus, qui judicatur. Et ideo accusatus tenetur judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit: & ideo si confiteri noluerit veritatem, quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit; mortaliter peccat*. Quod autem aliquando etiam internum suum teneatur quis manifestare, & de hoc secundum formam juris interrogari possit, docet S. Doctor ibid. quæst. 33. art. 7. ad 5. his verbis: *Prælatus non est judex judiciorum occultorum, sed solus Deus. Unde non habet potestatem præcipiendi aliquid super occultis, nisi inquantum per aliqua indicia manifestantur; puta per infamiam, per aliquas suspiciones: in quibus casibus potest Prælatus præcipere eodem modo, sicut & judex sæcularis, vel Ecclesiasticus potest exigere juramentum de veritate dicenda*. Ergo, posita aliqua suspicione, vel infamia, quod aliquis quoad internum non bene ambulet, sed deceptus sit, & illusus, atque in errore versetur; potest tribunal exterius Præpositorum Ecclesiasticorum illum adigere cum juramento, & etiam sub pœna excommunicationis, ad manifestandum internum suum. Quod si confiteri noluerit veritatem, quam fateri in tali casu tenetur, vel si eam mendaciter negaverit; peccabit mortaliter. Confirmatur ex praxi Ecclesiæ, quæ, posita aliquali suspicione, vel infamia, quod quis versetur in aliquo errore interno, vult quod judices Ecclesiastici illum interrogent de suo interno, deque sua credulitate; ut patet ex Constitutione Martini V. incipiente, *Inter cunctas*, contra Wicleffistas aliosque Hæreticos: ubi in fine additur instructio pro judicibus Ecclesiasticis de modo interrogandi eos, qui forent suspecti de erroribus, & articulis damnatis ibidem; ac inter alias interrogationes sunt aliquæ, quæ omnino ad internum spectant: V. G. *Utrum credat, quod illud, quod sacrum Concilium Constantiense approbavit, & approbat in favorem fidei, & ad salutem animarum, quod hoc est ab omnibus fidelibus approbandum, & tenendum; & quod condemnavit, & condemnat esse fidei, & bonis moribus contrarium, & hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum, & asserendum. Item utrum credat, quod condemnationes Joannis Wicleffi, aliorumque, factæ de personis, eorum libris, & documentis per Sacrum Concilium Constantiense, fuerint rite, & juste factæ, & a quolibet Catholico pro talibus tenendæ, & firmiter asserendæ*. Constat igitur, posse tribunal Ecclesiasticum Præpositorum, quando adest aliqualis suspicio, vel infamia, juridice interrogare sub juramento etiam quoad actus internos. Proinde falsum est, quod adstruit impius Molinosius; nec subsistit ejus fundamentum, cui nititur, scilicet, quod Ecclesia non judicat de occultis: quia quando adest suspicio, vel infamia, potest etiam de occultis interrogare, & judicare; secus vero, quando non adest suspicio, vel infamia, de quo casu intelligendum est illud: *Ecclesia non judicat de occultis*. Porro suspicio, vel infamia oriri non potest nisi ex aliquo actu externo, vi cujus Ecclesia interrogare potest, ac judicare de actu interno. Unde Cajetanus 2. 2. ad quæst. 104. art. 5. ait: *Actus interiores dupliciter inveniuntur: scilicet secundum se tantum; & sic non subjiciuntur judicio humano juxta illud Apostoli I. ad Corinth. 4.* „ Nolite ante tempus judicare, donec Dominus manifestet consilia cordium. " *Alio modo, ut sunt rationes actuum exteriorum; & sic computantur cum actibus exterioribus humano judicio subditis: & hoc modo cadunt sub inhibitionibus Ecclesiæ.*

Quoad alteram vero Propositionem, ubi asseritur, quod in mundo non sit facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ directoris, quoad internum animæ; falsitas constat ex eo quod in laudata Constitutione Martini V. inter alias interrogationes faciendas suspectis, ac diffamatis de erroribus ibidem condemnatis, adsunt hæ: *Item interrogetur: Utrum habeat in sua potestate aliquos tractatus, Epistolas, vel quæcumque alia scripta per Joannem Wicleffum, & Joannem Hus, seu eorum Pseudo-discipulos, & sequaces editas, vel edita; quod illas, seu illa Ordinario loci, vel ejus Commissario, seu Inquisitori sub juramento præsentet. Quod si apud se scripta hujusmodi habere non cognoverit, sed alibi; quod juret illa ad suum Ordinarium, vel alios supra dictos infra certum terminum sibi præfigendum deponere. Item utrum sciat aliquem, vel aliquos habentes præfatorum tractatus, Epistolas, vel quæcumque alia scripta; quod illum, vel illos detegat, vel manifestet pro purificatione fidei, sive executione justitiæ*. Ecce, quod Ecclesia potest adigere Christifideles ad manifestandas Epistolas directoris quoad internum animæ. Cum enim Ecclesia, sive Prælati ipsius possint examinare spiritus suorum subditorum, juxta illud I. Jo. 4. *Nolite omni spiritui credere; sed probate spiritus, si ex Deo sint: quoniam multi Pseudo-Prophetæ exierunt in mundum*: consequenter possunt præcipere, ut manifestentur Epistolæ directoris quoad internum animæ. Siquidem cum Ecclesia, sive Prælati ejusdem possint discutere spiritus suorum subditorum, juxta textum Joannis modo laudatum; proinde cognoscere debent, quibus doctrinis, & principiis ducantur animæ ipsorum curæ commissæ. Tum denique, quia, cum scriptio Epistolarum, illarumque traditio sit actus externus, procul dubio cadit sub judicio Ecclesiæ. Accedit his damnatio Epistolæ spiritualis scriptæ a P. Joanne Falconio Ordinis de Mercede filiæ suæ spirituali, quam dirigebat, in qua docetur spiritus orationis Quietis Molinosticæ, damnata a Sacra Inquisitione S. Officii 1. Aprilis 1688. ut habetur in Indice librorum prohibitorum fol. mihi 349. ubi inter alia Molinostica dogmata, ita instruitur filia ejus spiritualis: *Pongasi V. S. innanzi a Dio: ed essendo verità di fede Cattolica, che sua Divina Maestà è presente in tutti i luoghi per essenza, presenza, e potenza; faccia dentro di se un puro atto di fede, con cui creda tal verità, ed un atto di rassegna-*

zione

zione nelle sue divine, e paterne mani. Fatto questo, come una Persona, che non è più padrona di cosa alcuna, se ne resti riposata, e cheta in silenzio, senza pensar di proposita a cosa alcuna, ancorchè buona e sublime; se non di stare in questa pura fede di Dio in comune, e con la detta rassegnazione alla volontà sua. Quis non videt, ac horret Molinosticum dogma, quo seducuntur, & in errorem inducuntur infelices animæ? Posita igitur dictæ Epistolæ damnatione, necessario consequitur, nos teneri ad manifestandas Epistolas directoris quoad internum animæ: quando nimirum vel prohibentur, vel suspectæ sunt de falso dogmate. De quo vide constitutiones Gregorii XV. & Urbani VIII. apud Bordon. in Manual. Consult. pag. 389. Et hoc non esse insultum Satanæ, sed debitam obedientiam Pastoribus, & Prælatis Ecclesiæ, quis dubitabit? nisi perfidus quispiam Molinosii Discipulus, qui ad indulgendum pro libito propriis cupiditatibus, Ecclesiæ jurisdictioni se subtrahere penitus satagit.

DISSERTATIO XII.

Impugnatio Propositionum concernentium Amorem Purum Francisci de Fenelon Archiepiscopi Cameracensis.

UT Propositiooes conceroentes Amorem Purum Francisci de Fenelon Archiepiscopi Cameracensis intelligas, excerptas ex libro Gallice inscripto, *Explication des Maximes des Saints;* operæ pretium est observare Auctoris consilium in exponenda quinque amorum divisione, in Scholis penitus inaudita, sub titulo, *Expositio variorum amorum, quibus Deus amari potest.* Ut fundamentum sui oovi systematis aperiat, ibique suarum opinionum patrocinium reponat; docuit quinque amores esse status, non actus: in quo profecto ob rei non exiguæ gravitatem vim magnam collocare quisquis intelliget. Quamquam enim non inficiar, ibi de quinque statibus pertractari; attamen, illis per suos actus juxta Auctoris intentum defioitis, quæcumque ad eorum explicationem tradit, potius actus quam status afficiunt. Primum vocat carnalium Judæorum amorem, per rerum temporalium cupidinem descriptum: quem omittendum dixeris, cum nulla specialis mentio in Operis progressu futura sit. Secundum mercenarium, & puræ concupiscentiæ, quo Deum homo non amat, nisi tamquam unicum felicitatis suæ medium, aut instrumeotum, quod ad se tamquam ad finem ultimum absolute refert. Eumdem vero amorem, quem si anima eliceret, ut loquitur S. Franciscus Salesius, insigne sacrilegium, singularisque impietatis reatum admitteret, adstruit, ad justitiam & conversiooem aditum aperire, ac præparare. Tertium appellat amorem spei, qui *non est omnino mercenarius:* quia ita est mixtus amore Dei propter se, ut proprium commodum sit motivum præcipuum, & dominans. Ubi non alius spei amor agnoscitur quam ille, quo motivum proprii commodi motivo divinæ gloriæ prævalet, atque antefertur. Ideoque ex Auctoris principiis colligitur, hunc amorem, id est, ipsammet spem, deordinationis vitio laborare; utpote *quæ pro suo motivo præcipuo, & dominante* creaturam respicit. Quartum docet esse amorem caritatis, sed mixtum reliquiis proprii commodi dominans, & justificans, qui *non minus Deum*, ejusque gloriam nobis, nostrisque commodis, quam cæteris omnibus creaturis extraneis existentibus anteponit. Amorem autem proprii commodi spei amorem intelligit. Nec sileotio prætereundum est, Archiepiscopum Cameracensem, amori caritatis, mixto cum reliquiis proprii commodi, *mercenarii* nomen impooere; cum revera caritatis nomen oon exprimat aliquod mercenarium, sed gratuitum, juxta illud Apostoli I. ad Cor. 13. vers. 5. *Caritas non quærit quæ sua sunt.* Quamobrem, adhibita ejusmodi locutione in suo libro, rerum characteres confundit, merceoarii oomen tribueos amori caritatis, quem universa Schola, antiqui, & recentiores Theologi purum & gratuitum vocant. Quintum tandem inquit esse amorem purum, qui descriptum quarti gradus amorem supergressus, *Deum amat propter Deum solum in se consideratum, nulla mixtione mercenaria neque metus, neque spei.* Atque hic est quintus status, totiusque Operis argumentum; qui percipi non potest quarto superior, nisi per exclusionem cujuslibet motivi, quod dicitur mercenarium. Quartus enim eo pervenit ut non quæratur propria beatitudo, nisi tamquam medium relatum atque subordinatum ultimo fini, qui est Creatoris gloria, ut Deus, ejusque gloria oobis, nostrisque commodis anteferatur (ultra quod nihil aliud superest, quam integra beatitudinis exclusio) atque etiam in ea puritas amoris collocetur. Et ideo de fidelitate gratiæ, huic statui debita, loquens, *in eo*, ait, *posita est*, *ut ab omni proprio commodo purgari se sinat;* ibi enim adhibetur *amoris æmulatio*, id est, quidpiam inexorabile adversus mixtionem, qua cor hominis potest divisionem subire.

Hinc purum amorem sanctæ indifferentiæ statum appellat Archipræsul Cameracensis, in quo neque æteroam volumus salutem; atque Quietismo in Molinosio reprobato incaute sternit viam. Dari ibi existimat extremas probationes, queis anima possit invincibiliter credere, se juste a Deo reprobatam; atque tunc Mystica morte a Deo, quasi in cruce cum Christo, derelictam expirare: eam vero perturbationem in parte inferiori cæca & iovoluntaria passiooe cieri, ita ut in superiori regnet caritas, dum illa desperatione percellitur. Dixi, memoratum Archiepiscopum incaute Quietismo in Molinosio reprobato sternere viam. Id enim inter utrumque systema discriminis observari velim, ad ponendam in tuto Catholici Antistitis dignitatem, pietatem, doctrinam, & honestatem: inter inactionem, desidiam, torporem, stupiditatem, & exinanitionem Molinosii ad vitia repellenda, ad dæmoni resistendum, & ad Deo cooperandum, & ad æternam salutem, & ad perditionem; quæ funditus evertunt totum ædificium naturæ, gratiæ, & gloriæ, societatem humanam & divioam, felicitatem temporalem & æternam: & inter doctrinam, quam adstruit Cameracensis, tamquam amoris puri disinteressati, & internæ perfectionis fundamentum, juxta ejus mentem expressam. Hæc siquidem nulla admittit vitia; immo omnes virtutes amplectitur, nimium quam par est, a propriis motivis & objectis denudatas. Vult Deum esse actibus nostris sequendum, ab ipso Deo præventis; atque dæmoni resistendum. Falsum tamen ac periculosum dictamen in eo situm est, quod sub emendicato velamine puritatis, & perfectioois male conceptæ & expressæ, excludat objecta & motiva

virtu-

virtutum; ac fortassis ex pia intentione perficiendi amoris ædificium illud evertat, vel dejiciat. Plura, non inficior, afferuntur momenta ex Doctorum Mysticorum auctoritatibus, ad defensionem assertionum Archiepiscopi Cameracensis, vel falsis, vel mutilatis, vel in alienum sensum perperam detortis; ut ostendit Episcopus Meldensis. Immo si aliqua forent, quæ viderentur damnatæ, aut damnandæ doctrinæ favere, nec in benigniorem sensum flecti posse; emolliendæ sunt: cum ante exortos Quietistarum errores publicam lucem aspexerint.

§. I.

PROPOSITIO I.

Datur habitualis status amoris Dei, qui est caritas pura, & sine mixtione motivi proprii interesse. Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum, habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam.

EXponitur Propositio, quæ duas habet partes. Dicitur enim in prima, quod detur status habitualis caritatis puræ, quæ sit sine ulla mixtione motivi proprii interesse; & quod neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem: & quoad hoc excludit timorem, & spem a statu caritatis habitualis; in quo quantum allucinetur Cameracensis, infra videbimus. Secundo asserit, quod non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam: & quoad hoc excludit a caritate actuali secundarium motivum caritatis.

Propositio, ut jacet, juxta Theologorum Sacræ, Supremæ, & Universalis Inquisitionis censuram, est *erronea, temeraria, inducens in errores Molinosii, & renovans damnatum dogma Berengarii de Monte Falcone.*

Impugnatur I. prima pars prædictæ Propositionis ex Concilio Tridentino, quod sess. 6. de justificat. cap. 7. ita definit: *In ipsa justificatione cum remissione peccatorum hæc omnia simul infusa accipit homo per Jesum Christum, cui inseritur; fidem, spem, & caritatem. Nam fides, nisi ad eam spes accedat & caritas, neque unit perfecte cum Christo, neque corporis ejus vivum membrum efficit.* Ergo in statu viæ non potest dari habitualis status amoris Dei sine fide & spe; quemadmodum nec sine timore pœnarum, qui in caritate includitur, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 6. in hæc verba: *Timor servilis in caritate includitur secundum quod homo se propter Deum, & in Deo diligit. Sic ergo timor pœnæ includitur in caritate. Nam separari a Deo est quædam pœna, quam caritas maxime refugit: unde hoc pertinet ad timorem castum.* Porro desiderium remunerationum pertinet ad spem theologicam, ut docet Doctor Angelicus ibid. quæst. 67. art. 4. scribens: *Actus spei est expectare futuram beatitudinem a Deo.* Igitur in statu viæ non potest dari caritas habitualis sine timore pœnarum, & absque desiderio remunerationum.

Confutatur II. eadem prima pars Propositionis ex eo quod Apostolus ad Hebr. 10. v. 35. & 36. scribit, remunerationem, & repromissionem cælestem a Sanctis sperari docens. *Nolite*, inquit, *amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est, ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet, & non tardabit.* Rursus ex eo quod scribit I. ad Corinth. 13. v. 7. in hæc verba: *Caritas omnia sperat.* Hinc S. Ambrosius in Expont. Evang. sec. Luc. lib. 7. num. 28. ait: *Ex fide caritas, ex caritate spes, & rursus in se sancto quodam circuitu refunduntur.* Ad quæ verba S. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 8. ita disserit: *Spes introducit ad caritatem, inquantum aliquis sperans remunerari a Deo, accenditur ad amandum Deum. Sed secundum ordinem perfectionis caritas prior est naturaliter: & ideo, adveniente caritate, spes perfectior redditur: quia de amicis maxime speramus. Et hoc modo dicit Ambrosius, quod spes est ex caritate.* Præterea egregie idem S. Thomas 1. 2. quæst. 40. art. 7. ita scribit ad institutum nostrum: *Inquantum spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur: non enim est spes, nisi de bono desiderato, & amato. Inquantum vero spes respicit illum, per quem fit aliquid nobis possibile; sic amatur ex spe, & non e converso. Ex hoc enim, quod per aliquem speramus nobis posse provenire bona, movemur in ipsum, sicut in bonum nostrum; & sic incipimus ipsum amare.* Consonat S. Bonaventura lib. 3. dist. 26. quæst. 3. dicens: *Actus spei præparat, & disponit ad actum caritatis, tamquam ad perfectionem, & spiritualis ædificii complementum. Nemo enim diligit aliquod bonum propter se, & super omnia, nisi speret se ad illud perventurum.* Hinc ibid. quæst. 65. art. 5. concludit S. Thomas: *Caritas sine fide & spe esse non potest.* Et rationem addit per hæc verba: *Aliquis non potest habere amicitiam ad Deum, quæ est caritas, nisi fidem habeat, per quam credat hujusmodi societatem, & conversationem hominis cum Deo, & speret se ad hanc societatem pertinere.*

Confirmantur I. hæc omnia ex primo Articulo inter Issiacenses in tota Gallia celeberrimos, quibus subscripsit Archiepiscopus Cameracensis, ubi ita legitur: *Quivis Christianus, quovis in statu, tenetur ad conservandum fidei, spei, & caritatis exercitium, & ad eorum actus producendos, ut virtutum distinctarum actus.* Qua ergo ratione contrariam modo propugnat Propositionem Cameracensis, dicens, quod detur status habitualis caritatis puræ, ubi neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habeant amplius in eo partem? Cessante siquidem proprio & peculiari spei motivo, spem ipsam conservari non posse necesse est.

Confirmantur II. In præsenti providentia, & in statu viæ non potest dari status a beatitudine supernaturali independens. Atqui status habitualis caritatis puræ, excludens spem, & consequenter etiam timorem (*timor enim filialis & spes sibi invicem cohærent, & se invicem perficiunt*, ut ait D. Thomas 2. 2. quæst. 19. art. 9. ad 1.) est status a beatitudine independens; proinde est status erroneus. Ergo in præsenti providentia, & in statu viæ nequit dari status habitualis caritatis puræ, spem excludens & timorem. Probatur Major. Finis ultimus hominis in quolibet statu per se expetitur, immo voluntatem hominis ad omnia bona opera quæ agit, movet; cum omnia propter finem ultimum fiant. Atqui beatitudo, seu vita æterna est finis ultimus hominis, ut docent omnes Theologi ex Concilio Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi ita declarat: *Justificationis causæ sunt: finalis quidem, gloria Dei, & Christi, & vita æterna.* Neque hinc sequitur duos fines (ut passim objicit Archiepiscopus Cameracensis) admittendos esse. Nam S. Thomas 1. 2. quæst. 11. art. 3. ad 3. ait: *Finis ultimus dicitur dupliciter. Uno modo ipsa res; alio modo adeptio rei: quæ quidem non sunt duo fines, sed unus finis in se consideratus, & alteri applicatus. Deus igitur est ultimus finis, sicut res quæ ultimo quæritur; fruitio autem sicut adeptio hujus ultimi finis. Sicut igitur non est alius finis Deus, & Dei fruitio; ita eadem ratio fruitionis est, qua fruimur Deo, & qua fruimur divina fruitione. Et eadem ratio est de beatitudine creata, quæ in fruitione consistit.* Igitur non potest dari status habitualis caritatis puræ sine mixtione ulla motivi proprii interesse, ubi neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habeant amplius in eo partem: quia sic excludatur necessum est spes theologica, ac timor filialis a viatore; quod non est possibile, immo contrarium, errorem sapit manifestum.

Impugnatur III. dicta prima pars Propositionis ex laudato Concilio Tridentino, quod sess. cit. cap. 16. ita habet: *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa; & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum meritis, & operibus reddenda.* Omnibus itaque justis, etiam perfectis, proponenda est vita æterna: & quatenus est gratia; & quatenus est merces: Et licet aliquo actu momentaneo respici possit vita æterna veluti gratia; non tamen admitti debet status habitualis, qui vitam æternam tamquam mercedem non amplius respiciat. Obstat enim effatum Christi Domini Matth. 5. v. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis:* quo innuit Divinus præceptor, semper nobis gaudendum, & exultandum esse in sancta spe futuræ nostræ retributionis. Qua igitur ratione Archipræsul Cameracensis excludit a suo statu habituali caritatis puræ ejusmodi spem, ac fiduciam obtinendæ gloriæ?

Dices. Vita æterna est gratia, ut dictum est; ac per consequens potuit a Deo non concedi, nec ad illam sibi comparandam homo elevari: & tamen semper esset Deus in se summe bonus, sine ullo prorsus respectu ad vitam æternam diligendus. Ergo potest dari status habitualis amoris puri, qui est caritas, sine mixtione motivi proprii interesse.

Respondeo, admittendo potuisse Deum vitam æternam homini non concedere, eum non elevando ad ordinem supernaturalem; in quo statu conditus fuisset in statu naturæ puræ, ac obligaretur dumtaxat ad diligendum Deum amore naturali, ut auctorem naturæ, conservatorem

suum,

suum, cujuscumque boni ordinis naturalis largitorem, suæque beatitudinis naturalis objectum & finem ultimum pro eo statu. Cæterum cum de facto ad ordinem supernaturalem Deus hominem elevaverit; magna & pretiosa nobis promissa donaverit, ut per hæc efficiamur divinæ consortes naturæ; ac per suam gratiam dederit ut filii Dei nominemur & simus, ac per consequens ut simus heredes quidem Dei, coheredes autem Christi: quomodo amor castus & perfectus pro hoc statu excludere poterit motivum, etiam interessatum, diligendi bona quæ præparavit diligentibus se? Enimvero negans hunc benevolentiæ amorem in animabus ad perfectionis apicem evectis in hoc statu viæ, contradicit sacræ Scripturæ, Traditioni, Patribus, & Theologis, ut vidimus.

Demum refellitur eadem prima pars dictæ Propositionis ex eo quod scribat S. Joannes Apostolus in sua Epist. I. cap. 4. v. 17. *In hoc perfecta est*, inquit, *caritas Dei nobiscum, ut fiduciam habeamus in die Judicii*. Quid autem expectat caritatis fiducia in die Judicii, nisi a beneficentissimo Deo audire illud Matth. 25. v. 34. *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum a constitutione Mundi?* Igitur caritas perfecta, quam puram nuncupat Cameracensis, non excludit, quinimmo e contra gignit beatitudinis obtinendæ spem atque fiduciam.

Addit his omnibus robur damnatio Propositionis XII. Molinosii, ubi ita habes: *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso; nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet*. Quæ fuerat doctrina & Dominæ Guioniæ, pariter reprobata ab Ecclesia. Dixerat enim: *Derelictio perfecta nihil excipit, nihil reservat, neque mortem, neque vitam, neque perfectionem, neque salutem, neque Paradisum, neque Infernum*: & alibi: *Tanta est amantis indifferentia, ut nec possit desiderare Paradisum*.

Objicies. Potest dari actus amoris puri, quo Deus ab anima, in statu perfectionis constituta, propter solam suam bonitatem diligatur citra respectum ad æternam beatitudinem. Ergo cum actus ejusmodi repeti queant; poterunt in habitum influere: ac per consequens erit possibilis status habitualis puri amoris, qui sit caritas pura, & sine mixtione motivi proprii interesse.

Respondeo. Nos non negamus, elici posse raptim actum puri amoris, unice circa summam Dei bonitatem versantem, quin actualiter de æterna beatitudine quidquam cogitetur: ac actum ejusmodi fatemur in pœnitente in habitum caritatis influere, immo reperitum eumdem augere & perficere. Ex hoc tamen inferri non potest status habitualis puri amoris, qui proprius est beatorum, non viatorum; cum aliquid concupiscentiæ supersit expurgandum. Nam *caro* (inquit S. Augustinus lib. de utilitate jejunii cap. 2.) *in terram cogit, mens sursum tendit: rapitur amore, sed tardatur pondere. De hac re Scriptura Sap. 9. v. 15. ita loquitur:* "Corpus, quod corrumpitur, aggravat „ animam; & deprimit terrena inhabitatio sensum mul- „ ta cogitantem." *Si ergo caro in terram vergens onus est animæ, & sarcina prægravans prævalentem: quantum quisque delectatur superiore vita sua, tantum deponit de terrena sarcina sua*. Quamobrem in homine, secundum legem ordinariam, status habitualis amoris puri reperiri non potest: & licet caritas sit perfecta, foras non mittit spem æternæque mercedis desiderium, quo diligat Deum etiam ut objectum, ut beatificum bonum nostrum; quam amabilitatis rationem sola Patriæ caritas excludit.

Impugnatur secunda pars Propositionis, in qua de caritate actuali asseritur: *Non amatur amplius propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam*: quod videtur excludere motivum secundarium caritatis; ut supra notavimus. Pro cujus intelligentia, & omnigena confutatione supponendum duximus, duplicem nobis causam diligendi Deum in Scriptura Sacra proponi. Prima est ipsamet Dei excellentia; secunda vero est ipsius erga homines benevolentia. Diligendus est ergo Deus, & quia est in se optimus, infiniteque perfectus; & quia erga nos est summe benevolus, beneficus, immo & beatificus: quod ad illius excellentiam, infinitamque perfectionem pertinet. Utro modo ametur Deus, caritatis amor in Scriptura Sacra appellatur, juxta illud Jo. Epist. I. cap. 4. v. 19. *Nos ergo diligamus eum, quoniam ipse prius dilexit nos*. Quamquam autem illa attributa in se sint absoluta; ex proprio tamen conceptu formaliter connotant aliquid extra Deum, cujus connotati ratione conjunctissimam & inseparabilem ad nos relationem concludunt: unde non potest amari Deus ut beneficus, & beatificus, nisi quadam relatione inseparabili ad nostram beatitudinem. Equidem speculative, & Scholasticorum more loquendo, Deus in se bonus, & perfectus, primarium ac præcipuum dici potest, immo etiam specificum caritatis objectum, sine quo caritas neque concipi. Quo sensu S. Thomas ait 2. 2. quæst. 23. art. 5. ad 2. *Dicendum, quod caritate diligitur Deus propter seipsum. Unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a caritate; scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia, secundum Psal.* 105. „ Confitemini Domino, quoniam bo- „ nus." At Deus ut benevolus, & beatificus, est verum & necessarium, licet secundarium, ejusdem caritatis objectum, seu motivum alteri subordinatum; tamen per se maximum. Unde subjungit Psalmus: *Quoniam in æternum misericordia ejus*: & S. Thomas ibidem: *Aliæ autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes, sunt secundariæ, & consequentes ex prima*. Neque si specificum caritatis motivum conspiciatur in se præstantius, ideo pluris valet solum, quam ille utriusque motivi complexus. Cæterum objectum totale caritatis in praxi est Deus, ut in se optimus; & Deus, ut erga homines beatificus: ita ut illæ duæ ideæ aliter quam abstractive, & in actu intellectus momentaneo separari nequeant. Nam ideo Deo est beatificus, quia est in se optimus, & infinite perfectus. Duas illas rationes formales diligendi Deum inter se subordinatas distinxit Scotus S. Thomæ consentiens dist. 27. quæst. unic. dicens: *Prima ratio diligibilitatis est honestas sua; secunda ratio præcedens actum, est, quia amavit nos*. Ex quo pater utriusque motivi, primarii scilicet, & secundarii, in caritatis actibus arcta conjunctio. Quamquam igitur, scholastice quidem & speculative, caritati sufficiat Deus optimus; attamen in praxi valet illa complexio, qua Deum, & ut est in se optimus, & ut est erga nos beneficentissimus, amamus: ita ut duo motiva in unam amandi rationem coalescant, nec a se invicem realiter separanda sint. Et ideo Ecclesia utrumque adhibet motivum, ut filios suos ad amorem exciter, quem pro eisdem supplex implorat: *Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti, infunde cordibus nostris tui amoris affectum, ut te in omnibus super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur*.

Tum quia ipso caritatis præcepto, Deus proponitur diligendus tamquam Deus, ac Dominus noster; qui in se quidem excellens sit, attamen qui nobis uniri, ac benefacere amet: tum quia caritas est amor amicitiæ, quo Deus amatur tamquam amicus, & ab ipso amamur tamquam amici, juxta illud Christi Jo. 15. v. 14. *Vos amici mei estis*. Est ergo amor mutuus, immo ipsa animorum conjunctio, juxta illud Sponsæ Cantic. 2. vers. 16. *Dilectus meus mihi, & ego illi*. Amor autem mutuus sine respectu ad nos intelligi nequit. Hinc ab Augustino lib. 3. de Doct. Christ. cap. 10. & ab universis Theologis definitur caritas, *Motus animi ad fruendum Deo propter ipsum, & se atque proximo propter Deum*. Et ideo S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 7. ait: *Ultimum, & principale bonum hominis, est Dei fruitio secundum illud Psal.* 72. „ Mihi autem adhærere Deo bonum est: " & ibid. quæst. 26. art. 13. ad 3. inquit: *Unicuique Deus erit tota ratio diligendi, eo quod est totum hominis bonum. Dato enim per impossibile, quod Deus non esset hominis bonum, non esset ei ratio diligendi*. Caritas igitur tendit ex se ad fruitionem Dei; ac proinde ad beatitudinem, quæ in illa fruitione consistit: maxime cum omnis amor sit ex natura sua unitivus amantis & amati. Equidem cum Deus sit summum bonum, ipse propter se, & non propter aliud bonum diligendus est, non ut alia bona obtineamus, sed ut ipso unice fruamur. Illud autem frui, etsi respectum habeat ad nos, non tamen efficit, ut Deum ad nos referamus, immo nos ipsos ad Deum referimus: cum illum amemus, velimus, & cupiamus nobis tamquam finem nostrum ultimum, in quo & perficiamur, & quiescamus. Unde scribit doctissimus P. Suarez de Virtute Spei disp. 1. sect. 3. *Præter amorem, quo amatur Deus ex caritate, est alius distinctus, quo amatur Deus ut summum bonum amantis. Hoc amore nos non referimus Deum ad nos ut ad finem; sed proprie amamus Deum nobis: quod est potius amare conjunctionem nostri cum Deo, tamquam ultimo fine supernaturali nostro; quamvis in hoc amemus nostrum commodum, id est, felicitatem & ultimam perfectionem*.

Proinde Christus Dominus passim nos hortatur ad beatitudinem inquirendam. Hinc Matth. 6. vers. 33. ait: *Quærite primum regnum Dei, & justitiam ejus*: & ibidem docens nos orare vers. 9. inquit: *Sic ergo vos orabitis: Pater noster, qui es in cælis: Sanctificetur nomen tuum. Adveniat regnum tuum*. Rursus Matth. 5. vers. 12. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis*. Quapropter Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. decernit, *eos Orthodoxæ religionis doctrinæ adversari, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, mercedem intuentur æternam; cum scriptum sit*: „ Inclinavi cor „ meum ad faciendas justificationes tuas propter retribu- „ tionem: " *& de Moyse dicat Apostolus, quod respiciebat in*

bat in remunerationem. Igitur Deus amatur ariam in actu caritatis puræ proprar meritum, & perfectionem, felicitatemque in eo amando inveniendam. Profecto regius Psaltes perfectissime Deum diligebat: & tamen propter meritum, ae retributionem se illum amare profitetur. Non argo cum actu cariratis puræ in sensu Cameracensis pugnat dilectio proprer meritum, falicitatem, & ultimam perfectionem in eo amando inveniendam.

Confirmatur. Statui perfectionis, quem statum amoris puri vocat Cameracensis, quamvis opponatur desiderium mercedis temporalis, & a Deo distinctæ; non tamen mercedis æternæ perficientis, & beatificantis, quæ Deus est. Ergo non datur status habitualis, & amoris puri, ita ut desiderium remunerationum non habeat amplius in eo partem; nec ametur amplius Deus propter perfectionam, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. Probatur Antecedens ax S. Augustino, qui Serm. 178. alias 19. de Varb. Apost. cap. 10. mirifice componit amorem castum, seu purum, cum desiderio felicitatis æternæ in hæc verba. *Amor castus*, inquit, *in te esse debet, quo amore desideres videre, non cælum & terram, non campos liquidos maris, non spectacula nugatoria, non fulgores nitoresque gemmarum: sed desidera videre Deum tuum, amare Deum tuum; quia dictum est:* „ Carissimi, filii Dei sumus, & nondum apparuit, quid erimus. Scimus autem, quia cum „ apparuerit, similes ei erimus: quoniam videbimus „ eum, sicuti est. " *Ecce propter quam visionem fac bonum, ecce propter quam noli facere malum. Si enim amas videre Deum tuum, si in hac peregrinatione illo amore suspiras; ecce probat te Dominus Deus tuus, quasi dicat tibi, Ecce fac quod vis, imple cupiditates tuas, extende nequitiam, dilata luxuriam, quidquid libuerit, licitum puta: non hinc te punio, non te in gehennas mitto, faciem meam tantum tibi negabo. Si expavisti, amasti; si hoc, quod dictum est, Faciem tuam tibi negabit Deus tuus, contremuit cor tuum, in non videndo Deum tuum magnam pœnam putasti; gratis amasti.* Et Enarrat. in Psal. 127. *Si diceret Deus, Faciem meam numquam videbis: ecce omni ista terrena felicitate, omnibus rebus abundabis, circumfluent te bona temporalia, non illa amittis, non illa deseris; quid vis amplius? Fleret quidem, & gemeret timor castus, & diceret, Immo tollantur omnia, & faciem tuam videam. Timor castus exclamaret de Psalmo, & diceret:* „ Deus virtutum, converte nos, & ostende „ faciem tuam, & salvi erimus. " *Timor castus exclamaret de Psalmo, & diceret:* „ Unam petii a Domino. " *Vide, quomodo ardeat timor iste castus, amor verus, amor sincerus.* „ Unam petii a Domino, hanc re„ quiram. " *Quid?* „ Ut inhabitem in domo Domini „ omnibus diebus vitæ meæ. " *Quid si propter terrenam felicitatem? Audi, quid sequitur:* „ Ut contempler de„ lectationem Domini, & protegar templum ejus: " *id est, esse templum ejus, & protegi ab eo, hanc unam petii a Domino. Hanc unam si petieritis, ad hanc unam si cor vestrum exercueritis, & hoc solum amittere timueritis; nec invidebitis terrenis felicitatibus, & illam felicitatem veram sperabitis.* Desidarium æternæ felicitatis, quod juxta S. Augustini doctrinam cum timore casto compatitur, ita S. Bernardus (tract. de dilig. Deo cap. 14.) cum amore puro componit, ut numquam caritatem admittat sine ejusmodi cupiditate, qua nos propter Deum diligimus: *Numquam*, inquit, *erit caritas sine cupiditate, sed ordinata... Cupiditas tunc recte a superveniente caritate ordinatur, cum mala quidem penitus respuuntur, bonis vero meliora præferuntur, nec bona nisi propter meliora appetuntur.* Et infra cap. 15. quatuor amoris gradus distinguens; primum in quo diligit seipsum homo propter se: alterum, in quo diligit Deum, sed propter se, non propter ipsum: tertium, in quo diligit Deum non jam propter se, sed propter ipsum: quartum denique, in quo se diligit homo tantum propter Deum: postremum hunc gradum in hac vita doces esse impossibilem. *Sane*, ait, *in hoc gradu diu statur: & nescio si a quoquam hominum quartus in hac vita perfecte apprehenditur, ut se scilicet diligat homo tantum propter Deum. Asserant hoc si qui experti sunt: mihi, fateor, impossibile videtur.*

Objicies contra hanc secundæ partis confutationem. S. Bernardus videtur axcludere ab amore puro desiderium præmii: ait anim lib. de diligendo Deo cap. 7. *Amor præmium non requirit, sed meretur.* Ergo non debet amari Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam; sed solum quia ipse summum bonum est, & dignus amore. Et Serm. 83. in Cant. *Amant filii*, inquit, *sed de hereditate cogitant; quam dum verentur quoquo modo amittere, ipsum, a quo expectatur hereditas, plus reverentur, minus amant. Suspectus est mihi amor, cui aliud quid adipiscendi spes suffragari videtur... Purus amor mercenarius non est.*

Respondeo, S. Bernardum non excludere ab amore puro desiderium omnis felicitatis, sed illud dumtaxat, in quo affectus aliqualiter sistat, non subordinando se in ejusmodi desiderio eliciendo, veræ felicitati nostræ, quæ Deus est. Quod autem juxta S. Bernardi doctrinam non excludatur præmii desiderium ab amore puro, aperte demonstratur ex Serm. 59. in Caut. ubi tradit, gemitus & desideria fruendi Sponso cælesti, quamdiu absens est, pertinere ad omnes, qui Christi adventum diligunt, expectantes perfectam & consummatam adoptionem filiorum Dei. *Donec homines*, inquit, *pro Dei cultu mercedem tantum in terra, & tantum terram acceperunt, illam utique lacte & melle manantem, minime se cognoverunt peregrinos super terram, nec more turturis ingemuerunt veluti Patriæ reminiscentes..... Ubi ergo regni cælorum promissio facta est, tunc intellexerunt homines se non habere hic civitatem manentem, sed futuram inquirere tota aviditate cœperunt; & tunc primum manifeste sonuit in terra vox turturis. Nam dum sancta quæque jam anima Christi præsentiam suspiraret, regni dilationem moleste ferret, desideratam patriam gemitibus & suspiriis a longe salutaret; nonne sibi videtur vice fungi gemebundæ ac castissimæ turturis quæcumque anima in terris ita fecisset? Ex tunc ergo & deinceps vox turturis audita est in terra nostra. Quidni moveat mihi crebras lacrymas & gemitus quotidianos Christi absentia? Domine, ante te omne desiderium meum, & gemitus meus a te non est absconditus... Ubi palam clamatum est:* „ Quæ sursum sunt, „ quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens: " *ad omnes jam cœpit pertinere gemitus iste turtureus, & una omnibus esse gemendi ratio, quia omnes sciebant Dominum, secundum quod in Jeremia legitur:* „ Et cogno„ scent me omnes a minimo usque ad maximum, di„ cit Dominus. " In secunda vero auctoritate loquitur Sanctus Pater ex hypothesi, quod hereditas sit aliud a visione & amore Patris, qualis est temporalis & terrena; non ex hypothesi, quod hereditas sit visio & amor Patris, qualis est cælestis & æterna. Certe mercenarium non esse qui ad æternam hereditatem anhelat, Serm. 8. de Divers. asserit ipse Bernardus, qui in ipsa formali beatitudine, quæ Dei clara visio ast, purissimi amoris gradum non sistere docet, sed ad Deum tendere, quatenus objectiva nostra beatitudo ast. *Ipse est*, inquit, *status filii jam robustæ ætatis, qui sub Patre vivit, nec lacte jam potatur, sed vescitur jam solido cibo: oblitus sane quæ retro sunt, in quibus servilis oculus in amaritudine morabatur: sed ne ipsa quidem præsentia considerans, nec parvas parvulorum consolationes captans, magis autem extendens se in anteriora, ad palmam supernæ vocationis, & introitum futuræ beatitudinis, expectans beatam spem & adventum gloriæ magni Dei. Evacuavit enim quæ erant parvuli, nec circa hujusmodi suaves quidem, sed non perennes consolationes hactenus occupatur. Sed quia jam profecit in virum perfectum, in his quæ Patris sunt, oportet eum esse, suspirare ad hereditatem, sedulaque circa eam meditatione versari. Numquid enim mercenarium eum quis æstimet, qui paternæ inhiat hereditati, eamque toto affectu expetit & expectat; quam nimirum filii mercedem esse, non mercenarii, Propheta testatur?* „ Cum dederit, in„ quit, dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, „ filii merces, fructus ventris. " *Invenitur tamen alter gradus sublimior, & affectus dignior isto, cum penitus castificato corde, nihil aliud desiderat anima, nihil aliud a Deo quærit, quam ipsum Deum. Crebro siquidem didicit experimento, quoniam bonus Dominus sperantibus in se, animæ quærenti ipsum, ita ut jam ex affectu cordis atque ex sententia clamet illud de Psalmo:* „ Quid enim „ mihi est in cælo, & a te quid volui super terram? „ Defecit caro mea & cor meum, Deus cordis mei, & „ pars mea Deus in æternum. "

§. II.

II. *In statu vitæ contemplativæ, sive unitivæ, amittitur omne motivum interessatum timoris, & amoris.*

Mixtionem motivi proprii interesse, quam a statu habituali amoris excluserat Archiepiscopus Cameracensis in prima Propositione, rejicit hic a statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ, asserens, ibi amitti omne motivum interessatum timoris, & spei.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, perniciosa, & erronea.*

Aperitur ejus falsitas, quia vita unitiva, seu contemplativa, importat gradum perfectiorem vita activa. Quare sicut hæc requirit exercitium fidei, & spei, quæ sunt virtutes theologicæ, juxta illud Pauli ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit:* ita a fortiori vita contemplativa; quia hic loquimur de vita contemplativa, & unitiva viatoris, non vero comprehensoris. Hinc Gregorius

gorius Homil. 14. in Ezechielem ait: *Contemplativa vita est, caritatem Dei & proximi tota mente retinere, & soli desiderio conditoris inhaerere:* & idem relatus a D. Thoma 2. 2. quaest. 180. art. 1. inquit: *Vita contemplativa in caritate Dei est, inquantum scilicet aliquis ex dilectione Dei inardescit ad ejus pulchritudinem conspiciendam:* & S. Augustinus Tract. 5. in Epist. Jo. scribit: *Caritas cum ad perfectionem venerit, quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum. Optabam dissolvi, & esse cum Christo.* Atqui in statu vitae contemplativae, seu unitivae, caritas perfecta est. Ergo dimittere non potest omne motivum interessatum spei. Consequenter S. Thomas 2. 2. quaest. 24. art. 9. distinguens tres gradus caritatis, scilicet incipientium, proficientium, & perfectorum, qui conveniunt viae purgativae, illuminativae, & unitivae, de hoc ultimo statu scribit: *Tertium studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhaereat, & eo fruatur: & hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo.* De timore autem idem Angelicus Doctor ibid. quaest. 19. art. 9. ad 1. ait: *Timor filialis & spes sibi invicem cohaerent, & se invicem perficiunt:* & S. Augustinus Tract. 9. in Epist. Jo. inquit: *Sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, seta prius intrat, sed nisi exeat, non succedit linum: sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem.* Hinc Eccli. 2. vers. 10. dicitur: *Qui timetis Dominum, diligite illum:* & Psal. 33. vers. 10. *Timete Dominum omnes Sancti ejus.* Ergo timor conjungitur cum sanctitate; & ita cum statu contemplativo, & unitivo: proinde in statu vitae contemplativae, & unitivae non amittitur omne motivum interessatum timoris & spei, ut falso adstruitur in hac Propositione Cameracensis; immo includitur, & necessario reperitur.

His cohaerent, quae scribit S. Joannes a Cruce lib. 2. de Ascens. Mont. Carm. cap. 6. ubi inquit: *L'anima non si unisce con Dio in questa vita per mezzo dell'intendere, nè per mezzo del godere, nè per le immaginazioni, nè per qualsivoglia altro senso: ma solamente per mezzo della fede nell'intelletto; per la speranza, che si può attribuire alla memoria (benchè ella stia nella volontà) quanto al vuoto, e dimenticanza, che cagiona di qualsivoglia altra cosa caduca, e transitoria, riserbandosi tutta l'anima per quel sommo bene, che aspetta, e spera; e finalmente per mezzo dell'amore nella volontà.* Ecce, quod S. Joannes a Cruce in unione animae cum Deo, quae est gradus supremus vitae unitivae, & contemplativae, statuit fidem, spem, & caritatem. Porro caritas concludit timorem, ut ostensum est supra.

Confirmatur ex S. Theresia, quae cap. 15. suae Vitae, loquens de animabus incedentibus per viam contemplativam, seu unitivam, sive manentibus in ejusmodi statu, inquit: *Queste anime talvolta per non far peccati, vedendosi combattute da gagliarde tentazioni, hanno bisogno di valersi delle prime armi dell'orazione, e tornar a pensare, che tutto finisce, e che vi è Cielo ed Inferno.* Ecce, quod S. Theresia agnoscit in statu vitae contemplativae, & unitivae, timorem poenarum, & spem remunerationum: proindeque non cessat in eo motivum omne interessatum timoris & spei, ut propugnat Cameracensis.

Mirifice ea quae hactenus expensa sunt ex Sacra Scriptura, Augustino, aliisque Doctoribus Mysticis, ad aperiendam Propositionis falsitatem, laconice perstrinxit P. Massoulie in Tract. Amor. Dei part. 3. cap. 2. *Non dee mai affermarsi* (inquit) *che in uno stato di vita contemplativa, o unitiva, si perda ogni motivo interessato di timore e di speranza: imperocchè un vero Cristiano non perde mai nè l'amore filiale, nè la speranza de' figliuoli di Dio. Bisogna evitare queste espressioni assolutamente, le quali vogliono, che l'amore di Dio sia solo per essere puro . . . . . Queste maniere di parlare sono per altro improprissime: poichè egli è impossibile esercitare la speranza senza il motivo della speranza: il motivo è in certo modo la sua natura, e le dà tutta la perfezione. Non basta il dire, che aspettiamo l'adempimento delle promesse di Dio, per l'unico motivo del suo beneplacito, senza unirvi quello del nostro interesse, cioè della ricompensa. Bisogna unire insieme questi due motivi; e dire, per parlar giustamente, che noi aspettiamo l'adempimento delle promesse di Dio, e la nostra ricompensa.* En paucis rem totam explanatam ab eruditissimo P. Massoulie. Constat proinde luce clarius, quod in statu vitae contemplativae, seu unitivae, non amittatur omne motivum interessatum amoris & spei; ut contendit Auctor harum Propositionum.

§. III.

III. *Id, quod est essentiale in directione animae, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum intima patientia, praecautione, & subtilitate. Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere; & numquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.*

UT sensum hujus Propositionis intelligas, attende, quid dicat pag. 97. Cameracensis. *Qualibet anima, ut Deo sit perfecte fidelis, nihil solidi, & nihil meritorii agere potest, nisi gratiam sine intermissione sequatur, quam praevenire non eget. Qui vult eam praevenire, id vult sibi dare quod nondum dat; aliquid a seipso, suaque industria, seu proprio conatu expectat; inest ei subtile, nec perceptibile Semipelagiani zeli residuum.* In quibus sane verbis propriae industriae, propriique conatus exclusio deprehenditur: ideoque docet, quod in directione animae incedentis per viam internam nihil aliud agere debeat director, quam sequi pedetentim gratiam; & quod oporteat se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere; & numquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo.

Propositio, ut jacet, est *erronea, periculosa in praxi, haeresim sapiens, inducensque in Phanatismum, & Molinismum.*

Falsitas hujus Propositionis evincitur ex eo quod esse dicatur essentiale in animae directione sequi pedetentim gratiam, & numquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo. Nam praeceptum puri amoris omnes animas, & praecipue perfectionis cupidas, afficit, juxta illud Matth. 22. vers. 37. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua.* Nec deest gratia ad hujusmodi praeceptum adimplendum, ut scribit S. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 4. *Homo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur:* & S. Thomas 1. 2. quaest. 100. art. 10. *Non est,* inquit, *impossibile observare, quod est de actu caritatis: quia homo potest se disponere ad caritatem habendam:* & Deum diligere incipiunt homines, excitati divina gratia & adjuti (ut definit Tridentinum sess. 6. de justificat. cap. 6.) *quae gratia nulli deest, sed omnibus, quantum in se est, se communicat;* ut lect. 3. in Epist. ad Hebraeos prosequitur S. Thomas. Consequenter magnam perniciem director inferret animae perfectionis cupidae, si eam ad purum amorem non duceret, sed vellet expectare specialem ad hoc gratiae influxum & illecebram. Immo caderet in Quietismum: Quietistae enim gratiae operationem gratiose expectant, ut ad agendum se determinent. Credunt enim, animam quolibet momento, & qualibet occasione dirigi gratiae actualis inspiratione, & illius ope cognoscere, quid quolibet momento sibi agendum sit. Hinc Molinosius Propositione II. asseruit: *Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens. Ideo opus est seipsum in Deo totum & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime:* & Propositione IV. *Activitas naturalis est gratiae inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem: quia Deus vult operari in nobis sine nobis:* & Propositione XX. *Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus numquam loquitur, ejus locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando haec suis discursibus, & cogitationibus, & operationibus eum non impedit.* Proinde in celeberrimis Articulis Issiacensibus, ab Episcopis Gallicanis ad praecavenda nova Pseudo-Mysticorum dogmata promulgatis, declaratum fuit Articulo XI. ut sequitur: *Non licet Christiano expectare, ut Deus hos actus (fidei scilicet, spei, & caritatis) inspiret via & inspiratione singulari; immo vero, ut ad eos sese excitet, nulla alia re indiget, quam fide, qua voluntas signi, sive significata ac declarata, praeceptis innotescit, & Sanctorum exemplis, suppositis semper auxiliis gratiae excitantis & praevenientis:* & Articulo XXV. *Non licet Christiano, passive, aut cujusvis extraordinariae orationis obtentu, in agendis rebus tam spiritualibus, quam temporalibus expectare impulsum ad quemvis actum determinantis Dei, per viam & inspirationem singularem. Contraria vero sententia ad tentandum Deum inducit, atque illusioni & indigentiae viam aperit:* & Articulo XXVI. *Extra casus, & momenta inspirationis Propheticae, sive extraordinariae, vera animi demissio ab omni anima Christiana, etiam perfecta, Deo debita in eo stat, ut*

omni lumine sive naturali, sive supernaturali divinitus accepto, Christianæque prudentiæ regulis utatur; sic tamen, ut supponetur semper a Deo omnia regi per providentiam, eumque optimi cujusque consilii esse auctorem: demum Articulo XXIX. dicitur: *An sit, vel fuerit ubicumque terrarum exiguus saltem numerus electorum animarum, quas Deus extraordinarie præventas singularibus inspirationibus sibi notis, quocumque instanti ad omnes Christianæ pietati essentiales actus, & ad omnia bona opera ita moveat, ut nihil eis præscribendum sit, quo ad ea opera aut exercitia seipsae cohortentur; divino judicio relinquimus: nec agnitis, aut confessis talibus statibus, id unum in praxi statuimus, nihil esse periculosius, aut illusioni propius, quam regere animas, tamquam ad eum statum pervenerint. Denique & id statuimus, quicquid sit de illorum statuum veritate, non in ejusmodi præventientibus inspirationibus collocari perfectionem Christianam.*

Consonat Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. ubi definitur: *Deus jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis; & adjuvat ut possis.* Quod intelligas velim, non tantum urgente præcepto, sed quocumque tempore illud a prudentia Christiana utile judicatur, & expedire videbitur. Semper enim non urget præceptum; & casus, aut momentum, quo urgeat in affirmantibus præceptis, vix certo definiri potest: & ideo prævenire debemus, ut passim in Scriptura Sacra consulitur. Unde legitur Psal. 94. vers. 2. *Præoccupemus faciem ejus:* & Psal. 118. vers. 147. *Præveni in maturitate, & clamavi:* & vers. 148. ejusdem Psalmi: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo:* item Psal. 87. vers. 14. *Oratio mea præveniet te.* Sic igitur Deus prævenire dicitur, quamvis nos, nisi ejus gratia præventi, nihil boni agamus: illius tamen illecebram sensibilem prævenimus, & quasi ex nobis ipsis agimus. Cum enim ignoremus, quo momento gratia detur; si in simplici expectatione suspensi hæreremus, tentaretur Deus, & liberum arbitrium veluti modo letargico premeretur.

Hinc S. Augustinus lib. 2. de peccatorum meritis & remissione cap. 5. scribit: *Adjutor noster Deus dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui aliquid sponte conatur.* Duo proinde errores hic vitandi sunt. Alter Semipelagianorum, qui credebant gratiam libero arbitrio præveniri: alter Quiaistarum, qui gratiæ operationem otiose expectant, ut ad agendum se determinent: credunt nempe animam quolibet momento, & qualibet occasione dirigi gratiæ actualis inspiratione, & illius ope cognoscere, quid quolibet momento agendum sit. Itaque homo, supponendo gratiam sibi adesse, debet seipsum ultro excitare ad recte agendum, quando præceptum aut prudentia Christiana postulant, nec sensibilem gratiæ motum expectare debet; de quo vide eruditissimum P. Suarez lib. 3. dist. 2. de gratia cap. 13. & Ven. Bellarminum de justificat. lib. 6. cap. 9. Neque hic error Semipelagianus est: nam spontaneus ille conatus fieri supponitur ex gratia, quæ adesse creditur. Auctor vero harum Propositionum spontaneum illum conatum, propriamque excitationem excludit, vultque ut homo non agat, nisi gratiæ impulsum sentiat; quod Quietismum, & Phanatismum inducit. Unde scribit ibidem in Propositione damnata: *Hoc unum tibi agendum, ut Deum agere sinas* (id est, ut gratiæ palam excitantis impulsum expectes) *& numquam de amore puro loquaris, nisi quando Deus interiori unctione cor aperire incipit huic verbo:* id est, nisi quando præcessit gratiæ unctio, & illecebra singularis & extraordinaria. Hic enim agitur de animabus justificante gratia præditis: unde communi gratiæ unctioni, & attractu non carent. Indigent ergo attractu extraordinario, ut ad purum amorem eleventur; proinde omnia instinctui, & impressioni phanaticæ tribuenda erunt. Illa vero spontanea excitatio, sive pius conatus a S. Augustino admittitur, ac laudatur lib. 2. de pecc. meritis & remissione cap. 5. in hæc verba: *Nec ideo tamen solis hac de re votis agendum est, ut non subinferatur adnitendo etiam nostræ efficacia voluntatis. Adjutor enim noster Deus dicitur, nec adjuvari potest, nisi qui etiam sponte conatur. Quia non sicuti in lapidibus insensatis, aut sicut in eis, in quorum natura rationem voluntatemque non condidit, salutem nostram Deus operatur in nobis.* Igitur creaturæ rationales, in quibus Deus intellectum ac voluntatem condidit, sponte conari debent: non quod spontaneus ille conatus a gratia oriri non supponatur, quod ab Augustini sensu longe distaret; sed quod supponendo gratiam, licet non sentiatur, nec adesse certo cognoscatur, se ultro ad pia opera excitare debeant, potissimum quando præceptum aut prudentia Christiana postulant, nec sensibilem gratiæ motum expectare debent.

Accedit S. Bernardus, vel quisquis sit Auctor libri Scalæ Claustralium, qui cap. 12. hæc præclare scribit ad institutum nostrum: *Non debemus nos, quasi Deum tentando, divinæ præsumere, sed facere quod ad nos pertinet: legere scilicet & meditari in lege Dei, orare ipsum, ut adjuvet infirmitatem nostram, & videat imperfectum nostrum: quod ipse docet nos facere, dicens:* „ Petite, & accipietis; quærite, & invenietis; pulsate, „ & aperietur vobis. " Ex quibus constat, necessarium esse conatum nostrum ad pie operandum. Consonat S. Thomas lib. 3. contra Gentes cap. 35. scribens. *Expectare a Deo subsidium, in quibus se aliquis potest per propriam rationem juvare, prætermissa propria actione, est insipientis, ac Deum tentantis. Hoc enim ad divinam bonitatem pertinet, ut rebus provideat, non immediate omnia faciendo, sed alia movendo ad proprias actiones. Non est igitur expectandum a Deo, ut omnia, actione propria, qua sibi potest quis subvenire, prætermissa, Deus ei subveniat: hoc enim divinæ ordinationi repugnat, & bonitati.* Igitur juxta sensum Angelici Doctoris debet anima supponere motionem divinam, & propria actione sibi subvenire. Hinc S. Theresia Magistra orationis ad rem nostram ita scribit Mans. 6. cap. 7. *Sta l' anima desiderando d' impiegarsi tutta in amore, e vorrebbe non attendere ad altro; ma non potrà, benchè voglia: perchè quantunque la volontà non istia morta, sta nondimeno alcune volte mortificato il fuoco, che la suole far ardere, ed ha bisogno di chi vi soffii, acciocchè mandi calor di se. Sarebbe forse bene, che stesse l' anima con questa aridità, aspettando fuoco del cielo, che abbruciasse questo sagrifizio ch' ella sta facendo di se a Dio? Non per certo. Non è bene aspettar miracoli: ma vuole Iddio, che ci ajutiamo in tutto quello che potremo.* Igitur ex S. Theresia expectare non debemus, quod Deus trahat nos ad amorem purum; verum etiam nostra operatione (supposita divina gratia) hujusmodi amorem procuremus oportet.

Subscribit S. Theresiæ Venerabilis P. Balthasar Alvarez Soc. Jesu, qui fuerat olim a Confessionibus ejusdem Sanctæ; atque ad rem nostram ita scribit cap. 42. suæ Vitæ. *I medesimi, i quali sono saliti a questo modo d' orazione di quiete, hanno necessità di non obliare l' esercizio del meditare, e pensar qualche cosa de' divini Misteri: perchè molto volte cessa il favore, e la divina mozione, da cui sono elevati a tenta quiete. Ed è d' uopo, che allora operino essi colle loro potenze: giacchè non devono essere come navigli di alto bordo, i quali solamente si muovono col vento, ma come Galee, o altri più piccioli legni, a' quali mancando il vento, servono i remi; e se mancasse loro il vento e remi, rimarrebbono in oziosa calma. Così, e non altrimenti, mancando il vento della divina special mozione, o la cooperazione, ed industria delle nostre potenze, starebbono oziosi e fermi nello spiritual cammino.* Ergo, deficiente divina speciali motione, debent animæ propria industria suarum potentiarum ad purum amorem tendere, totisque viribus illum procurare.

Impugnatur ulterius dicta Propositio auctoritate S. Joannis a Cruce, qui lib. 3. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 1. in fine ita scribit. *E quantunque sia vero, che appena si troverà anima, che in tutto, e per ogni tempo sia mossa da Dio, avendo con lui così continua unione, che sempre siano divinamente mosse le sue potenze; tuttavia vi sono anime, che nelle loro operazioni molto spesso e per ordinario sono mosse da Dio.* Notentur hæc verba, ac signentur mysteria. Si vix adinvenitur anima, quæ quovis tempore, et qualibet in occasione specialiter moveatur a Deo ob specialissimam cum eo unionem: consequenter non debet quælibet anima specialem illecebram expectare; sed facere quod potest, & petere quod non potest, ut ad purum amorem pertingat. Rursus, si dantur animæ, quæ in suis operationibus sæpe sæpius, immo ordinarie, a Deo sunt commotæ; proinde, supponendo hujusmodi motionem, debent conari ad purum amorem pertingere.

Confirmatur ex eo quod pluribus in locis advertit S. Joannes e Cruce: cessante nimirum illecebra contemplationis, debere animam uti proprio conatu, auxilium sibi ferendo per meditationem & discursum; alias anima remaneret otiosa non sine gravi suo damno. Nec suspensa hærere debet, expectando iterum quod Deus trahat illam ad contemplationem; quod idem est ac proprio conatu Deum non prævenire. Hinc lib. 2. cap. 14. Ascens. ad Mont. Carmel. ubi statuit signa ad hoc, ut anima relinquat meditationem, & actus discursivos proprii conatus, circa tertium signum, id est, quod non possit amplius per discursum, & meditationem sibi auxilium ferre, scribit: *Perchè se l' anima non avesse questa notizia, o assistenza di Dio, ne seguirebbe, che l' anima non farebbe niente, e con niente si troverebbe. Perchè lasciando la meditazione, mediante la quale, l' anima opera discorrendo colle potenze sensitive; e mancandole eziandio la contemplazione, nella quale tiene essa anima attuate le sue potenze spirituali: le mancherebbe necessariamente qualsivoglia esercizio interno a Dio; essendo che l' anima non può operare, nè ricevere, o*

ducaro

durare nell' operata, se non per via di queste due maniere di potenze, e sensitive, e spirituali . . . . . E se in alcuna maniera d' esercizio, o sta intorno all' oprar con le potenze sensitive nella meditazione, e discorso; ovvero intorno al già ricevuto, ed operato nella contemplazione, non istesse l' anima impiegata, ma in ozio dell' une e delle altre: non so come, nè per qual via si potesse dire che stesse occupata. Et rursus eodem libro 2. cap. 32. in fine ait: *Fuori del tempo che Iddio comunica la semplice, generale, ed amorosa avvertenza già detta* (id est, contemplationem) *fuori di questo tempo in tutti i suoi esercizj, atti, ed opere si deve valere delle memorie, e delle buone meditazioni, nella maniera che le recheranno maggior divozione, e profitto, particolarissimamente intorno alla vita, passione, e morte di Gesù Cristo Signor Nostro, per conformar le sue azioni, esercizj, e vita con quella di lui.* En mirifice expressum habes proprium conatum ad præveniendum Deum, ut communicet animæ contemplationem. Demum lib. 1. Noct. obsc. cap. 10. loquens de necessitate, quam habet anima cessandi a discursu, & meditatione, quando prævenitur illecebra contemplationis, scribit: *Ma non vorrei, che di qui si cavasse regola generale di lasciare la meditazione, o il discorso; che in lasciarla ha sempre da essere per più non potere, e solamente per il tempo, in cui o per via di purgazione e di tormento, o per molto perfetta contemplazione il Signore l' impedirà: che in altro tempo, ed occasioni si deve sempre avere quest' appoggio, e riparo (del discorso, e meditazione) massimamente della vita, e croce di Cristo.* Quare anima numquam debet manere otiosa sine contemplatione, vel meditatione; sed proprio conatu auxilium sibi ferat necessum est, quando nimirum illecebra contemplationis cessat.

Mirifice quoque S. Franciscus Salesius in sua Philothea Part. 5. cap. 1. proprium animæ conatum in via perfectionis, & devotionis adstruit in hæc verba. *La nostra natura umana facilmente cade da' suoi buoni affetti per cagione della fragilità, e della mala inclinazione della carne, che aggrava l' anima, e la tira sempre al basso, se quella non si solleva spesso in alto a viva forza di risoluzioni; come gli uccelli cadono subito a terra, se essi non moltiplicano i loro slanciamenti e tratti dell' ale per mantenersi a volo sull' alto. Per questo, cara Filotea, voi avete bisogno di reiterare, e di ripetere bene spesso i buoni proponimenti che voi avete fatti di servire a Dio, per dubbio che non facendoli voi, non ricadiate nel vostro primo stato, o piuttosto in uno stato molto peggiore: perchè le cadute spirituali hanno ciò di proprio, ch' esse ci precipitano sempre più abbasso che non era lo stato, dal quale salimmo in alto alla divozione. Non si trova orinolo, per buono ch' egli sia, a cui non bisogni alzare i contrappesi due volte il giorno, la mattina e la sera.*

Addimus B. Matrem de Chantal, quæ apud Episcopum Meldensem lib. 8. de statibus orationis num. 38. ita scripsit. *Quando le distrazioni ci stringono, bisogna fare l' orazione di pazienza, e dire umilmente ed amorosamente, se si può: Dio mio, unico sostegno dell' anima mia, mia quiete, e mio unico riposo; quando io cessassi di vivere, non cessarei di amarvi! eccitando così il proprio cuore, senz' aspettare che Iddio ci metta il mele in bocca, per parlare alla sua bontà. Bisogna dunque eccitare se medesimo, senza aspettare che Iddio ci ecciti con un modo particolare.*

Demum pro coronide confutationis dictæ Propositionis proferenda est doctrina, nec transversum unguem a Molinosii systemate recedent, Dominæ Guioniæ, discipulæ quondam Archipræsulis Cameracensis, in cujus gratiam hic libellum edidit inscriptum, *Placita Sanctorum*. Hæc itaque apud Episcopum Meldensem in Actibus condemnationis Quietistarum adjectis ad calcem libri, cui titulus, *Istruzione sopra gli stati d' Orazione*, num. 24. pag. mihi 377. ita scripsit: *Iddio creandoci, ci ha fatti ad immagine, e somiglianza sua. Ora avendo il Demonio guastata e sfigurata sì bella immagine col peccato, è convenuta che venisse il Verbo medesimo a ripararla. L' immagine non rinnova se stessa operando, ma ricevendo l' azione di colui che vuol ripararla. Dunque la nostra attenzione deve consistere nel mettersi in istato di ricevere l' azione di Dio, e di dar luogo al Verbo di rintracciare in noi la sua immagine. Un' immagine che si movesse, impedirebbe il pittore dal fare un ritratto sopra di essa. Tutti i movimenti che noi facciamo col nostro spirito proprio, impediscono questo ammirabile pittore dal lavorare, e gli fanno dare tratti falsi. Fa dunque mestieri di starsene in pace, e muoverci sol quando egli ci muove.* En quomodo discipula morem gerit Magistro suo, omnem proprium conatum animæ, incedentis per viam internam, excludendo. Et prosequitur doctrinam suam exponere in hunc modum num. 25. *Lo spirito della Chiesa è lo spirito della mozione divina: lo spirito della Chiesa non dee ne' suoi membri esser diverso da quello ch' è in lei. Bisogna adunque, perchè i suoi membri sieno nello spirito della Chiesa, che sieno nello spirito della mozione divina.* Et paulo post num. 43. scribit: *Tutti i primi moti di quest' anima sono di Dio: è questa è la sua condotta infallibile . . . . Dunque la condotta di queste anime consiste in seguire alla cieca, e senza distinzione, i movimenti che sono da Dio, senza rifletterv i.* Rursus post pauca num. 48. ait: *Io mi lascio andar dietro a ciò che mi attrae, e perchè mi attrae; perchè come più non vi sono, io sono tirata con Dio, ovvero Iddio solo è quello che mi attrae. Egli va là, egli agisce; ed io sono solamente l' istromento: che io nè veggo, nè riguardo; io non ho più interesse distinto dal suo, perchè colla mia orazione ho perduto ogni interesse.* Et num 49. *Quest' anima non sente, non si prende fastidio di cercare, nè di far niente; se ne resta, come ella è: questo le basta. Ma che fa ella? Niente, niente, e sempre niente.* En virus Molinosticum latens sub hac doctrina. Molinosius enim lib. 2. cap. 19. num. 196. sui libelli inscripti, *Guida spirituale*, ita scripsit: *Perchè credi tu, che infinite anime impediscono l' abbondante corrente de' divini doni? Perchè vogliono far qualche cosa.* Et ibidem lib. 1. cap. 7. num. 46. asseruit: *Oh che grande opera sarà per l' anima tua lo stare in orazione ore intiere, muta, rassegnata, ed umile, senza fare, senza sapere, nè voler intender nulla!*

Quod autem addit in dicta Propositione Cameracensis, quod hujusmodi verbum de puro amore adeo durum sit animabus adhuc sibimet affixis, & adeo posset illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere; verissimum est: cum hujusmodi purus amor, ut infra demonstrabimus, in sensu Auctoris requirat propriæ salutis, æternæque beatitudinis repudium, & sacrificium, sive explicite, sive saltem implicite, contra adeo apertam doctrinam a Christo Domino sæpius traditam, Sanctorumque Patrum & Ecclesiæ traditionem.

§. IV.

IV. *In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse; exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.*

OBserva, resignationem, & conformitatem divinæ voluntatis beneplacito, & sanctam indifferentiam ita declarari a S. Francisco Salesio in Tract. amoris Dei part. 2. lib. 3. cap. 3. *Quest' unione, e conformità al gusto divino* (inquit) *si fa o per la santa rassegnazione, o per la santissima indifferenza. Si pratica la rassegnazione per maniera di sforzo, e di sommissione. Uno vorrebbe vivere in vece di morire: perchè nondimeno è il gusto di Dio, che muoja; si quieta. Uno vorrebbe vivere, se così piacesse a Dio; e di più vorrebbe, che piacesse a Dio di farlo vivere. Uno muore con assai buona volontà, ma con maggiore affetto ancora vivrebbe. Giob ne' suoi travagli fece l' atto di rassegnazione. Se abbiamo, dice, il bene dalla mano di Dio; perchè non sopportiamo noi le pene, ed i travagli, che ci manda? Considerate, Teotimo, ch' egli parla di sostenere, sopportare, e durare. Facciasi, come piace al Signore. Il nome del Signore sia sempre benedetto. Queste sono parole di rassegnazione, e di accettazione per modo di sofferenza, e di pazienza.* Et cap. 4. ibidem: *La rassegnazione antepone la volontà di Dio a tutte le cose; ma non però lascia di amare molte altre cose, oltre la volontà di Dio. L' indifferenza è superiore alla rassegnazione, perchè non ama alcuna cosa, se non per l' amore della volontà di Dio; sicchè alcuna cosa non tocca il cuore indifferente alla presenza della volontà di Dio. Certo il più indifferente cuore del mondo può esser toccato da qualche affetto, finchè egli non sa, quale sia la volontà di Dio.*

E converso Auctor allatæ Propositionis duos status, unum resignationis, alterum sanctæ indifferentiæ, describens pag. 49. & 50. inquit: *Duo sunt diversi status, quorum alter est resignatio, alter est indifferentia. Anima indifferens nihil amplius sibi vult proprii sui commodi motivo: non amplius habet mercenaria desideria, quæ submittat; quia nullum amplius habet mercenarium desiderium.* Et paulo post: *Sancta indifferentia aliud non est, quam amoris puritas; sicut sancta resignatio aliud non est, quam amor impurus, & mercenarius, quo proprium commodum gloriæ divinæ submittitur.* Atque adeo utriusque discrimen in eo positum est, ut altera, scilicet indifferentia, salutis suæ commodum submittat; altera illud non amplius habeat.

Hinc Domina Guionia (ut refert Episcopus Meldensis in Actibus condemnationis Quietistarum num. 1. & seqq. pag. mihi 371.) ita scribit: *L' abbandonamento perfetto, ch' è la chiave di tutto l' interiore, non eccettua niente, nè riserba niente, nè morte, nè vita, nè perfezione, nè salute, nè Paradiso, nè Inferno.*

Chi sa bene abbandonarsi, sarà ben tosto perfetto. Per la pratica, questa dev' essere di perdere sempre ogni pro-

pria volontà, di rinunziare a tutte le inclinazioni particolari, che che buone apparifcano, fubito che fi fentono a nafcere, per così metterfi nell' indifferenza, e voler quel folo che Iddio ha voluto per tutta l' eternità. Effere indifferente a tutte le cofe, fia per il corpo, o per l' anima, per li beni temporali, ed eterni; lafciare il paffato in dimenticanza, l' avvenire alla provvidenza; contentarci del momento attuale, che ci apporta con fe l' ordine eterno di Dio fopra di noi, e che ci è una dichiarazione della volontà di Dio, tanto infallibile, quanto è comune, ed inevitabile per tutti.

Tentazioni, diftrazioni, fcrupoli, niente di quefto la ferma: perchè il fedele abbandonamento divora tutto; altro non volendo, che ciò che vuole Iddio, e non potendo dubitare, che ciò che accade di momento, non fia l' ordine vifibile di Dio, che tutto ciò difpone o colla fua giuftizia, o colla fua mifericordia. Chi potrebbe dire, fin dove abbia da ftenderfi quefto abbandonamento? Sino ad operare fenza conofcere, come una perfona che più non è in effere.

Ciò che ci è più neceffario, è anche il più facile, cioè il conofcer la volontà di Dio: non è neceffario tanto anguftiarfi per ifcoprirla. La volontà di Dio non è altro, che quello ch' egli permette che ci accada ogni momento.

Propofitio, ut jacet, eft *erronea*, *fapiens hærefim*, & *male fonans*.

Impugnatur I. Status fanctæ indifferentiæ nequit excludere fpem theologicam: *Super omnia autem* (inquit Apoftolus ad Coloff. 3.) *caritatem habete, quæ eft vinculum perfectionis. Quia fcilicet* (ut fentit, & exponit S. Thomas 2. 2. quæft. 184. art. 1. in arg. Sed cont.) *omnes virtutes quodammodo ligat in unitatem perfectam*: ac per confequens debet habere conjunctam fidem, & fpem. Ergo in ftatu fanctæ indifferentiæ fpes theologica facit nos fperare beatitudinem, *tamquam bonum, quod quis obtinere intendit*; ut loquitur ibid. S. Thomas quæft. 17. art. 4. & ante S. Thomam D. Bernardus Serm. 10. in Pfal. *Qui habitat*, in hæc verba: *Dicit fides: Parata funt magna, & inexcogitabilia bona a Deo fidelibus fuis. Dicit fpes: Mihi illa fervantur.* Unde Apoftolus ad Hebræos 6. fcribit: *Habemus fpem incedentem*: id eft, *incedere facientem ad interiora velaminis*, id eft, *ad beatitudinem cæleftem*; ut explicat S. Thomas ibid. art. 2. in arg. *Sed cont.* Ergo anima in ftatu fanctæ indifferentiæ habet defideria voluntaria & deliberata propter fuum intereffe. Ruit proinde doctrina Archipræfulis Cameracenfis, qui ab ejufmodi ftatu excludit omne defiderium voluntarium atque deliberatum.

Confirmatur. Hæc vehementia falutis & beatitudinis æternæ defideria congruunt præcepto divino, ubi inquit Chriftus Dominus Luc. 13. verf. 24. *Contendite intrare per anguftam portam*: & Matth. 6. verf. 33. *Quærite primum regnum Dei*. Quem locum explicans S. Auguftinus lib. 2. de Serm. Dom. in Monte cap. 16. *Quid interfit*, inquit, *inter bonum quod appetendum eft, & neceffarium quod fumendum eft, hac fententia declaravit, cum ait*: „ Quæ„ rite primum regnum Dei, & juftitiam ejus, & hæc „ omnia apponentur vobis. " *Regnum ergo, & juftitia Dei bonum noftrum eft; & hoc appetendum, & ibi finis conftituendus, propter quod omnia facimus quæcumque facimus. Sed quia in hac vita militamus, ut ad illud regnum pervenire poffimus, quæ vita fine his neceffariis agi non poteft*, „ Apponetur vobis hæc: " *inquit*: *fed vos regnum Dei, & juftitiam ejus primum quærite.* Jamvero fi regnum Dei eft hominis bonum, finifque ultimus; quomodo indifferenter illud refpiciemus, ut contendit Auctor harum Propofitionum? Sane voluntario conatu ad illud tendamus neceffum eft; cum & irrationabilia animantia, & lapides ipfimet infenfati ad finem fuum aliquo conatu tendant.

Eodem fpiritu impulfus S. Paulus loquitur II. ad Corinth. 5. verf. 8. in hæc verba: *Audemus autem*, inquit, *& bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præfentes effe ad Dominum. Et ideo contendimus five abfentes, five præfentes placere illi.* Et ad Philippenfes 1. verf. 23. ait: *Coarctor autem e duobus, defiderium habens diffolvi, & effe cum Chrifto*: & rurfus ibid. cap. 3. verf. 13. *Unum autem, quæ quidem retro funt, oblivifcens; ad ea vero, quæ funt priora, extendens me ipfum, ad deftinatum perfequor, ad bravium fupernæ vocationis Dei in Chrifto Jefu.* Atqui hoc defiderium perfectorum eft; cum fubjungat Apoftolus verf. 15. *Quicumque ergo perfecti fumus, hoc fentiamus.* Ergo etiam perfecti defiderare ac petere debent beatitudinem: ac proinde nulla ad falutem indifferentia admitti poteft. Illud enim indifferens dici nequit, quod omnes, etiam perfectiffimi, ex toto corde defiderare, & enixe a Deo petere debent; quemadmodum eft falus æterna. Hinc David Pfal. 26. verf. 4. canebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ; ut videam voluptatem Domini, & vifitem templum ejus.* Hæc porro petitio non eft imperfecti hominis; cum a Davide viro perfectiffimo fiat: non eft item imperfectæ rei petitio; cum res petita unica fit, cæterifque rebus præferatur: neque eft petitio tranfiens, aut fimplex velleitas, ut ajunt; cum hæc unica res, quæ petitur, iterum atque iterum requirenda fit, tamquam ipfa virtutum & meritorum corona & confummatio. Et fane propter dilatam fupernæ illius felicitatis affecutionem, tantopere ab animabus perfectis expetitæ, conqueritur idem regius Pfaltes Pfal. 119. verf. 5. *Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus eft. Habitavi cum habitantibus Cedar; multum incola fuit anima mea*: ut exponit, & docet S. Hilarius Tract. in cit. Pfal. his verbis: *Bona non poffunt videri, & vere bona a nobis judicari, nifi expetantur . . . . . Mentium enim judicia non verbis fignificanda funt, fed rebus explenda. Convenit igitur Prophetam expectantem poft fagittas Domini, & illos carbones defolationis, beati illius regni & æterni temporis gloriam, id quod expectat, defiderare. Et defiderat plane. Neque folum defiderat, fed moras odit, & ipfam illam non potiendi jam defiderii tanti dolet dilationem, dicens: Heu me! quod incolatus meus prolongatus eft. Querelam iftiufmodi a plurimis Sanctis frequenter audivimus, de tarditate fpei fuæ morofam corporum diffolutionem expectantium. Dominus in Evangeliis fuis docuit accelerationem regni cæleftis orandam .... Paulus beatus inhabitationem corporis fui congemifcit, per incolatum carnis peregrinari fe a Deo conquerens. Quo contra peregrinandum in carne fcit fibi effe, ut ei cum Deo fit incolatus; fed tamen melius ei effe diffolvi, & effe cum Chrifto . . . . . . In hoc igitur nimium fibi prolixo in corpore incolatu congemifcit Propheta, feftinans peregrinari a terrenis, & incolere cæleftia: ut, derelictis corruptibilibus atque præfentibus, confequatur invifibilia & æterna.*

Præterea. Oratio Dominica eft communis omnibus, etiam perfectiffimis; ut paffim SS. Patres docent, & Concilium Tridentinum declarat feff. 6. cap. 11. Neque enim alia oratio pro perfectis a Chrifto legitur inftituta, ac imperata in facris Codicibus. Atqui in oratione Dominica omnes fideles, etiam perfectiffimi, defiderant, & a Deo poftulant, ut regnum Dei fibi aliifque adveniat. Et quidem quatenus falus eft, quatenus fruitio Dei eft; non autem præcife, quatenus voluntas Dei eft: cum petitio fubfequens, *Fiat voluntas tua*, a falutis petitione diftinguatur. Hanc orationem fpiritualium & perfectorum, petitionem nempe virtutum, beatitudinifque defideria Collat. 9. cap. 19. obfervat Caffianus, dicens: *Secunda petitio mentis puriffimæ advenire jam jamque regnum fui Patris exoptat. Vel illud fcilicet, quo quotidie Chriftus regnat in Sanctis: quod ita fit, cum Diaboli imperio per extinctionem furentium vitiorum de noftris cordibus pulfo, Deus in nobis per virtutum bonam fragrantiam cœperit dominari; & devicta fornicatione, caftitas; fuperato furore, tranquillitas; calcata fuperbia, humilitas in noftra mente regnaverit. Vel certe illud, quod præftituto tempore omnibus eft perfectis, ut Dei filiis, generaliter repromiffum, in quo eis dicitur a Chrifto Domino*: " Venite benedicti Pa„ tris mei, poffidete paratum vobis regnum a conftitu„ tione Mundi: " *intentis illuc quodammodo obtutibus, ac defixis defideriis expectans, dicat ad eum*: „ Adveniat „ regnum tuum. " Quamobrem Articulo IX. Iffiacenfi cui fubfcripfit Archiepifcopus Cameracenfis, ita cautum fuerat: *Non licet Chriftiano indifferentem effe ad falutem, & ad res, quæ in eam referuntur. Sancta indifferentia Chriftiana ad hujus vitæ (excepto peccato) folatiorum, atque ariditatum fpiritualium difpenfationem fpectat.*

Eam vero portentofam falutis indifferentiam paffim admittit Cameracenfis. Nam excludens voluntaria & deliberata fui commodi, five ad fuum commodum defideria, excludit deliberatam voluntatem, qua anima æternam fibi vult falutem: quæ, tefte ipfomet Auctore, commodorum fuorum maximum eft. Refignationem, & indifferentiam in eo diftinguit pag. 49. quod anima refignata fibi multa velit, aut faltem velit proprii commodi motivo; anima vero indifferens nihil amplius fibi vult proprii fui commodi motivo, nulla amplius habet defideria mercenaria, quæ fubjiciat: quia nullum habet amplius defiderium mercenarium. Excluduntur itaque omnia mercenaria defideria, quæ in fenfu Auctoris funt defideria ex proprii commodi, feu propriæ falutis motivo elicita; ficut defideria gratuita funt defideria ex unico beneplaciti divini motivo elicita. Refignatio quidem, quæ ad quartum amorem pertinet, habet defideria falutis, quæ motivo caritatis fubjiciat, atque fubordinet; ut videbimus infra: at indifferentia, quæ ad quintum amorem fpectat, nulla amplius habet defideria, ne minima quidem, quæ ad gloriam Dei referat; ut dicemus. Si autem anima indifferens nulla amplius habet defideria ad fuum commodum; jam non convenit, ut in ftatu perfecto quidquam a Deo petat, *quod ad falutem fpectat*: ficque in XIV. Molinofii Propofitionem incidet.

Hic tamen notatum velim, animam indifferentem, juxta

juxta Cameracensis placita, si quando voluntaria & deliberata commodi sui, aut beatitudinis suæ desideria concipiat, toti suæ gratiæ fideliter non cooperari, immo a statu suæ perfectionis excidere. Ipsa igitur status conditio postulat, ut nulla concipiat desideria: axclusis autem desideriis, excluduntur petitiones; quibus exclusis, gratiarum actiones, & præcipua Christianæ pietatis exercitia necessum est excludantur.

Confutatur. II. dicta Propositio hoc argumento. Omnis status a beatitudine independens spem formaliter excludit; cum spes sit ipsum beatitudinis desiderium, & amor. Atqui status sanctæ indifferentiæ, juxta thesim damnatam, est status a beatitudine æterna independens. Ergo status sanctæ indifferentiæ spem formaliter excludit; quod est erroneum Obstat enim Apostolus I. ad Corinth. 13. v. 13. ita scribens: *Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria hæc.* Manent enim in quolibet vitæ præsentis statu; manent secundum immediata sua motiva, secundum proprios actus, secundum propria & distincta exercitia, quibus virtutes illæ subsistunt. Unde iterum sic arguo ex Apostolo. Nullus est vitæ præsentis status, in quo non maneant fides, spes, caritas. Sed juxta thesim proscriptam, datur aliquis status, in quo non maneat amplius spes; scilicet status sanctæ indifferentiæ: quia a beatitudine, quæ est objectum spei, non dependet. Ergo hujusmodi status contradicit Apostolo: proinde est erroneus, ac reprobandus.

Confirmatur I. ex Articulo VIII. Issiacensi, cui subscipsit Cameracensis, ubi ita definitur: *Quivis Christianus quovis in statu tenetur ad conservandum fidei, spei, & caritatis exercitium, & ad earum actus producendos, ut virtutum distinctarum actus.* Proindè status, excludens spem ejusque actus, erit omnino reprobandus.

Confirmatur II. Finis ultimus hominis in quolibet statu propter se expetitur: immo volontatem hominis ad omnia quæ agit, bona opera movet; cum omnia propter finem ultimum fiant. Atqui beatitudo, seu vita æterna est finis ultimus hominis, ut docet Tridentinum sess. 6. de justificat. cap. 7. in hæc verba: *Justificationis causæ sunt: finalis quidem, gloria Dei, & vita æterna.* Ergo non potest dari casus, qui ejusmodi finem excludat. Atqui si in statu sanctæ indifferentiæ anima non haberet amplius desideria voluntaria & deliberata propter suum interesse, ut loquitur Cameracensis; hujusmodi status finem ultimum excluderet, id est, beatitudinem, & vitam æternam. Ergo status sanctæ indifferentiæ admittit desideria voluntaria & deliberata proprii commodi, ac interesse; quæ tamen thesis proscripta excludit, merito proinde ab omnibus reprobanda.

Confirmatur III. ex eo quod scribit S. Thomas Opus. 9. cap. 9. in explicatione secundæ petitionis Dominicæ orationis, ubi adstruit, quod unicuique rei est appetibile proprium bonum; & hæc habet: *Post desiderium, & petitionem divinæ gloriæ, consequens est ut homo appetat, & requirat particeps gloriæ divinæ fieri. Et ideo secunda petitio ponitur:* „ Adveniat regnum tuum. “ *Circa quod oportet primo considerare, quod Regnum Dei convenienter desideretur: quia unicuique rei naturaliter est appetibile proprium bonum; unde & bonum definiunt, quod omnia appetunt. Proprium autem bonum cujusque rei est id, quo res illa perficitur. Dicimus enim unamquamque rem bonam, ex eo quod proprium perfectionem attingit: unde consequens est, ut unaquæque res suam perfectionem appetat. Unde & homo naturaliter appetit perfici, & cum sint multi gradus perfectionis humanæ, illud præcipue, & principaliter in ejus appetitum cadit naturaliter, quod ad ultimam ejus perfectionem spectat. Hoc enim bonum hoc judicio agnoscitur, quod naturale hominis desiderium in eo quiescit. Cum enim naturale hominis desiderium non tendat, nisi in bonum proprium, quod in aliqua reflexione consistit; consequens est, quod quamdiu aliquod desiderium restet, nondum pervenit ad ultimam suam perfectionem. Et quia beatitudo naturaliter desideratur ab hominibus; consequens est, quod regnum Dei ab omnibus desideretur.* Unde etiam quando anima fidelis toti suæ gratiæ cooperatur; tunc habeat necesse est desideria voluntaria & deliberata æternæ suæ beatitudinis. Et ideo S. Augustinus Epist. 130. alias 121. ad Probam cap. 9. explicans Apostolum ad Thessalonicenses cap. 5. vers. 16. scribentem: *Sine intermissione orate*: tantum abest, quod ab animabus, incedentibus per viam internam, excludat hujusmodi deliberata desideria; quin potius ea tamquam sanctitatis, amoris casti, & perfectionis exercitia commendat. *Per hoc*, inquit, *quod ait Apostolus:* „ Sine intermissione orate: “ *quid est aliud quam beatam vitam, quæ nulla nisi æterna est, ab eo qui eam solus dare potest, sine intermissione desiderate? Semper ergo hanc a Domino Deo desideremus, & oremus semper.* Et ibid. cap. 14. *Ipsa est una, vera, & sola beata vita, ut contemplemur Domini delectationem in æternum, immortales atque incorruptibiles corpore & spiritu. Propter hanc unam cætera requiruntur, & non indecenter petuntur. Istam quisquis habuerit, omnia quæ vult, habebit; nec aliquid ibi velle habere poterit, quod non decebit. Ibi quippe est fons vitæ, quem sitire nunc oportet in oratione, quamdiu in spe vivimus, & quod speramus, nondum videmus, in protectione alarum ejus, ante quem est omne desiderium nostrum, ut inebriemur ab ubertate domus ejus, & torrente voluptatis ejus potemur: quoniam apud Deum est fons vitæ, & in lumine ejus videbimus lumen: quando satiabitur in bonis desiderium nostrum: & nihil erit ultra quod gemendo quæramus, sed quod gaudendo teneamus.*

Dices. Dissonum non est animabus sanctis, quæ pervenerunt ad statum sanctæ indifferentiæ, Deo propriæ æternæ salutis sacrificium offerre, Apostoli exemplo, dicentis ad Rom. 9. vers. 3. *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis.*

Respondeo, numquam S. Paulum obtulisse Deo æternæ salutis sacrificium, neque loco citato defendi posse assertum Cameracensis: quia (ut exponit S. Hieronymus Epist. ad Algasium 151. quæst. 9.) ibi loquitur de morte temporali corporis, quam libentissime pro Judæorum æterna salute subire peroptabat; non vero de salute æterna animæ. *Optat*, inquit S. Doctor, *anathema esse a Christo, & perire, ut alii salvi fiant. Sed si consideremus Moysis vocem, rogantis Deum pro populo Judæorum, atque dicentis:* „ Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti: “ *perspicimus eumdem & Moysis & Pauli erga creditum sibi gregem affectum. Pastor enim bonus ponit animam suam pro ovibus: mercenarius autem, cum viderit lupum venientem, fugit, quia non sunt ejus oves. Et hoc ipsum est dicere:* „ Optabam anathema esse a Christo: “ *&* „ Dele me „ de libro tuo, quem scripsisti. “ *Qui enim delentur de libro viventium, & cum justis non scribuntur, anathema fiunt a Domino. Simulque cerne Apostolum quanta caritatis in Christum sit; ut pro illo cupiat mori, & solus perire, dummodo omne in illum credat hominum genus: perire autem non in perpetuum, sed in præsentiarum. Qui enim perdiderit animam suam pro Christo, salvam eam faciet. Unde & de 43. Psalmo assumit exemplum:* „ Quoniam propter te mortificamur tota die; æstimati sumus „ sicut oves occisionis. “ *Vult ergo Apostolus perire in carne, ut alii salventur in spiritu: suum sanguinem fundere, ut multorum animæ conserventur. Quod autem anathema occisionem sonet; multis veteris instrumenti testimoniis probari potest.*

Eamdem explicationem in expositione verborum Apostoli amplectitur Photius Epist. 112. ubi observat, verbum illud, *a Christo*, non inferre separationem ab ejus conjunctione, sed dumtaxat sententiam punitivam in corpore: *Velle enim*, ait, *extrema quæque in corpore suo pati pro salute aliorum, non minutionem divini affectus operatur, licet a cœlis infligatur; quin potius adauget.* Etiamsi vero Apostolus esset intelligendus de separatione ab æterna beatitudine, hypothesim impossibilem respiceret ac desiderium non absolutum, sed conditionatum: Optarem nempe esse anathema a Christo pro fratribus meis, *si modo fieri posset*, si per Dei legem & justitiam liceret; ut etiam exponit S. Joannes Chrysostomus Homil. 15. in Epist. ad Romanos. Quia cum ex ferventi caritatis ardore raptus hæc verba repeteret: *Quis nos separabit a caritate Christi?* minime censendus est, in sui damnationem, atque in perpetuam a Christo, atque ab ejus caritate separationem consensisse. Illa itaque verba immensi amoris erga fratres, eosque inimicos, affectum exprimunt, atque ad hypothesim impossibilem spectant: sicut alia ejusdem Apostoli ad Galatas 1. vers. 8. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis; anathema sit.* Cohæret Chrysostomo S. Isidorus Pelusiota Epist. 58. lib. 2. his verbis usum fuisse Apostolum observans: *non tamquam promissio exciderit; verum ut effrenatum erga Christum amorem demonstraret.* Sic verba non absimilia Moysis, deprecantis pro populo, interpretatur S. Augustinus Quæstionum in Heptateuchum lib. 2. quæst. 147. in Exod. „ Dele me „ de libro tuo quem scripsisti. “ *Securus hoc dixit, ut a consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, ut quia Deus Moysem non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.* In eamdem descendit sententiam Theodoretus, ita exponens Apostolum: *Ego quidem optarem esse a Christo alienus, si fieri posset; ut Judæi per meam alienationem promissa bona consequerentur.* Patet igitur, quod consensus conditionatus in gloriæ æternæ privationem, ex hypothesi impossibili, ex amoris erga Deum excessu procedens, æternæ beatitudinis desiderio non officit, neque mediis ad illam conducentibus

§. V.

§. V.

V. *In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti & beati propter interesse proprium; sed omnem perfectionem & beatitudinem volumus, inquantum Deo placet efficere, quod velimus res istas, impressione suæ gratiæ.*

SUpponitur in hac Propositione pro statu essertæ sanctæ indifferentiæ, animas velle æternam salutem; sed modus eam volendi explicatur, ut omnem perfectionem & beatitudinem velimus præcise, inquantum Deo placet, ut res istas velimus, impressione suæ gratiæ.

Propositio, ut jacet, est *erronea*, *sapiens hæresim*, & *male sonans*.

Confutatur. Si anima indifferens nihil sibi vult, ut sit perfecta & beata, ad suum commodum; profecto salutem sibi utilem & proficuam, immo commodorum maximum sibi non vult: aut si illam velit, non vult eam, nisi quatenus Deo placet, ut illam velit; sicque salus non est in se expetenda, sed tantum bona est, quia a Deo volita est. Ergo sola Dei voluntas est ratio formalis volendi salutem æternam; non vero ipsa salutis æternæ bonitas & excellentia: ac ita immediatum spei motivum tollitur. Sed anima, quantumvis indifferent quæ sibi vult salutem æternam, utilem & proficuam; vult suam perfectionem, & meritorum suorum, quæ dona Dei esse agnoscit, mercedem promissam. Unde scribit Apostolus I. ad Corinth. 9. vers. 24. *Nescitis, quod ii, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis. Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet: & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant; nos autem incorruptam.* Igitur Apostolus vult, ut exerceamus spem theologicam: proinde ut velimus esse perfecti & beati propter interesse proprium; cum currere nequeat anima ad comprehendendam coronam immortalitatis sine exercitio spei theologicæ erga supernam beatitudinem, ut mercedem & coronam nobis conferendam. Hinc rursus idem Apostolus ad Philipp. 3. vers. 13. & 14. ait: *Unum autem, quæ quidem retro sunt, obliviscens; ad ea vero, quæ sunt priora, extendens meipsum, ad destinatum persequor bravium supernæ vocationis Dei in Christo Jesu. Quicumque ergo perfecti sumus, hoc sentiamus.* Proinde sancti & perfecti debent ex doctrina Apostoli exercere spem theologicam: consequenter & velle debent perfectionem & beatitudinem propter interesse proprium. Hinc S. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana cap. 22. inter perfectæ caritatis proprios characteres enumerat ad æternam beatitudinem jugiter aspirare. *Tunc est*, inquit, *optimus homo, cum tota vita sua pergit in incommutabilem vitam, & toto affectu inhæret illi . . . . Hæc regula dilectionis divinitus constituta est:* „Diliges proximum tuum, „ sicut te ipsum; Deum vero ex toto corde, & ex tota „ anima, & ex tota mente: “ *ut omnes cogitationes tuas, & omnem vitam, & omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea ipsa quæ confers. Cum autem ait* toto corde, tota anima, tota mente, *nullam vitæ nostræ partem reliquit, quæ vacare debeat, & quasi locum dare, ut alia re velit frui, sed quidquid aliud diligendum venerit in animum, illuc rapiatur, quo totus dilectionis impetus currit.* Et cap. 25. *Modus ergo diligendi præcipiendus est homini, id est, quomodo se diligat, ut prosit sibi. Quin autem se diligat, & prodesse sibi velit, dubitare, dementis est.* Rursus cap. 27. *Ille autem juste & sancte vivit, qui rerum integer æstimator est: ipse est autem, qui ordinatam dilectionem habet, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod est diligendum, aut amplius diligat quod minus est diligendum, aut æque diligat quod vel minus vel amplius diligendum est, aut minus vel amplius quod æque diligendum est.* Quomodo igitur status indifferentiæ, quem sanctum appellat Cameracensis, indifferens esse poterit ad propriam salutem? Quare Concilium Tridentinum sess. 6. de justificat. cap. 11. censuit perfectos eos esse, *qui cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam*: & iterum ibid. cap. 15. *Bene operantibus*, inquit, *& in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tamquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tamquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Omnibus itaque justis, etiam perfectis, proponenda est vita æterna, & quatenus gratia est, & quatenus est merces: & licet aliquo actu momentaneo respici possit vita æterna, quatenus est gratia præcise; non tamen admitti potest status, qui vitam æternam tamquam mercedem non amplius respiciet. Hinc Christus Dominus absolute proponit nobis vitam æternam veluti mercedem expectandam. Ait enim Matth. 5. vers. 12. *Gaudete, & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælo*: & Paulus ita de se scribit II. ad Timoth. 4. vers. 7. *Cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex; non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt adventum ejus*: & David, licet sanctus atque perfectus, Psal. 118. vers. 112. canebat: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem*: & de Moyse testatur Apostolus ad Hebræos 11. vers. 26. *Aspiciebat in remunerationem.* Ergo sancti & perfecti volunt propriam perfectionem & beatitudinem, propter interesse proprium. Hinc Ecclesia in oratione Dominicæ XIV. post Pentecosten ita supplicat: *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei, & caritatis augmentum; & ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis.* Ut quid Ecclesia postulat augmentum fidei, spei, & caritatis; si caritas perfecta spem excludat? Ergo status indifferentiæ, si fuerit sanctus, non poterit excludere spem theologicam; aliter repugnaret iis, quæ in Ecclesiæ orationibus incessanter postulantur a Deo.

Consequenter ad hæc piissimus æque ac doctissimus Auctor Gallus P. Massoulie Ord. Præd. qui sub initium sæculi præsentis Opusculum edidit de vera Oratione, ad institutum nostrum Part. 1. cap. 18. ita scribit: *Novum systema, & quidem erroneum, in vita spirituali nuper inventum. Cum enim Patres & Magistri spiritualis vitæ, & Mysticæ Theologiæ docuerint, quod anima, quæ fideliter vult propriam sanctificationem curare debeat totalem indifferentiam pro omnibus rebus, quæ extra Deum sunt, & attendere tantum ad Dei gloriam, & divinam voluntatem; renunciare proprio interesse; & amorem purissimum erga Deum exercere, sine ulla cogitatione ad seipsam: cum hæc indifferentia debeat esse tantum pro rebus ex propria natura indifferentibus, quæ perducunt animam ad Deum, nec sunt Deus ipse, cum Deus solus animæ sufficiat; totum autem extra Deum debet esse ipsi indifferens: novum systema exigit hanc indifferentiam generalem, etiam pro rebus, quæ pertinent ad æternam salutem: indifferentiam scilicet pro consolatione, & ariditate; pro acquisitione virtutum, earumque amissione; & quod est mandium, indifferentiam pro acquisitione, & privatione Dei; id est indifferentiam pro propria salvatione, & damnatione. Quia dicunt, quod anima non debeat attendere nisi ad gloriam Dei, & complementum suæ divinæ voluntatis; quod æqualiter habetur tam in salvatione, quam in propria animæ damnatione. Quis crederet, homines pervenisse ad hujusmodi cæcitatis excessum?* Hactenus doctissimus P. Massoulie: ex cujus doctrina evidenter colliges, falsum esse assertum Cameracensis; quod scilicet in statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Etenim, ut vides; ejus thesis removet spem theologicam a statu sanctitatis & perfectionis: quo quid absurdius?

Quietistæ prætendunt, B. Matrem de Chantal fuisse indifferentem quoad propriam salutem: unde objiciunt ea, quæ leguntur in ejus Vita Part. 3. cap. 2. de spe, ubi sic habes: *Interrogata se sperava i beni ed i godimenti della Vita eterna, con un profondo sentimento della sua bassezza rispose. So, che per li meriti del Salvatore si debbono sperare; ma la mia speranza non si volge a quella parte. Io non voglio desiderar, nè sperare cosa alcuna, se non che Iddio adempia in me la sua santa volontà, e ch' egli sia sempre glorificato.* Ex quibus sic arguunt Quietistæ, ut refert Episcopus Meldensis in Instructione super statibus orationis lib. 8. num. 37. quorum argumentum subinde confutat. *Circa queste i Quietisti le fanno dire, ch' essendo Iddio glorificato sì nella dannazione, come nella salute degli uomini, ella era Indifferente per l' una e per l' altra. Ma questo sentimento sarebbe un prodigio: perchè ove si tratta di speranza, la speranza sarebbe per l' Inferno ugualmente che per il Paradiso; la qual cosa non è niente meno d' una bestemmia. Intenda dunque la pia Madre, che Iddio sarà in lei glorificato, come ne' suoi Santi, e che questo è l' unico soggetto della sua speranza. Dice ancora espressamente essa:* „ Quando „ vedo il Salvatore in Croce, non è mai senza sperare, „ che egli ci farà viver d' amore nella sua gloria “ . . . *Del resto ella consigliava di non mirar mai il Cielo senza sperarlo; e lungi dal desiderare la speranza, come una virtù interessata, diceva, ch' è uno stimolo dell' amore: nel che ella seguiva i consigli del suo ammirabile Direttore, che le scriveva:* „ Sì, mia cara figlia, conviene sperarlo molto certamente, che viveremo eterni. E che „ farebbe il Signore della sua vita eterna, se non ne „ facesse parte alle povere picciole, e misere anime? „ Così queste anime picciole, vale a dire, le anime „ semplici, vivono di speranza. “ *E tutto è pieno di somiglianti sentimenti.* Nec desunt in laudata Vita admirabilia exempla spei theologicæ Beatæ Matris de Chantal. Unde ibidem legitur: *Per quello poi riguardava la speranza ch' ella aveva de' beni soprannaturali, della grazia in questa vita, e della gloria nell' altra; questa ella tenne sempre mai fondata sopra i seguenti tre punti, che*

chea-

chiamava pietra angolare, su i quali aveva stabilita tutta la casa della sua confidanza. Il primo consisteva ne' meriti infiniti di Gesù Cristo: il secondo nell' amore infinito, con cui il medesimo Signore sino dall' eternità amò la sua creatura: ed il terzo nell' infinito ed immenso desiderio, ch' esso ha di conservare le opere delle sue mani, e di dare la vita eterna a chi coopera alla sua grazia. Fatto un singolare studio nel notare ed apprendere a memoria i Salmi, ne' quali il reale Profeta solleva il suo spirito alla confidanza nelle divine misericordie, ed alla speranza de' beni eterni; godeva sommamente nel canto de' medesimi: onde veniva a nodrire, e ad accrescere il vigore della propria fiducia, da cui mai non consentì che andasse disgiunto il gran timore, ch' ella aveva di Dio, o de' suoi divini giudizj. Diede essa molto bene ciò a conoscere in un trattenimento, ch' ebbe con un divoto ed assai virtuoso Personaggio, il quale oppresso dalla considerazione di quelli, ne vivea in tal timore, che per essere troppo inferiore alla speranza la quale doveva avere nelle divine misericordie, era un timore assai imperfetto e pericoloso. A questo ella disse: Io vi assicuro, carissimo Padre, che ogni qual volta io rimiro il Salvatore, il quale per amore muore in Croce; mai questo succede, senza ch' io speri che ci farà vivere per amore nella sua gloria. Quando rimiro me medesima; in me medesima io fremo, e mi riconosco senz' altro meritevole dell' Inferno: ma quando mi rimiro a' piedi della Croce, ed abbraccio quel segno di salute; la speranza del Cielo ch' egli mi ha acquistato, mi si rende così viva, che io mi scordo dell' Inferno, o almeno è ben cosa rara, che io vi pensi. Fra tutti i peccati de' quali Iddio mi ha dato orrore, ho un odio particolare alla disperazione, per esser questa un mancamento insopportabile di fede, di speranza, e di amore. Ciò non ostante, le addusse quel Personaggio molte ragioni in difesa de' suoi timori: alle quali essa rispose, qualmente il timore, allora che è eccessivo, e massimamente nelle anime avanzate nella vita spirituale, forma un grande impedimento alla speranza, ed è un raffreddamento della carità; siccome all' opposto l'umile speranza in Gesù Cristo serve di grande stimolo all' amore. In quanto a me, soggiunse, sino da' miei principj ho stabilite due massime nel mio spirito: l'una di Davide, l'altra del nostro Beato Padre. La prima: Spera in Dio, e fa bene. L'altra: Dio vuole, che la nostra miseria serva di trono alla sua divina misericordia. Con queste due verità, poste fedelmente in pratica, io vi consiglio di mai non rimirare il Cielo senza sperarlo. Ad hæc faciunt quæ addit ibidem laudatus Episcopus Meldensis lib. 9. num. 10. ubi ex Vita Ven. P. Balthasaris Alvarez refert, ut sequitur: *Dice dunque, che interrogato il suo Fratello Chimene dal suo Provinciale, se desiderava di andare al Cielo, gli rispose: Padre, siamo noi uomini dabbene, serviamo bene a Dio, come è conveniente; e del resto lasciamo fare a lui, senza prendersene pensiero: perchè egli è infinitamente buono e giusto, ci darà egli quello che meriteremo. Ed aggiunge, che il domandare il Cielo potrebbe nascere dall' amor proprio. Questo passo ingannerà tutti quelli che non sapranno considerarlo; ma nel medesimo tempo farà, che i savj lettori apprendano, quanto facilmente accada d'ingannarsi intorno a certi discorsi, de' quali si guarda la sola superficie. I desiderj del Cielo, che possono venire dall' amor proprio, sono quei desiderj imperfetti, de' quali sta scritto nei Proverbj al cap.* 21. *vers.* 25. *e* 26. „ I desiderj danno la morte al pigro, „ passa egli tutta la sua vita dalla mattina alla sera in „ desiderare " *senza operare; e trattenuto da' suoi belli desiderj non pensa punto all' opere. Il Religioso, di cui in questo luogo si è parlato, era in una disposizione ben differente; atteso che sei righe sopra è detto di lui:* „ che „ vedendo egli finire il tempo di meritare, e d' accu„ mulare il bene, che mai non perisce, si affrettava di „ ben fare. " *Egli dunque desiderava quel bene, e lo desiderava efficacemente, affrettandosi di meritarlo: disposizione ben lontana da quella de' nostri Mistici, i quali non pensano al merito niente più che alla salute. Del resto, se si avessero a notare tutti i desiderj, che il santo uomo Alvarez inviava verso il Cielo, riempiremmo troppe carte; ed è cosa sì naturale ai figli di Dio, ch' è inutile di rimarcarlo.*

§. VI.

VI. *In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrorum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem quam ipse nos vult velle propter ipsum.*

CLarius Archiepiscopus Cameracensis exponit doctrinam de statu portentosæ suæ indifferentiæ in ordine ad æternam salutem: scilicet, ut nolimus amplius eam reduplicative ut salutem propriam, ut motivum proprium interessatum omnium maximum excludatur; sed solum, ut eam velimus deliberate tamquam beneplacitum & gloriam Dei, ut rem quam Deus vult nos velle propter ipsum. Unde P. Achilles Gagliardus Soc. Jesu in Brev. Compend. perfection. gradu 4. Cameracensis vestigiis inhærens asseruit: *Expropriatio est primo circa desiderium æternæ gloriæ, quo debet exui, quando Deus eam differt, magis æstimans divinam voluntatem, quam ipsam gloriam; immo ad tantam ascendere deberet conformitatem, ut si magis Deo placeret gloriam numquam ipsi dare, in hac voluntate acquiesceret, & sic ab omni proprio amore omnino discederet.* Quod assertum cum aliis in citato libro contentis Decreto S. Officii fuit proscriptum die 17. Januarii anno MDCCIII.

Propositio, ut jacet, *eamdem promeruit censuram, ac immediate præcedens.*

Impugnatur sequenti discursu. Nulla virtus excludit alteram virtutem, aut eidem opponitur: sed sancta indifferentia est virtus: ergo non potest excludere spem theologicam. At si sancta indifferentia non vellet amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; excluderet, & opponeretur alteri virtuti, id est, spei theologicæ. Ergo falsum est, quod sancta indifferentia non velit amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut nostrum interesse omnium maximum.

Exponitur. Auctor ab ipso libri sui exordio, id est pag. 4. & 5. hæc S. Francisci Salesii verba laudavit: *Magnum discrimen est inter hæc, Amo Deum propter bonum quod ab eo expecto; & illa, Non amo Deum nisi propter bonum quod ab eo expecto.* Vide S. Franciscum Salesium de amore Dei lib. 2. p. 1. cap. 17. Pariter itaque nos dicimus, magnum discrimen est inter hæc, *Amatur sua beatitudo, & sua salus, veluti res quam Deus vult*, quemadmodum Articulo V. inter Issiacenses quos Dissert. II. §. 6. exhibuimus; & illa Archiepiscopi Cameracensis verba, *Non amatur sua salus, nisi quia Deus illam velle noscitur, sive in gloriam, & beneplacitum Dei.* Quibus rite perpensis, manifeste constat, Auctorem adulterasse Articulum, pro affirmativo statuendo negativum & exclusivum. Ut itaque funditus refellatur, advertendum est, atque supponendum discrimen earum rerum, quæ bonæ non sunt, nisi quia a Deo volitæ sunt; quales sunt res puræ institutionis, Circumcisio videlicet, animalium Sacrificia, legalis a sanguine abstinentia, & ipsa legis scriptæ, vel gratiæ Sacramenta: & illarum rerum, quæ a Deo volitæ sunt, quia in se ex quavis divini esse emanatione ac participatione bonæ & excellentes sunt; ut beatitudo, & quæ ad eam conferunt, virtutes. Primæ ex se indifferentes sunt, & citra errandi metum dici potest, illas non esse volitas, nisi quia a Deo volitæ noscuntur: atque ita si a Deo volitæ non essent, ut fieri potest, & antiquæ legis Sacramentorum abrogatione reipsa contigit; plane indifferentes ex natura sua haberentur, nec volitæ essent. De secundo vero genere idem dici nequit; cum ex seipsis adeo bonæ & excellentes sint, ut supponi nequeat, Deum posse illas non velle, aut illas aliquo sensu indifferentes fieri posse.

Nec quidpiam juvat Articuli Issiacensis allegatio; cum illius adulteretur sensus. Quamvis enim salutis in seipsa spectatæ excellentia in eo potius supponatur, tamquam necessaria, quam distincte exponatur: ea tamen sufficienter probatur ac stabilitur in laudatis Articulis, in quibus adstruitur, fidem, spem, & caritatem exercendas esse tamquam virtutes, ac res in quibus perfectio consistit, ac proinde tamquam res in seipsis excellentes; quod pari, vel etiam majori ratione salutem æternam importat, cum virtutum perfectio & consummatio sit. Sed id specialius exprimere necesse tunc non erat: primo quia vel seipsa evidens erat; secundo quia dictum in Articulo sufficiebat ad stabiliendum salutis desiderium, adversus eos qui tunc impugnabantur. At cum jam Auctor ad subtiliores confugiat præcisiones, hancque Propositionem, *Volo propter hoc*, prorsus mutet in hanc, *Non volo nisi propter hoc;* ejusmodi expressio erronea est in præsenti Propositione, ideoque confutanda.

Sed respondet Cameracensis, beatitudinem non posse indifferentem esse, quatenus habet excellentiam, quæ oritur a Deo, & ad illius gloriam refertur; at illam indifferentem esse posse, quatenus est nostra salus, nostraque beatitudo propria: & ideo scribit pag. 5. *Ambiguitas igitur est sublata facile. Cum se salutem non desiderare dicit, plane eam ut Dei voluntatem desiderat: eam hoc sensu rejicere, horrenda est blasphemia; & cautissime hac de re semper est loquendum. Solummodo verum est, animam non velle salutem, quatenus est nostra merces, nostrum bonum, nostrum commodum.* Verum contra est, quia homo non potest non velle suam beati-

tudi-

tudinem, aut indifferentem esse, ut beatus, vel miser revera sit. Quin etiam Deus ipse, cui homo seipsum conformare tenetur, nec illud tamquam homini indifferens ducit, nec velle potest ut ab homine indifferens habeatur: cum e converso naturæ lumine evidens sit, Deum velle, & non posse non velle, ut amici sui sint beati; atque in hoc gloriam suam esse repositam vult Deus. Hinc Christus nobis proponit beatitudinem non tamquam rem quam recenter a nobis inquiri jubeat, sed tamquam rem quam jam naturaliter amemus; & qua utitur, ut nos ad sublimiorem beatitudinem, Dei nempe fruitionem, divinæque essentiæ visionem intuitivam alliciat. Sicque Auctoris Propositio, quocumque sensu capiatur, contraria est tum revelatæ in Evangelio veritati, tum lumini naturali, quod inditum est ab eo qui omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat.

Sed dices, hæc non convenire statui sanctæ indifferentiæ, in quo anima nulla fovet desideria propter interesse proprium. Unde scripsit Molinosius in suo libello, inscripto *Guida Spirituale*, lib. 1. cap. 19. num. 21. de anima in statu indifferentiæ: *Hujusmodi vitam consistere in eo, quod nihil consideres, nihil desideres, nihil velis: atque animam quidem olim esurientem fuisse bonum cælestium, ac sitientem Deum, quem amittere metueret; nunc autem, ex quo anima perfecta est, & indifferens, nihil curat beatitudinem illorum qui esuriunt, ac sitiunt justitiam.*

Domina autem Guionia secuta Molinosium docuit, *Indifferentiam consistere ad quacumque bona, sive animæ, sive corporis; sive temporalia, sive æterna: ita ut quæ quondam ex motu caritatis bona omnia sibi volebat per respectum ad Deum, sui ipsius tota obliviscatur; obliviscatur omnis commodi, salutis, perfectionis, gaudii, solatii; neque quidquam sibi postulet:* & post pauca: *Anima sic intrat in divina justitia interesse, ut nihil aliud velle possit, sive sibi, sive cuicumque alteri, præter interesse quod divina justitia ipsi præstare velit, sive ad tempus, sive ad æternitatem.*

Respondeo cum doctissimo Antistite Meldensi lib. 8. num. 9. hæc absurdissima & erronea esse ob rationem fundamentalem, quia indifferentia non potest cadere super voluntatem declaratam, & significatam Dei; alias anima evaderet indifferens ad volendum, aut non volendum id quod Deus declarat, & significat se a nobis velle: quo nihil absurdius, ac magis erroneum dici potest. Exclusa igitur indifferentia respective ad res, quæ cadunt sub voluntate declarata, & significata, in quibus comprehenditur voluntas propriæ salutis, ut docuit Part. 2. Tract. Amor. Dei lib. 3. cap. 6. S. Franciscus Salesius; restringenda est indifferentia Christiana, ut prosequitur idem Sanctus, ad quosdam eventus, qui regulantur a voluntate beneplaciti, cujus supremis præceptis reguntur ea, quæ in dies singulos accidunt per totum vitæ cursum, puta, *della morte di una Madre, o del successo degli affari*: quæ sunt exempla, quibus loco citato mentem suam explicat sanctus Genevensis Antistes.

Confirmetur ex distinctione, quam statuunt Theologi ex S. Augustino, quam voluntas in Deo bifariam dividunt, ita ut alia dicatur voluntas beneplaciti, per quam Deus determinat quod ipse vult; & alia sit voluntas, quæ vocatur significata, per quam præcipit nobis id quod a nobis vult. Hæc secunda voluntas debet esse constans regula nostrarum actionum; non vero altera, quæ dicitur beneplaciti, quam aliquando nec possumus, nec debemus respicere: nam Deus ut causa universalis, absoluta, primaria, & omnipotens, vult aliquando quod non convenit homini velle. S. Augustinus doctissime hanc regulam statuit contra Pelagianos; ubi exempla ponit: scilicet, quod Deus potest non velle impedire delicta, quæ impedire posset, si vellet; immo vult permittere illa; & tamen est semper optimus; cum e contra si homo tali modo operaretur, esse non posset nisi pessimus. Hinc addit S. Doctor, Deum velle res aliquas optima voluntate, quas nos velle non possemus nisi voluntate perversa. Proinde dicendum est, quod circa ea quæ Deus vult, vel non vult in seipso, aliud considerare non debemus, nisi quod ille vult ut nos velimus.

Nec valet, si reponas, nos amplius nolle nostram salutem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum interesse omnium maximum; sed eamdem nos velle voluntate plena, ut gloriam & beneplacitum Dei, ut rem quam ipse vult, & quam nos vult velle propter ipsum. Nam respondeo, quod distinctio specifica virtutum desumitur ex objecto formali earumdem, ut 1. 2. quæst. 54. art. 2. & 3. docet S. Thomas: objectum vero formale spei theologicæ est beatitudo æterna, inquantum bonum nostrum est, ut docet idem S. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 2. Si autem volumus illam, quia eam Deus vult nos velle; jam non exercemus actum spei theologicæ, sed actum obedientiæ, ut ibid. quæst. 83. art. 9. docet Angelicus, & nos infra fusius explicabimus in impugnatione Propositionis XIX. Hinc Matth. 6. vers. 10. in oratione Dominica distinguitur a Christo Domino petitio illa, *Adveniat regnum tuum*, ab altera sequenti, *Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra*. Pertinent enim ad diversas virtutes: prima scilicet ad spem theologicam; secunda vero ad obedientiam. Vide S. Thomam loco cit. ubi explicat petitiones Dominicæ orationis. Consequenter si volumus beatitudinem, solum quia Deus vult nos illam velle, non exercemus virtutem spei theologicæ, sed virtutem obedientiæ erga Deum. Unde si in statu sanctæ indifferentiæ volumus perfectionem & beatitudinem æternam, solummodo quia Deus vult nos illam velle; ut habetur in superiori Propositione: non exercemus virtutem spei theologicæ, sed virtutem obedientiæ erga Deum. Si vero volumus salutem & beatitudinem, ut gloriam & beneplacitum Dei; ut habetur in præsenti Propositione: erit actus caritatis, non vero spei theologicæ; ut advertit ibidem S. Thomas, ibique scribit ad nostrum institutum: *Finis noster Deus est, in quem noster affectus tendit dupliciter. Uno quidem modo, prout volumus gloriam Dei; alio modo, secundum quod volumus frui gloria ejus: quorum primum pertinet ad dilectionem Dei, qua Deum in seipso diligimus; secundum vero pertinet ad dilectionem, qua diligimus nos in Deo. Et ideo prima petitio ponitur:* „ Sanctificetur nomen tuum: " *per quam petimus gloriam Dei. Secunda vero ponitur:* „ Adveniat regnum tuum: " *per quam petimus ad gloriam Dei, & regni ejus pervenire.* Proinde velle nostram salutem ut gloriam & beneplacitum Dei, erit actus caritatis: si autem volumus illam, quia ita vult Deus; erit actus obedientiæ (qui multo inferior est caritate, eamque non perficit, sed potius ab ea perficitur) non vero actus spei theologicæ.

In eodem sensu eleganter sapienterque rem explicat S. Franciscus Salesius in Tract. Amoris Dei Part. 2. lib. 5. cap. 9. *La perfezione dell' amore divino è così sovrana, che perfeziona tutte le virtù, e non può essere perfezionata da esse, nè anche dall' ubbidienza, ch' è quella che può spargere maggiori perfezioni sopra le altre: perchè sebbene l' amore è comandato, e che noi amando pratichiamo l' ubbidienza; l' amore nondimeno non trae la perfezione dall' ubbidienza, ma dalla bontà di quello che si ama. Perchè l' amore non è eccellente perchè ubbidisce: ma perchè ama un bene eccellente. Certo noi, amando ubbidiamo, come ubbidendo amiamo: ma se così eccellentemente è amabile questa ubbidienza; ciò avviene perchè tende all' eccellenza dell' amore, e dipende la sua perfezione non da quello che amando ubbidiamo, ma da quello che ubbidendo amiamo. Di modo che, siccome Iddio ugualmente è l' ultimo fine di tutto quello che è buono, come ne è il primiero fonte; così l' amore, che è l' origine di ogni buona affezione, ne è parimente l' ultimo fine e perfezione.* His adde S. Augustinum, qui lib. 2. de Serm. Domini in monte cap. 16. ita eloquitur: *Regnum Dei bonum nostrum est, & hoc appetendum, & ibi finis constituendus, propter quod omnia facimus quæcumque facimus.* Unde Christus Dominus, ut nos ad tolerandas passiones alliciat, proponit nobis tamquam mercedem regnum cælorum Matth. 5. vers. 10. dicens: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Sanctus erat David: attamen expetebat beatitudinem æternam. Hinc Psal. 26. vers. 4. inquiebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Desiderabat etiam visionem beatificam. Unde Psal. 41. vers. 3. exclamabat: *Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum: quando veniam, & apparebo ante faciem Domini?* Quibus perspectis, quis audebit adstruere, quod constitutus in statu sanctæ indifferentiæ non possit velle salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrum denique interesse omnium maximum?

Consequenter ad hæc, cum anno MCCCXXIX. Eckardus ex Ordine Prædicatorum inter alios Articulos Articulo VIII. asseruisset, *in illis hominibus honorari Deum, qui non intendunt res, nec honores, nec utilitatem, nec devotionem internam, nec sanctitatem, nec præmium, nec regnum cælorum, sed iis omnibus renunciaverunt*: hujusmodi Articulus tamquam erroneus damnatus fuit a Joanne XXII. ut testatur Reynaldus ad eumdem annum. Rursus cum Berengarius de Monte Falcone Ordinis Cisterciensis anno MCCCLIII. tempore Innocentii VI. asseruisset, *quæcumque bona puro Dei amore, non ob aliam rationem, nec spe mercedis æternæ facienda esse*: hujusmodi assertio damnata fuit, prout testatur Eymericus in Directorio Inquisitorum part. 2. quæst. 11. num. 8. Demum inter alios Articulos, & errores Beguardorum refert Reynaldus ad annum MCCCCIX. num. 9. fuisse proscriptam hujusmodi Propositionem: *Homo perfectus nullam curam debet habere de rebus humanis, quomodocumque vadant; immo nec de seipso, si damnetur, vel salvetur;*

tur : sed in omnibus & singulis divinam expectare voluntatem debet, & in illa complacere, sive salvet, sive damnet.

Sed objicies perdifficilem textum S. Francisci Salesii, depromptum ex ultimo ejus colloquio spirituali cum suis filiabus super doctrinam nihil petendi, & nihil refutandi, ubi sic scribit sanctus Episcopus : *Io voglio poche cose, e quel ch' io voglio, lo voglio molto debolmente. Non ho quasi desiderio niuno; ma se io avessi da rinascere, non ne avrei del tutto. Se Iddio venisse da me, io andrei da lui; e se non volesse venire da me, mi tratterrei, e non andrei da lui. Io dico dunque, che non bisogna domandar cosa alcuna, nè rifiutar cosa alcuna; ma abbandonarsi nelle mani della divina provvidenza senza fermarsi in alcun desiderio, se non a voler quello che Iddio vuole da noi. S. Paolo praticò eccellentemente questo abbandonamento nell' istante della sua conversione. Quando nostro Signore l' ebbe accecato, disse subito : Signore, che volete, ch' io faccia? e d' allora in poi stette sotto l' assoluta dipendenza di quello che ordinava Iddio di lui. Tutta la nostra perfezione consiste nella pratica di questo punto; ed il medesimo S. Paolo scrivendo ad uno de' suoi Discepoli, gli proibisce fra le altre cose di non lasciar occupare il suo cuore da desiderio alcuno. Tanta era la conoscenza, che aveva di questo mancamento.* Demum in Tractatu Amoris Dei part. 2. lib. 3. cap. 5. ita scribit idem sanctus Antistes. *La santa indifferenza si estende a tutte le cose.*

Respondeo, incipiendo ab hoc ultimo, quod scripsit sanctus Episcopus : scilicet, *La santa indifferenza si estende a tutte le cose.* Sufficit ad eludendum argumentum adversariorum, si expendamus quod habet ibidem sanctus Præsul Genovensis, ubi nec verbum circa indifferentiam propriæ salutis ac beatitudinis occurrit. Accipe phrasim: *Devesi l' indifferenza praticare nelle cose che risguardano la vita naturale; come la sanità, l' infermità, la bellezza, la bruttezza, la forza : nelle cose della vita civile; come onori, ordini, ricchezze : nella varietà della vita spirituale; come aridità, consolazioni, gusti : nelle azioni, nelle sofferenze, ed in somma in ogni sorta di avvenimenti. Quanto alla vita naturale, fu Giob ulcerato della più orribil piaga, che siasi mai veduta : quanto alla vita civile, egli fu burlato, villaneggiato, vilipeso; e da' suoi più prossimi : nella vita spirituale fu aggravato da languori, oppressioni, convulsioni, angoscie, tenebre, e da ogni sorta d' intollerabili dolori interiori; come testificano i suoi pianti, e i suoi lamenti.*

Ad id quod additur (*Io dico dunque, che non bisogna domandar cosa alcuna, nè rifiutare cosa alcuna; ma abbandonarsi nelle mani della divina provvidenza, senza fermarsi in alcun desiderio, se non a voler quello che Iddio vuole da noi. . . . . Tutta la nostra perfezione consiste nella pratica di questo punto; ed il medesimo S. Paolo scrivendo ad uno de' suoi Discepoli gli proibisce fra le altre cose di non lasciar occupar il suo cuore da desiderio alcuno. Tanta era la conoscenza, che aveva di questo mancamento.*) respondeo, quod si Quietistæ bona fide agerent, ac legissent, quæ subdit ibidem post pauca sanctus Antistes; puderet eos hujusmodi objectiones adducere. Nam ibidem ita habet S. Franciscus Salesius in persona unius ex suis filiabus. *Voi mi dite, Se non bisogna desiderar le virtù, e perchè nostro Signore ha detto, Domandate, e vi sarà dato? O figlia mia, quando io dico, che non bisogna domandare, nè desiderare cosa alcuna, INTENDO DELLE COSE DELLA TERRA : poichè per quello che tocca alle virtù, le possiamo domandare : e domandando l' amor di Dio, noi ve le comprendiamo tutte; perchè esso tutte le contiene.* Igitur numquam intellexit sanctus Episcopus, quod animæ petere non debeant a Deo ea quæ pertinent ad æternam salutem, & ad propriam perfectionem ac sanctitatem.

Enimvero instant adversarii, adducentes perdifficilem textum ejusdem Sancti, qui habetur ibi sub his verbis : *Non ho quasi desiderio niuno; ma se io avessi da rinascere, non ne avrei del tutto. Se Iddio venisse da me, io andrei ancora da lui; e se non volesse venire da me, mi tratterrei, e non andrei da lui :* ubi videtur sanctus Episcopus etiam ipsum Deum, ejusque possessionem in indifferentia collocare; quo nihil absurdius, & horribilius dici potest. Advertendum tamen est cum doctissimo Episcopo Meldensi de statibus orationis lib. 8. ubi explicat, doctrinam S. Francisci Salesii, ibique num. 16. doctissime atque solidissime probat, hæc esse intelligenda de communicationibus supernaturalibus, sive derelictionibus internis. Unde ait : *Che se Iddio venisse a lui, visitandolo colle consolazioni;* egli andrebbe a Dio, *ricevendole col riconoscimento : ma che s' egli non venisse, e' egli ritirasse la sua dolce presenza, e lasciasse l' anima nella privazione, ed aridità, o anche (il che l' è più doloroso) nella desolazione, e nell' abbandonamento alla Croce con Gesù Cristo;* egli se ne rimarrebbe, *senza avanzarsi di più, ed aspettando tranquillamente i momenti divini.* Videatur laudatus Episcopus per plures paginas ibidem, ubi mirifice ac fideliter explicat verba S. Francisci Salesii.

Confirmatur ex eo quod scripsit idem S. Franciscus B. Matri de Chantal, relatum ab Antistite Meldensi lib. 8. de statibus orationis num. 6. *Mia carissima Madre,* inquit, *amiamo perfettamente questo divino oggetto, che ci prepara tante dolcezze nel Cielo, e camminiamo notte e giorno tra le spine e le rose, per giungere a questa celeste Gerusalemme.* Et post pauca. *Ch' egli trovò l' anima sua con poco più di suo gusto dell' ordinario, perchè la vede più sensibile a' beni eterni.* Quomodo igitur consonant hæc cum indifferentia propriæ salutis, a Quietistis affixa sancto Antistiti? Sed nullibi clarius validiusque exposuit sanctus Præsul amorem beatitudinis & propriæ salutis, quem unusquisque fovere debet, quam in Tractatu Amoris Dei part. 3. lib. 2. cap. 3. ubi ita scribit : *Ci propone chiaramente la dottrina Cristiana le verità, che ha voluto Iddio che noi crediamo; i beni, che ha voluto che noi speriamo; i mali, che ha voluto che noi temiamo; quello, che ha voluto che noi amiamo; i commandamenti, che ha voluto che noi eseguiamo; i consigli, che desidera che noi seguitiamo. E tutto questo chiamasi la volontà significata di Dio : perchè egli ci ha significato quello che vuole; ed intende, che tutto questo sia creduto, sperato, temuto, amato, e praticato.* Et post pauca : *La conformità dunque del nostro cuore alla volontà significata di Dio consiste in questo; che noi vogliamo tutto quello che ci significa la bontà divina essere di sua intenzione, credendo secondo la sua dottrina, sperando secondo le sue promesse, temendo secondo le sue minaccie, amando, e vivendo secondo i suoi ordini ed avvertimenti. Al che tendono le proteste, che facciamo così spesso nelle nostre cerimonie Ecclesiastiche.* Et ibidem cap. 6. *Teotimo, noi dobbiamo volere la nostra salute, nel modo che la vuole Iddio. Egli la vuole per modo di desiderio; e così noi seguendo il suo desiderio la dobbiamo incessantemente desiderare. Non solo egli vuole, ma ci dà in effetto tutti i mezzi necessarj per farci pervenire alla salute; e noi seguendo i desiderj, che abbiamo di esser salvati, dobbiamo non solamente volere, ma anche effettivamente accettare tutte le grazie, che ci ha preparate, e che ci offerisce. Basta dire, Io desidero salvarmi : ma non basta dire, Io desidero di abbracciare i mezzi convenienti per arrivare alla salute; ma è necessario con una risoluzione assoluta volere, ed abbracciare le grazie che Iddio ci comparte : perchè conviene, che la nostra volontà corrisponda a quella di Dio; e come egli ci dà i mezzi per salvarci, così li dobbiamo noi ricevere, e desiderare la salute, siccome egli la desidera, e perchè ce la desidera.*

§. VII.

VII. *Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad interesse proprium, etiam æternum.*

EX Christi verbis, commendantibus nobis abnegationem Matth. 16. *Qui vult venire post me, abneget semetipsum . . . . . Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam :* occasionem sumit Cameracensis Antistes asserendi derelictionem non esse nisi abnegationem, seu renunciationem in Evangelio a nobis requisitam; eamque consistere in nostri abnegatione, exercenda quoad interesse proprium, etiam æternum, in extremis probationibus. Has vero extremas probationes (eas scilicet, quibus anima ad desperationem impellitur) esse autumat tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad interesse proprium, etiam æternum.

Propositio, ut jacet, est *erronea, periculosa, & scandalosa.*

Impugnatur I. quoad primam partem, in qua dicitur, quod abnegatio nobis injuncta a Christo in Evangelio non consistat nisi in abnegatione quantum ad interesse proprium, etiam æternum. Abnegatio siquidem, de qua loquitur Christus, postquam externa omnia reliquerimus, circa pravas concupiscentias & noxias versatur; quas scilicet vetus Adam in nos generando transmisit. Eæ profecto sunt, quas prorsus abdicare, & abnegare debemus. *Quid est* (ait S. Gregor. Homil. 32. in Evang.) *quod dicimus, Relinquamus & nos? Si enim nosmetipsos relinquimus; quo ibimus extra nos? vel quis est qui vadit, si se deseruit? . . . . . . Aliud sumus per peccatum lapsi, aliud per naturam conditi . . . . . . Relinquamus nosmetipsos, quales peccando nos fecimus, & maneamus nosmetipsi,*

 quales

quales per gratiam facti sumus . . . . . . Pensemus, quomodo Paulus se abnegaverat, qui dicebat : „ Vivo autem „ jam non ego. “ *Extinctus quippe fuerat sævus ille persecutor , & vivere cœperat pius prædicator.* „ Vivit vero „ in me Christus. “ Et iterum in eadem Homil. ita inquit : „ Qui vult venire post me, abneget semetipsum. “ *Alibi dicitur, ut abnegemus nostra ; hic dicitur, ut abnegemus nos. Et fortasse laboriosum non est homini relinquere sua ; sed valde laboriosum est relinquere semetipsum. Minus quippe est, abnegare quod habet : valde autem multum est, abnegare quod est.* Rursus ibidem scribit : *Tunc nosmetipsos relinquimus, tunc nos ipsos abnegamus, cum vitamus quod per vetustatem fuimus ; & ad hoc nitimur quod per novitatem vocamur :* quia licet homo quoad substantiam suam, manet idem qui ante; quoad animi tamen qualitatem , operatur, mutatur, ac fit alius homo. Ergo abnegatio , quam a nobis requirit in Evangelio Christus Dominus , non consistit in renuntiatione interesse proprii , etiam æterni, sed in abnegatione sui ipsius; id est, propriarum passionum, & potissimum propriæ voluntatis. Præterea S. Joannes Chrysostomus in I. ad Corinth. 10. ait : *Abnegare semetipsum est abnegare sensum, affectum , & intellectum. Non dixit, Neget , sed Abneget ; parva hac adjectione multum ostendens superabundantiam usque ad quantum oportet abnegare se : scilicet usque ad mortem.* Et S. Bernardus lib. de Modo bene vivendi cap. 7. inquit . *Dominus dicit in Evangelio :* „ Qui vult venire post me, „ abneget semetipsum. “ *Sed quid est semetipsum abnegare, nisi voluptatibus propriis renuntiare ? ut qui superbus erat, sit humilis ; & qui iracundus , sit mansuetus ; & qui luxuriosus, sit castus ; & qui erat ebriosus, sit sobrius ; & qui erat avarus, sit largus. Nam si ita quisque renuntiet omnibus quæ possidet , & non renuntiet suis pravis moribus, non est Christi discipulus. Qui renuntiat suis rebus, sua abnegat ; qui renuntiat suis pravis moribus, semetipsum abnegat.* Et S. Basilius in regulis fusius disputatis Interrog. 6. abnegationem sic definit : *Abnegatio sui nihil est aliud, nisi summa rerum omnium vitæ superioris (in vitiis exactæ) oblivio , atque a sui ipsius voluntatibus recessio.* Idem Interrog. 8. *Perfecta* , ait , *renuntiatio in eo sita est, si quis id assecutus fuerit, ut de vita sua ne minimum quidem affectus sit , quamvis habeat mortis responsum :* & post pauca : *Renuntiatio nihil aliud est , quam vinculorum terrenæ hujus ac temporalis conversationis solutio , quæ dum nos anxiis & humanam vitam comitantibus negotiis subducit , promptiores & magis idoneos reddit ineundæ vitæ ad Dei contemplationem.* Cohæret Sanctis Patribus laudatis Cassianus lib. 5. Institut. cap. 16. describens abnegationem , de qua Christus Dominus loquitur in Evangelio. Dividit enim illam in abnegationem carnis , & spiritus : illa est, qua carni negamus quod contra legem divinam exigit ; hæc vero, qua animæ negamus quod inordinate appetit, & contra rationis rectitudinem. Unde sic loquitur : *Post rerum exteriorum renuntiationem illud est cunctorum luctaminum veluti quoddam solidissimum fundamentum, ut primitus carnalium desideriorum incentiva perimantur : nam nullus, carne non devicta, legitime poterit decertare. Abnegatio spiritus est, qua animæ negamus, quod inordinate appetit.* Tandem Cajetanus super Evangelia pag. mihi 93. de eadem abnegatione tradita ab Apostolo Paulo pertractans , inquit : *Abneget semetipsum . Alibi dixit, Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet : hic dicit, ut abneget non sua, non suos ; sed semetipsum , hoc est proprium velle. Hoc est enim præcipuum in homine, quo homo de seipso disponit, quo seipsum fovet , quod potest abnegari , submittendo illud divino velle , divinoque judicio.* Ex quibus omnibus manifeste constat, abnegationem a Christo Domino commendatam in Evangelio non consistere in renuntiatione proprii interesse quoad æternitatem; verum in victoria carnis, & passionum nostrarum, in abnegatione propriæ voluntatis , & affectionum. Proinde & falsitas dictæ Propositionis clare evincitur ; cum in ea adstruatur , hujusmodi abnegationem non consistere, seu respicere nisi interesse proprium , etiam æternum : ubi Tò *non* excludit quamlibet abnegationem ; quod est contra Scripturam & Patres , ut hactenus vidimus .

Impugnatur II. ex eo quod scribit Apostolus ad Hebræos 11. vers. 6. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit :* ubi Tò *oportet* præceptum significat , non consilium. Vide Contensonium in Theologia mentis & cordis libr. 7. diss. 3. cap. 1. Ad quæ scripsit Tirinus : *Credere præ omnibus oportet , quod sit unus Deus, & quod cultoribus suis retribuat promissam mercedem vitæ æternæ : quod maxime necessarium est ad spem excitandam. Ita Theodoretus.* Ergo inconsequenter asseritur, quod abnegatio, de qua Christus loquitur in Evangelio, consistat in abnegatione proprii interesse quoad æternitatem. E contra clamabat idem Apostolus , *desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo* (ad Philippens. 1. vers. 23.) quod obvolvit manifestam contradictionem cum abnegatione proprii interesse quoad æternitatem .

Impugnatur III. ex Scripturis, quæ nobis præcipiunt exercitium spei theologicæ, quas congerit Contensonius lib. 7. diss. 3. c. 1. Speculat. 3. Quæ confirmantur ex Tridentino sess. 6. cap. 6. ubi inter dispositiones ad justificationem necessarias actum spei enumerat : & cap. 13. subdit : *In Dei auxilio firmissimam spem collocare , & reponere omnes debent. Deus enim , nisi ipsi illius gratiæ defuerint, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet, operans velle , & perficere.* Hinc S. Augustinus Tract. 83. in Jo. ait, *multa tam de fide, quam de spe esse mandata.* Et ratio est, quia (ut addit ibidem Contensonius) *nihil tam ad vitam æternam necessarium, quam spes , qua & ad divinorum præceptorum observantiam inducimur, & ab eorumdem transgressione avertimur. De necessariis autem ad salutem præceptum imponi necesse est.* Quomodo igitur abnegatio, de qua Jesus Christus effatur in Evangelio, sita esse poterit in abnegatione interesse proprii æterni ? Demum addenda pro coronide ea quæ scripsit doctissimus P. Massoulie in Tract. de Amore Dei part. 2. cap. 8. ubi sic loquitur : *Come può essere, che un' anima, che si suppone non solamente essere in istato di grazia , ma essere giunta ancora allo stato del puro amore, possa mai acconsentire alla separazione di Dio ? e, ciò che non può considerarsi senza orrore , alla sua eterna dannazione ?* (Quod importat abnegatio sui quoad interesse proprium, etiam æternum.) *Bisognerebbe , ch' ella avesse rinunziato a tutti i sentimenti della grazia e dell' amore , ed avesse altresì affogati tutti i movimenti della natura . E' una cosa inseparabile dall' amore, il desiderare il possesso dell' oggetto che si ama ; è necessario, che l' amore cessi di essere ciò ch' egli è, se rinunzia a quest' unione ; è impossibile alla natura non fuggire il male, e non desiderare il bene in qualunque stato ch' ella possa mai essere. I peccatori eziandio, quando si allontanano da Dio , cercano un bene particolare ; il quale da se stesso tende a Dio come principio ed ultimo fine : e perciò fanno violenza alla natura, e sono ingiuriosi a tutte le creature.* „ Creatura „ enim tibi factori deserviens exardescit in tormentum „ adversus injustos. “ Sap. 16. vers. 24. *Onde un giorno tutte le creature si solleveranno contro i peccatori, per vendicare Iddio della loro ingratitudine.*

Quoad secundam vero partem, in qua dicitur, quod in extremis probationibus, in quibus hæc abnegatio exerceri debet , quæque consistunt in tentationibus gravissimis, Deus nullum animæ perfugium ostendat , neque ullam spem quoad suum interesse , etiam æternum; impugnatur hoc syllogismo.˙ Deus non permittit nos tentari supra id quod possumus. Atqui si tempore tentationum in extremis probationibus nullum refugium , nullamque spem donaret animæ tentatæ; tentaretur supra id quod potest. Ergo tempore tentationum in extremis probationibus falsum est , nullum admitti refugium, nullamque spem donari animæ tentatæ. Major est certa ex Scriptura I. ad Corinth. 10. vers. 13. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis .* Minor est evidens. Consequentia est legitima .

Confirmatur ex I. Petri 5. vers. 10. ubi Princeps Collegii Apostolici ita excitat fideles ad resistendum tentationibus. *Deus autem omnis gratiæ*, inquit , *qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo Jesu , modicum passos ipse perficiet, confirmabit , solidabitque .* Igitur in gravissimis tentationibus Deus animæ auxilium præstat & spem, quoad suum interesse, etiam æternum. Unde in illa orationis Dominicæ petitione, ubi dicimus, *Et ne nos inducas in tentationem*, (ut explicat S. Thomas 2. 2. quæst. 83. art. 9.) *non petimus , ut non tentemur ; sed ut a tentatione non vincamur ;* per auxilium gratiæ, prout scribit S. Augustinus lib. de gratia & libero arbitrio cap. 4. in hæc verba : *Homo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur.*

Demum, ut pateant repugnantia, sibique contraria , quæ passim docet Archiepiscopus Cameracensis , recitanda sunt verba quæ in textu originali Propositionis habentur, ubi sic legitur : *Hæc abnegatio nostri ipsorum ad unam nostri commodi mercenariam appetitionem spectat ; nec umquam debet extinguere gratuitum amorem , quem nobis, uti & proximo , propter Deum debemus .* Jamvero, si abnegatio nostri ipsorum non extinguit gratuitum amorem, quem nobis, ac proximo propter Deum debemus ; ut fatetur ipsemet Cameracensis : quomodo ejusmodi abnegatio sita esse poterit in abnegatione interesse proprii omnium maximi atque præstantissimi, scilicet æterni , quod ex caritate & nobis, & proximo nostro velle debemus ? ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 24. Proinde clara apparet contradictio in thesibus Cameracensis.

Præterea, ne & id silentio prætereamus, ex Cameracensi, animæ perfectæ tentationibus ultro acquiescere & consentire debent, nec aliter eas breviores efficere, aut

etiam

etiam pacare possunt, quam si æternæ beatitudini renunftient. *Vera eas sedandi ratio* (inquit laudatus Archiepiscopus lib. 14. *Delle massime de' Santi* pag. 77.) *& via una est; nolle in his perceptum ad proprium commodum, seu propriam beatitudinem præsidium nancisci*. Quod profecto omnimodam æternæ beatitudinis abdicationem evincit.

Nec valet, quod Auctor se tueatur dicens, numquam se de abdicanda æterna beatitudine cogitasse, sed tantummodo de naturali erga ipsam affectu derelinquendo. Reprobatur enim hoc effugium, quia interesse nostrum æternum, juxta mentem Auctoris, nihil aliud est, nisi nostra beatitudo; ut fatetur pag. 95. Ergo anima in extremis probationibus æternum abnegans interesse, ipsammet beatitudinem abdicat. Motiva item interessata, per animam abdicata, ea sunt quæ oportet revereri velut in omnibus Sacrarum Scripturarum libris, veteri Traditione, & Ecclesiæ orationibus respersa; ut idem Cameracensis inquit pag. 33. Nusquam vero eam reverentiam in Ecclesia erga naturales affectus, sed solum erga pios & sanctos fuisse exhibitam animadvertimus.

Deinde naturalis erga æternam beatitudinem affectus nullam habet malitiæ, vel imperfectionis labem adspersam; cum insitus sit a Deo naturæ, ac ab eodem ut gratiæ auctore donatus, atque a justis ad finem caritatis, ultimumque terminum, ac bonum nostrum ordinatus. Hanc si cupiditatem vocat, non malam, sed ordinatam dicat. *Numquam enim* (ut ait Clarævallensis Tract. de diligendo Deum cap. 14.) *erit caritas sine cupiditate, sed ordinata .... Deinde cupiditas tunc recte a superveniente caritate ordinatur, cum mala quidem penitus respuuntur, bonis vero meliora præferuntur, nec bona nisi propter meliora appetuntur*.

§. VIII.

VIII. *Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario; in uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.*

IN hac Propositione ob extremas probationes occurrentes veram desperationem exhibet in animabus, quas maxime disinteressatas vocat, Cameracensis; cum non solum conditionatum, & ex hypothesi impossibili, sed etiam absolutum æternæ beatitudinis sacrificium admittat. Utriusque enim sacrificii, conditionati, & absoluti, idem est objectum; nempe salus æterna, quæ in ejusmodi probationibus immolatur. In quo non excusatur Auctor ex eo quod videatur id illis verbis moderari: *Sacrificium aliquo modo absolutum*: quia postea admittit sacrificium simpliciter absolutum, ut videbimus infra Propositione X.

Propositio, quæ, ut jacet, est *blasphema, hæresi proxima, piarum aurium offensiva, atque temeraria*, duas habet partes. In prima adstruitur, quod omnia sacrificia, quæ fieri solent ab animabus disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sint conditionalia: in secunda vero asseritur, quod hoc sacrificium non possit esse absolutum in statu ordinario; & quod in uno extremarum probationum casu hoc sacrificium sit aliquo modo absolutum.

Ante impugnationem primæ partis, adverte inter Articulos Issiacenses fuisse definitum Artic. XXXIII. *Potest etiam inspirari animabus, quæ laborent in ejusmodi probationibus, si vere humiles sint, ut sese submittant, & consentiant voluntati Dei, etiamsi per falsissimam præsuppositionem pro sempiternis bonis, quæ justis promisit animabus, eas pro suo beneplacito in sempiternis suppliciis detineret, nullo tamen gratiæ, amorisque dispendio. Qui sane quidam actus est perfectæ derelictionis sui, ac puri amoris, a quibusdam Sanctorum exercitus: isque utiliter exerceri potest a perfectis animabus cum gratia Dei maxime singulari: absque eo quod umquam derogetur actibus supra memoratis, scilicet fidei, spei, & caritatis ad Christianæ perfectionis rationem essentialibus.* Ubi doctissimus Episcopus Meldensis de statibus orationis lib. 10. num. 19. advertit: *E' vero, che alcuni savj Teologi avrebbono voluto, che si omettesse quest' Articolo.* Attamen ibidem ita erudite defendit hujusmodi actum, & approbat, ut postmodum subdat ibidem: *Dopo aver dimostrato, ch' è pio e legittimo quest' atto, o sia espressione, è conveniente il notare anche gl' inconvenienti, ne' quali cadono i Quietisti per esso. Io ne trovo quattro principali. Il primo è di rendere quest' atto troppo comune: è pieno il mondo de' loro cantici, ne' quali sprezzano l' Inferno, e la dannazione, e questa è la prima cosa che si fa tra loro, subito che pensano di essere arrivati all' orazione di semplice sguardo. Io non ne stupisco, perchè non vi è cosa più facile d' un abbandonamento, cui si sa essere impossibile che accada: ma quando dicasi seriamente; non è che per un Paolo, per un Mosè, vale a dire per i più perfetti uomini. Se S. Pietro, un Apostolo sì fervente, fu ripreso per aver detto nel suo fervore: Io metterò la vita per voi; e se fu bisogno convincerlo con la sua caduta, ch' egli aveva promesso più di quello che poteva eseguire, come nota S. Agostino: di qual derelizione non saranno degni coloro che ardiscono al bel principio d' affrontare l' Inferno, ed i suoi tormenti? Costoro non intendono, nè pensano a quel che dicono: appena possono soffrire i mali più leggieri; e poi s' immaginano di poter reggere a quei dell' Inferno? Per poter fare veramente un atto sì forte, converrebbe esser passato per l' avanti tra mille sorti di esercizj, essere arrivato alla perfezione dell' amore, ed essere incessantemente mosso e sollecitato nell' interno dalle impressioni divine: altrimenti una tal rassegnazione altro non è, che un vano discorso, ed un pascolo che si dà all' amor proprio. E' un acquistare a troppo buon mercato la perfezione, col credere d' esservi arrivato per via d' una sommissione in aria, e d' un' offerta senza effetto. Questo adunque è il primo inconveniente; render quest' atto troppo comune. Il secondo è pensare, che dipenda la perfezione e la purità dell' amore da questa espressione: perchè si sono veduti gran Santi, tra quali ho nominato S. Agostino, e ne potrei nominare altri senza numero, i quali con tutto l' essere accesi del santo amore, non hanno mai pensato a spiegarne la forza con tali supposti impossibili. Quanti Santi hanno avuto un amor capace del martirio; eppure non hanno mai ardito dire, ch' erano pronti a soffrirlo? Dunque anche senza nominare le pene dell' Inferno si può essere dispostissimo a patirle, se Iddio volesse, piuttosto che offenderlo. Il terzo inconveniente è di volere, che un tal atto non possa farsi, se non da chi abbia l' orazione straordinaria, e passiva: poichè questo è volere, che dipenda da uno stato straordinario, e particolare, ciò che già si è veduto esser compreso nel puro amore, che può trovarsi in tutti gli stati; come si è dimostrato più volte. L' ultimo inconveniente è sotto pretesto di un atto, a cui si vuol ridurre la perfezione Cristiana, credersi aver soddisfatto a tutta la legge di Dio, e così trascurar l' osservanza degli espressi comandamenti: il che, come si è veduto dagli Articoli precedenti, è un' Eresia manifesta.*

Ex quibus sic arguitur contra primam partem dictæ Propositionis. Si ad eliciendum actum sacrificii circa propriam æternam salutem, etiam conditionalem, necesse est, ut anima prius transierit per varia exercitia, & pervenerit ad statum amoris perfecti; insuper ut specialiter & continuo moveatur ab impressionibus divinis ad hunc actum; rursus si hujusmodi actus solum proprius sit unius S. Pauli Apostoli, vel Moysis, hoc est, perfectorum hominum, qui fuerunt in lege veteri, & nova: quomodo affirmari poterit sine gravi nota temeritatis, quod *omnia* sacrificia, quæ fiunt ab animabus disinteressatis, circa earum æternam beatitudinem, sint hujusmodi?

Confirmatur I. quia si S. Augustinus, adeo Dei amore succensus, numquam legitur hujusmodi actum conditionalem circa propriam æternam salutem elicuisse; quomodo tuto adstrui poterit, quod *omnia sacrificia, quæ faciunt animæ disinteressatæ circa æternam earum beatitudinem, sint conditionalia?* Confirmatur II. quia hac via incurritur primum inconveniens adnotatum ab Antistite Meldensi ubi supra circa prætensa hujusmodi sacrificia conditionalia, quæ fieri solent a Quietistis, reddere scilicet ejusmodi sacrificia communia: *Tre de' suddetti errori* (inquit laudatus Episcopus loc. cit. num. 18.) *sono distrutti da un solo passo di S. Pietro, in cui questo Santo Apostolo definendo l' abbandonamento, dice queste parole nella sua prima Epistola al cap. 5. vers. 7. e 8.* „ Gettando in lui ogni vostra sollecitudine, perchè egli ha „ cura di voi: " *nelle quali è da osservarsi primieramente, ch' egli indirizza questo comandamento a tutti i Fedeli, e non solamente a certi stati particolari; il che abbatte il primo errore. In secondo luogo S. Pietro non appoggia l' abbandonamento nell' erronea indifferenza de' Quietisti, ma in questo, che* „ Iddio ha cura di noi: " *per cui vien rifiutato il secondo errore. Finalmente S. Pietro aggiunge:* „ Siate sobrj, e vegliate: " *dalle quali parole proscrivesi il terzo errore, che dice, non doverci noi muovere da noi stessi, ma solamente aspettare, che ci muova Iddio ad operare.*

Quoad secundam partem, in qua asseritur, quod hoc sacrificium non possit esse absolutum in statu ordinario, sed in uno extremarum probationum; extrahit viatoris conceptum a suis proprietatibus. Quia anima ejusmodi in statu ordinario nullo modo potest abrenuntiare æternæ suæ felicitati & beatitudini, abrenuntiatione absoluta, quamvis sit maxime disinteressata: quia necessario destrueretur conceptus viatoris, si absolute nollet motum ad suum terminum, hoc est, ad beatitudinem & felicitatem æternam. Hinc S. Thomas Part. 1. quæst. 82.

art. 1. ait : *Sicuti intellectus ex necessitate inhæret primis principiis ; ita voluntas ex necessitate inhæret ultimo fini, qui est beatitudo.* Hæccine, quæso, quomodo cohærent sacrificio absoluto circa æternam beatitudinem ? Non video : cum sit contra propriam nedum animæ rationalis, sed & cujusvis infimæ creaturæ indolem, renunciare ultimo suo termino, atque motui ad illum. Præterea idem S. Thomas 1. 2. quæst. 5. art. 8. ad 2. inquit : *Beatitudo potest considerari sub ratione finalis boni & perfecti, quæ est communis ratio beatitudinis : & sic naturaliter, & ex necessitate voluntas in illud tendit.* Si ergo beatitudo naturaliter, & ex necessitate appetitur a voluntate ; impossibile erit, quod anima faciat sacrificium absolutum de sua beatitudine. Rursus idem S. Doctor 2. 2. quæst. 85. art. 2. in corp. describens sacrificium animæ, inquit : *Interius spirituale sacrificium est, quo anima seipsam offert Deo, secundum illud Psalmistæ :* „ Sacrificium Deo spiritus contribulatus . „ *Anima autem se offert Deo in sacrificium, sicut principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis.* Si sacrificium animæ consistit in hoc, quod se offerat Deo tamquam principio suæ creationis, & sicut fini suæ beatificationis; non poterit dari sacrificium animæ absolutum circa æternam ejus beatitudinem : quia hoc destruit essentiam spiritualis sacrificii ipsius animæ.

Demum animæ disinteressatæ sunt præditæ perfecta caritate, juxta principia Auctoris Propositionum. Atqui caritas ordinat hominem ad fruendum Deo, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 7. & vidimus supra in impugnatione I. Propositionis. Jamvero si animæ disinteressatæ sunt perfectæ in caritate, eaque mediante, ordinantur ad fruitionem Dei ; non poterunt in sensu composito caritatis facere sacrificium absolutum de sua æterna beatitudine. Unde ibid. art. 1. dixit Angelicus Doctor : *Benevolentia non sufficit ad rationem amicitiæ, sed requiritur quædam mutua amatio : quia amicus est amico amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliquam communicationem. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat ; super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari. De qua quidem communicatione dicitur I. ad Corinth. 1.* „ Fidelis Deus, per „ quem vocati estis in societatem filii ejus. “ *Amor autem super hanc communicationem fundatus, est caritas. Unde manifestum est, quod caritas amicitia quædam est hominis ad Deum.* Ex quo fit evidens, non posse dari sacrificium absolutum de propria æterna beatitudine in anima, quantumvis disinteressata, ac perfecta in caritate ; alias destrueretur conceptus, & essentia viatoris.

Tandem ratione impugnatur hæc secunda pars dictæ Propositionis. Nam ex D. Thoma 2. 2. quæst. 20. art. 1. *Motus animæ contra spem theologicam est vitiosus, & peccatum.* Atqui facere sacrificium absolutum de sua æterna beatitudine, est motus animæ contra spem theologicam ; cum objectum spei sit beatitudo æterna, ut docet idem S. Thomas ibid. quæst. 17. art. 2. Ergo motus, quo quis sacrificium facit absolutum de sua æterna beatitudine, est motus vitiosus, & peccatum.

Objicies. S. Franciscus Salesius in Tractatu de amore Dei Part. 2 lib. 3. cap. 4. in fine ita scribit : *Anima indifferens præfert Infernum Paradiso, si sciret circa illum magis esse voluntatem Dei, quam circa istum ; ita ut si per impossibile sciret, suam æternam damnationem magis gratam esse Deo quam suam salutem, hanc relinqueret, & illam amplecteretur.* Item in Vita B. Angelæ de Fulgineo ita legitur : *Quandoque sum in tenebra horribilissima, & videtur mihi deesse omnis spes boni. Tunc dico Deo : Domine, si me debes mittere in Infernum, ne differas ; sed subito facias : & ex quo me dereliquisti, comple, & submerge me in profundum. Et videndo me damnatam, non cogito aliquo modo de damnatione mea : quia plus curo, & plus doleo, quia offendi Creatorem meum.*

Respondeo, hac in materia pro certo tenendum esse, illas persuasiones, & consensus, de quibus loquuntur S. Franciscus Salesius & B. Angela de Fulgineo, esse dumtaxat apparentes, nihilque in eis reale esse quam pœnam. Sunt in nonnullis, si ita lubet, piæ vehementissimi amoris ineptiæ ; quas Deus propter bonas, a quibus ducunt originem, intentiones, immensa sua bonitate aut tolerat, aut admittit : quamvis in seipsis nullam accuratam obtineant veritatem. Si rem ex ea parte, qua solummodo vera est, Cameracensis inspiceret ; posses animadvertere, illud quod scribit de hoc statu impossibili, quem possibilem fieri supponit, falsum esse ac intelligibile, atque S. Joannis Chrysostomi, aliorumque Doctorum hypothesi contrarium, qui in voluntatibus, aut potius velleitatibus, de quibus agitur, hanc conditionem, *si possibile est*, semper apponunt.

§. IX.

IX. *In extremis probationibus potest anima invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, & quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.*

ADstruit in hac Propositione, quod anima extremis probationibus vexata, sibi invincibiliter persuasione reflexa possit suadere, se juste a Deo esse reprobatam, qua inducatus veræ desperationi consentire. In quo elucet Auctoris incohærentia : hanc enim persuasionem invincibilem, & necessariam existimat, quam asserit reflexam ; cum enim reflexa sit, juxta sanæ Philosophiæ principia, liberior debet esse quocumque actu libero. Perperam affertur illud effugium, quod persuasio illa non sit in intimo conscientiæ fundo : quia si invincibilis est, & reflexa ; quomodo non erit in intimo conscientiæ fundo ? Insuper hoc asserere viam aperit cuilibet flagitio : quia in tentatione posset quis dicere, se assentiri propter persuasionem, quæ est tantum apparens, licet invincibilis, & reflexa. Hinc Molinosius, Domina Guionia, & P. Franciscus la Combe docent, turpissima quæque flagitia, in quæ perfectæ animæ invincibiliter rapi se putant, apparentia esse, non intima ; nec proinde vera flagitia.

Propositio, ut jacet, est *impia, hæresi proxima, ac desperationi faciens assensus.* Pro confutatione Propositionis supponendum est primo, etiam justæ nostræ reprobationis & derelictionis esse peccatum letale. Hinc Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 11. ait : *Deus sua gratia semel justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur.* Supponendum est secundo, non posse Deum reprobare aliquem, nisi propter peccatum letale. Hinc Sap. 12. vers. 15. dicitur : *Cum ergo sis justus, juste omnia disponis : ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum existimas a tua virtute :* & S. Augustinus lib. 3. contra Julianum cap. 18. scribit : *Bonus est Deus, justus est Deus : potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est ; NON POTEST QUEMQUAM SINE MALIS MERITIS DAMNARE, QUIA JUSTUS EST.*

Impugnatur I. dicta Propositio. Ut persuasio animæ de sua justa reprobatione, sit invincibilis, debet esse talis, ut non possit contrarium scire, & sentire ; ut docet S. Thomas de ignorantia invincibili 1. 2. quæst. 76. art. 2. Atqui anima in extremis probationibus constituta potest, ac debet contrarium scire, & sentire contra suam falsam persuasionem de sua justa reprobatione. Ergo hæc persuasio non potest esse invincibilis. Probatur Minor ex illo Matth. 18. vers. 14. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in cælis est, ut pereat unus de his pusillis :* & ex illo Luc. 12. vers. 32. *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum :* & ex II. Petri cap. 3. vers. 9. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Proinde anima in extremis probationibus potest contrarium sentire de prætensa sua reprobatione ; immo tenetur. Hinc ad Heb. 10. vers. 35. imponitur animabus tentatis : *Nolite amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Et ita S. Job in extremis probationibus constitutus, tantum abest, ut acquiesceret suæ reprobationi, quin potius exclamabat cap. 13. vers. 15. *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo :* & cap. 14. vers. 14. *Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. Vocabis me, & ego respondebo tibi : operi manuum tuarum porriges dexteram.* Consequenter anima in extremis probationibus posita, tenetur contrarium sentire de sua prætensa justa reprobatione. Qua igitur ratione dici poterit, quod hujusmodi persuasio sit invincibilis ?

Confirmatur ex eo quod definivit Concilium Tridentinum sess. 6. de justificat. cap. 19. quod nemo de Dei misericordia, & de Christi merito dubitare debet : ac consequenter numquam poterit anima in extremis probationibus constituta, sibi persuadere invincibiliter, se juste a Deo reprobatam esse. Hinc S. Thomas ad institutum nostrum quæst. 23. de Verit. art. 8. ad 2. ita more suo egregie scribit : *Si alicui revelatio de sua reprobatione fieret ; deberet intelligi non secundum modum prophetiæ prædestinationis, vel præscientiæ, sed per modum prophetiæ comminationis, quæ intelligitur, supposita conditione meritorum. Unde velle* (prosequitur ibidem S. Doctor) *suam damnationem, non esset conformare suam voluntatem voluntati divinæ, sed voluntati peccati.* Consequenter graviter peccaret anima posita in extremis probationibus, si persuaderet sibi, etiam voluntate reflexa, se juste a Deo reprobatam ; cum hujusmodi persuasio non possit esse invincibilis, sed vincibilis, & peccaminosa.

Consonant his ea quæ scribit solide ac erudite Contensonius lib. 7. dissert. 3. speculat. 3. ubi ait : *Usque adeo in divina misericordia, ut ait Scriptura, supersperare præcipimur, ut facta etiam damnationis revelatione, adhuc beatitudinem sperare possimus, & teneremur :* ut

fuse

fuse ibidem prosequitur. Ergo in extremis probationibus non potest anima invincibiliter sibi persuadere, se juste a Deo fuisse reprobatam.

Dices I. Persuasio hæc est tantum reflexa, quæ non est intimus conscientiæ fundus, in quo per actus directos hujusmodi persuasio reprobationis excluditur. Hinc scribit Cameracensis pag. 118. *Plerumque in extremis probationibus solos animabus perfectis Deus relinquit actus directos; quorum nullum deinde vestigium percipiant: & hoc ipsum est martyrium animarum, quibus adhuc superest aliquod proprii commodi motivum.*

Sed contra est, quia ipsemet Cameracensis advertit pag. 117. quod, urgente præcepto, teneamur elicere actus reflexos. Unde scribit: *Animæ mercenariæ actus reflexos indefinenter exercere cupiunt, ut de sua operatione sibi fidem, & testimonium perhibeant; sed animæ gratuitæ ex seipsis ad actus directos, aut reflexos indifferentes sunt. Eliciunt reflexos, quoties præceptum postulat, aut gratiæ illecebra ad eos impellit.* In duobus igitur casibus actus reflexi admitti possunt. Primo, quando urget præceptum; secundo, quando singularis gratiæ illecebra ad eos impellit. Extra præcepti casum, & in aliis vitæ humanæ actibus, omnis reflexio est nociva; ut asseruit Molinosius Propositione IX. ex proscriptis, & a nobis supra confutatis. Consequenter, urgente præcepto, tenemur elicere actus reflexos. Atqui, urgente persuasione de sua justa reprobatione, urget tentatio: proinde urget præceptum eidem resistendi per actus reflexos contrarios; ut docent omnes Theologi, & constat ex confutatione Propositionis XXXVII. Molinosii, in qua asseruit, *in occasione tentationum, etiam furiosarum, non debere animam elicere actus explicitos virtutum oppositarum.* Ergo non sufficiunt actus directi, sed requiruntur actus reflexi, qui sufficiunt, etiamsi non eliciantur actus directi.

Dices II. Sanctorum exempla demonstrant, quod animæ possit invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, se juste a Deo esse reprobatam. Enimvero B. Angela de Fulgineo id fatetur de seipsa, in maximis tentationibus constituta, ut legitur in ejus Vita. *Sciatis*, inquit, *quod sum posita in quadam desperatione, quam numquam habui hoc modo; quia omnino desperavi de Deo, & de omnibus bonis ejus, & bellum inis inter me & ipsum. Et ideo sum certa, quod non est aliqua persona in mundo ita plena omni malitia, & damnata, sicut ego sum: quia quidquid mihi Deus concessit, & dedit, ad majorem meam desperationem, & damnationem permisit.* Et S. Joannes a Cruce lib. 2. Noct. obs. cap. 6. ita scribit: *Illud, quod plus sentit hæc anima vexata, est, quod clare ei videatur Deus ipsam expulisse, & abhorrens projecisse in tenebras, eamque fastidire, & esse contra ipsam iratus: & quod plus est, videtur ei horribili quadam apprehensione Deus semper, & in æternum ipsam esse derelicturus.* Igitur nedum potest anima invincibiliter sibi persuadere, se juste a Deo esse reprobatam; sed & de facto id persuasum constat aliquibus animabus, etiam perfectionbus, ut fuit B. Angela Fulgineo.

Respondeo, B. Angelam de Fulgineo propter acerrimam desolationem quam patiebatur, ita fuisse impugnatam, ut ei clare videretur, quod Deus iratus illam in tenebras projecisset, sua gratia perpetuo destitutam, quin resistentiam ejusmodi tentationibus, & firmam in Deum fiduciam in parte superiore servatam agnosceret, ob internæ lucis defectum, qua non raro animas privat, antequam ad gratum unionis perveniant, ut excellentiorem caritatis amorem, atque in Deum fiduciam concipiant. In quo sensu pariter intelligendus est S. Joannes a Cruce. Vide §. 4. & 5. Dissertationis VI.

§. X.

X. *Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in Cruce dicens:* „ Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti „ me? " *In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.*

ANimam extremis probationibus vexatam, sibi suadentem, se a Deo juste fuisse reprobatam, asserit Cameracensis, divisam a semetipsa cum Christo in Cruce expirare, atque in hac involuntaria impressione sacrificium absolutum conficere sui interesse proprii quoad æternam salutem. Ubi duo notanda sunt. Primum, Christum velut exemplar desperantium exhiberi. Qualis autem similitudo esse poterit inter turbationem involuntariam, & horribilem animæ, quæ timet, & suæ desperationi assentitur; & inter sanctissimas Christi dispositiones, expirantis in Cruce, ubi erat plenus amore & confidentia? Secundum, complementum amoris esse abominationem desperationis in tam funesto sacrificio per illam invincibilem persuasionem, quod Deus velit animam justam ad Inferna detrudere.

Propositio in suis partibus est *respective temeraria, scandalosa, fœdos errores Quietistarum renovans in asserta divisione animæ, erronea, blasphema, Christo injuriosa, hæresique proxima.*

Propositio tres habet partes. In prima dicitur, in eo casu animam a semetipsa esse divisam. In secunda, eamdem animam cum Christo in Cruce expirare, dicendo: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* ex impressione involuntaria desperationis. In tertia demum, quod tunc absolutum sacrificium faciat proprii sui commodi quoad æternitatem. De prima agemus in confutatione XIV. Propositionis ejusdem Cameracensis. Nunc vero secunda pars falsa demonstratur ex eo quod scripsit Calvinus in Harmonia, explicans caput 27. Matth. dicens, *Christum non quidem desperasse: emisisse tamen vocem desperatio- „ nis cum ait:* Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? " Quod renovatur in præsenti Propositione, ut patet ex contextu, respective etiam ad animas in extremis probationibus constitutas. Proinde Ven. Bellarminus in Psal. 21. scripsit: *Quod autem Christus queritur se derelictum a Deo, non significat, eum fuisse derelictum a persona Verbi, quasi esset dissoluta unio hypostatica; vel destitutum a gratia & benevolentia Patris: sed significat, permissum esse a Deo, ut ipse in humana natura pateretur horribilia illa tormenta, & mortem ignominiæ plenam, a qua, si Deus voluisset, eum facillime liberare potuisset. Neque orta est querimonia illa ab impatientia, vel ab ignorantia; quasi Christus ignoraret causam suæ passionis, aut non libenter ferret, se a Patre in illis doloribus derelictum: sed fuit querimonia illa, protestatio quædam acerbissimæ passionis.*

Consonat Tirinus ad cap. 27. Matth. num. 46. ubi scripsit: *Eli, Eli, lamma sabacthani?* id est: *Deus meus, & tot nominibus meus; ut quid dereliquisti me, me tot nominibus tuum? Quare cum facillime possis, nullo me (ut soles omnes tuos) solatio roboras? nulla seu corporis, seu animæ refocillatione externa, interna, cælesti, humana recreas? Hoc enim proprie est deseri, seu derelinqui a Deo. Crediderim, Christum in Cruce totum Psalmum 21. (cujus hæc verba initium sunt) percucurrisse, quo comprehenduntur fere omnia, quæ pendens in Cruce pati decreverat. Blasphemus Calvinus (& etiam Joannes Ferrus, sed, ut puto, ab hæreticis corruptus, vult Christum hic desperationis vocem emisisse, metuisseque Deum sibi offensum; vel Dei gratia se excidisse: atque ita tormenta (neque enim alia agnoscit Calvinus) sustinuisse jam inde a prima in hortum Gethsemani ingressu. Quæ unica blasphemia desiderabatur, ut infamas Judæorum blasphemias perficeret. Sed procul hæc a Filio Dei, cujus solum natura humana sibi relicta, & persecutorum libidini exposita, dolorum magnitudine & multitudine ingemiscens, modeste exprimit malum quo premitur, simulque desiderium, ut brevi finiatur. Exprimit autem per modum conquerentis, & quasi causam inquirentis. Primo, ut insinuet ex parte sua, nullam in se esse causam. Secundo, ut posteris certum det argumentum, quo nosse possint (ut omnino nosse debent) Christum & multa, & vere passum; nec gaudium animi ex visione Dei, nec aliud cæleste, aut spirituale solatium dolorem sustulisse, aut mærorem dispulisse, ut supra insinuavi.*

Confirmatur I. ex eo quod scribit S. Leo Papa Serm. 65. de passione Domini 16. cap. 7. dicens: *Vox ista doctrina est, non querela. Nam cum in Christo Dei & hominis una persona sit, nec ab eo potuerit relinqui, a quo non poterat separari; pro nobis trepidis, & infirmis interrogat, cur caro pati metuens exaudita non fuerit.*

Confirmatur II. quia asserere, Christum ex involuntaria impressione damnationis protulisse dicta verba, tollit ab eodem Christo originalem justitiam: nam hæc non compatitur cum involuntariis perturbationibus, & impressionibus; ut dicemus in confutatione Propositionis XIII.

Confirmatur III. ex iis quæ scribit S. Thomas Part. 3. quæst. 15. art. 5. ad 3. in hæc verba: *Virtute divinitatis Christi dispensative sic beatitudo in anima continebatur, quod non derivabat ad corpus, ut ejus passibilitas, & mortalitas tolleretur. Et eadem ratione delectatio contemplationis sic retinebatur in mente, quod non derivabat ad vires sensibiles, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur.* Consequenter ad hæc rite dicere potuit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Juxta sensum vero damnatæ Propositionis quasi ea impressione involuntaria damnationis protulisset illa verba; ut constat.

Confirmatur IV. ex eo quod sacrificium debet esse liberum, & voluntarium; unde Psal. 13. vers. 8. legitur: *Voluntarie sacrificabo tibi.* Ad quæ verba Tirinus scribit: *Id est, non coacte, sed sponte mea, & perlibenter.* Et II. ad Corinth. 9. vers. 7. inquit Apostolus: *Non ex tristitia, aut ex necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Igitur sacrificium oriri nequit ex involuntaria impressione despe-

desperationis. Præterea sacrificium spirituale animæ consistit in hoc, ut ipsa sese offerat Deo tamquam fini suæ beatificationis: unde scribit S. Thomas 2. 2. quæst. 85. art. 2. *Interius spirituale sacrificium est, quo anima seipsam offert Deo, sicut principio suæ creationis, & fini suæ beatificationis*. Ergo non potest consistere in involuntaria impressione suæ damnationis; cum hæc destruat essentiam spiritualis sacrificii; quo se anima offert Deo tamquam fini suæ beatificationis. Rursus ex Psal. 5. vers. 19. sacrificium gratum Deo est spiritus contribulatus. Ad quæ verba Ven. Bellarminus scribit: *Dicitur spiritus contribulatus anima dolore affecta, ac per hoc in tribulatione posita ob peccatum in Deum commissum*. Igitur non poterit anima in desperatione constituta, gratum Deo sacrificium exhibere: alias dicendum foret, sacrificium Deo spiritus desperatus; quo nihil absurdius, magisque alienum a Catholica veritate.

Demum confutatur prætensa ejusmodi involuntaria impressio desperationis, hoc ratiocinio. Anima tentata vel potest hujusmodi prætensam involuntariam impressionem desperationis a se expellere; vel non potest. Si potest, & non expellit; non erit involuntaria ejusmodi impressio, sed voluntaria indirecte. Vide S. Thomam 1. 2. quæst. 77. art. 7. Vel non potest expellere; *& tunc facere debet, quod potest, & petere, quod non potest*, ex Concilio Tridentino sess. 6. de justificat. cap. 11. Quod si anima hoc non faciat; non erit impressio involuntaria, sed voluntaria. Igitur inconcussum manet, quod prætensa hujusmodi impressio desperationis non sit involuntaria, sed voluntaria.

Impugnatur Propositio quoad tertiam partem, in qua adstruitur sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem, hoc syllogismo. Sacrificium, repugnans juri tum naturali, tum divino, est omnino abominandum atque repellendum, ut constat ex ipsis terminis. Sed sacrificium absolutum proprii interesse quoad æternitatem, repugnat juri tum naturali, tum divino. Ergo non est admittendum ejusmodi abominabile sacrificium. Probatur Minor quoad utramque partem: & primo quidem quoad jus naturale. Enimvero in quolibet serio ac deliberato humanæ voluntatis actu viget aut explicite, aut saltem implicite & virtualiter beatitudinis desiderium. Nam omnes homines invincibiliter volunt esse beati; ut post S. Augustinum omnes Theologi & Philosophi conclamant: quoniam hic amor, ab ipsomet Deo Universi conditore impressus humanæ naturæ, omnium motuum nostrorum particularium principium ac motivum est. Hinc S. Augustinus de Trinit. lib. 13. cap. 3. ait: *At si dixisset, Omnes beati esse vultis, miseri esse non vultis; dixisset aliquid, quod nullus in sua non agnosceret voluntate. Quidquid enim aliud quisquam latenter velit, ab hac voluntate, quæ omnibus & in omnibus hominibus satis nota est, non recedit.*

Quamquam igitur non semper actu expresso de beatitudine cogitent homines; nihilominus agunt ex illo intimo & latente motivo, seu appetitu: ac proinde quidquid agunt homines, quidquid volunt, quidquid cogitant, quod ad vitam humanam pertineat, illud omne ad beatitudinem explicite, vel implicite seu virtualiter referunt. Unde S. Augustinus Enarrat. 3. in Psal. 32. num. 15. *Depellendæ*, inquit, *miseriæ causa, & acquirendæ beatitudinis causa, faciunt homines quidquid vel boni faciunt, vel mali*: & Serm. 306. alias de diversis 112. cap. 2. scribit: *Omnis homo, qualiscumque sit, beatus vult esse. Hoc nemo est, qui non velit, atque ita velit, ut præ cæteris velit; immo quicumque vult cætera, propter hoc unum velit.* Hoc ipsum docet S. Thomas 1. 2. quæst. 5. art. 4. ad 2. scribens: *Voluntas ad ultimum finem naturali necessitate ordinatur: quod patet ex hoc, quod homo non potest non velle esse beatus*: & ibid. art. 8. ad 2. inquit: *Beatitudo potest considerari sub ratione finalis boni & perfecti; quæ est communis ratio beatitudinis: & sic naturaliter, & ex necessitate voluntas in illud tendit.*

Ex dictis instauratur hujusmodi argumentum. Quod est primum volitum, quodque omnes homines semper volunt, & nolle non possunt; in omni actu humano viget, movetque. Atqui id generis esse beatitudinem, constat ex dictis. Ergo in omni actu movet, & excitat beatitudo: seu in omni actu voluntas inclinatur ad suum bonum, non cæco impetu, sed ex ipsa boni allicientis cognitione: ac consequenter est contra jus naturale sacrificium absolutum sui interesse proprii quod æternitatem. Ipsemet Cameracensis, in Instruct. Past. pag. 24. a priore Libri systemate deflectens, admittit *necessitatem indeclinabilem, ut nos ipsos diligamus semper; neque fieri posse, ut nos ipsos diligamus, nisi nobis aptemus supremum illud bonum, quod est unum necessarium*. Rursus ibidem pag. 47. admittit *indeclinabile pondus, continuamque tendentiam in beatitudinem, quæ est Dei fruitio*. Si autem illa tendentia continua est, nulli actui deest; si indeclinabilis, nulli deesse potest. Igitur non potest dari sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem, quia repugnat juri naturæ. Quo sensu S. Ambrosius Enarrat. Psal. 1. num. 1. *Summum virtuti incentivum*, inquit, *proposuit Deus futuræ beatitudinis beatitudinem*: & iterum ibid. num. 13. *Dominus noster Jesus Christus regni cælestis gloriam, perpetuæ quietis gratiam, vita æterna beatitudinem ad humanæ virtutis incentiva proposuit*. Quin & ipsas virtutes non amamus nisi propter beatitudinem. Unde S. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 8. *Nisi forte virtutes*, inquit, *quas propter solam beatitudinem sic amamus, persuadere nobis audent, ut ipsam beatitudinem non amemus. Quod si faciunt, etiam ipsas utique amare desistimus, quando illam, propter quam solam istas amavimus, non amamus*. Clarum proinde est, sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem repugnare juri naturali. Quod verò repugnet hujusmodi sacrificium absolutum proprii interesse quoad æternitatem juri divino, probatur ex illo Luc. 12. vers. 13. ubi Christus Dominus inquit: *Quærite primum regnum Dei*: & ex illo ejusdem Luc. 13. vers. 24. *Contendite intrare per angustam portam*: id est, portam Paradisi: & I. ad Corinth. 9. vers. 27. *Sic currite, ut comprehendatis*. Ex quibus eruitur jus divinum, quo tenemur æternam salutem exquirere. Proinde non potest a nobis confici sacrificium absolutum nostri interesse quoad æternitatem.

Confirmatur I. quia per tertiam petitionem orationis Dominicæ petere, ac desiderare debemus, ut fiat voluntas Dei sicut in cælo, ita & in terra. Atqui voluntas Dei est, ut omnes homines salventur: unde dicitur I. ad Timoth. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*. Quem textum exponens S. Thomas lect. 1. egregie docet, Deum velle salutem omnium hominum, non solum voluntate signi, quatenus omnibus proponit præcepta, consilia, & remedia, ut salutem æternam consequantur; sed etiam voluntate beneplaciti, quæ est vera Dei voluntas: unde Luc. 12. vers. 32. legitur: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum*. Et idem tradit quæst. 23. de Verit. art. 1. & in 1. dist. 47. quæst. 1. art. 2. ubi diserte asserit, quod voluntas, quæ de Deo proprie dicitur, est voluntas beneplaciti, quæ *per antecedentem, & consequentem dividitur*; prout fuse ac solide demonstrat eruditus Contensonius ad institutum nostrum in Theologia mentis & cordis lib. 2. Dissert. 3. cap. 1. Speculat. 2. omnino videndus pro claritate his omnibus conciliandа. Atqui tenemur adimplere divinam voluntatem tum significatam, tum illam beneplaciti, quando nobis innotescit, ut innotescere constat in casu nostro. Ergo non possumus offerre sacrificium absolutum proprii interesse nostri quoad æternitatem: quia repugnat juri divino.

Confirmatur II. quia si alicui facta fuisset revelatio propriæ reprobationis ob commissa peccata; adhuc teneretur sperare propriam salutem nec de ea desperare posset sine gravissimo peccato: ut lib. 7. Dissert. 3. cap. 1. Speculat. 3. invicte demonstrat laudatus Contensonius cum aliis Thomistis. Ergo a fortiori non posset facere sacrificium absolutum proprii interesse quoad æternitatem, ex sola involuntaria impressione desperationis.

Confirmatur III. quia, posito absoluto sacrificio sui interesse proprii quoad æternitatem, anima non teneretur ad observanda divina præcepta, & legem divinam; sed posset se citra culpam omni vitio committere: quia qui non tenetur ad finem, nec tenetur ad media conducentia ad talem finem. Atqui, posito absoluto sacrificio quoad æternitatem, non tenetur amplius ad finem, scilicet acquirendam propriam salutem. Ergo non teneretur ad media conducentia ad talem finem; quæ sunt observantia legis, & fuga peccati. Quis vero vel demens deglutiat ejusmodi horrendum absurdum, totius Christianæ disciplinæ eversivum?

Verum audiamus oportet doctissimum P. Massoulie, qui in Tract. de amore Dei contra Quietistas part. 2. cap. 8. ita præclare scribit ad institutum nostrum. *Non v' ha stato nella vita spirituale, in cui possa un' anima fare un sagrifizio assoluto della sua salute, ed acconsentire alla sua perdita eterna, per questa ragione; chè una parte ama incessantemente se medesima, fugge tutto ciò che può nuocerle, e vuole sempre restare unita al suo tutto. Tutti gli enti particolari hanno una inclinazione particolare per la loro conservazione. Egli è impossibile, che desiderino la loro perdita: poichè la perdita è un male, e non v' ha inclinazione nella natura, che si porti al male, come male.* D. Thomas 1. part. quæst. 48. art. 1. ad 3. *Imperciocchè la natura non ha date inclinazioni a verun ente, che per cercare il bene che gli è proprio, e per conservarsela. Quindi viene, che si dice, che la corruzione è contro l' intenzione della natura particolare. Tutti gli animali, e tutte le Creature fanno sforzi straordinarj per evitare la loro distruzione.* „ Elleno ci additano, *dice S. Agostino*, da tutti i movimenti, che loro sono possibili, che vogliono „ essere, e fuggono la loro ruina. " S. Augustinus lib. 11. de Civit. Dei cap. 17. *L' uomo in cui la ragione aumenta*

menta la forza dell' inclinazione, desidera con maggior ardore il sommo bene. Il desiderio, ch' è un ritorno al suo principio, è così profondamente impresso nella natura, che non può strapparsi, nè estinguersi. Egli è il primo de' nostri desiderj, ed il fondamento delle azioni tutte della vita. La volontà, dice S. Tommaso, è necessariamente unita al suo ultimo fine, che è la beatitudine. Part. 1. quæst. 82. art. 2. *Imperciocchè l' ultimo fine tiene l' ultimo posto nelle azioni della volontà, che tengono i principj nelle speculazioni dell' intelletto . . . . . Passando dunque da' movimenti del corpo a quelli dello spirito, la rettitudine d' un discorso nella ricerca della verità proviene, perchè egli è conforme ad un primo principio, di cui l' intelletto non può dubitare. E quando la volontà si porta all' elezione di diversi mezzi, il suo movimento libero e determinato procede dall' amore d' un ultimo fine, che lo regola, e lo dirige . . . . . . Ora tutti i lumi della ragione e della fede ci convincono evidentemente, che la nostra beatitudine non si trova che in Dio. Perciò S. Tommaso non fa differenza fra il desiderare il suo fine, e desiderare Iddio.* 3. contra Gentes cap. 17. *Iddio è il bene d' ogni bene:* „ Deus est „ bonum omnis boni: " 1. contra Gentes cap. 41. Et post multa ad rem nostram scribit: *Dopo ciò, come può essere, che un' anima, che si suppone non solamente in istato di grazia, ma essere ancora giunta allo stato del puro amore, possa mai acconsentire alla separazione di Dio? e, ciò che non può considerarsi senza orrore, alla sua eterna dannazione? Bisognerebbe, ch' ella avesse rinunziato a tutti i sentimenti della grazia e dell' amore, ed avesse altresì affogati tutti i movimenti della natura. E' una cosa inseparabile dall' amore, il desiderare il possesso dell' oggetto che si ama; è necessario, che l' amore cessi d' essere ciò ch' egli è, se rinunzia a questo amore; è impossibile alla natura non fuggire il male, e non desiderare il bene in qualunque stato ch' ella possa mai essere. I peccatori eziandio, quando si allontanano da Dio, cercano un bene particolare, il quale da se stesso tende a Dio come principio, ed ultimo fine: e perciò fanno violenza alla natura, e sono ingiuriosi a tutte le creature.* " Creatura enim tibi factori deserviens, exardescit in tormentum adversus injustos. " Sap. 16. vers. 24. *Onde un giorno tutte le creature si solleveranno contro i peccatori, per vendicare Dio della loro ingratitudine.* Et post pauca: *Non v' ha dunque stato nella vita, in cui possa giammai un' anima acconsentire alla sua dannazione eterna, e fare un sagrifizio assoluto della sua eterna salute. Noi sappiamo bene, che dobbiamo volere ciò che Dio vuole; ma sappiamo, che Gesù Cristo ci comanda, che dimandiamo al suo Padre, che* „ si faccia „ la sua volontà sulla terra, come si fa in cielo. " Matth. 6. vers. 10. *Non ci ha mai insegnato a dimandare, ch' ella si faccia in noi, come si fa nell' Inferno. Mal grado tutta la rabbia de' Demonj, Iddio gli sottometterà al suo potere: e poichè hanno ricusato di sottomettersi alla volontà di un Creatore, e d' un Padre pieno di amore, gli sottometterà alla volontà di un Giudice, il quale punirà insieme la loro ingratitudine, e la indifferenza, in cui sono stati per la loro eterna salute. Ma non ci domanda già Iddio in questa maniera, che noi adempiamo la sua volontà.* Ex quibus erudite digestis a doctissimo P. Massoulie evidenter colliges, fieri haud posse sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem: quia nimirum utrique juri, & naturali, & divino repugnat; ut abunde hactenus probatum extat.

Pro coronide impugnationis hujus Propositionis afferri potest Articulus Issiacensis XIV. præter I. & V. supra relatos, ubi ita declaratur: *Desiderium salutis æternæ, ac perfectæ redemptionis, quod notatur in Sanctis, ut in Paulo, & in cæteris, non est desiderium, aut appetitus indeliberatus tantum; sed, ut ait Paulus, est bona voluntas, quam libere formare, & operari debemus in nobis, cum auxilio gratiæ, ut eam voluntatem, quæ sit maxime conformis voluntati divinæ. Hæc Propositio clare est revelata a Deo; & contraria, est hæretica.* Ex quo clare consequitur, hujusmodi sacrificium directe pugnare cum desiderio æternæ salutis, quod nos elicere tenemur, ut simus divinæ voluntati conformes. Qua ergo fronte tuebitur quispiam, fieri posse sacrificium absolutum proprii interesse quoad æternitatem? Non video.

§. X I.

XI. *In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse; sed numquam amittit in parte superiori, id est, in suis actibus directis & intimis, spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.*

OMnem adhibet conatum Cameracensis, ut supra memoratum Librum legentibus suadeat, se numquam ab animabus in extremis probationibus constitutis absolute spem perfectam ablegare. Sed observes velim, quam callide se gerat in describendo, quomodo amittatur, & quomodo adhuc remaneat, & in quo ejus perfectio sita sit. Omnem in hac Propositione spei fieri jacturam enunciat sui proprii interesse, atque inter partem superiorem & inferiorem divisionem supponens, numquam spem perfectam in prima arbitratur amitti, id est, in suis actibus directis & intimis, licet in actibus reflexis plena desperatio versetur. Perfectæ vero spei naturam in desiderio disinteressato promissionum constituit. Perperam tamen: quia spem quantum ad nomen admittit; cum revera in eo statu extremarum probationum reipsa neget. Enimvero ita se gerit, ut olim Pelagius, qui in Concilio Diospolitano gratiæ subscribere visus est; sed gratiæ vocabulo legem, aut arbitrii possibilitatem intellexit. Rursus ex hac Propositione colligere fas est, in via Auctoris actus reflexos non ad partem superiorem, sed ad inferiorem pertinere; adeoque libertate non gaudere: & actus reflexos non esse intimos, sed tantum apparentes. Ex quibus vitia omnia cum virtutibus oppositis possent conciliari, ut docent Quietistæ. Unde Episcopus Meldensis in suo Opere inscripto *Quietis. rediviv.* lect. 6. Propos. 66. inquit: *Ex his geminus error apparet. Primus, quod actus reflexi non sint superioris partis, sed infimæ: adeoque non sint liberi, nec vere peccata: quo turpissimi quique, ac flagitiosissimi actus excusantur. Alter, quod actus reflexi non sint intimi, sed tantum apparentes: contra quod constat actus reflexos, quo magis ex vera deliberatissima atque oculatissima cognitione procedunt, eo esse interiores; & si mali sint, pejores, dicente Apostolo:* „ Voluntarie „ peccantibus nobis, jam non relinquitur pro peccatis „ hostia: " *& Christo Domino:* „ Nunc vero dicitis: „ Quia videmus. Peccatum vestrum manet. " *Et alibi:* „ Scienti igitur bonum facere, & non facienti, pecca„ tum est illi. " *Hæc autem adeo sunt perspicua, ut Cameracensis in Instructione Pastorali pag. 18. hunc errorem rejecerit, clarisque verbis negaverit, partem inferiorem capacem esse reflexionis. Ubi gravissime dolendum est, quod pessimum, crassissimum, exitiosissimum errorem, a se licet agnitum, clarissimis verbis aperte ejurare refugiat.* Hactenus doctissimus Antistes Meldensis.

Propositio, ut jacet, est *erronea, in hæresim inducens, & Molinosii dogma renovans.*

Impugnatur prima pars, in qua adstruitur, quod in hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse; ex eo quod scribit Apost. I. ad Cor. 13. v. 13. in hæc verba: *Nunc autem manent fides, spes, caritas: tria hæc:* Ubi notandum Tò *nunc;* ad quod Tirinus ait: *Manent in præsenti vita fides, spes, caritas. Manent autem in quolibet vitæ præsentis statu; manent secundum immediata motiva, secundum proprios actus, secundum propria & distincta exercitia, quibus illæ virtutes subsistant.* Quare sic arguo contra Propositionem, ex Apostolo. Nullus est vitæ præsentis status, in quo non maneant fides, spes, & caritas. Atqui juxta sensum Propositionis datur aliquis status, in quo non manet amplius spes. Ergo amandandus est ejusmodi status, in quo deperdatur omnis spes proprii interesse.

Confirmatur I. Omnis status, a beatitudine æterna independens, est ablegandus: quia spem formaliter excludit; cum spes sit ipsum beatitudinis desiderium, & amor, ad quam tenemur juxta illud ad Hebr. 11. vers. 6. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Atqui ex Propositione datur status a beatitudine æterna independens; quia sine spe. Ergo hujusmodi status sine nota erroris sustineri nequit.

Confirmatur II. quia sacrificium, nobis præceptum a Deo, est sacrificium justitiæ sperantis in Domino, juxta illud Psal. 4. *Sacrificate sacrificium justitiæ; & sperate in Domino:* hoc est, sperando in Domino. Ergo non potest dari sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem; nec potest dari status in hac vita sine spe theologica.

Confirmatur III. quia Deus omnibus justis præparavit beatitudinem. Unde Matth 25. *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est a constitutione Mundi.* Jamvero si animæ justæ invitantur a Deo ad regnum æternum, quod ipsis præparatum est ab origine mundi; consequenter debent sperare hujusmodi regnum sibi a Deo præparatum. Quomodo igitur dari poterit status in hac vita, in quo anima omnem amittat spem proprii interesse quoad æternitatem?

Consone ad hæc egregie scripsit Contensonius in sua Theologia mentis & cordis, in persona cujuslibet animæ devotæ & internæ, de præcepto spei lib. 7. dissert. 3. cap. 1. Reflex. unica; ubi ita loquentem animam inducit. „ In verbis tuis supersperavi. " *Psalm.* 118. *Non solum speras, sed supersperas, Propheta, Sancte. Supra quid, sodes, speras? Supra id omne, inquit, quod dici potest; supra id, quod ab homine cogitari; supra id, quod dixerant Scripturæ; supra id, quod prædixerant umquam Prophetæ; supra id, quod Sancti umquam annuntiarunt nobis. Supersperavi in misericordia, quæ*

cum

cum infinita sit, spem omnem longe excedit. Supersperavi in verbis tuis, super cælum & terram duraturis, quam promiserunt. Supersperavi in promissis tuis, merita excedentibus & vota: quia licet magna sint, quæ promisit, majus tamen est, quod futurum est. „ Extendat anima cupiditatem suam (*inquit Augustinus Tract. 34. in Jo.*) „ & sinu capaciore quærat comprehendere, quod oculus „ non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascen„ dit. Desiderari potest, concupisci potest, suspirari pot„ est: digne cogitari, & verbis explicari non potest. “ *Quia proculdubio plus futurum est, quam dici potest. Supersperavi plane: quia etiamsi me occideris, in te sperabo. Etiamsi infligendam mihi propter peccata mea sempiternam pœnam sciam: quia tametsi malus sim; non desinis esse bonus, nec me deseris, nisi prius a me deseraris? Ergone non sperabo in te, qui perseveranter volo vivere contra te? Ergo malitia mea mihi nota, & revelata dimetiar clementiam tuam? Absit: injustum est.* Ex quibus abunde constat, non posse dari statum animæ devotæ, & contemplativæ in hac vita, ubi anima deperdat omnem spem sui proprii interesse quoad æternitatem; quemadmodum contendit Cameracensis.

Impugnatur secunda pars Propositionis, scilicet, quod in tali statu, ubi anima amittit omnem spem sui proprii interesse, numquam amittat in parte superiori, id est, in suis actibus directis; auctoritate S. Thomæ, deprompta ex Part. 1. quæst. 85. art. 4. in corp. ubi ad institutum nostrum ita scripsit: *Impossibile est, idem subjectum perfici simul pluribus formis unius generis, & diversarum specierum: sicuti impossibile est, quod idem corpus secundum idem simul coloretur diversis coloribus, vel figuretur diversis figuris. Omnis autem species intelligibiles sunt unius generis; quia sunt perfectiones unius intellectivæ potentiæ: licet res, quarum sunt species, sint diversorum generum. Impossibile est ergo, quod idem intellectus simul perficiatur diversis speciebus intelligibilibus ad intelligendum diversa in actu.* Consequenter videtur impossibile, quod anima in suis actibus intellectualibus feratur simul in spem, & desperationem: in hanc per actus reflexos; in illam vero per actus directos, ut adstruitur in dicta Propositione.

Confirmatur, quia tum actus directi, tum actus reflexi sunt ejusdem intellectus. Ergo impossibile est, quod actu ferantur ad intelligendum contraria, & sibi opposita; ut sunt spes, ac desperatio.

Impugnatur demum tertia pars, in qua dicitur, spem perfectam esse desiderium disinteressatum promissionum: destruit, enim conceptum proprium, & quidditativum spei theologicæ. *Spes* (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 17. art. 2. in corp.) *attingit Deum innitens ejus auxilio ad consequendum bonum speratum. Oportet autem, effectum esse causæ proportionatum: & ideo bonum, quod proprie & principaliter a Deo sperare debemus, est bonum infinitum, quod proportionatur virtuti Dei adjuvantis. Nam infinitæ virtutis est proprium ad infinitum bonum perducere. Hoc autem bonum est vita æterna, quæ in fruitione ipsius Dei consistit.* Et iterum S. Doctor ad Philippens. 1. vers. 22. & 24. ait: *Duplex est dilectio Dei. Concupiscentiæ scilicet, qua homo vult frui Deo, & delectari de ipso; & hoc est bonum hominis: & dilectio amicitiæ, qua homo præponit honorem Dei etiam huic delectationi, qua fruitur Deo; & hæc est perfecta caritas.* Ex quibus constat, spem esse non posse desiderium disinteressatum promissionum; cum essentialiter includat desiderium propriæ beatitudinis.

Confirmatur ex eo quod scripsit doctissimus P. Suarez de virtute spei disp. 1. sect. 3. ubi ita ait: *Præter amorem, quo amatur Deus ex caritate, est alius distinctus, quo amatur Deus ut summum bonum amantis; qui & honestus est, & supernaturalis. Hoc amore nos non referimus Deum nobis; quod est amare conjunctionem nostri cum Deo, tamquam ultimo fine nostro supernaturali: quamvis in hoc amemus nostrum commodum, id est, felicitatem, & ultimam perfectionem nostram.* Ex quibus recte arguitur, non posse sustineri, spem perfectam, esse desiderium disinteressatum promissionum.

Confirmatur auctoritate S. Francisci Salesii, qui part. 1. Tract. amoris Dei lib. 2. cap. 17. ita scripsit ad rem nostram: *L'amore, che noi pratichiamo nella speranza, Teotimo, va certamente a Dio; ma ritorna a noi: ha il suo risguardo nella divina bontà; ma lo sguardo alla nostra utilità. Tende a quella suprema perfezione; ma pretende la nostra soddisfazione: cioè non si porta in Dio, perchè Iddio sia sovranamente buono in se stesso; ma perchè è sovranamente buono verso noi medesimi: o come vedete, egli vi ha del nostro, o di noi stessi; e perciò quest' amore è veramente amore, ma amore di concupiscenza, e d'interesse . . . . . . Quest' amore, che chiamiamo speranza, è un amor di concupiscenza: ma di una santa e ben ordinata concupiscenza, colla quale noi tiriamo Dio a noi, nè a nostra utilità, ma ci congiungiamo a lui come a nostra felicità finale. Noi con quest' amore amiamo noi insieme con Dio; ma non ci preferiamo, o ci paragoniamo a lui in quest' amore: e l'amor di noi stessi è mescolato con quello di Dio; ma quello di Dio sopravanza: ci entra veramente il nostro proprio amore; ma come semplice motivo, e non come fine principale: il nostro interesse vi tiene qualche luogo; ma Dio vi tiene il seggio principale. Sì certo, Teotimo: perchè quando noi amiamo Iddio come nostro sovrano bene, noi l'amiamo per una qualità, colla quale non lo rapportiamo a noi, ma noi a lui. Noi non siamo il fine, la sua pretensione, nè la sua perfezione; ma egli è la nostra: egli non appartiene a noi; ma noi a lui: egli non dipende da noi; ma noi da lui: ed in somma colla qualità del bene sovrano, colla quale noi l'amiamo, egli non riceve alcuna cosa da noi; ma noi riceviamo da lui: egli verso di noi esercita la sua affluenza, o bontà; e noi pratichiamo la nostra indigenza, e difetto. Di modo che amare Iddio con titolo di sovrano bene, questo è amarlo con titolo onorevole e rispettoso; col quale noi confessiamo, egli essere la nostra perfezione, il nostro fine, nel cui godimento consiste la nostra felicità.* Quibus mirifice explicat ad institutum nostrum S. Franciscus Salesius, quid sit spes theologica: ubi expresse docet esse *amorem interessatum*, amorem concupiscentiæ, sed sanctæ & bene ordinatæ. Quare constat, defendi non posse quod asseritur in hacce Propositione Archiepiscopi Cameracensis: scilicet, *spem perfectam esse desiderium disinteressatum promissionum.*

§. XII.

XII. *Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse credit.*

DUO in hac Propositione animadvertenda sunt. Primum est simplex acquiescentia amissioni proprii interesse; nimirum vitæ æternæ. Ex quo enim anima, juxta Auctorem, est invincibiliter persuasa, quod juste sit a Deo reprobata; sequitur, ipsam suæ condemnationi acquiescere. Quinimmo addit Auctor, per hanc acquiescentiam tentationes sedari, pacemque illi animæ restitui: cum revera pax sit diabolica, ex consensu tentationi præstito; ut non immerito anima dicere possit: *Ecce in pace amaritudo mea amarissima.* Secundum, quod anima acquiescentiam illam, directore permittente, amplectitur, adeoque cum plena deliberatione. Quamobrem indifferentiæ, abnegationis, & tentationis Dei fructus præcipuus erit, animam in manu consilii sui derelinquere; cui unicum sit in desperatione remedium, nullum remedium adhibere.

Propositio, ut jacet, est *scandalosa, impia, & hæresi proxima.*

Impugnatio consistit in eo quod director maximam inferret perniciem animæ sibi commissæ, permittendo illi sistere in sua desperatione. *In sacra Scriptura* (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 22. art. 1.) *multipliciter inducuntur homines ad sperandum, etiam per modum admonitionis, vel præcepti; & non solum per modum promissionis, sicut in lege: sicut patet Psal. 61.* „ Sperate in eo omnes „ congregationes Populi: “ & ibid. ad 1. inquit: *Ad sperandum supernaturale bonum oportuit hominem induci auctoritate legis divinæ: partim quidem promissis; partim autem admonitionibus, & præceptis.* Consequenter director non potest permittere animæ tentatæ, & in extremis probationibus positæ, ut simpliciter acquiescat jacturæ proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse credit: immo si animæ hujusmodi facta fuisset revelatio de sua reprobatione; non posset, nec deberet illi acquiescere, ut vidimus supra in impugnatione IX. Propositionis ex S. Thoma de Verit. quæst. 23. art. 8. ad 2. Peccaret proinde graviter, si simpliciter acquiesceret justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse crederet: quia, ut ibidem prosequitur S. Thomas, *velle suam damnationem, non esset conformare suam voluntatem voluntati divinæ, sed voluntati peccati.*

Confirmatur I. quia acquiescere justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse anima crederet, foret actus desperationis: *Desperatio enim consistit in hoc* (inquit S. Thomas 2. 2. quæst. 20. art. 3. in corp.) *quod homo non sperat se bonitatem Dei participare.* Sed actus desperationis est gravissimum peccatum; immo maximum: ut prosequitur ibidem Angelicus. Ergo acquiescere justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse anima crederet, esset peccatum maximum: quia foret actus desperationis.

Confirmatur II. Tenemur ad actus spei eliciendos: unde scribit S. Augustinus Tract. 83. in Jo. super illud cap. 15. „ Hoc est præceptum meum, ut diligatis invi„ cem: “

„ eem : „ *De fide nobis quam multa mandata sunt, quam multa de spe?* Idem docet S. Thomas 2. 2. quæst. 22. art. 1. & colligitur ex illo ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator est.* Porro hujusmodi præceptum obligat præcipue, quando tentatione desperationis afficimur; ut communiter docent omnes Theologi. Atqui anima in extremis probationibus, tentatione præcipue desperationis urgetur. Ergo tunc tenebitur elicere actus spei theologicæ; alias graviter peccabit. Ergo anima in extremis probationibus non potest acquiescere jacturæ sui interesse quoad æternitatem, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse credit. Præterea in Sacra Scriptura plura offendimus exempla animarum, quæ in extremis probationibus positæ fuerunt: attamen tantum abest, quod in illis exhibeantur animæ acquiescentes jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse crederent; quin potius explicite in illis actus spei hujusmodi animas elicere demonstretur. Unum aut alterum exemplum referre satis erit. Primum sit illud Threnor. cap. 3. ubi sic legitur: *Ego vir videns paupertatem meam in virga indignationis ejus. Me minavit, & adduxit in tenebras, & non in lucem. Tantum in me vertit, & convertit manum suam tota die . . . Circumdedit me felle, & labore. In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos . . . Sed & cum clamavero, & rogavero, exclusit orationem meam . . . . Replevit me amaritudinibus, inebriavit me absynthio . . . Et repulsa est a pace anima mea, oblitus sum bonorum; & dixi: Periit finis meus, & spes mea a Domino . . . . Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.* Ubi anima, in extremis probationibus constituta, post enumeratas afflictiones, & desolationes suas, tentationesque desperationis, ac derelictionis a Deo, expressæ sub illis verbis, *Periit finis meus, & spes mea a Domino;* remedium unicum invenit in exercitio spei: unde ait: *Hæc recolens in corde meo, ideo sperabo.* Et in Psal. 54. legitur: *Contristatus sum in exercitatione mea, & conturbatus sum . . . Cor meum conturbatum est in me, & formido mortis cecidit super me. Timor, & tremor venerunt super me, & contexerunt me tenebræ; & dixi: Quis dabit mihi pennas sicut columbæ; & volabo, & requiescam . . . . Expectabam eum, qui salvum me fecit a pusillanimitate spiritus, & tempestate . . . . Ego autem sperabo in te, Domine.* En iterum anima in extremis probationibus, quæ non solum non acquiescit justæ suæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse credit; sed insuper sperat in Domino, qui *salvos facit sperantes in se.* Psal. 16. Ergo anima sine gravi peccato non potest simpliciter acquiescere justæ suæ condemnationi, quam a Deo sibi indictam esse crederet: immo in tali casu teneretur sperare, & fervidos actus spei elicere; & director sine gravi crimine non posset permittere huic animæ, ut acquiescat jacturæ suæ æternæ salutis, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse crederet.

Confirmatur III. ex eo quod scribit doctissimus Contensonius in sua Theologia mentis & cordis lib. 7. diss. 3. cap. 1. speculat. 3. ubi hæc habet ad institutum nostrum: *Supponit secundo speculatio, non repugnare revelationem, qua Deus alicui reprobo manifestet futuram ipsius ob admissa peccata damnationem. Quamvis de potentia ordinaria hæc revelatio non sit possibilis, & repugnet solito, ac communi suavis Dei gubernationis modo. Unde si alicui fieret hæc revelatio: vel reprobanda esset tamquam falsa, & exitiosa tentatio Angeli tenebrarum; vel non absolute, sed comminatorie intelligenda esset.*

Ex quo sic arguo. Si revelatio facta a Deo animæ de sua reprobatione est rejicienda tamquam falsa, & exitiosa, ceu tentatio Angeli tenebrarum; & non absolute, sed comminatorie intelligenda est: quanto magis non debebit director permittere animæ tentatæ, & in extremis probationibus positæ, ut acquiescat suæ justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse sine ulla revelatione crederet?

Rursus laudatus Doctor ibidem prosequitur, dicens: *Si Deus alicui reprobo damnationem ejus ex proprio peccato secuturam revelaret: ille & sperare suam beatitudinem ex præcepto teneretur; & de illa desperando peccaret:* quod invictissimis argumentis probat. Ergo si anima, etiam supposita divina revelatione de sua reprobatione, teneretur sperare suam beatitudinem, de illaque desperando peccaret: quanto magis anima tentata, sine ulla revelatione, & in extremis probationibus posita, non poterit acquiescere justæ suæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam esse crederet; de illaque desperando peccaret? Consequenter in celeberrimis Articulis Issiacensibus, quibus Auctor Propositionum subscripserat, Articulo XXXI. ita definitur: *Quod attinet ad animas in probationibus a Deo constitutas, S. Job, qui earum exemplar est, eas docet, ut utantur remediis per intervalla micantibus, ad producendos actus præstantissimos fidei, spei, & caritatis. Monent quoque spirituales viri, ut eosdem actus reperiant in apice mentis, ac suprema animæ parte. Quare nec permittendum illis animabus, ut suæ desperationi, ac damnationi apparenti acquiescant; sed e contra asserendum, non futurum ut a Deo deserantur.*

His consonant quæ scripsit eruditus P. Massoulie in Tract. Amoris Dei contra Quietistas part. 2. cap. 8. ubi sic habet: *Quando anche, per una supposizione ch' è impossibile secondo le leggi ordinarie della Provvidenza, alcuno avesse avuta rivelazione, ch' egli è riprovato, e ch' è destinato alle fiamme eterne; dovrebbe credere, dice S. Tommaso, che non è che una semplice minaccia, e non una predizione assoluta.* „ Per modum comminationis. “ D. Thomas quæst. 23. de Verit. art. 8. ad 2. In 1. distinct. 48. art. 4. ad 1. *Ciò altresì supposto, non gli sarebbe mai permesso di acconsentire alla sua dannazione: perchè Iddio non vuole mai dannare alcuno, che per il suo peccato, o per la sua ostinazione nel peccato, o per la sua impenitenza finale. Di maniera che, prosiegue S. Tommaso, se alcuno acconsentisse assolutamente alla sua dannazione, non conformerebbe la sua volontà alla volontà di Dio, ma alla volontà del peccato.* „ Unde velle suam „ damnationem absolute, non esset conformare suam „ voluntatem voluntati divinæ, sed voluntati peccati. “ D. Thomas ibidem quæst. 23. de Verit. *Potrà ben parere ad un' anima di esser giunta al colmo dell' iniquità; che la misericordia divina l' abbia abbandonata; ch' ella sia destinata alle fiamme eterne: ma allora eziandio non l' è permesso di acconsentire alla sua riprovazione, ed aderire a questa impressione del Demonio. Un' anima deve sempre volere la sua salute: perchè ella è obbligata ad amarsi con un principio di carità; ed a volere il sommo bene.* „ Tenetur suam salutem velle: quia tenetur se ex ca„ ritate diligere; & summum bonum optare. “ In 3. dist. 48. art. 4. *La risoluzione ch' ella può prendere in questo travaglio, ed in mezzo ancora della sua tentazione, deve essere di detestare il peccato, di umiliarsi dinanzi a Dio, di palesare la sua indegnità, di confessare, che se Dio la volesse trattare secondo il rigore della sua giustizia, ella non dovrebbe sperar niente. Ma dee soggiungere, che girando gli occhi sulla sua misericordia infinita, non può far di meno di sperare in lui, contro ogni speranza, come dice la Scrittura.* „ In spem contra spem. “ Ad Rom. 4. vers. 18. *E dirà sempre con Giob, che quando anche ella cominciasse a sentire l' ardore di quelle fiamme divoratrici; ella spererebbe sempre in esso lui* („ Etiamsi „ occiderit me, in ipso sperabo. “ Job 13. vers. 15.) *e da quel profondo abisso, in cui sono sommersi il suo spirito ed il suo cuore, griderebbe verso di lui con Davide: Dal profondo abisso, in cui sono, o Signore, io grido verso di voi.* „ De profundis clamavi ad te, Domine. “ Psal. 129. *Tutto questo Salmo può appropriarsi ad una simile tentazione. Si tratta qui di un' anima, dice S. Agostino, che sentendosi oppressa dalla grandezza, e dalla moltitudine delle sue iniquità, parla a Dio in questa maniera lamentevole.* „ Clamat sub molibus, & fluctibus „ iniquitatum suarum, nihil illi justitiæ serenum potuit „ occurrere. “ D. Augustinus. *Ella riguarda se medesima fremendo; pesa tutte le parti della sua vita; si vede da tutte le parti ricoperta di delitti; non ritrova niente di buono in se, nè in tutte le sue opere passate; non gode un momento di serenità; e nulla le si presenta agli occhi, che possa assicurarla. Tuttavia quest' anima in uno stato sì compassionevole non perde mai la speranza, e rivolgendo i suoi lamenti a Dio, gli dice: Signore, se voi esaminate le nostre iniquità, Signore, chi potrà sussistere alla vostra presenza? Lasciatevi piegare, o mio Dio, dalla vostra clemenza: questa è tutta la ragione della mia speranza. A cagione della vostra legge, o Signore, vi ho aspettato fin qui: imperciocchè la vostra legge non ispira, che confidanza ed amore; e voi mi comandate, ch' io speri in voi fino all' ultimo sospiro. Potete ben tormentarmi, o turbazioni, tenebre, e tentazioni. La mia anima aspetta il Signore, appoggiata su la forza della sua parola; la mia anima spera nel Signore, senza confidarsi nelle sue opere, o ne' suoi meriti. Imperciocchè il Signore è pieno di misericordia; ed ha grazie abbondanti per riscattarci, e liberarci da tutti i nostri mali.*

In somma dobbiamo stabilire la nostra fiducia ne' meriti infiniti di Gesù Cristo, e dire ciò che diceva S. Bernardo, quando pareva che il Demonio lo accusasse dinanzi al Tribunale di Dio. Io so, che non merito quella eterna felicità; ma so, ch' è dovuta al mio Salvatore per due titoli: per quello della sua eterna filiazione; e per quello della sua passione. Il primo di questi titoli gli basta; egli mi ha dato il secondo. Per questo titolo solo io domando con tutta umiltà, e con una perfetta fiducia la gloria celeste: perchè Gesù Cristo l' ha meritata per me. „ Cæterum du„ plici jure illud obtinet Dominus meus: hereditate „ scilicet Patris; & merito passionis. Altero ipse con-

„ tentus, alterum mihi donat. “ In vita Divi Bernardi lib. 1. cap. 12. His addendum est, quod habetur in Operibus devoti Tauleri, inter parvos Tractatus ejusdem, sub fine Operum, ubi refertur colloquium Theologi cum mendico valde spirituali in hæc verba. *Quid, obsecro, dicturus esses* (ait Taulerus mendico) *si te Deus majestatis in abyssum demergere vellet? Respondit mendicus: Si ille me in abyssum demergeret; & revera si id faceret; duo mihi brachia sunt, quibus eum amplexarer: alterum humilitas; alterum amor; & ita complecterer, ut mecum ad Infernum descendere cogeretur. Optabilius autem multo mihi foret in Inferno cum Deo esse, quam vel in cælis sine illo.* Quomodo autem hæc consonant sensui Cameracensis, dum adstruit, quod director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit? Nemo non videt, quantum hæc a vero Catholico dogmate resiliant.

Nec valet si dixerit cum Archiepiscopo Cameracensi, *tunc animam acquiescere justæ condemnationi suæ ex parte Dei; cum fateatur se dignam æternis suppliciis*. Hæc enim solutio textui non congruit: aliud est quippe fateri se reum, & iram judicis deprecari; aliud commodi æterni jacturæ, & justæ ex parte Dei condemnationi acquiescere. Nec Auctorem excusant verba, quæ sequuntur in textu, scilicet: *Numquam autem debet director aut ei suadere, aut ei permittere, ut libera & voluntaria persuasione positive credat, se reprobari; nec jam gratuito desiderio optanda esse promissa*. Nam non permittit director, ut anima se esse reprobam libera & voluntaria persuasione credat; sed permittit, ut ex persuasione invincibili, involuntaria, & reflexa damnationi suæ simpliciter, libere, & voluntarie acquiescat: in quo error deprehenditur. Persuasio est quidem involuntaria; sed sacrificium est liberum, & voluntarium: sicut tentatio est involuntaria; sed consensus tentationi præstitus est liber, & voluntarius. Est autem sacrificium liberum; cum supponatur esse meritorium, & ad pacandas tentationes destinatum. Porro anima, licet desperata, gratuito desiderio promissa optare, juxta sensum Aucturis, non desinit: quia tamen optat, *ut* voluntas Dei fiat, & adimpleatur, sive salvet, sive damnet; libere & voluntarie suæ damnationi acquiesceret.

§. XIII.

XIII. *Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suae involuntarias perturbationes.*

HÆc Propositio asserit implicite, perturbationes involuntarias fuisse in parte inferiori animæ Christi. Quæ doctrina merito rejicitur tamquam eidem Christo injuriosa; cum proscripta fuerit in Sexta Synodo Generali Act. XI. Sophronii Epistolam contra Monothelitarum hæresim approbante, necnon Sacræ Scripturæ Sanctorumque Patrum consentientibus testimoniis profligata. Et quamvis Cameracensis superficie tenus videatur inficiari ejusmodi doctrinam; revera tamen ab ea alienus non est: quin potius in hoc Opere, ea quo præsens fuit excerpta Propositio, eam amplectitur. Idem evincitur quoque ineluctabiliter ex ejusdem principiis; & insuper quarta ejus Epistola Apologetica hujus Propositionis fautorem prodit ipsum Cameracensem.

Propositio, ut jacet, est *ad minus erronea, sapiens hæresim, & Christo injuriosa*.

Ostenditur falsitas hujus Propositionis ex verbis Christi Domini Jo. 10. vers. 18. *Nemo tollit animam meam a me*. Etenim si Christus sponte moritur; inconcussam mortis formidine perturbationem sponte suscepit. De Christo pronunciat S. Augustinus lib. 14. de Civit. Dei cap. 9. *Dominus*, inquit, *hos motus certa dispensationis gratia, ita cum voluit suscepit animo humano, ut cum voluit factus est homo*. Præterea Tract. 60. in Joannem: *Quando turbatur*, ait, *qui non turbaretur nisi volens, eum consolatur qui turbatur & nolens . . . . Non est ullo modo dubitandum, non eum animi infirmitate, sed potestate turbatum; ne nobis desperatio salutis oriatur, quando non potestate, sed infirmitate turbamur*. Rursus Tract. 52. in eumdem Joannem: *O Domine Mediator, Deus supra nos, homo propter nos, agnosco misericordiam tuam: nam quod tu sanctus tua caritatis voluntate turbaris, multos in corpore tuo, qui sine infirmitatis necessitate turbantur, ne desperando pereant, consolaris*. Demum perpetua hæc phrasis esse deprehenditur S. Augustini, cum de Christi dicendi perturbationibus: scilicet: *Non infirmitate, sed potestate turbatur*: in diem innumeris pene Theologis conspirantibus, dum explicant illud Jo. 11. vers. 33. *Turbavit seipsum*. Enimvero in Christo Domino secundum partem inferiorem nullus motus, nulla passio, nisi ipsomet volente, excitabatur.

Impugnatur II. auctoritate S. Thomæ Part. 3. quæst. 15. art. 4. ubi sic scribit: *Propriissime dicuntur passiones animæ, affectiones appetitus sensitivi, quæ in Christo fuerunt, sicut & cætera quæ ad naturam hominis pertinent. Unde Augustinus dicit lib. 14. de Civitate Dei: Ipse Dominus in forma servi vitam agere dignatus, humanitus adhibuit eas, ubi adhibendas esse judicavit. Neque enim, in quo verum erat hominis corpus, & verus hominis animus, falsus erat humanus affectus. Sciendum tamen est, quod hujusmodi passiones aliter fuerunt in Christo, quam in nobis, quantum ad principium: quia hujusmodi passiones frequenter in nobis præveniunt judicium rationis; sed in Christo omnes motus sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis. Unde Augustinus dicit ibidem, quod hos motus certissimæ dispensationis gratia, ita cum voluit Christus suscepit animo humano, sicut cum voluit factus est homo*. Et ibid. ad 2. ait: *Stoici non vocabant passiones quoscumque motus sensitivos, sed solum inordinatos. Tales autem passiones manifestum est in Christo non fuisse*. Ergo in Christo non fuerunt motus *involuntarii*: ac proinde dici non potest, quod inferior pars Christi in Cruce communicaverit superiori suas *involuntarias* perturbationes; cum hujusmodi *involuntarias* passiones, seu perturbationes in Christo nunquam fuisse, certum sit.

Confirmatur ex eo quod Ven. Bellarminus Tom. I. Controversiar. controv. 2. lib. 4. de Christi anima cap. 8. §. *Ad argumentum autem Calvini*, erudite scripsit ad institutum nostrum in hæc verba: *Christus timuit, quia voluit: cæteri si non timent, vel est, quia Deus infundit consolationem majorem, quam sit ea pœna; vel quia Diabolus obstupefacit sensum aliquorum sibi addictorum; vel quia avertunt animam a cogitatione pœnarum, & alibi eam defigunt, quamvis rarissimi isti sint. At Christus, ut copiosa esset redemptio, voluit etiam pœnam mœroris, & timoris subire. Et ideo nec obstupefecit sensum suum; nec permisit, ut redundaret ex parte superiore gaudium in partem inferiorem; nec avertit cogitationem a morte imminente, sed potius de industria defixit mentem in omnia tormenta impendentia: quod sine dubio summæ fuit fortitudinis, & caritatis. Nam; ut ait Evangelista Matth. 26.* „ Assumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit „ contristari, & mœstus esse. “ *Quare tunc cœpit, nisi quia tunc voluit? Nam etiam ante sciebat se moriturum, cum hoc prædiceret discipulis, & Sacramentum institueret in memoriam passionis suæ; & tamen non solum non metuebat, sed etiam consolabatur metuentes discipulos, ut patet Jo. 14. & 15. Unde etiam finita oratione, quia non amplius voluit timere, non amplius timuit, sed alacriter occurrit se quærentibus ad mortem, & in toto decursu passionis suæ nullum signum timoris dedit. In quem locum scribens Augustinus Tract. 49. in Jo. inquit:* „ Attendite potestatem. Turbatus est Christus, quia voluit. „ Ubi summa potestas est, secundum voluntatis nutum tractatur infirmitas: hoc est, turbavit seipsum. *Vide totum Sermonem, ubi de hac re multa præclare dixit*.

In quorum sequelam eruditus Tirinus in cap. 26. Matth. vers. 38. ita scribit ad illa verba: „ Tristis est „ anima mea usque ad mortem. “ *Erat autem hæc tristitia*, inquit, *non in solo appetitu sensitivo, sed etiam in rationali, seu in voluntate, quatenus agit, ut ratione prædita; ut patet ex sequentibus:* „ Non mea voluntas, „ sed tua fiat. “ *Semper tamen recta rationi conformis fuit, & libere atque ultro a Christo assumpta; ut intelligitur ex verbo*, Cœpit: *scilicet præcise quando, quomodo, & quantum voluit. Neque enim ut in nobis, ita & in Christo passiones animi vel invito obrepere, vel rationem prævertere, aut turbare, vel in illicita objecta ferri poterant; cum ipse esset sapientia, & sanctitate infinita præditus: sed ultro admittebat subinde, & maxime in præsentia, passiones ejusmodi. Primo, ut sic verum ac passibilem hominem se declararet, cui nihil connaturalius, quam cruciatus & mortem exhorrescere. Secundo, ut omnibus suis partibus pro nobis pateretur, ac satisfaceret: & cum peccatum sumat exordium suum ab illicita animi oblectatione; ipse passionem suam ab indebita tristitia exordiri voluit. Petes, quomodo ex viva apprehensione instantis passionis, & mortis, etsi crudelissimæ, atque ignominiosissimæ, potuit contristari anima Christi, quæ erat in summo, & continuo gaudio, utpote videns Deum.*

Respondeo, quia diversum erat objectum tam materiale, quam formale summi ejus gaudii, & summæ tristitiæ. Et Deus præter naturam, seu citra ordinarium agendi modum, suspendebat activitatem summi gaudii beatifici, quominus omnem tristitiam, ac dolorem, quæ alioquin necessario & connaturaliter respectu omnium objectorum excludit, in Christo, quem, & quia pati volebat, excludereest.

Addendum, quod Cameracensis hanc Propositionem, quam impugnamus, a manu extranea suo libro insertam

primum

primum asseruerat, aamque tamquam blasphemam, & impiam rejecerat. In posterioribus tamen scriptis eam amollire, explicare, & tutari conatur: nempe nullibi arrasse vult; quidquid semel protulit, innoxium fuissa contendit. Scopus autem libri est, ut illæ perturbationes involuntariæ Christo tribuantur. Affertur anim Christus tamquam perfectum nostrum exemplar; & postmodum ita concluditur: *Actus partis inferioris in hac separatione ex caca & involuntaria perturbatione manant.* Judicandum relinquitur erudito Lectori, num Auctor repellat supradictam Propositionam; an magis confirmet, atque tutetur hujusmodi axplicationa, & additione.

Corroborant hæc omnia, quæ scripsit percalebris Tournely Doctor Sorbonicus in Tract. de Incarnat. quæst. 10. art. 6. §. 3. in hæc verba. *Humana affectiones nobis ut plurimum dominantur, indeliberata sunt, eationis usum antevertunt, ac sapissime perturbant, & a sede sua dejiciunt: inde impatientis, vel dejecti, & desperantis animi commotiones fiunt. In Christo vero ordinata erant, deliberata, placida, quas ad nutum ille eegebat, ac moderabatur. Illis autem defectibus triplici situlo Christus caruit: sanctitatis, & innocentia; beatitudinis, qua fruebatue; & unionis hypostatica cum Verbo divino. Nec te moveat, quod Jo. 12. vers. 27. fateatur Christus animam suam turbatam esse, & cap. 13. vers. 21. dicatur turbatus spiritu. Namque commotio illa, qua non eu desperatione animi (horresco eeferens) sed ex timore dumtaxat mortis oriebatur, indeliberata non erat, nec involuntaria; quam in seipso volens ac lubens Christus excitavit. Jo. 11. vers. 33.* „ Turbavit seipsum: “ *nempe ut se hominem verum demonstraret, ac nobis solatio, & exemplo foret in doloribus, ac infirmitatibus hujus vita constanti animo perferendis.* „ Qui enim (*ait S. Augustinus in* „ *Psal. 49. num. 5.*) suscepit similitudinem peccati, „ cur non susciperet similitudinem vocis peccati? “

§. XIV.

XIV. *In extremis probationibus, pro purificatione amoris, fit quadam separatio partis superioris ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino caca & involuntaria perturbatione: nam totum, quod est voluntarium & intellectuale, est partis superioris.*

Periculosa in hac Propositiona expouitur doctrina, atque illusionibus potissimum subjecta: In sæpe memoratis enim extremis probarionibus, ad purificandum amorem, separationem constituit inter partam superiorem & inferiorem: attribuitque parti superiori totum, quod ast voluntarium, adeoque actus directos, & virtuosos; parti vero inferiori actus reflexos, ex cæca & involuntaria perturbatione prodeuntes, qui aliquando non trahant, nec trahere possint actus partis superioris ad consensum, adeoqua inculpabiles sint: quod profecto experientiæ adversatur. In quo sane ajusmodi doctrina, animam a seipsa divisam, nec ullum amplius partis superioris cum inferiori commercium statuens, in iis qui ad viam internam amoris puri pervenerunt, viam aperit ad Molinosii dogmata, omniaque libidinum flagitia: quæ voluntaria nequaquam reputabuntur; quia, juxta illius principia, pars animæ superior in Deo quieta his non movetur, nec ullum cum inferiori parte commercium habet.

Propositio itaque, ut jacet, *sapit errorem Quietistarum, est periculosa, perniciosa in praxi, & erronea.*

Antequam vero impugnationi manum apponamus, advertendum est primo, non solum in extremis probationibus, sed etiam continuo partem superiorem animæ distingui a parte inferiori. Unde Apostolus ad Hebr. 4. vers. 12. scripsit: *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti: & pertingens usque ad divisionem anima, ac spiritus, compagum quoque, ac medullorum.* Ubi Cornelius a Lapide ita commentatur: *ANIMA ast inferior pars hominis, in qua resident cupiditates, & affectus partim natura, partim concupiscentia, quibus homines Animales vocantur. SPIRITUS vero est superior pars hominis, fide & gratia Dei illustrata, a qua homines Spirituales dicuntur.* Et Auctoe de spiritu & anima, inter Opera Augustini, & Richardus a S. Victora, da axterminatione mali, dicunt in creaturis nihil hac divisione mirabilius cerni: quoniam id quod ast essentialiter unum, & individuum a seipso, quadam partitione dividatur. Nequa enim in homine ulla alia essentia sui spiritus, alia animæ suæ: sed una eademque substantia simplicis naturæ; sed una superior per spiritum, alia interior per animam designatur. Idque forte intendabat etiam Christus, cum dixit Luc. 14. vers. 26. *Si quis venit ad me, & odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & featres, & sorores; adhuc autem & animam suam: non potest meus essa discipulus.* Nisi enim quisque a semetipso deficiat; ad eum, qui supra ipsum est, non appropinquat: nec valat apprehendere quod supra ipsum est, qui nescit mactare quod ast; inquit Gregorius apud S. Bonaventuram in Pharetra l. 4.

Advertendum ast secundo, partem inferiorem continuo pugnare cum parte superiori. Unde scribit Apostolus ad Galat. 5. vers. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum; spiritus autem adversus carnem: hac enim sibi invicem adversantur.*

Advertendum ast tertio, quod motus partis inferioris sunt motus involuntarii: præveniunt enim imperium rationis. Unde idem Apostolus ad Rom. 7. vers. 22. scribit. *Condelector legi Dei secundum interiorem hominem: video autem aliam legem in membris meis, eepugnantem legi mentis mea.*

His præjactis observarionibus, impugnatur Propositio I. ax illo Danielis 13. vers. 56. *Concupiscentia subvertit cor tuum.* Igitur aliquando pars inferior trahit ad sa partem superiorem. Et ex illo Eccli. 18. vers. 30. *Post concupiscentias tuas ne eas.* Ergo aliquando actus partis inferioris sunt voluntarii. Præterea ex illo Apostoli ad Rom. 7. vers. 23. *Video aliam legem in membris meis, eepugnantem legi mentis mea, & captivantem me in lege peccati.* Proinde concupiscentia, & pars infarior aliquando non solum trahit, sed quasi cogit partem superiorem ad consansum.

Impugnatur II. ex eo quod scribit S. Thomas Part. 3. quæst. 15. art. 4. in corp. in hæc verba: *In nobis passiones, sive motus appetitus sensitivi quandoque non sistunt in appetitu sensitive, sed trahunt rationem.* Rursus ax eo quod ait idem S. Doctor 1. 2. quæst. 77. art. 1. in corp. *Judicium rationis plerumque sequitur passionem appetitus sensitivi; & per consequens motus voluntatis, qui natus est semper sequi judicium rationis.* Itaque immerito adstruitur, quod in extremis probationibus omues actus partis infarioris prodeant ax omnino cæca & involuntaria perturbatione, & totum, quod est voluntarium & intellectuala, sit partis superioris.

Verum hanc difficultatem, quam versamus, egregie pro more suo resolvit S. Thomas loc. cit art. 7. ita scribens: *Dicendum, quod secundum hoc solum actus aliquis, qui de genere suo est malus, totaliter a peccato excusatur, quod totaliter involuntarius redditur. Unde si sit talis passio, qua totaliter involuntarium eeddat actum sequentem, totaliter a peccato excusat; alioquin non totaliter . . . Scilicet si passio non est tanta, quod totaliter intercipiat usum rationis. Et tunc ratio potest passionem excludere, divertendo ad alias cogitationes, vel impedire, ne suum consequatur effectum: quia membea non applicantur operi, nisi per consensum eationis. Unde talis passio non totaliter excuset a peccato.* Ex quo colligitur, quod in extremis probationibus non samper actus partis infarioris prodeant ex omnino cæca & involuntaria perturbatione, ita ut involuntarium reddat actum sequentem; cum quandoque passio non sit tanta, quod totalirar intercipiat usum rationis: tuncque poterit ratio passionem axcludere, divertendo ad alias cogitationes; sive *reprimere illicitum passionis motum*, ut scribit idem Doctor Angalicus ibid. quæst. 74. art. 6. Ergo absolute falsum ast, quod Cameracensis in hac sua Propositiona contendit.

Confirmatur. Val actus partis inferioris, qui ax omnino cæca & involuntaria perturbatione manant, ut loquitur Cameracensis, possunt a parta superiori reprimi; vel non possunt. Si possunt: debent reprimi; alias erunt peccata, ut bene docet S. Thomas ibid. art. 6. Vel non possunt reprimi: & tunc *ratio potest excludere passionem, divertendo ad alias cogitationes; vel impedire, ne suum consequatur effectum: quia membra non applicantur operi, nisi per consensum rationis. Unde talis passio non totaliter excusat a peccato*: ut prosequitur S. Thomas ibid. art. 7. Quod & agnovit Archiepiscopus Cameracensis ibidem addens: *Directoribus summopere cavendum est, ne umquam in parte inferiori ullam deordinationem patiantur, qua in cursu naturali voluntaria semper censeri debet; ex qua proinde pars superior tenetue.* Cognovit proinde Cameracensis, posse aliquando partem superiorem deordinationes partis inferioris cohibere; quod si non fecerit, peccatum incurritur. Quomodo igitur adeo opposita congarit, ac docet?

Au autem possit anima, in axtremis probationibus constituta, mere passive se habere in hujusmodi motibus partis infarioris, nullum adhibendo conatum proprium, nullamque industriam axerendo: respondetur negativa. Enimvero vel anima potest hujusmodi motus cohibere; vel non potast. Si possit: certum est, quod tenatur cohibere, juxta ea quæ docet S. Thomas 1. 2. quæst. 74. art. 6. in corp. ubi ait: *Ratio deficit in directione passionum interiorum, quando non reprimit illicitum passionis motum:* & art. 8. ad 1. *Actus inferiorum virium, & etiam exteriorum membrorum possunt esse peccata mortalia, secundum quod deficit ordinatio superioris eationis, regulantis eos secundum rationes aternas.* Val non potest re-

primere : & in tali casu tenetur divertere cogitationem ad aliud; vel impedire, ne passio suum consequatur effectum : alias non excusabitur a peccato, prout docuit S. Thomas loco supra adducto. Nec potest mere passive se habere, ut asserit impius Molinosius Propositione XVII. dicens : *Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta cura & cogitatione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum; nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria. Et si natura commovetur, oportet sinere ut commoveatur : quia natura est*. Vide impugnationem dictæ Propositionis in Dissertat. antec. §. 18.

Nec potest Cameracensis impugnationem suæ Propositionis evitare dicens, *directores non debent tolerare in partibus inferioribus ullam ex iis deordinationibus, quæ debent in cursu naturali censeri involuntaria*. Nam primo illam adhibet restrictionem, *in cursu naturali*, ad designandum, in statu extraordinario, qui est casus extremarum probationum, eas censeri posse involuntarias; sicut superius tradidit, posse directorem involuntariam desperationis impressionem, in qua se anima judicet destitutam ex parte Dei, permittere, ita ut libere jacturæ proprii interesse consentiat. In exposito itaque extremarum probationum casu poterit director existimare involuntariam impressionem vel infidelitatis, vel luxuriæ : & ita animæ permittere, ut libere consentiat proprii interesse jacturæ pro fide, vel castitate. Vel si id fieri non potest : ostendatur disparitas, quare impressio desperationis involuntaria debeat censeri; non vero involuntaria æstimari queat infidelitatis, vel alterius vitii impressio. Præterea non dicit Auctor, iis deordinationibus non esse obsequendum ab animabus : sed dumtaxat, directores debere præcavere, ne has deordinationes involuntarias judicent; cum judicare necesse sit, semper de iis a parte superiori reddendam esse rationem: quia judicare non debent aliquid contra ordinarias naturæ leges fieri. Hoc autem dicere solum de directoribus, perinde est ac si diceret Auctor, quod anima, quæ hujusmodi separationem patitur, potest esse sibi conscia suæ rectitudinis: juxta ea quæ superius dixerat, quod anima suæ rectitudinis conscia, in actibus directis persistat; sed tamen quia director hujus rectitudinis conscius esse non potest, non debet illos motus tolerare. Quod si eam conscientiam, quam habet anima, haberet & director, eos quoque posset tolerare. Quare ex hac cautione ab Auctore adhibita magis ejus doctrinæ principium deprehenditur, quod est omnium errorum Quietistarum origo & fundamentum.

Nec debet Ecclesia in hujus doctrinæ examine attendere eos, qui astruunt, se ea quæ docuit Cameracensis, in animabus fuisse expertos. Quantum enim ad hoc, tradenda est eadem responsio olim data ab Augustino adversus eos, qui experientia Donatistarum partes tueri nitebantur, *Mirabiliarios* nuncupatos. *Nemo vobis* (inquit S. Doctor Tract. 13. in Jo.) *fabulas vendat. Et Pontius fecit miraculum; & Donatus oravit, & respondit ei Deus de cælo. Nam aut falluntur, aut fallunt*. Hoc profecto Augustini monitum maxime in hac materia præ oculis habendum est : cum quælibet experientia adducenda nonnisi ad unam personam spectet, quæ non est nisi testis singularis; eaque aliquando uti solent directores vel imperiti, vel cupidi, vel ambitiosi ad se inter alios extollendos: ideoque animas potius illusionibus objiciunt, quam illis vera ex Sacra Scriptura & Traditione remedia propinent. Afferam horum errorum exemplum, quo non raro capiuntur directores, ex Alvaro Pelagio Ord. Minor. Episcopo Sylvensi, qui Joannis XXII. ætate adversus Beguardos & Beguinas decertavit: quod non grave futurum esse censeo, si ejus verbis referatur. *Unam mulierem* (inquit lib. 2. de planctu Ecclesiæ cap. 45.) *ego cognovi, habentem raptum ad placitum, & fornicantem in occulto ad libitum. Vivus post mortem ejus filiam vidi Monialem, quam de fornicario habuerat, quæ mihi illud facinus revelavit matris; quam longo tempore pro sancta deceptus honoraveram, & multa loca illi, ubi ipsa stabat quando erat in sæculo, dederam præ devotione quam ad eam habebam : in qua fui deceptus cum plurimis aliis de illa Provincia (nec ego solus, & alii inferiores, sed multi Prælati, & sancti Religiosi, & multi etiam Cardinales) in qua recte se transformaverat Angelus tenebrarum in Angelum lucis*. Hactenus Alvarus Pelagius : ex quo aperitur, quam fallaci superædificent fundamento ii, qui solis experientiis innituntur; quarum futilitas vel inde poterit innotescere, quod semper, vel fere semper feminis in his rebus credendum non sit.

§. XV.

XV. *Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.*

De genuino Auctoris sensu dubitatio suboriri non potest : quia de meditatione loquitur, quæ ex actibus discursivis, reflexisque coalescit; eamdemque asserit, non ad statum perfectorum, sed imperfectorum pertinere. Nec alium sensum potest habere Propositio; quidquid in hoc articulo tergiversetur. Amor siquidem perfectorum quinti status, consone ad ejus principium, omnes actus interessatos usque ad faciendum illud horribile sacrificium excludit : & clare habetur ex textu lib. 6. pag. 195. ubi inquit : *Meditatio, quæ actibus constat, amoris mercenarii exercitio congruit. Hic enim amor imperfectus duobus indiget : altero, ut sæpius mercenaria timoris & spei motiva revocet; altero, ut sibi de sua operatione per animadversos, & reflexos actus fidem faciat*. Ex quo colliges, in via Cameracensis, animam ad contemplationem evectam, quæ nihil aliud est quam amor purus habitualis, amplius non indigere se ad timoris & spei motiva revocare : immo a statu suæ perfectionis excidere, non solum si ab æterna beatitudine tantillum se excitari patiatur; verum etiam, si de ea discurrat, vel etiam reflectat. Quare impingit Auctor in VII. Propositionem Molinosii : *Non debet anima cogitare nec de punitione, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate* : & in XII. *Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso; nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ salutis, cujus spem purgare debet*.

Hinc Propositio, ut jacet, *ad minus est periculosa, & temeraria, Sanctorum Mysticorum praxi contraria*.

Adversus Propositionem militant Sacræ Literæ. David enim de seipso, aliisque perfectissimis viris, ait Psal. 1. vers. 2. *In lege Domini voluntas ejus, & in lege ejus meditabitur die ac nocte* : & Psal. 38. vers. 4. *In meditatione mea exardescet ignis* : & rursus Psal. 118. vers. 47. *Meditabar in mandatis tuis*. Sic de Isaac sanctissimo Patriarcha dicitur Genes. 1. cap. 24. *quod egressus fuerat ad meditandum in agro*. His adjiciam SS. Augustinum, Anselmum, Bernardum, Bonaventuram, Theresiam, Franciscum Salesium; quos nemo dicere audebit, non fuisse perfectos : & tamen ab eminenti contemplatione ad meditationem descendebant, actibus discursivis, reflexisque laborando in exarandis hac de materia voluminibus. S. Theresiam monuit S. Franciscus Borgia, ut orationem suam ad humilitatis exercitium a meditatione inciperet; cura Deo relicta illam trahendi ad contemplationem, si vellet. Ergo meditatio, coalescens ex actibus discursivis, atque reflexis, est etiam exercitatio amoris perfecti.

Confirmatur. Contemplatio perpetua non est, immo brevissima (ut supra dictum est Dissert. VII) adeoque necesse est, ut perfectissimæ animæ ad meditationem recurrant, quin nihil earum perfectioni detrahatur. *E' cosa che grandemente importa* (ita suis Monialibus eloquitur S. Theresia in Itin. Perfect. cap. 17.) *l' intendere, che il Signore non guida tutti per un cammino: e per avventura quegli, a cui pare di stare più basso, sta negli occhi di Dio in più alto luogo. Sicchè non perchè tutte in questo Monistero attendono all' orazione, hanno da essere tutte contemplatrici. Questo è impossibile; e gran consolazione sarà, per chi non è, il capire tal verità. Questa è cosa data da Dio: e poichè non è necessaria per la salute, nè la demanda egli per contraccambio; non pensi neppure veruna di domandargliela: nè perciò ella lascierà di essere molto perfetta, se fa quello che si è detto* (id est, exercendo se in meditatione, & exercitio virtutum) *anzi potrà essere, che abbia assai più di merito: perchè opera con sua maggior fatica, e la guida il Signore come forte, e le tiene serbato tutto insieme quello ch' ella non gode qui. Non si perda dunque d' animo, nè lasci l' orazione, atteso che alle volte viene il Signore molto tardi .... Nell' umiltà, mortificazione, staccamento, ed altre virtù sempre è maggior sicurezza. Non ci è che temere, nè con queste abbiate paura di non arrivare alla perfezione, come i molto contemplativi*. Et S. Joannes a Cruce in Ascensu Mont. Carm. lib. 2. cap. 32. ita mirifice scripsit ad rem nostram : *Però fuori del tempo, in cui Dio comunica la contemplazione, l' anima in tutti i suoi esercizj, atti, ed opere si deve valere delle memorie, e delle buone meditazioni, nella maniera che le recheranno maggior divozione, e profitto : particolarissimamente intorno alla vita, passione, e morte di Gesù Cristo Signor nostro, per conformare le sue azioni, esercizj, e vita con quella di lui*. Quod profecto evertit systema Cameracensis, quo edocet, meditationem esse proprium exer-

exercitium amoris interessati. Immo perfectionem & sanctitatem comparari posse sine contemplatione, eruitur luce clarius ex citata S. Theresia Magistra orationis & perfectionis, quæ Mans. 6. cap. 9. ita rem hanc dilucidat. *Quello, in che consiste*, inquit, *il più meritare, non ci leva il Signore: poichè sta in mano nostra. Onde trovansi molte persone sante, che non seppero mai, che cosa fosse ricevere una di queste grazia di contemplazione: ed altre, che le ricevono, e non sono sante.*

Sed objicies. Contemplatio est proprium exercitium amoris puri: ergo meditatio est proprium exercitium amoris interessati. Probatur consequentia. Duobus tantum amoribus nos afficimur erga Deum in via: scilicet amore caritatis; & amore concupiscentiæ. Hinc S. Thomas ad Philipp. 1. vers. 22. & 24. ait: *Duplex est dilectio Dei. Concupiscentia scilicet, qua homo vult frui Deo, & delectari de ipso; & hoc est bonum hominis: & dilectio amicitiæ, qua homo præponit honorem Dei etiam huic dilectioni, qua fruitur Deo; & hæc est perfecta caritas.* Atqui per contemplationem proprie habetur exercitium amoris puri & caritatis: ergo per exercitium meditationis proprie habetur exercitium amoris interessati. Proinde systema Cameracensis repudiari non debet.

Respondeo, distinguendo illationem Auctoris. Per meditationem habetur exercitium amoris interessati, semper, & quandocumque; nego illationem: aliquando; concedo illationem. Ergo meditatio est propria exercitatio amoris interessati; nego primam Consequentiam. Ostendimus enim supra, per meditationem aliquando etiam haberi exercitium caritatis. Proinde dici non potest absolute, quod meditatio sit proprium exercitium amoris interessati: & consequenter immerito consequeruntur quidam Cameracensis fautores de lata in hanc Propositionem censura.

§. XVI.

XVI. *Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfecta, ut fiat habitualis; ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.*

Pugnavimus Dissertatione antecedenti §. 23. adversus Molinosium, docentem, contemplationem activam, seu acquisitam ab anima permanenter & habitualiter obtineri: nunc cum Auctore hujus Propositionis decertandum est, qui contendit, dari statum adeo perfectum contemplationis passivæ, seu infusæ, ut fiat habitualis, & permanens, in qua oratio perfecti sit semper contemplatio; numquam vero discursiva per actus methodicos meditationis. Subdit tamen pag. 176. *Si tamen contra ordinarium gratiæ cursum, & contra communem Sanctorum experientiam habitualis contemplatio deficeret; ei deficienti actus discursivæ meditationis substituendi forent: quia anima Christiana numquam in vacuo, atque otio realiter stare debet.* Ubi, ut vides, admittit Auctor, ab hoc spirituali statu contemplationis animam posse descendere; sed quando cessat ordinarius gratiæ cursus, & quando anima gratiæ infidelis est: adeoque contemplatio, juxta sensum Cameracensis, habitualis est ex natura sua atque continua.

Propositio, ut jacet, est *ad minus periculosa, & temeraria, Sanctorum Mysticorum praxi contraria.*

Confutatur Propositio. Status enim contemplationis habitualis cum humanæ naturæ infirmitate non compatitur, cujus actio in summo, cujusmodi est contemplatio, diu durare non potest; nec cum gratiæ conditione, quæ animam movet consentanee ad suam naturam; neque cum divinæ providentiæ dispositione, quæ animas ad humilitatis exercitium diutius in suavissimæ contemplationis quiete permanere non sinit, ut perspicue ex Sanctorum Patrum, & Doctorum Mysticorum auctoritatibus demonstratur.

Et quidem S. Augustinus lib. 10. Confess. cap. 40. ita scribit ad rem nostram. *Aliquando intromittis me in affectum multum inusitatum introrsus ad nescio quam dulcedinem, quæ si perficiatur, nescio quid erit quod vita ista non erit. Sed recido in hæc ærumnosis ponderibus, & resorbeor solitis, & teneor, & multum fleo, sed multum teneor. Tantum consuetudinis sarcina degravat. Hic esse valeo, nec volo; illic volo, nec valeo: miser utrobique.* Præterea idem S. Augustinus in Psal. 41. ad illa verba. *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me?* ita disserit: *Ecce jam quadam interiore dulcedine lætati fumus, ecce acie mentis aliquid incommutabile, etsi perstrictim & raptim, perspicere potuimus: quare adhuc conturbas me? Quare adhuc tristis es? Non enim dubitas de Deo tuo . . . . . . Et quasi responderet illi anima ejus in silentio, Quare conturbo te, nisi quia nondum sum ibi, ubi est dulce illud, quo sic rapta sum quasi per transitum? Numquid jam bibo de fonte illo, nihil metuens?* Ecce Augustinus, elevatus ad contemplationem infusam; & pluries quidem, nihilominus donatus non fuit contemplatione habituali, ut constat ex verbis & querimoniis animæ ejus.

Consonat S. Gregorius lib. 5. Moral. cap. 23. in hæc verba: *Nec enim in suavitate contemplationis intima diu mens figitur: quia ad semetipsam immensitate luminis reverberata revocatur. Cumque internam dulcedinem degustat, amore æstuat: ire super semetipsam nititur, sed ad infirmitatis suæ tenebras fracta relabitur, & magna virtute proficiens, videt quia videre non potest hoc quod ardenter diligit, nec tam ardenter diligeret, nisi aliquatenus videret. Non ergo stat, sed transit spiritus: quia supernam lucem nostra nobis contemplatio, & inhiantibus aperit, & mox infirmantibus abscondit.* Quid clarius produci poterat ex S. Gregorio ad demonstrandum, non dari contemplationem infusam habitualem? Rursus idem S. Gregorius Homil. 14. in Ezechiel. explicans illud Apocal. 8. *Factum est silentium in cælo quasi dimidia hora*: tropologice de anima contemplante ait: *Cælum est anima justi sicut per Prophetam Dominus dicit:* „ Cælum mihi sedes „ est: “ & „ Cæli enarrant gloriam Dei. “ *Cum ergo quies contemplativæ vitæ agitur in mente, silentium fit in cælo: quia cum terrenorum actuum strepitus quiescit a cogitatione, ad secretum intimum aurem animus apponit. Sed quia quies mentis in hac vita perfecta esse non potest, nequaquam hora integra factum esse in cælo silentium dicitur; sed quasi dimidia hora, ut neque ipsa dimidia hora plene sentiatur, cum præmittitur,* Quasi: *quia mox ut se animus sublevare cœperit, & quietis interni lumine perfundi; redeunte citius cogitationum strepitu, de semetipso confunditur, & confusus cæcatur.* Edocemur igitur ex S. Gregorio, contemplationis infusæ durationem non pertingere ad dimidiam horam: quomodo ergo erit habitualis? Præterea idem S. Gregorius lib. 30. Moral. cap. 23. scripsit: *Itaque bene conversantibus primum solitudo mentis tribuitur, ut exsurgentium intrinsecum strepitum terrenorum desideriorum premant; ut ebullientes ab infimis curas cordis per superni gratiam restinguant amoris; omnesque motus importune se efferentium levium cogitationum, quasi quasdam circumvolantes muscas ab oculis mentis abigant manu gravitatis; & quoddam sibi cum Domino intra se secretum quærant, ubi cum illo, exteriori cessante strepitu, per interna desideria silente loquantur. De hoc secreto cordis alias dictum est:* „ Factum est silentium in cælo, quasi dimidia ho„ ra. “ *Cælum quippe Ecclesia vocatur electorum, quæ ad æterna & sublimia, dum per sublevationem contemplationis intendit, surgentes ab infimis cogitationum tumultus premit, atque intra se Deo quoddam silentium facit. Quod quidem silentium contemplationis, quia in hac vita perfectum esse non potest; factum dimidia hora dicitur. Nolenti quippe animæ, dum cogitationum tumultuosi se strepitus ingerunt, etiam sublimibus intendentem rursus ad respicienda terrena oculum cordis trahunt. Unde scriptum est:* „ Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam: & de„ primit terrena inhabitatio sensum multa cogitan„ tem. “ *Bene ergo factum silentium non integra, sed dimidia hora describitur: quia hic contemplatio nequaquam perficitur, quamvis ardenter inchoetur.* Demum Homil. 14. in Ezechiel. ad rem de qua pertractamus, confirmandum, inquit: *Est autem in contemplativa vita magna mentis contentio, cum sese ad cælestia erigit; cum in rebus spiritualibus animum tendit; cum transgredi nititur omne, quod corporaliter videtur; cum sese angustat, ut dilatetur. Et aliquando quidem vincit, & reluctantes tenebras suæ cæcitatis exsuperat, ut de incircumscripto lumine quiddam furtim & tenuiter attingat. Sed tamen ad semetipsam protinus reverberata revertitur, atque ab ea luce, ad quam respirando transiit, ad suæ cæcitatis tenebras suspirando; atque lamentando redit . . . . Nam anima cum contemplari Deum nititur, velut in quodam certamine posita, modo quasi exsuperat; quia intelligendo & sentiendo de incircumscripto lumine aliquid degustat: modo succumbit; quia & degustando iterum deficit.* Infertur denuo, ut vides, ex S. Gregorio contemplatio non diuturna, sed per modicum tempus perdurans: proinde non potest esse habitualis; ita ut quoties anima orationi vacabit, semper ejus oratio esset contemplativa, non vero discursiva, quod rite proscriptum est in hac Cameracensis Propositione.

Accedit S. Bernardus in Scala Claustralium, vel alius ejus nomine, ubi sic scribit ad rem nostram cap. 7. & 8. *Paulisper secedit sponsus diu desideratus, cito elapsus. Subtrahit se a dulcedine contemplationis: manet tamen præsens quantum ad gubernationem. Sed ne timeas, o sponsa, ne desperes, ne existimes te contemni, si paulisper tibi subtrahit sponsus faciem suam. Omnia ista cooperantur tibi in bonum, & de accessu & recessu lucrum acquiris. Tibi venit, tibi & recedit. Venit ad consolationem, recedit ad*

cau-

cautelam, ne magnitndo consolationis extollat te: ne, si semper apud te sit sponsus, incipiat contemnere sodales, & hanc continuam visitationem non jam gratiæ attribuas, sed naturæ. Hanc autem gratiam, cui vult, & quando vult, sponsus tribuit: non quasi jure hereditario possidetur. Vulgare proverbium est, quod nimia familiaritas parit contemptum. Recedit ergo, ne forte nimis assiduus contemnatur, & absens magis desideretur, desideratus avidius quæratur, diu quæsitus tandem gratius inveniatur. Præterea si numquam deesset hic consolatio (quæ respectu futuræ gloriæ, quæ revelabitur in nobis, ænigmatica est, & ex parte) putaremus forte hic habere manentem civitatem, & minus inquireremus futuram. Ne ergo exilium deputemus pro Patria, arrham pro pretii summa, venit sponsus, & recedit vicissim; nunc consolationem afferens, nunc universum stratum nostrum in infirmitatem commutans. Paulisper nos permittit gustare, quam suavis est, & antequam plene sentiamus, se subtrahit: & ita quasi alis expansis supra nos volitans, provocat nos ad volandum, quasi dicat: Ecce parum gustatis, quam suavis sum & dulcis; sed si vultis plene saturari hac dulcedine, currite post me in odorem unguentorum meorum, habentes sursum corda, ubi ego sum in dextera Dei Patris. Ibi videbitis me, non per speculum in ænigmate, sed facie ad faciem; & plene gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet a vobis. Prolixum quidem S. Bernardi testimonium, sed efficax ad convincendam falsitatis doctrinam proscriptam, quod in hac vita possit haberi contemplatio per modum habitus, ita ut quoties anima orationi incumbit, oratio ejus sit contemplativa, non discursiva.

Rursus idem S. Bernardus efficaciter æque & breviter redarguit proscriptam Propositionem Serm. 23. in Cantica dicens: *O si durasset! Iterum, iterumque visita me, Domine, in salutari tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ. O vere quietis locus, & quem non immerito cubiculi appellatione censuerim! . . . In hoc arcanum, & in hoc sanctuarium Dei, si quem forte vestrum aliqua hora sic rapi, & sic abscondi contigerit, ut minime avocet, aut perturbet vel sensus egens, vel cura pungens, vel culpa mordens, vel ea certe, quæ difficilius amoventur, irruentia imaginum corporearum phantasmata; poterit quidem hic, cum ad nos redierit, gloriari, & dicere:* „ Introduxit me rex in cu„ biculum suum. " Proinde ex S. Bernardo forte per aliquam horam in hoc vitæ curriculo perfrui potest anima infusa contemplatione: quomodo igitur erit habitualis? Demum idem S. Doctor Mellifluus Serm. 51. in Cantica ad illa verba: *Fulcite me floribus, stipate me malis: quia amore langueo:* scribit: *Ergo ex bonis operibus in fide non ficta radicatis recipit consolationem mens assueta quieti, quoties sibi (ut assolet) lux contemplationis subtrahitur. Quis enim non dico continue, sed vel aliquamdiu, dum in hoc corpore manet, lumine contemplationis fruatur? At quoties, ut dixi, corruit a contemplativa, toties in activam se recipit: quoniam sunt ad invicem contubernales hæ duæ, & cohabitant pariter.* Ubi, ut vides, loquitur Doctor Mellifluus de contemplatione infusa, qua cessante, docet animam regredi debere ad vitam activam: hoc est, legendo, meditando, & postulando a Deo tam pro se, quam pro Ecclesia gratiam, ac beneficia; ut egregie explicat Cardinalis Brancatus Opusc. 6. cap. 10. §. *S. Bernardus*. Ergo, cessante contemplatione infusa, debet anima redire ad orationem, vel meditationem, vel lectionem, juxta genuinum S. Bernardi sensum: ac proinde falsum est id quod adstruit Cameracensis; scilicet, quod quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, atque tunc non amplius indigeat redire ad meditationem, ejusque actus methodicos. Verum mirifice atque nervose pro more suo, ad sententiam nostram corroborandam, nos edocet S. Thomas 2. 2. quæst. 171. art. 2. ubi fundamentalem adducit rationem, quare Prophetia (& idem dicas de contemplatione infusa; cum parem quoad hoc sortiantur conditionem) dari nequeat per modum habitus. Scribit enim: *Hujus ratio est: quia lumen intellectuale, in aliquo existens per modum formæ permanentis, & perfectæ, perficit intellectum principaliter ad cognoscendum principium illorum, quæ per illud lumen manifestantur: sicut per lumen intellectus agentis præcipue intellectus cognoscit prima principia illorum, quæ naturaliter cognoscuntur. Principium autem eorum, quæ ad supernaturalem cognitionem pertinent, quæ per Prophetiam manifestantur, est ipsemet Deus, qui per essentiam a Prophetis non videtur. Videtur autem a beatis in Patria, in quibus hujusmodi lumen inest per modum cujusdam formæ permanentis, & perfectæ, secundum illud Psal. 35.* „ In lumine tuo vide„ bimus lumen. " *Relinquitur ergo, quod lumen Propheticum insit animæ Prophetæ per modum cujusdam passionis vel impressionis transeuntis: & hoc significatur Exodi 33.* „ Cumque transibit gloria mea, ponam te in fo„ ramine petræ: " *& III. Regum 19. dicitur ad Eliam:* „ Egredere, & sta in monte coram Domino: & ecce „ Dominus transit. " *Et inde est, quod sicut aer semper indiget nova illuminatione; ita etiam mens Prophetæ semper indiget nova revelatione.* Ex quibus constat, quod lumen supernaturale contemplationis infusæ non possit esse permanens, & per modum habitus; sed transiens, & per modum actus. Quod rursus probat S. Doctor alia ratione quæst. 12. de Verit. art. 1. ad 7. in hæc verba: *Illud est plenius, & perfectius lumen, quod datur per modum actus, sive passionis, quam illud, quod per modum habitus infunditur: quia ex altitudine hujus luminis actualis contingit, ut humana mens illud possidere non possit per modum habitus.*

Ad hæc faciunt quæ tradidit S. Theresia, scribens de contemplatione infusa, sublimi, & perfecta, quæ habetur in gradu unionis, cohærenter ad ea quæ docuit S. Gregorius a nobis supra laudatus: scilicet non posse excedere mediam horam. Sancta igitur Virgo cap. 18. Vitæ suæ ita scripsit: *Notisi questo, che, a mio parere, per lungo che sia lo spazio di starsi l'anima in questa sospensione di tutte le potenze, è però molto breve: o quando durasse mezz'ora, sarebbe assaissimo. Non mi pare, che io vi stessi mai tanto.*

Consonat sanctissimæ Parenti illuminatissimus Filius S. Joannes a Cruce, ita scribens lib. 2. Ascens. ad Mont. Carm. cap. 5. ad rem nostram: *Tratto solamente adesso di questa unione totale, e puramente secondo la sostanza dell'anima, e sue potenze, inquanto all'abito di unione: perchè inquanto all'atto dipoi ne ragioneremo, mediante il divino ajuto, come in questa vita non abbiamo, nè si può avere unione permanente nelle potenze, ma solamente passeggiera, e transeunte.* Ergo expresse cognovit ac docuit S. Joannes a Cruce, non posse dari in vita hac mortali contemplationis actum permanentem in potentiis animæ, sed solum transeuntem. Consequenter lib. 3. sequenti cap. 1. ita scribit: *Appena si troverà un'anima, che in tutto, e per ogni tempo sia mossa da Dio, avendo con lui così continua unione, che sempre siano divinamente mosse le sue potenze. Tuttavia vi sono anime, che nelle loro operazioni molto spesso, e per ordinario sono mosse da Dio.* Quo nihil validius produci poterat ad eludendam contemplationem infusam habitualem, ita ut quoties anima orationi vacat, ejus oratio sit contemplativa, non vero discursiva, ut contendit Cameracensis: quia licet in substantia, & centro animæ, ut advertit laudatus Sanctus, dari queat habitus contemplationis, & unionis divinæ, attamen ejusmodi habitus dari nequit in potentiis.

Pro coronide addendum duximus quod scripsit B. Mater de Chantal in sua Vita Romæ typis edita 1734. Part. 4. cap. 4. *Noi sappiamo molto bene per esperienza, che quelle persone, le quali hanno il dono della contemplazione, non perseverano sempre ed in tutte le ore in quello stato, volendo il Signor Iddio, che ritornino alle volte alla meditazione, e che abbiano le loro vicende: portandosi ora dalla meditazione alla contemplazione, ed ora da questa ritornando di bel nuovo a ripigliar la prima.* Igitur hæc illuminatissima Beata cognovit & docuit, dari haud posse contemplationem infusam permanentem.

An vero hujusmodi habitus saltem dari queat in contemplatione acquisita, decisum manet in Dissert. VII. §. 3. ad quem locum lectorem nostrum remittimus.

§. XVII.

XVII. *Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi, duobus temporibus diversis. Primo, fervore nascente earum contemplationis; secundo, anima amittit intuitum Jesu Christi in extremis probationibus.*

EX hac Propositione intelliges, Cameracensem non solum reflexum Jesu Christi intuitum, sed omnem omnino intuitum ab anima contemplativa ablegare. Enimvero omni contemplationis tempore, ut ipse docet, non habetur reflexus Jesu Christi intuitus; cum actus reflexos non admiserit: ac per consequens, si illis duobus temporibus aliquo Christi privatur intuitu, quo non privatur reliquo contemplationis tempore; necesse est dicere, ablegare ab anima in iis duobus temporibus omnem Jesu Christi intuitum: ita ut sensus Propositionis sit, quod cum anima iis duobus temporibus eo intuitu privetur; falsum tamen sit, quod ille intuitus ab ea in perperpetuum subtrahatur. In quo profecto videtur Auctor incidere in Beguardorum errorem; de quibus habetur in Clementina *Ad nostrum*, de Hæreticis: *Octavus error. Quod in elevatione Corporis Christi non debebant assurgere, nec eidem reverentiam exhibere; asserentes, quod esset imperfectionis eisdem, si a puritate, & altitudine suæ contemplationis tantum descenderent, quod circa Mysterium,*

sterium, seu Sacramentum Eucharistiæ, circa Passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent. Unde Alvarus Pelagius relatus ab Odorico Raynaldo ad annum MCCCXII. lib. 2. de Planct. Ecclesiæ inquit: *Quod autem dicunt isti maledicti, quod caderent a perfectione sua contemplationis, si de carne Christi, aut de passione ejus aliquid cogitarent; insanum est & diabolicæ ignorantiæ.*

Propositio, ut jacet, est *temeraria, perniciosa, suspecta de hæresi Beguardorum, humanitati Christi injuriosa, & etiam erronea.*

Prævie ad impugnationem, animadvertendum est primo, contemplationem aliam esse negativam; aliam vero positivam: ut diximus Dissert. VII. §. 7. Prima principaliter divinitatem respicit; secunda Christi humanitatem: ut observat Cardinalis de Laurea Opusc. 7. cap. 7. num. 2. Animadvertendum est secundo, contemplationem negativam divinitatis quandoque intuitum distinctum & reflexum impedire humanitatis Christi. Unde S. Theresia cap. 22. Vitæ suæ inquit: *Intendasi di grazia bene questo punto; che certo vorrei sapermi dichiarare. Quando Dio vuole sospendere tutte le potenze, chiaro è, che quantunque non vogliamo, ci si leva questa presenza di Gesù Cristo. Allora vada in buon' ora: felice tal perdita; poichè è per maggiormente godere di quello che ci pare si perda: atteso che allora l' anima tutta s' impiega in amare colui, il quale l' intelletto si è affaticato a conoscere; ed ama quello che non comprese; e gode di quello che non avrebbe potuto così ben godere, se non fosse stato perdendo se medesima per più guadagnarsi.* Idem docet S. Joannes a Cruce in Ascens. ad Mont. Carmel. lib. 3. cap. 1. *Sebbene,* inquit, *alcuna volta in quell' altezza di contemplazione, e semplice vista della divinità, l' anima non si ricorda di questa santissima umanità: perchè Dio di propria sua mano inalzò lo spirito a questo come confuso e molto soprannaturale conoscimento di lui.* Advertendum est tertio, Auctorem, nulla observata negativam inter & positivam contemplationem distinctione, adstruere, animam in contemplatione intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi privari.

His prænotatis, impugnatur prima pars Propositionis, in qua dicitur, animas contemplativas privari intuitu distincto, sensibili, & reflexo, in fervore nascente earum contemplationis; ex eo quod docet S. Thomas Quodlib. 8. quæst. 9. art. 20. ubi loquens de contemplatione, qua fruuntur Sancti in cælo, inquit: *Per prius contemplantur divinitatem Christi, quam ejus humanitatem. In utraque tamen contemplanda delectationem invenient; unde dicitur Jo. 10. Ingredientur, scilicet beati ad contemplandam divinitatem Christi: & egredientur, ad contemplandam ejus humanitatem: & utrobique pascua invenient, id est delectationem: ut exponitur in lib. de spiritu & anima.* Ad quæ verba piissimus æque ac eloquentissimus P. Paulus Segneri in 4. Illusione contra Quietistas ita egregie scribit ad institutum nostrum. *I beati in Cielo fanno al contrario nostro. Noi siccome abbiamo una cognizione imperfetta; così dobbiamo conoscere la regola nell' effetto da lei operato: e conseguentemente dalla contemplazione dell' umanità di Cristo Nostro Signore dobbiamo passare a quella della divinità sua. I beati hanno una cognizione perfettissima: e però come quelli i quali conoscono ogni effetto nella sua regola, passano dalla contemplazione della divinità di Cristo Nostro Signore a quella dell' umanità.* Ex quo sic arguitur. Si beati in cælo non solum in fervore suæ nascentis contemplationis, sed etiam perpetuo non privantur hujusmodi contemplatione; & quidem intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi, ut colligitur ex verbis S. Thomæ: consequenter nec priventur animæ contemplativæ in via. Probatur consequentia. Contemplatio in via est inchoatio quædam futuræ beatitudinis in viris sanctis hujus vitæ, ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 69. art. 2. & 2. 2. quæst. 180. art. 4. ubi ita scribit: *Nunc contemplatio divinæ veritatis competit nobis imperfecte; videlicet per speculum, & in ænigmate: unde per eam fit quædam inchoatio beatitudinis, quæ hic incipit, ut in futuro continuetur.* Ergo si contemplatio in Patria admittit intuitum distinctum, sensibilem, & reflexum Jesu Christi, consequenter admittere etiam debet in via, non solum in fervore nascentis contemplationis, sed etiam in exercitio illius.

Impugnatur II. ex S. Augustino, qui Tract. 98. in Jo. docet, humanitatem Christi, ejusque mysteria non tam parvulis, quam provectis in via interiori pabulum exhibere, ita ut ab ejusmodi lacte nulla hominum ætas debeat removeri. *In ipsis,* ait, *quæ sumimus alimentis, usque adeo non est lacti contrarius solidus cibus, ut ipse lactescat, quo possit esse aptus infantibus, ad quos per matris vel nutricis pervenit carnem: sicut fecit etiam mater ipsa sapientia, quæ cum sit in excelsis Angelorum solidus cibus, dignata est quodammodo lactescere parvulis, cum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Sed ipse homo Christus, qui vera carne, vera cruce, vera morte, vera resurrectione sincerum lac dicitur parvulorum, cum bene ab spiritualibus capitur, invenitur Dominus Angelorum. Proinde nec sic parvuli sunt lactandi, ut semper non intelligant Deum Christum: nec sic ablactandi, ut deserant hominem Christum. Quod alio modo idipsum ita dici potest: Nec sic lactendi sunt, ut creatorem numquam intelligant Christum; nec sic ablactandi, ut mediatorem umquam deserant Christum. In hoc quippe non convenit huic rei similitudo materni lactis, & solidi cibi, sed potius fundamenti: quia, & puer quando ablactatur, ut ab alimentis infantiæ jam recedat, inter solidos cibos non repetit ubera quæ sugebat: Christus autem crucifixus, & lac sugentibus, & cibus est proficientibus. Fundamenti vero ideo est aptior similitudo, quia ut perficiatur quod struitur, additur ædificium, non subtrahitur fundamentum.* Idem tradit S. Bernardus Tract. de diligendo Deo cap. 3. observans, castum sponsæ amorem crebra Christi, ejusdemque mysteriorum contemplatione ali, & recreari. *Oportet nos,* inquit, *si crebrum volumus habere hospitem Christum, corda nostra semper habere munita fidelibus testimoniis, tam de misericordia scilicet morientis, quam de potentia resurgentis; quomodo David ajebat:* „Duo hæc audivi: quia potestas Dei „ est, & tibi, Domine, misericordia." *Siquidem utriusque rei testimonia credibilia facta sunt nimis; Christo utique moriente propter delicta nostra, & resurgente propter justificationem nostram, & ascendente ad protectionem nostram, & mittente Spiritum ad consolationem nostram, & quandoque redituro ad consummationem nostram. Nempe in morte misericordiam, potentiam in resurrectione, utramque in singulis exhibuit reliquorum. Hæc mala, hi flores, quibus sponsa se interius stipari postulat, & fulciri; credo sentiens facile vim in se amoris posse tepescere, & languescere quodammodo, si non talibus jugiter foveatur incentivis, donec introducta quandoque in cubiculum, diu capitis excipiatur amplexibus, & dicat:* „ Læva ejus sub capite „ meo, & dextera illius amplexabitur me." Si ergo humanitas Christi, ejusque mysteria lac, & pabulum sunt, minime deserendum ab animabus contemplationi addictis; falsum erit, animas contemplativas privari intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi, fervore nascente earum contemplationis.

Impugnatur III. ex S. Theresia Magistra contemplationis, quæ in Vita sua, a se conscripta jussu directorum, cap. 22. referens se in hoc errore versatam fuisse; ita tamen subdit ad institutum nostrum. *O Signore,* inquit, *dell' anima mia, e ben mio, Gesù Cristo crocifisso. Non mi ricordo mai di questa opinione che tenni; e non ne senta pena, e non mi paja d' aver fatto un gran tradimento, benchè per ignoranza . . . . Ma durò poco lo star in quell' opinione, non potendo io non tornar al mio solito costume di consolarmi con questo Signore. Massime quando io mi comunicava, avrei voluto tener sempre innanzi gli occhi il suo ritratto . . . . E possibile, Signore, che mi venisse in pensiero, e vi stesse pur un' ora; che voi doveste impedire il mio maggior bene? Di dove vennero a me tutti i beni, se non da voi? Non voglio pensare che in questo ebbi colpa; perchè mi vien troppo da piagnere . . . . . Oh! che mala strada io teneva; o Signore? Ben mi pare ch' io andava perduta, se non mi aveste voi rimessa nella buona via! . . . In somma ho chiaramente veduto, che per questa porta abbiamo da entrare, se vogliamo, che la sovrana Maestà ci mostri segreti grandi. Sicchè V. R. non voglia giammai altro cammino, benchè si trovi in altissima contemplazione. Per di qui camminerà sicura.* Et Mans. 6. cap. 9. de visione imaginaria humanitatis Christi Domini pertractat: ubi docet, in ea haberi intuitum distinctum, sensibilem, & reflexum in fervore nascentis contemplationis; immo ex illa oriri altissimam contemplationem, ex qua prodeunt extases & raptus. Proinde immerito adstruitur, quod in fervore nascentis contemplationis animæ priventur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi. Longum esset totum caput referre doctrinæ admirabilis S. Theresiæ, & ad rem nostram mirifice accommodatæ. Non pigeat tamen eruditum lectorem illud adire: & clare deprehendet, quantum contrarientur verba illuminatissimæ Virginis Propositioni jure damnatæ.

Confutatur IV. dicta Propositio ex eo quod scribit Ven. Bartholomæus de Martyribus Episcopus Bracarensis, qui interfuit Concilio Tridentino, relatus a P. Balthassare a S. Catharina Carmelita Discalceatu ad Mans. 6. S. Theresiæ cap. 8. Reflex. 1. ubi ita scribit ad institutum nostrum. *Se intendiamo, che questa immagine dell' umanità di Gesù Cristo, qualunque volta occorra, o si rappresenti all' anima contemplante, ed amante Iddio, impedisca ed indebolisca il vigore e la perfezione dell' unione; io credo che sia falso: poichè costa per esperienza, che ciò spesse volte accade, mentre la Persona sta totalmente, e con ogni conato intenta in Dio. Perciocchè in quel tempo sovviene improvvisamente all' anima quest' immagine, cioè questo Dio per me fatto uomo, e crocifisso. Ma quest' immagine non solo non impedisce, anzi suole promuovere, ed accresce-*

cuscere l'unione di amore, o l'ammirazione sospensiva. Ex quo evidenter eruitur, animas contemplativas haudquaquam privari intuitu Jesu Christi in fervore nascentis earum contemplationis; immo potius juvare mirabiliter eamdem contemplationem. Hinc doctissimus P. Natalis Alexander in sua Hist. Ecclesiast. ad Sæculum XIII. & XIV. in Dissert. 15. adversus Quietistas, Proposit. VIII. ita erudite suo more ad rem nostram scripsit. *Error tandem est minime ferendus spuriorum Mysticorum, asserere animas contemplatrices Christo distincte viso, ac per fidem præsento duobus in statibus privari: nempe in ipsis ferventis contemplationis initiis, & in probationibus. Cum enim diu protrahantur quandoque illi status, animabus in his constitutis subtrahere distinctam de Christo cogitationem, nihil aliud est quam eas in Christi oblivionem ac fastidium inducere; iis maxime temporibus, quibus explicita Christi fide sustentari illarum indiget infirmitas. In quovis enim Christiana vita statu tenetur homo explicite credere in Christum Jesum; & hujus fidei actus, quamvis non omni momento, certis temporibus elicere. Maxime vero cum tentationes surgent, Christus velut dormiens in navi, id est, in corde nostro, per fidem excitandus est, ut in fide nominis ejus hostes salutis nostræ vincamus. Dicamus itaque cum S. Bernardo, quem dono contemplationis insignem fuisse nemo nescit, Serm. 15. in Cantica.* „ Non tantum lux est nomen Jesu, sed est & cibus. An non toties confortaris, quoties recordaris? Quid æque mentem cogitantis impinguat? Quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat mores bonos atque honestos, castas fovet affectiones? Aridus est omnis animæ cibus, si non oleo isto infunditur: insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas; non sapit mihi, nisi legero ibi Jesum. Si dispures, aut conferas; non sapit mihi, nisi sonuerit ibi Jesus. Jesus mel in ore, in aure melos, in corde jubilus. Sed est & medicina. Tristatur aliquis vestrum? Veniat in cor Jesus, & inde saliat in os: & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen? currit insuper ad laqueum mortis, desperando? Nonne si invocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? " Hactenus eruditissimus P. Natalis Alexander: qui propterea fortassis prolixius retulit extatici Doctoris S. Bernardi testimonium, quia ad rem contra Quietistas, a sua contemplatione intuitum distinctum, sensibilem, & reflexum Jesu Christi excludentes, quam maxime facit. Quibus addere juvat Articulum IV. ex Issiacensibus, ubi sic definitum habes: *Quivis Christianus pariter obligatur ad fidem explicitam in Christum Deum, & hominem, tamquam mediatorem, sine quo nemo potest appropinquare Deo: & ad hujus fidei eliciendos actus quovis in statu, licet non quovis momento*: & Articulum XXIV. ubi sic declaratur: *Periculosus error est excludere a contemplationis statu Verbi incarnati Mysteria, præsertim Crucis Christi, ejusque Resurrectionis*. Qua ergo fronte defendi potest, quod animæ contemplativæ in statu & fervore nascentis earum contemplationis, & in extremis probationibus priventur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi?

Refellitur V. dicta Propositio ex Cantico spirituali, quod habetur in Opusc. S. Joannis, inter animam & divinum ejus sponsum; ubi post descriptionem animæ in fervore suæ nascentis contemplationis variis donis & charismatibus a Deo & in Deum elevatæ, statim eadem rapta describitur ad contemplationem humanitatis Christi Domini. Unde Mans. 37. ejusdem Cantici ita anima sponsa inducitur canendo:

Quindi all'alte caverne
Della Pietra andrem con lieta speme
Ben profonde, ed interne:
Ed ivi in gioje estreme
Gusterem di granati il mosto insieme.

Explicat postmodum illuminatissimus Sanctus contemplationem animæ circa Christi humanitatem, ejusque Mysteria admiranda. Ex quibus eruitur, immerito defendere Cameracensem cum cæteris Quietistis, quod animæ contemplativæ priventur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi, in fervore nascente earum contemplationis: cum e contra dilucide constet ex doctrina S. Joannis a Cruce, animas hujusmodi in contemplatione pertrahi ad intuitum distinctum, sensibilem, & reflexum ejusdem Jesu Christi.

Objiciunt Quietistæ in sequelam XXXV. Propositionis damnatæ Michaelis Molinosii. S. Thomas 2. 2. quæst. 8. art. 7. ait, quod ad contemplationem requiritur mundiria mentis depuratæ a phantasmatibus. Cum igitur humanitas Christi Domini sit sensibilis & materialis; non poterit proinde concipi sine phantasmatibus: consequenter non poterit esse objectum contemplationis. Insuper Richardus a S. Victore lib. 3. de Contemplat. cap. 1. idem advertit. Ergo animæ contemplativæ in fervore nascente earum contemplationis, & in exercitio illius, priventur necessum est intuitu sensibili, distincto, atque reflexo Jesu Christi: cum dari nequeat vera contemplatio ejusdem Christi, utpote sensibilis & materialis.

Pro responsione simul ac ampliori dilucidatione veritatis, advertendum est, humanitatem Christi, ejusque Mysteria posse in contemplatione repræsentari vel imaginario modo; ut ex S. Theresia Mans. 6. cap. 9. & ejus Vitæ cap. 28. supra vidimus: vel intellectuali; de quo infra, & videri potest eadem S. Theresia in sua Vita cap. 27. Imaginario quidem modo repræsentatio fit, quando, principaliter operante phantasia, & formante in se distinctam Christi imaginem, vel instrumentorum passionis ejus, vel locorum in quibus passus est, quoad eorum figuram & alias conditiones materiales, sensibiliter ei illa omnia consideranda exhibentur, ipsaque illis applicatur: ex qua applicatione, maxime si fuerit vehemens, non potest non impediri, aut saltem retardari operatio intellectiva. *Cum enim*, ut ait 1. 2. quæst. 77. art. 1. S. Thomas, *omnes potentiæ animæ in una essentia animæ radicentur; necesse est, quod, quando una potentia intenditur in suo actu, altera in suo actu remittatur*. Repræsentatio autem intellectualis est illa, qua omnia prædicta & similia, beneficio intellectus agentis a suis conditionibus materialibus depurata, per species intelligibiles inde ab ipso principaliter; instrumentaliter autem ab imaginatione productas, in intellectu possibili intellectualiter cognoscuntur, & redduntur proprium ejus objectum. Ut enim recte docet ad rem D. Thomas Part. 1. quæst. 86. art. 1. ad 3. *Singulare non repugnat intelligenti, inquantum est singulare, sed inquantum est materiale: quia nihil intelligitur nisi immaterialiter. Et ideo si sit aliquod singulare & immateriale, sicut est intellectus, hoc non repugnat intelligenti*. Et quæst. 10. de Verit. art 4. ad 4. ait: *Quamvis in mente non sint nisi immateriales formæ, possunt tamen esse similitudines rerum materialium. Non enim oportet, quod ejusmodi esse habeat similitudinem, cujusmodi est id, cujus est similitudo; sed solum, quod in ratione conveniat: sicut forma hominis non habet tale esse in statua aurea, quale esse habet forma hominis in carnibus & ossibus*. Igitur cum ex hac doctrina S. Thomæ singulare non repugnet intelligenti, nisi inquantum est materiale, seu conditionibus materialibus involutum; formæque, seu species intelligibiles & immateriales possint esse similitudines rerum materialium, si semel efficiantur tales per expurgationem objecti singularis a suis conditionibus materialibus, si quas habeat: non potest hujusmodi singulare, V. G. humanitas Christi Domini, vel instrumenta passionis ejus, non fieri objectum intellectus; utpote quia sic purgata & immaterialia reddita, jam sub universali, quod est proprium objectum intellectus, continentur tamquam quid singulare, quæque consequenter cognoscuntur absque ullo operationis intellectualis præjudicio, vel interpellatione principali, & proprio objecto. Hinc dubitari non potest, quia si contemplans ita esset occupatus in oratione repræsentationi imaginariæ humanitatis Christi, & Mysteriorum ejus, ut intellectualem negligeret; contemplationem impediret. Et in hoc sensu debet intelligi, quod phantasmata impediunt contemplationem: illaque ad hunc effectum sunt deserenda, ad hoc ut intellectuali tamquam perfectiori possit vacare intellectus. Et hæc videtur expressa mens esse S. Theresiæ Mans. 6. cap. 7. ubi modum contemplandi Christi Domini humanitatem, ejusque Passionem per simplicem intuitum intellectus, relictis phantasmatibus imaginariis, mirifice docet; & efficaciter ad illam adhortatur animas contemplatrices. Et ratio desumitur ex S. Thoma in 3. Sentent. dist. 22. quæst. 3. art. 1. ad 5. ubi ait: *Corporalis præsentia Christi in duobus poterat esse nociva. Primo quantum ad fidem: quia videntes eum in forma, id est qua erat minor Patre; non ita de facili crederent eum æqualem Patri. Secundo quantum ad dilectionem: quia eum non solum spiritualiter, sed etiam carnaliter diligeremus, conversantes cum ipso corporaliter; & hoc est de imperfectione dilectionis*. Nam si ex S. Thoma fuit conveniens, ut Christus Dominus corporaliter separaretur a nobis; ex adductis rationibus similiter dici potest convenire, ad hoc ut contemplationi ejusdem vacemus, quod, relicta in oratione imaginaria humanitatis Christi, aut ejus Mysteriorum repræsentatione, intellectuali incumbamus, tamquam perfectiori & ex se animæ magis utili, ad quam imaginaria debet ordinari sicut ad suum finem. Mirifice veritatem hujus nostræ assertionis demonstrat S. Theresia, quæ Mans. 6. cap. 8. & 9. per totum docet & explicat contemplationem ex visione intellectuali, vel imaginaria Christi Domini, ejusque sanctissimæ humanitatis; ex qua raptum & extasim consequi dicit. Quare omnis dubitandi ratio dispellitur: dari scilicet contemplationem, cujus objectum sit humanitas Christi Domini, vel intellectualiter, vel imaginario modo divinitus repræsentata. Quando au-

do autem dicimus *imaginario modo*, non est intelligendum, quod anima sistat in hujusmodi imaginariis phantasmatibus, sed ex illis transeat ad intellectualem Christi Domini, ejusque Mysteriorum contemplationem, ut docet S. Thomas 2. 2. quæst. 180. art. 5. ad 2. dicens: *Intellectualis cognitio non sistit in ipsis phantasmatibus, sed in eis contemplatur puritatem intelligibilis veritatis: & hoc non solum in cognitione naturali, sed etiam in eis, quæ per revelationem cognoscimus..... Et sic intelligendum est, quod Gregorius dicit; quod contemplantes corporalium rerum umbras non secum trahunt: quia videlicet in eis non sistit eorum contemplatio, sed potius in consideratione intelligibilis veritatis.* Ex hac doctrina patet responsio ad instantiam supra propositam, excludentem scilicet a contemplatione humanitatem Christi Domini, ejusque Mysteria, ex eo quod sunt materialia ac sensibilia, & nonnisi per phantasmata & imaginario modo concipi possunt.

Confirmatur ex eo quod Sancti nos efficaciter adhortantur ad contemplationem humanitatis Jesu Christi. Hoc autem negligerent, quoties hujusmodi contemplatio haberi non posset, quia repugnaret ex eo quod foret de objecto sensibili & materiali, vel quod in fervore nascente contemplationis hujusmodi intuitu distincto, sensibili, & reflexo anima privaretur. Quare S. Bernardus in Formula honestæ Vitæ scribit: *Sit tibi semper Jesus in corde, & numquam imago crucifixi ab animo tuo recedat. Hic tibi sit cibus & potus, dulcedo & consolatio tua, mel tuum & desiderium tuum, lectio tua & meditatio tua, oratio tua & contemplatio tua, vita, mors, & resurrectio tua.* S. Bonaventura in Tract. de Meditat. vitæ Christi cap. 50. quod inscribitur de tribus generibus contemplationis, inquit: *Scire debes, contemplationis tria esse genera. Duo principalia propter perfectos; tertium additur pro imperfectis. Duo perfectorum sunt contemplatio majestatis Dei, & curiæ cælestis; & tertium pro incipientibus & imperfectis est contemplatio humanitatis Christi. Et ideo ab hac tibi incipiendum est, si vis ascendere ad majora: alias non tam ascendere, quam reverti posses. Numquam enim ad sublimia Dei mente elevari te posse confidas, nisi in hac te diligenter & longo tempore exerceas.* B. Albertus Magnus in libro de adhærendo Deo cap. 20. loquens de altiori, ad quam in hac vita pervenire possumus, contemplatione, scribit. *Verumtamen quicumque hunc statum aggredi, vel ingredi voluerit, oportet omnino ut, velut clausis oculis & sensibus, se totum intra se recipiat, nec aliud umquam objectum inibi mente attendat, quam Jesum Christum vulneratum; sicque per eum in eum, per hominem in Deum, per vulnera humanitatis ad intima divinitatis sedulo & obnixe intendat.* Quo nihil melius proferri poterat in sequelam eorum, quæ supra adduximus cum D. Thoma de contemplatione Beatorum circa humanitatem Jesu Christi. Consonat Dionysius Carthusianus Tract. de Fonte lucis art. 11. ubi ait: *Tertia contemplationis species est Christi speculatio: ut puta, qualiter ipsa a Verbo æterno assumpta hypostatice sit, atque increato esse ejus personalis supposita; & qualiter in eodem puncto, quo ex purissimis Virginis gloriosæ sanguinibus corpus Christi a Spiritu Sancto formatum sit.* Et post multa de hoc addit. *Qualiter in Mundo hoc in omni humilitate, paupertate, patientia, mansuetudine, caritate sit conversatus; quanta sustinuit; quomodo genus humanum redemit; quanta miracula fecit; quomodo resurrexit, apparuit, ascenditque in cælum.* Ex quibus denuo probatur humanitatis Christi contemplatio; & refellitur assertio Cameracensis, qua contendit, quod in fervore nascente contemplationis auferatur intuitus distinctus, sensibilis, atque reflexus Jesu Christi.

Demum pro coronide audienda est S. Theresia Mans. 6. cap. 7. ubi ad institutum nostrum ita scripsit: *Si trovano alcune anime (e molte sono quelle che hanno trattato meco di questo) le quali, come il Signore le fa arrivare a perfetta contemplazione, vorrebbero starsene sempre quivi; e non può essere: ma restano con questa grazia del Signore di maniera, che non possono dopo discorrere per li misterj della passione e vita di Cristo, come facevano prima. Io non so qual ne sia la cagione: ma questo, che l' intelletto rimanga assai inabile alla meditazione, è assai per ordinario.* Et post multa addit: *Questa è quella, ch' io dico che avranno ragione di dire, che non possono esercitare quelle anime, le quali Dio avrà fatte arrivare a cose soprannaturali, ed a perfetta contemplazione. Il perchè, come ho detto, io non lo so, nè la cagione: ma per lo più non potranno. Non però avrà ragione alcuna chi dice, che non può trattenersi in questi Misterj, e tenerli spesso presenti; particolarmente quando la Chiesa Cattolica li celebra.* Et post pauca: *L' anima potrà intendere questi Misterj della passione di Cristo con un modo più perfetto; ed è questo: che glieli rappresenta l' intelletto, e s' imprimono nella memoria, di sorte che in solo vedere il Signore caduto in terra con quello spaventoso sudore, questo le basta non pure per una sola ora, ma per molti giorni. Mirando con una semplice vista chi egli è, e quanto ingrati siamo stati a sì gran pena, subito corre la volontà a desiderare di servire in qualche cosa per benefizio sì grande, ed a desiderare di patire alcuna cosa per chi patì tanto per lei, ed altre cose simili, nelle quali s' occupa la memoria e l' intelletto.* Ubi habetur ex S. Theresia contemplatio activa humanitatis Jesu Christi. Consequenter hujusmodi contemplatio (licet materialis & sensibilis sit humanitas Jesu Christi) modo ab eadem Sancta descripto haberi potest: & non solum in fervore nascente contemplationis, sed quandocumque cum auxilio divinæ gratiæ. De hac contemplatione activa humanitatis Jesu Christi erudite ac fuse pertractat etiam P. Balthasar a S. Catharina Carmelita Discalceatus, ad citatam Mansionem cap. 7. Splend. unico, omnino videndus.

Impugnatur secunda pars dictæ Propositionis, ubi dicitur, quod animæ contemplativæ priventur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi in extremis probationibus; ex eo quod scribit Apostolus ad Hebr. 12. v. 2. in hæc verba. *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Jesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contempta, atque in dextera sedis Dei sedet. Recogitate enim eum, qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semetipsum contradictionem, ne fatigemini animis vestris.* Perpende verba. En Apostolus hortatur nos aspicere, ac recogitare Jesum Christum crucifixum, ut non fatigemur animis nostris in extremis probationibus, in angustiis, in afflictionibus. At hoc esset frustraneum, si in extremis probationibus animæ contemplativæ privarentur intuitu distincto, sensibili, & reflexo Jesu Christi. Ergo animæ contemplativæ in extremis probationibus non privantur ejusmodi intuitu sensibili, distincto, atque reflexo sacratissimæ humanitatis Jesu Christi. Hinc Petrus Apostolus Epist. I. cap. 4. v. 1. ait: *Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini:* id est, in tribulationibus, probationibus, & angustiis. Ergo animæ contemplativæ non amittunt intuitum Jesu Christi in extremis probationibus. Et S. Leo Papa Serm. 4. in Quadragesima ad institutum nostrum ita effatur: *Cum caro concupiscit adversus spiritum, spiritus autem adversus carnem; præsidio crucis Christi mens rationalis instruitur, ne cupiditatibus noxiis illecta consentiat.* Quomodo igitur anima contemplativa in extremis probationibus & angustiis abjicere poterit intuitum Jesu Christi? Viderit inconsequentiam suam Cameracensis.

Præterea S. Theresia in Vita sua cap. 22. ita scribit: *Nelle persecuzioni e travagli, quando non può aversi tanta quiete, ed in tempo di aridità, è molto buon amico Cristo; poichè si può da noi allora mirare, come uomo: e considerandolo con debolezze e travagli, è per noi buona compagnia.* Quod profecto vanum esset dicere atque supervacaneum, si in probationibus, ariditatibus, & angustiis anima contemplativa privaretur intuitu Jesu Christi.

Consonat S. Joannes a Cruce, qui lib. 2. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 32. ita disserit: *Fuori di questo tempo* (id est, quando Deus communicat contemplationem) *in tutti i suoi esercizj, atti, ed opere si deve valere l' anima delle memorie e delle buone meditazioni, nella maniera che le recheranno maggior divozione e profitto: particolarissimamente intorno alla vita, passione, e morte di Gesù Cristo Signor nostro, per conformare le sue azioni, esercizj, e vita con quella di lui.* At non conformaret anima contemplativa vitam suam cum vita & actionibus Jesu Christi, si in probationibus & augustiis ejus intuitum abjiceret. Rursus idem Sanctus lib. 1. Noct. obsc. cap. 10. in fine ita monet animas contemplativas: *Si deve sempre avere questo appoggio e riparo della vita e croce di Cristo, che per purgazione, e pazienza, e per lo sicuro cammino è il migliore, ed ajuta maravigliosamente all' alta contemplazione.* Demum confutatur dicta secunda pars Propositionis hactenus a nobis impugnatæ ex his, quæ exarantur in compendio vitæ S. Joannis a Cruce, præfixo Operibus ejusdem, ubi cap. 6. legitur: *Patisce persecuzioni, aridità, e timori interni. Si accende vieppiù ne' desiderj di patire, e gli fa il Signore segnalati favori. Questi erano i danni, e le stragi, colle quali restava il Demonio abbattuto: onde infuriandosi contro l' autore di esse, cercò di snervare le di lui forze, di atterirlo con persecuzioni, di atterrarlo con patimenti e disastri, e disanimarlo con timori. Sarebbe non convenevole alla brevità di questa relazione, il farne ora catalogo. Solo basti qui accennare, che non mancarono calunnie, fino a toccarlo nell' onore medesimo; orridi Processi formati contro la di lui innocenza; e finalmente le carceri, nelle quali fu per nove mesi in Toledo rinchiuso: dove con pane ed acqua a oncie, ed altri trattamenti penosi, soffrì un lungo martirio per il mantenimento de' suoi buoni propositi, di voler ridurre a' suoi primitivi rigori l' osservanza dell' Ordine. A' patimenti del corpo si aggiungevano le afflizioni dell' anima; parendogli di stare in un continuo inferno, ed essere abbandonato da Dio: che però quivi compose una dolente, ma amorosa Canzone, la quale incomincia.*

Dove ascondet ten gisti,
E mi lasciasti in gemito infinito?
Come cervo fuggisti,
Avendomi ferito:
T' uscii dietro gridando; eri già ito.
Ahi, chi potrà sanarmi?
Perchè se hai tu piagato
Questo penoso cuor, non lo sanasti?
E giacchè l' hai rubato,
Perchè sì lo lasciasti? ec.

Quale con bellissimi comenti sponendo, dimostrò come in uno specchio l' eccellenza del suo spirito. Non istava però il Signore tanto nascosto, che di tanto in tanto non gli partecipasse in abbondanza dolcissime le consolazioni; non gli si mostrasse tutto amore; non lo regalasse con soavi delizie, e singolarissimi benefizj, ed intime comunicazioni. Anzi apparendogli una volta, ed illuminando con celesti splendori la carcere, gli disse: Non temere, Giovanni; io ti libererò.

Objicies. S. Joannes a Cruce expressè docet, animam contemplatricem ita defigi in simplici divinitatis intuitu, ut sacratissimæ Jesu Christi humanitatis penitus obliviscatur. Ita namque scribit lib. 3. Ascens. ad Mont. Carmel. cap. 1. *Alcune volte in quell' altezza di contemplazione, e semplice vista della divinità, l' anima non si ricorda di questa santissima umanità: perchè Dio di propria sua mano innalzò lo spirito a questo come confuso e molto soprannaturale conoscimento.* Ergo in altissima contemplatione amittitur aliquando intuitus distinctus, sensibilis, atque re flexus sacratissimæ humanitatis Christi.

Respondeo, quod licet in extremis probationibus, sicut & in altissima contemplatione, anima impediatur ab exercitio meditationis Jesu Christi (ut vidimus supra ex S. Theresia Mans. 6. cap. 7.) attamen non impeditur, quin possit in tali statu *con una semplice vista* (ut advertit ibidem S. Theresia) *per mezzo dell' intelletto mirare questi Misterj*; & consequenter habere intuitum distinctum, sensibilem, & reflexum Jesu Christi. Aliud est enim meditari humanitatem Jesu Christi; & aliud est habere simplicem intuitum ad humanitatem Jesu Christi. Primo anima in extremis probationibus constituta aliquando privatur; secundo vero minime. Cum ergo in objectione, desumpta ex S. Joanne a Cruce, sermo sit dumtaxat de primo, non de secundo; ultro Cameracensis instantia evanescit.

Instabis cum damnatæ Propositionis Auctore, dicendo, *probationes ejusmodi esse breves*. Respondetur, dictas probationes posse aliquando esse diuturnas; ut fuere in S. Theresia, aliisque animabus contemplativis: cum earum brevitas, aut diuturnitas a solo Dei beneplacito pendeat. Sed urget Archiepiscopus Cameracensis, hujusmodi jacturas privationis, scilicet intuitus Jesu Christi, in extremis probationibus esse tantum apparentes, & transeuntes. Verum enimvero quomodo apparentes esse possunt, si vera sit Christum distincte videndi impotentia? si Christus animæ ereptus (ut scribit Auctor pag. 166.) illi postea reddatur? Deinde si probationum tempore anima distincto Christi intuitu, & fide explicita ideo privatur, quia Deus illi reflexam omnem cognitionem adimit: magis adhuc ipso perfectæ contemplationis tempore privabitur; cum tunc nullas reflexiones admittat Cameracensis. Quanto autem conatu dictum Christi intuitum a contemplatione pura amovere studeat Auctor, patet ex his verbis pag. 196. exaratis. *His duobus casibus exceptis*, inquit, *scilicet in fervore nascente contemplationis, & in extremis probationibus, anima vel maxime sublimis in actuali contemplatione Christo per fidem præsenti exhibito occupari potest; & in iis intervallis, quibus pura contemplatio cessat, adhuc de Jesu Christo occupatur*. Notanda sunt singula verba. In duobus casibus (nempe initio contemplationis, & probationum tempore) anima Christo per fidem præsenti exhibito occupari nequit. In actuali contemplatione de eo non occupatur. Occupari quidem potest: nempe *si a Deo specialis gratia offeratur, & adhibeatur Christi intuitus*: ut scribit idem Cameracensis pag. 189. In intervallis, quibus pura contemplatio cessat, de Christo adhuc occupatur anima. Ergo quamdiu pura contemplatio viget, de Christo non occupatur. Particula *adhuc* nihil juvat. Nam solum significat, animam in Christo occupari pro intervallis, quibus pura contemplatio cessat; sicut de eo occupari, finitis probationibus, immediate dixerat Auctor.

§. XVIII.

XVIII. *In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult: & amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec umquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.*

AD sensum legitimum hujus Propositionis intelligendum, observa, loqui Auctorem de statu passivo animarum in probationibus a Deo immittendis animabus ad bravium perfectionis ambulantibus. Hæc autem sunt in duplici genere. Nonnullæ spectant ad partem sensitivam; aliæ ad partem spiritualem: de quibus luculenter egimus Dissert. VI. §. 5. & 6. In hoc statu passivo, inquit Auctor, omnes virtutes distinctas exercentur, non cogitando eas esse virtutes: tum quia, ut subdit, *nihil aliud cogitatur, quam facere id quod Deus vult*; tum quia, secundum ejus doctrinam, quælibet virtus cum caritate, & ex communi caritatis motivo exercetur; non vero ex earum proprio, immediato, & specificativo. Quapropter perspicue deprehenditur, fucum facere, cum dicit, *quod in statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ*. Docet itaque, a statu passivo excludendum esse exercitium virtutum distinctarum; & clarius patet ex pag. 224. ubi ait: *Hic amor est vicissim ad omnes diversas virtutes: sed nullam earum vult, quatenus virtus est, id est, quatenus fortitudo, magnitudo, pulchritudo, regularitas, perfectio*. Clarius hæc ejus mens evincitur, si expendatur id, quod tradit pag. 134. in qua hæc habet de quarto amoris statu. *Non volumus virtutes, nisi perfectissimas: eas propter Dei gloriam præcipue volumus; sed eas nolumus, ut earum meritum & mercedem habeamus.* Ex quibus verbis constat, imperfectionis esse, quod velimus virtutes perfectissimas, etiam propter Deum. Quare perfectis dumtaxat reservatur, ut eas nullo modo velint, ut perfectionem suam, & ut causam meriti: quia licet singulæ virtutes diversa habeant objecta materialia; unico tamen per Auctorem motivo caritatis exercentur: ac proinde proxima & immediata earum motiva excluduntur, a quibus illarum distinctio specifica deprehenditur. Cohæret huic doctrinæ Domina Guionia in libello, inscripto *Moyen Court*, pag. 36. his verbis: *Nullas esse animas ad virtutum praxim magis exercitatas, quam eas, quæ de virtutum praxi in particulari non cogitent.* Quare tam Cameracensis, quam ejus Discipula Domina Guionia non distant ab errore sexto Beguardorum, aliorumque Quietistarum: *Quod se exercere in actibus virtutum est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat a se virtutes.*

Propositio, ut jacet, est *erronea, temeraria, ac piarum aurium offensiva, respective quoad suas partes.*

Impugnatur I. pars prima Propositionis ex Articulo I. Issiacensi, ubi definitur in hunc modum: *Omnis Christianus quovis in statu* (etiam passivo) *tenetur ad conservandum fidei, spei, & caritatis exercitium, & ad earum actus producendos, sive eliciendos, ut virtutum distinctarum actus.* Quod & de aliis virtutibus dicendum est; ut constat ex damnatione supra impugnatæ Propositionis XXXV. Molinosii. Sed hæc verificari non possunt, non cogitando, quod sint virtutes. Ergo in statu passivo exercentur omnes virtutes, cogitando, quod sint virtutes. Auctoritatibus Sacræ Scripturæ, ad impugnationem citatæ Propositionis allatis, Apostolum adjicimus, ad Philipp. cap. 4. vers. 8. ita scribentem: *De cetero, fratres, quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ: hæc cogitate.* Ex quibus evidenter constat, non posse nos exercere virtutes distinctas, quin cogitemus, quod sint virtutes: nihil enim volitum, quin præcognitum; ut jam tritum habetur in Scholis.

Confirmatur, quia sicut virtutum distinctio a Deo revelata est, ita singularum virtutum studium præcipitur; ut quæ sit cujusque pulchritudo atque præstantia, cogitemus: particularem quippe habent ex objecto proprio & immediato bonitatem, quæ nobis amanda proponitur. Procul igitur a Christianorum auribus exulent hæc verba: *Amor zelotypus facit, ut amplius nolis esse virtute præditus.* Quæ cum pessime sonare intelligeret Auctor; in Libri erratis ita emollivit: *Virtute præditus.* Lege: *propter se.* Verum frustra ambigue loquitur. Si enim *propter se* sic intelligitur, ut in illo fine animus conquiescat; nullus est justorum etiam imperfectorum, qui propter virtutes studiosus esse velit. Si autem propter se id sonat, ut sibi quisque velit virtutem; nemo est etiam perfectissimus, qui non id velit. Hæc non alio spectant, quam ut immediate virtutum motiva excludantur. Unde paulo ante dixerat pag. 224. *Hic amor est*

est vicissim omnes virtutes diversas ; sed nullam earum vult, quatenus virtus est, id est, quatenus fortitudo, magnitudo, pulchritudo, regularitas, perfectio. Ex quo tempore, amabo te, ipsum virtutis nomen odiosum factum est ?

Confutatur II. ex doctrina de cælo data a S. Theresia suis Monialibus, ut habetur in Operibus ejusdem S. Theresiæ pag. mihi 255. (quarum plures in statu passivo reperiebantur, de quo eadem Sancta lib. Fundat. cap. 6.) ubi ita inquit : *Procura esercitare, ed acquistare le virtù ; che più mi piacquero, quando io qui viveva : che le più principali furono I. Presenza di Dio ; procurando di far l'opere in unione di quelle di Cristo. II. Orazione perseverante. III. Ubbidienza. IV. Umiltà profonda, accompagnata colla confessione d'aver offeso Iddio. V. Purità di coscienza, senza acconsentire a peccato mortale, nè a veniale avvertitamente. VI. Zelo delle anime, procurando tirarne a Dio, quante più potrai. VII. Affetto al Santissimo Sacramento dell'Altare, e comunicarsi col maggior apparecchio e preparazione che sia mai possibile. VIII. Particolar divozione allo Spirito Santo, ed alla Vergine Maria. IX. Pazienza, e fortezza ne' dolori e travagli. X. Chiarezza di anima, e semplicità di spirito, con discrezione e schiettezza. XI. Verità nelle parole, senza dire, nè permettere che mai si dica bugia alcuna. XII. Vero amor di Dio e del prossimo, che è la somma di tutta la perfezione.* Ex qua illuminatissimæ Virginis auctoritate constat evidenter, quod in statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, *cogitando* & *cognoscendo*, quod sint virtutes : quod quantum distet a doctrina Cameracensis, quis non videt ? Cum vero addit ibidem : *In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id quod Deus vult :* reponendum est, quod Deus vult in quolibet momento nos exercere virtutes illas, ad quas tunc obligamur ; ut videbimus infra.

Impugnatur quoad secundam partem dicta Propositio, in qua asseritur, quod *amor zelotypus efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec umquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.* Prævie tamen advertas velim, nos teneri aliquas virtutes ut tales aliquando exercere, eisdemque esse affixos : ut constat ex damnatione Propositionis XXXVII. Molinosii, supra a nobis confutatæ ; utque mirifice docet S. Franciscus Salesius, part. 3. Introductionis ad Vitam devotam cap. 1. ita scribens : *Quando noi siamo combattute da qualche vizio, ei bisogna, quanto più si può, abbracciare la pratica della virtù contraria, riferendo le altre a questa : perciocchè in questo modo noi vinceremo il nostro nemico, e non lasciteremo di avanzarci in tutte le virtù. Se io son combattuto dall'orgoglio, o dalla collera : bisogna che in ogni cosa io penda e mi pieghi dal canto dell'umiltà, e della mansuetudine ; e che a questo io faccia servire gli altri esercizj dell'orazione, de' Sacramenti, della prudenza, della costanza, della sobrietà. Perchè siccome i Cinghiali per aguzzare i lor denti di difesa, li fregano e forbiscono con gli altri loro denti, i quali vicendevolmente restano tutti perciò forti, affilati, ed acuti : così l'uomo virtuoso, avendo intrapreso a perfezionarsi nella virtù, della quale egli ha più bisogno per sua difesa, deve limarla ed affilarla coll'esercizio delle altre virtù ; le quali nell'affilare quell'altre diventeranno tutte più eccellenti e più pulite. Come avvenne a Giob, il quale esercitandosi particolarmente nella pazienza contro tante tentazioni dalle quali fu agitato, divenne perfettamente santo e virtuoso in ogni sorta di virtù. Anzi è avvenuto, come dice S. Gregorio Nazianzeno, che con un sol atto di virtù, bene e perfettamente esercitato, una persona è arrivata al colmo di ogni virtù : allegando Raab, la quale avendo esattamente praticato l'uffizio dell'ospitalità, giunse ad una gloria suprema. Ma questo s'intende, quando tal atto si fa eccellentemente, e con gran fervore e carità.* Quibus præjactis, hoc construitur ratiocinium adversus Cameracensem. Dantur casus, in quibus tenemur aliquas virtutes exercere ut tales, eisque affixos esse ut talibus. Sed ejusmodi obligatio pugnat cum amore zelotypo Cameracensis : nam juxta sensum illius hic amor prætensus efficit, ne amplius nobis velimus virtutes. Ergo perperam, atque inconsequenter defenditur hic amor futilis, atque inanis.

Ex his demum habes, quomodo intelligas auctoritatem laudati sancti Antistitis Genevensis, qua ad sui defensionem abutitur Cameracensis pag. 224. his verbis : *Anima pura non amplius amat virtutes, nec quia pulchræ & puræ sunt ; nec quia amore dignæ sunt ; nec quia eos, a quibus exercentur, ornant & perficiunt ; nec quia merentur.* Animas nempe puras non amplius amare virtutes, ut in iis ultimo conquiescant ; sed ut per earum exercitium, ornatum, & meritum magis divinæ bonitati adhæreant, & uniantur.

§. XIX.

XIX. *Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas ; sed solum quatenus est id quod Deus a nobis vult.*

HÆC Propositio satis superque declarat, in irritum cedere evasiones illas quorumdam Scriptorum, qui librum Cameracensis Archipræsulis citra omnem censuram propugnari posse haud ambigunt : quod scilicet motiva spei, necnon cæterarum virtutum ab animabus disinteressatis excludens, spem & alias virtutes non abjecerit ; immo eas vere ac realiter in motivo imperatæ caritatis admiserit, a qua omnem formam cæteræ virtutes accipiunt. Enimvero præter ea quæ alibi allata sunt, evincitur ex hac Propositione, Auctorem non uti motivo caritatis imperantis aliarum virtutum officia : quia in hac Propositione etiam proprium ejusdem caritatis motivum abjiciens, caritatem obedientiæ subordinat. Non vult enim, ut caritatem velimus, quia hæc (ut loquitur Apostolus I. ad Corinth. 13. vers. 4.) *patiens est, benigna est ; non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati : omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet : caritas numquam excidit :* seu ad omnia perficit. Vult vero, ut caritatem velimus, quia Deus vult ut eam velimus : quod idem est ac dicere, caritatem, seu amorem Dei non esse in se bonum, sed bonum, quia nobis injunctum ; cum tamen e converso Deus sui amorem præcipiat, quia ejus amor summum nostrum bonum & summa perfectio est. Quare ex hoc manifestum fit, Auctorem, cum librum exararet, nullatenus de spei cæterarumque virtutum motivo subordinando motivo caritatis cogitasse, ut ab ejus Defensoribus contenditur ; sed potius voluisse, ut non tantum motiva spei aliarumque virtutum, quin & ipsius caritatis ac fortitudinis penitus abjicerentur : ut anima ad nihil aliud sit parata, quam ad extraordinarios gratiæ impulsus singulis instantibus habendos, atque existimandos pro regula eorum omnium, quæ a nobis agenda sunt pro divinis voluntatibus adimplendis, sive cognitæ sint, sive incognitæ. Nec mirum est, Auctorem ita se gessisse : cum ab initio spem, seu spei motivum sustulerit ; in progressu ad peculiaria omnium virtutum motiva, adeoque ad omnes virtutes tamquam proprias abjiciendas processerit ; ac tandem pro coronide ad tollendum etiam proprium caritatis motivum descenderit.

Propositio, ut jacet, est *temeraria, scandalosa, & erronea.*

Falsitas ostenditur ex connexione hujus Propositionis cum proxime antecedenti : in ea siquidem asseritur, in statu passivo omnes virtutes distinctas exerceri : in præsenti autem adstruitur, quod anima in eodem statu non amat suum amorem, ut propriam felicitatem, & propriam perfectionem ; cum ista reflexio sit actus spei theologicæ. Proinde excluditur actus spei theologicæ ab anima passiva, & disinteressata, quæque supponitur perfecta, & in actu caritatis. Quod profecto dici non potest, asserente Joanne Climaco in lib. triginta graduum quibus ascenditur ad perfectionem, gradu 30. *Vis omnis caritatis in spe sita est, per quam præmium expectamus. Spes est non apparentium divitiarum . . . . Hæc est laborum requies, janua caritatis, desperationis extinctio, absentium bonorum imago & repræsentatio. Ubi spes decollavit, caritas periit. Hac labores nostri devinciuntur ; ab hac nostra sudorum studia dependent ; hanc misericordia divina circumvallat.* Hinc S. Thomas 2. 2. quæst. 25. art. 2. in corp. ait : *Sed contra est, quod Augustinus dicit 8. de Trin. Qui diligit proximum suum, consequens est ; ut etiam ipsam dilectionem diligat : sed proximus diligitur ex caritate : ergo consequens est, ut etiam caritas ex caritate diligatur. Respondeo dicendum, quod caritas amor quidam est ; amor autem ex natura potentiæ, cujus est actus, habet quod possit supra seipsum reflecti. Quia enim voluntatis objectum est bonum universale ; quidquid sub ratione boni continetur, potest cadere sub actu voluntatis. Et quia ipsum velle est quoddam bonum, potest velle se velle ; sicut & intellectus, cujus objectum est verum, intelligit se intelligere, quia hoc etiam est quoddam verum. Sed amor ex ratione propria speciei habet, quod supra se reflectatur : quia est spontaneus motus amantis ad amatum. Unde ex hoc ipso, quod amat aliquis, amat se amare.* Ex quo colligitur, quod anima passiva & disinteressata, si Deum amat, non potest non velle amare ; nec potest non velle suum amorem, tamquam suam perfectionem & felicitatem. Rursus prosequitur ibidem S. Thomas : *Caritas non est simplex amor, sed habet rationem amicitiæ. Per amicitiam autem ama-*

tur aliquid dupliciter. Uno modo sicut ipse amicus, ad quem amicitiam habemus, & cui bona volumus. Alio modo sicut bonum, quod amico volumus. Et hoc modo caritas per caritatem amatur; & non primo: quia caritas est illud bonum, quod optamus omnibus quos ex caritate diligimus. Præterea ibid. ad 2. inquit: *Caritas est ipsa communicatio spiritualis vitæ, per quam ad beatitudinem pervenitur: & ideo amatur, sicut bonum desideratum omnibus quos ex caritate diligimus.* Atqui ex caritate diligimus nosmetipsos: ut ibid. art. 4. docet S. Thomas. Ergo diligimus caritatem, tamquam bonum desideratum nobis; proinde amore concupiscentiæ, qui est actus spei theologicæ. Proinde non potest defendi, quod anima passiva & disinteressata ipsum amorem non velit, quatenus est sua perfectio & sua felicitas; ut inconsequenter docet Cameracensis.

Demum pro coronide audiendus est S. Franciscus Salesius, qui in suis Colloquiis spiritualibus, vulgo *Trattenimenti*, colloq. 21. ita præclare scribit ad nostrum institutum: *Voi mi dite: Se non bisogna desiderare la virtù; è, perchè nostro Signore ha detto: Domandate, e vi sarà dato. Oh! figlia mia, quando io dico, che non bisogna domandare, nè desiderare cosa alcuna; intendo delle cose della terra. Poichè per quello che tocca alle virtù, le possiamo domandare; e domandando l'amore di Dio, noi ve le comprendiamo tutte: perchè esso tutte le contiene.* En totum punctum decisum ex S. Francisco Salesio, qui evidenter demonstrat, nos petere posse a Deo virtutes, ut nos perficiunt atque complent in ordine ad finem nostrum, qui Deus est. Quibus addas tandem S. Joannem a Cruce, qui in Opusculo mirabili, sub titulo *La fiamma d'amor viva*, divine pertractat per plures versus desideria animæ possidendi amorem divinum, eoque perfruendi.

Dices cum Archiepiscopo Cameracensi pag. 226. lib. 22. ubi ex S. Francisco Salesio illustrem hanc in sui patrocinium profert sententiam: *S. Franciscus Salesius dicit* (sunt verba Cameracensis) *desiderium salutis esse bonum. Sed adhuc perfectius nihil desiderare, vult dicere, nec desiderandum quidem esse amorem Dei, quatenus est nostrum bonum.*

Respondetur, sanctum Antistitem nusquam protulisse, desiderandum non esse amorem Dei, quatenus est nostra felicitas, & nostra perfectio: sed dumtaxat adstruere voluisse, quod quærendus in Deo sit per se amor divinæ pulchritudinis; non vero ipsamet delectatio, quæ ex divini amoris pulchritudine manat: quo loco illud unum docet, omnia ad Deum referenda esse.

§. XX.

XX. ***In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum; non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem quam Deus vult nos velle propter suam gloriam.***

ANimas transformatas vocat Auctor hujus Propositionis a Deo elevatas ad gradum unionis, de quo locuti fuimus Dissertat. X. §. 4. De iis ergo ait, debere sua peccata detestari, atque earum veniam expetere; non ut propriam puritatem, & liberationem a culparum reatibus, sed tamquam rem quam Deus vult nos velle: ideoque Cameracensis defensores ita ratiocinantur. *Anima igitur transformata veniam peccatorum non quærit propter suam liberationem ab Inferis, neque ob suam purificationem ad promerendum cælorum regnum. Etenim si neque Infernus, neque Paradisus esset; adhuc confiteretur peccata, Deique voluntatem ex puro amore erga Deum impleret.* In hoc autem rerum systemate Auctor sibi non constat: cum infra pag. 242. dicat, quod anima in puro amore habeat efficacissimam contritionem, quæ ex se tendit ad destructionem peccatorum, juxta unanimem omnium Theologorum consensum; quantumvis non semper cum formula expressa ejus actus sensibiles eliciat.

Hæc nostræ puritatis ad divinam voluntatem reductio aliud non videtur habere fundamentum, quam in Propositione LXI. Molinosii, ubi ait: *Anima cum ad mortem Mysticam pervenit, non potest aliud velle, quam quod vult Deus: quia non habet amplius voluntatem, & Deus eam illi abstulit.*

Propositio, ut jacet, est *falsa, temeraria, scandalosa, & Molinosii errorem renovans.*

Ostenditur falsitas ex eo quod animæ transformatæ debeant sua peccata detestari, & confiteri, ut propriam purificationem, & liberationem a peccatis obtineant juxta rationem & finem Sacramenti Pœnitentiæ: ut habetur ex Tridentino sess. 14. de Pœnit. cap. 2. ubi ita loquitur. *Quos Christus Dominus lavacro Baptismi sui corporis membra semel effecit; hos si se postea crimine aliquo contaminaverint, ante hoc tribunal tamquam reos sisti voluit: ut per Sacerdotum sententiam non semel, sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum Pœnitentes confugerint, possent liberari.* Ergo animæ transformatæ sua peccata detestari, & confiteri debent, ut propriam purificationem, & liberationem a peccatis obtineant: quod expresse contrariatur Propositioni damnatæ; ut constat ex terminis. Insuper S. Thomas Part. 3. quæst. 85. art. 2. in corp. ita scribit: *Ubi occurrit specialis actus laudabilis, ibi necesse est ponere specialem habitum virtutis. Manifestum est autem, quod in Pœnitentia invenitur specialis ratio actus laudabilis: scilicet operari ad destructionem peccati præteriti, inquantum est Dei offensa; quod non pertinet ad rationem alterius virtutis. Unde necesse est ponere, quod Sacramentum Pœnitentiæ operatur ad destructionem peccati.* Jamvero si Sacramentum Pœnitentiæ operatur ad destructionem peccati; ut ex S. Thoma laudato velut inconcussum defendunt Theologi: consequenter operabitur & ad liberandum nos a peccato, & ad purificationem nostram a peccati macula obtinendam. Nam ejusmodi purificatio atque liberatio est proprius ac præcipuus fructus hujus salubertimi Sacramenti; ut videbimus infra: cum ejus materia assignentur a Sanctis Patribus peccata post Baptismum commissa; ad quæ diluenda, atque destruenda institutum est a Christo Domino Sacramentum Pœnitentiæ. Hinc S. Franciscus Salesius in Introductione ad Vitam devotam part. 2. cap. 19. ad nostrum institutum ita scribit: *Nostro Signore ha lasciato nella sua Chiesa il Sagramento della Penitenza, e Confessione; affinchè noi in quella ci lavassimo di tutte le nostre iniquità, tutte le volte che noi ci troveremo imbrattati. Non permettete dunque mai, Filotea, che il vostro cuore resti lungo tempo infetto di peccato: perchè voi avete un rimedio tanto facile, e tanto alla mano . . . . . L'anima che ha acconsentito al peccato, deve avere orrore di se stessa, e nettarsi subito, pel rispetto ch' essa dee portare agli occhi di Sua Divina Maestà, che la riguarda. Ma perchè mojamo noi di morte spirituale, poichè abbiamo un rimedio tanto sovrano? Confessatevi dunque umilmente, e divotamente . . . . . . perchè per mezzo della Confessione non solamente voi riceverete l'assoluzione de' peccati che voi confesserete; ma ancora una gran forza per evitarli in avvenire, un gran lume per discernerli bene, ed una grazia abbondante per scancellare tutto il danno che vi avranno causato. Voi praticherete la virtù dell' umiltà, ubbidienza, semplicità, e carità: che in questa sola azione della Confessione voi eserciterete più virtù, che in verun' altra.*

Dices cum defensoribus Cameracensis, quod licet animæ transformatæ sua peccata detestentur, & condemnent se, ac simul desiderent remissionem peccatorum suorum; id tamen non faciunt, ut propriam purificationem, & liberationem obtineant, sed ut rem quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

Respondeo cum D. Thoma 1. 2. quæst. 1. art. 3. ad 3. quod in actu voluntatis considerari debet duplex finis: proximus, a quo desumit suam speciem; & finis remotus. Hinc in suscipiente Sacramentum Pœnitentiæ finis proximus & proprius est velle liberationem suam a peccato, & propriam perfectionem, atque purificationem; finis vero remotus potest esse, quia Deus vult illam nos velle propter suam gloriam, quod convenit exercitio omnis virtutis. Unde ad Corinth. 10. vers. 31. dicitur. *Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite.* Catechismus vero Romanus triplicem finem Sacramenti Pœnitentiæ adducit: ubi ne verbum quidem de fine, quem excogitavit Cameracensis, scilicet ut confiteamur, quia hoc Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam. Quamobrem de Sacramento Pœnitentiæ num. 7. scribit: *Hic sibi tamquam finem proponit is quem vere peccati pœnitet. Primum autem hoc ei propositum est, ut peccatum aboleat, omnemque animæ culpam, & maculam abstergat. Alterum est, ut pro sceleribus admissis Deo satisfaciat: quod quidem ad justitiam referri perspicuum est. Nam etsi inter Deum & homines propria justitiæ ratio intercedere non potest; cum tam longo intervallo inter se distent: aliqua tamen esse justitiam constat, cujusmodi est inter Patrem & filios, inter Dominum & servos. Tertius est, ut homo in Dei gratiam redeat, in cujus offensionem & odium propter peccati fœditatem incurrit.* Ergo perperam adstruitur, quod animæ transformatæ in Deum confitendo debeant peccata sua detestari, & condemnare se, ac desiderare remissionem suorum peccatorum; non ut propriam purificationem, & liberationem, sed præcise ut rem quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

Confirmatur I. Admitti nequit, animam non debere veniam peccatorum, ut propriam suam puritatem, desiderare: puritas quippe propria intrinsecam habet bonitatem. Etenim si eam dumtaxat oporteret expetere, tam-

tamquam rem quam Deus vult; colligeretur, bonitatem non esse bonam, nisi quia a Deo volitam. Ut quid ergo Deus tantopere, præter generalem suæ voluntatis adimpletionem & obedientiam, hominibus inculcaret Isaiæ 1. vers. 16. *Lavamini, & mundi estote?* & regius Psaltes diceret Psal. 17. vers. 15. *Secundum puritatem manuum mearum in conspectu oculorum ejus?* & Jacobus in sua Epist. Canon. cap. 4. vers. 8. *Purificate corda vestra?* Hinc temere Auctor pro assertæ puritatis ad divinam voluntatem reductione adducit auctoritatem S. Francisci Salesii: quia nunquam prohibet sanctus Antistes, animam velle esse puram; sed velle dumtaxat, ut puritatis desiderium fini ultimo & universali subordinetur. Quare male Cameracensis in marginali nota versionis latinæ puritatem propriam, a se exclusam, contendit non esse nisi puritatem amore naturali & mercenario affectam: ad cujus intelligentiam de more nosces adulteratum Originale: quia Salesius ab eo laudatus nunquam de ista puritate amore naturali & mercenario quæsita potest intelligi; neque contextus Cameracensis ad eam quadrat.

Confirmatur II. Asserere, animas transformatas non desiderare remissionem peccatorum, ut propriam purificationem, & liberationem, destruit actum spei theologicæ in susceptione Sacramenti Pœnitentiæ. Nam desiderare remissionem suorum peccatorum, ut propriam perfectionem, purificationem, & liberationem a peccato, est actus spei theologicæ, juxta illud Matth. 9. vers. 2. *Confide, fili: remittuntur tibi peccata tua.* Et Tridentinum sess. 6. de justificat. cap. 6. docet: *Peccatores se esse intelligentes, a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore.* Ergo tenemur in susceptione Sacramenti Pœnitentiæ, & in Sacramentali confessione remissionem sperare delictorum nostrorum, ut propriam perfectionem, & liberationem a peccatis obtineamus. Nec sufficit illam desiderare propter gloriam Dei, vel ut voluntatem Dei faciamus; alias destrueretur ratio & finis Sacramenti Pœnitentiæ: nam distinctio virtutum ex S. Thoma 1. 2. quæst. 54. art. 2. ad 3. desumitur ex objecto formali earumdem. Proinde objectum spei, quod est bonum nostrum supernaturale, distinctum sit oportet ab objecto caritatis, vel obedientiæ; quod esset velle liberationem a peccato, vel quia Deus vult nos eam velle, vel quia nos volumus ipsam in gloriam Dei.

§. XXI.

XXI. *Sancti Mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.*

Frustra nititur Auctor rigorem Propositionis emollire dicens, se loqui de actibus virtutum ad certam quamdam formularum ordinationem redactis, de qua in hoc Articulo pertractat. Verum, re accurate pensata, non tantum id egit; sed alia plura tradidit: & signanter, quod anima perfecta nullo medio Deum amare intelligatur; quia nullum commodi etiam æterni motivum adhibeat. Hinc eam Propositionem exaravit. Rursus agitur in Articulo citato de transformatione, seu summa animarum perfectione. Tantæ ergo erat necessitatis, animas ab illa materiali servitute absolvere; ut in ejusmodi exclusione ratio perfectionis animæ transformatæ collocari deberet?

Propositio, ut jacet, est *scandalosa, in Sanctos Mysticos contumeliosa, & virtutum nomen invidiosum reddens.*

Impugnatur I. auctoritate Richardi a S. Victore, qui ad illa verba Canticorum 3. vers. 6. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris?* ad institutum nostrum ita scribit: *Simul ascendit utique fumus mortificationis: scilicet & desiderii, atque orationis; quia altera ab altero fulcitur, ita ut neuter per se possit ascendere, vel Deo placere. Superna enim desiderare non possumus, nisi terrena despiciamus; & terrena non despicimus, nisi ad supernorum desiderium trahamur.* Ecce necessitas mortificationis, & virtutum exercitium necessarium animabus orationi addictis, & transformatis. Sed præclare S. Thomas 1. 2. quæst. 61. art. 5. in corp. assignat virtutes proprias animarum transformatarum. Unde & scribit: *Quædam sunt virtutes jam assequentium divinam similitudinem, quæ vocantur virtutes purgati animi: ita scilicet, quod prudentia sola divina intueatur; temperantia terrenas cupiditates nesciat; fortitudo passiones ignoret; justitia cum divina mente perpetuo fœdere societur, eam scilicet imitando: quae quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum.* Ergo dantur virtutes in animabus perfectis, & transformatis: proinde Sancti & Mystici non modo non excluserunt; immo agnoverunt exercitium virtutum in animabus perfectis, & transformatis. Præterea idem Angelicus 2. 2. quæst. 180. art. 2. quærit, an exercitium virtutum moralium pertineat ad vitam contemplativam? & respondet: *Dispositive*, inquit, *virtutes morales pertinent ad vitam contemplativam. Impeditur enim actus contemplationis, in quo essentialiter consistit vita contemplativa, & per vehementiam passionum, per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia; & per tumultus exteriores. Virtutes autem morales impediunt vehementiam passionum, & sedant exteriorum occupationum tumultus: & ideo virtutes morales dispositive ad vitam contemplativam pertinent.* Ad rem. Si virtutes morales dispositive pertinent ad vitam contemplativam; consequenter non poterit dari status vitæ contemplativæ absque virtutum moralium exercitio. Atqui animæ transformatæ manent in statu altissimæ contemplationis. Ergo animæ transformatæ incumbant necessum est virtutum moralium exercitio. Proinde immerito Cameracensis excludit a statu animarum transformatarum hujusmodi exercitium virtutum moralium.

Ad hæc: S. Theresia, Magistra orationis & contemplationis, exercitium plurium virtutum exhibet Monialibus suis, aliisque personis contemplativis; ut cernere licet in fine Operum ejusdem sanctæ Virginis pag. mihi 217. sub titulo *Ricordi della S. Madre Teresa di Gesù per le sue Monache Scalze, ed altre Persone che si danno all' orazione*: ubi proponit exercitium novem supra sexaginta virtutum. Seraphicæ Magistræ doctrinam recitare supersedeo: nam longum nimis foret integram recensere.

Objicies. Præcipuæ animæ contemplatrices videntur excludere a statu transformationis, de quo in præsenti Cameracensis, exercitium virtutum moralium. Ita namque docuit B. Jacoponus a Tuderto in suo Cantico Mystico in hæc verba: *Virtus amittit actum, & exercitium, postquam ad portum transformationis ventum est*: & infra: *Supra firmamentum, quod virtutum stellis ornatur, transcendit anima, & super puritatem usque ad tertium cælum seraphicum.* Insuper Joannes Rusbrochius, inter Mysticos profundissimus, cap. 41. de regno Deum amantium inquit: *Cunctæ actiones, & exercitia virtutum quandoque finem accipient; sed earum fructus, cibus, ac potus noster erit in ævum sempiternum*: & ibidem enumerans fructus virtutum, qui in hac vita, & non solum in futura gustantur; in septimo amoris gradu cap. ultimo inquit: *Septimus amoris gradus, quo nihil potest esse sublimius, est, quando supra omnem cognitionem, & scientiam, infinitum sive abyssale quoddam nescire in nobis sentimus; & quando ultra quævis virtutum exercitia intra nos perenne quoddam otium experimur, in quo nulli operari licet.* Demum S. Maria Magdalena de Pazzis die octavo scribit: *Quando anima ad perfectionem pervenit, non æstimat, neque curat facere actus externos, aut internos virtutum, ut possideat, & exerceatur in ipsis; sed tantum in amore exercetur.* Ergo Sancti Mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

Respondetur auctoritatibus B. Jacoponi a Tuderto & Rusbrochii ex doctrina Episcopi Meldensis, qui in Instruct. super stat. oration. lib. 1. num. 1. & sequentibus, ad nostrum institutum ita disserit: *Sono già alcuni secoli, che molti Mistici e contemplativi hanno introdotto nella Chiesa un nuovo linguaggio, che ha eccitato più d'uno a contradditoro. Eccone un saggio nel libro di Giovanni Rusbrochio, che fu Canonico Regolare di S. Agostino, Priore e Fondatore del Monistero Vauert, celebre Mistico, e morì verso il fine del quattordicesimo secolo. Quest' uomo dunque nel libro dell' ornamento delle nozze spirituali, che è il suo capo d'opera, ha asserito queste Propofizioni, rinfacciategli poi da Gersone, che fiorì poco dopo.* (Et refert aliquas Propositiones censura dignas) *Ma senza entrare in questa disputa, bastami qui di far vedere, che quest' Autore, ed i suoi simili sono pieni di tali espressioni, che non possono pigliarsi in buon senso, se non con dar loro interpretazioni benigne, e per meglio dire, glose assai violente. E di fatto basta leggere le spiegazioni, che alle parole di Rusbrochio dà un pio Certosino di quel tempo, e suo discepolo, nel rispondere alle accuse di Gersone, per chiarirsi che non si deve attendere nè rigore, nè precisione di termini in queste espressioni stravaganti, ma al più scusarle con benigno compatimento.* Et postpauca: *Quindi è, che hanno picciola, per non dire, niuna autorità nelle Scuola, non potendosi altro dire in lor favore, se non che sono Autori di benignamente interpretarsi. Così quando al Suarez si oppone l'autorità del Taulero, che pure a mio parere è tra i Mistici il più solido ed il più corretto; egli risponde, che non parlando quest' Autore col rigore, e colla sottigliezza scolastica, ma con frasi Mistiche, non si può far molto fondamento sulle sue parole, per seguire la sua autorità.* Vide Suarez de Religione

ne lib. 2. de Oratione mentali cap. 12. num. 171. Ex quibus jam habes, quid respondendum sit ad auctoritatem allatam ex B. Jacopone Tudertino & Rusbrochio. Ad auctoritatem vero productam ex S. Maria Magdalena de Pazzis respondeo, non adduci textum integrum ejusdem sanctæ Virginis, sed mutilum, ac truncum. Nam post citata verba prosequitur sancta Virgo hisce verbis: *Quamvis interim opera virtutum perficiat*. Solum proinde contendit, quod animæ transformatæ non exerceant virtutes, ut in earum possessione, & exercitio sibi complaceant; cum interim opera virtutum revera perficiant, & se exerceant in amore, quod est præcipuum earum intentum.

§. XXII.

XXII. *Quamvis hæc doctrina* (de puro amore) *esset pura, & simplex perfectio Evangelica, in universa Traditione designata; antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum, nisi exercitia amoris interessati, eorum gratiæ proportionata.*

Adeo clara est Propositio, ut expositione non indigeat. Plura tamen congerunt Cameracensis defensores asserentes, eam primum œconomiam Christum adhibuisse, ut habetur Luc. 8. vers. 10. *Vobis datum est nosse mysterium regni Dei; cæteris autem in parabolis*. Deinde illa usus est Paulus, qui I. ad Corinth. 2. ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos . . . . sapientiam Dei in mysterio, quæ abscondita est*: & ibid. cap. 3. *Tamquam parvulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam: nondum enim poteratis; sed nec nunc quidem potestis: adhuc enim carnales estis*: & ad Hebr. 5. vers. 13. & 14. *Facti estis*, inquit, *quibus lacte opus sit, non solido cibo . . . . Perfectorum autem est solidus cibus: eorum qui pro consuetudine exercitatos habent sensus*. Sic magnus ille Dionysius de Myst. Theolog. ad Timoth. cap. 1. scribebat: *Vide, ne quis eorum, qui non sunt initiati sacris nostræ Religionis, hæc audiant; eos dico, qui in iis quæ sunt, commorantur, nec quidquam iis quæ sunt, præstantius esse existimant; sed eum, qui posuit tenebras latibulum suum, scientia sua se intelligere arbitrantur*. Sic S. Bernardus Serm. 1. in Cantic. ad suos Fratres dicebat: *Vobis, Fratres, alia, quam aliis de sæculo, aut certe aliter dicenda sunt. Illis siquidem lac potum dat, & non escam, qui Apostoli formam tenet in docendo. Nam spiritualibus solidiora apponenda esse, itidem ipse suo docet exemplo*. „ Loquimus, *inquiens*, non in „ doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiri- „ tus, spiritualibus spiritualia communicantes: “ *item*: „ Sapientiam loquimur inter perfectos: “ *quales vos nimirum esse confido*. Sic S. Bonaventura in Prologo incendii amoris inquit: *Istum librum offero intuendum non Philosophis, non mundi sapientibus, non magnis Theologis; sed rudibus & indoctis, magis Deum diligere, quam multa scire conantibus. Non enim disputando, sed agendo scietur ars amandi. Arbitror autem, ea quæ hic continentur, ab ipsis quæstionariis, & in omni scientia summis, sed in amore Christi inferioribus, non posse intelligi. Optime illi quidem: & sic deberent etiam hodie Pastores & Doctores non passim proponere alta & mystica sapientiæ cælestis, & explanare eum perfectionis statum, ad quem vix una ex mille animabus pervenit aliquando. Dum enim omnes passim, etiam mulierculæ & homunciones, audiunt arcana Dei, quæ non licet homini loqui; statim cupiunt, ad eum spiritus gradum sine alis volare, & in multos cadunt errores: vel etiam docti homines, sed gratiæ Dei parum fideles, & parum humiles, diligunt ea quæ non intelligunt, & facile damnant quæ capere nesciunt, & quæcumque ignorant, blasphemant. Satius igitur esset, hæc arcana & mystica non palam, & passim omni hominum generi exponere, nec margaritas ante porcos projicere.*

Ea tamen Propositio, ut jacet, est *temeraria, injuriosa sanctis Pastoribus, & Sanctis omnium temporum, derogat perfectioni Evangelii: & quatenus statuit secretum quoddam pro regula directionis, quæ sit sequenda; est etiam erronea.*

Impognatur. Veteres Pastores, & Patres nec absconderunt, nec abscondere potuerunt puritatem amoris Dei, omnibus & singulis fidelibus demandatam: præscriptum quippe noverant Apostolis Matth. 10. vers. 26. *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta*. Illa vero, quæ præcepit Christus, ut super tecta prædicemus, non spectant nisi ad divini amoris puritatem. Statim namque in eodem capite subjungit Christus sive mandata, sive consilia de sui ipsius confessione coram hominibus, qua anima pro ipso ponitur, qua caritate majorem, nemo habet; de amando Deum plusquam patrem & matrem, plusquam filios & filias; de accipienda Cruce, & Christo sequendo; de perdenda anima sua pro ea invenienda: in quibus verus, & purus Dei amor continetur. Hunc autem continuo prædicaverunt, atque omnibus fidelibus exposuerunt Pastores, & Sancti quibuslibet sæculis, ut Christi præceptis obtemperarent. Et profecto utrumque amorem, & purum caritatis, & interessatum spei, tradit S. Augustinus Serm. 336. alias de temp. 256. ubi sic effatus: „ Can- „ tate Domino canticum novum, cantate Domino omnis „ terra. “ *Quod ibi dixit*, canticum novum: *hoc Dominus dixit*, mandatum novum. *Quid enim habet canticum novum, nisi amorem novum? Cantare amantis est. Vox hujus cantoris, fervor est sancti amoris. Amemus, gratis amemus: Dominum enim amamus, quo nihil melius invenimus. Ipsum amemus propter ipsum, & nos in ipso, tamen propter ipsum*. Rursus idem S. Augustinus Epistola 155. alias 52. ad Macedonium cap. 4. scribit: *Quamquam & in hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est. Id eligere, prudentia est; nullis inde averti molestiis, fortitudo est, nullis illecebris, temperantia est; nulla superbia, justitia est. Quid autem eligamus quod præcipue diligamus, nisi quo nihil melius invenimus? Hoc Deus est, cui si diligendo aliquid vel præponimus, vel æquamus, nos ipsos diligere nescimus. Tanto enim nobis melius est, quanto magis in illum imus, quo nihil melius est. Imus autem non ambulando, sed amando. Quem tanto habebimus præsentiorem, quanto eumdem amorem, quo in eum tendimus, potuerimus habere puriorem*. Ecce, quod antiqui Pastores proponebant etiam multitudini justorum exercitium amoris puri. Unde S. Bernardus Serm. 8. de diversis scribit ad rem nostram: *Numquid mercenarium sum quis æstimet, qui paternæ inhiat hereditati, eamque toto affectu expetit & expectat, quam nimirum filii mercedem, non mercenarii Propheta testatur?* „ Cum dederit, *inquit*, dilectis suis „ somnum, ecce hereditas Domini, filii merces, fructus „ ventris. “ *Invenitur tamen alter gradus sublimior, & affectus dignior isto, cum penitus castificato corde, nihil aliud desiderat animo, non aliud a Deo quærit, quam ipsum Deum*. Ecce, quod D. Bernardus proponit multitudini justorum exercitium amoris interessati, & exercitium amoris puri. Rursus idem S. Abbas Tract. de diligendo Deo cap. 6. ita differit: *Cum dilectio, quæ tendit in Deum, tendat in immensum, tendat in infinitum (nam & infinitus Deus est & immensus) quisnam, quæso, dabitur finis esse nostri, vel modus amoris? Quid, quod amor noster non jam gratuitus impenditur, sed rependitur debitus? Amat ergo immensitas, amat æternitas, amat supereminens scientiæ caritas: amat Deus, cujus magnitudinis non est finis, cujus sapientiæ non est numerus, cujus pax exsuperat omnem intellectum; & vicem rependimus cum mensura? Diligam te, Domine, fortitudo mea, firmamentum meum, & refugium meum, & liberator meus, & meum denique quidquid optabile atque amabile dici potest. Deus meus, adjutor meus, diligam te pro dono tuo, & modo meo; minus quidem justo, sed plane non minus posse meo: qui etsi, quantum debeo, non possum; non possum tamen ultra quam possum. Potero vero plus, cum plus donare dignaberis: numquam tamen, prout dignus haberis*. Præterea S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 5. ad 2. docet, Deum diligendum esse propter seipsum; quod est exercitium amoris puri, non interessati: unde & scribit: *Caritate Deus diligitur propter seipsum. Unde una sola ratio diligendi attenditur principaliter a caritate: scilicet divina bonitas, quæ est ejus substantia, secundum illud Psal. 117.* „ Con- „ fitemini Domino, quoniam bonus. “ Aliæ autem rationes ad diligendum inducentes, vel debitum dilectionis facientes, sunt secundariæ, & consequentes ex prima. Hinc quæst. 27. art. 3. ait: *Ex aliquibus aliis disponimur ad hoc, quod in dilectione Dei proficiamus: puta, per beneficia ab eo suscepta, vel per præmia sperata; vel per pœnas, quas vitare per ipsum intendimus*. Instruit igitur S. Thomas multitudinem justorum ad exercitium amoris puri; simulque ad exercitium amoris interessati: ac proinde antiqui Pastores, & Doctores utrumque exercitium multitudini justorum commendabant.

Demum impugnatur dicta Propositio hoc solidissimo ratiocinio. Noverant antiqui Pastores, perfectionem Evangelicam omnibus prædicandam esse, juxta illud Christi effatum Matth. 5. vers. 48. *Estote vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est*. Amor autem purus, juxta Auctorem, est ipsamet perfectio Evangelica; quam idcirco veteres Pastores, præcepti a Christo traditi memores, nec siluerunt, nec silere debuerunt. Exinde mandatum caritatis perfectæ ad omnes dirigitur; ac proinde omnibus promulgaretur necessum fuit. Ad omnes loquebatur Paulus Apostolus, cum diceret I. Corinth. 10. vers. 31. *Omnia in gloriam Dei facite*: & ibid. 16. vers. 14. *Omnia vestra in caritate fiant*. Non aliam quidem, ut Auctori placent quam amoris mercenarii praxim justorum multitudini proponebant; nondum enim noverant amorem illum purum, qui beatitudinis intuitum, ac studium excluderet, quem quidem si proposuissent, hæc doctrina tam inaudita, tamque naturæ ac fidei adversa, offensioni & scandalo futura fuisset.

Respon-

Respondet Auctor I. vocari omnes justos ad perfectionem amoris vocatione generali, non speciali semper; neque omnes Christianos ad eumdem perfectionis gradum vocari. Verum mera cavillatio proditur in hac Cameracensis expositione. Nam quidquid sit de illa vocatione speciali, de qua hic quæstionem moveri nolim; certum est, ut fides docet, non deesse lumen interius, aut gratiæ auxilium, ad perfecte exequendum puri amoris præceptum, quod cum præcepto caritatis coincidere, clarum est.

Respondet II. Auctor. Illud quod a plerisque Sanctorum reticeri solet, non est purus amor; sed aliquod ejus exercitium: nempe contemplationis usus. Verum novam cavillationem hic obtendit Cameracensis. Nam contendit, ipsum amorem purum, & proprii commodi expertem, *vulgaribus Sanctis esse inaccessum; quem ipsis proponere & inutile, & indiscretum* asserit pag. 34. & 35. De ipso igitur amore, non de contemplationis exercitio loquitur. Sane antiqui Pastores, si non proponebant nisi mercenarii amoris exercitia; a proponendo amore gratuito abstinebant. Quod est erroneum: cum amor ille gratuitus, pura & simplex Evangelii perfectio dicatur. Puri amoris intelligentiam inter res quidem sublimes, non tamen arcanas, & plerisque Sanctorum impervias a SS. Patribus repositam esse, fateor. Sublimia sunt & cætera Religionis Mysteria; quæ tamen Sanctis occulta fuisse, nemo dixerit.

Frustra objicitur sapiens illa œconomia, qua Mysteria negabantur iis, qui nondum initiati erant. Nam de initiatis, & singulari quadam sanctitate præditis quæstio hic est.

§. XXIII.

XXIII. *Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem; & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt.*

Ultimam manum Operi suo hac Propositione Auctor imponit: ubi clarissime patet, quod licet plurima ibidem contenta inter se manifestissime pugnent; præcipue tamen ad scopum de divino amore collimant, per doctrinam ex falsis quidem, sed consentaneis principiis conflatam. Constituto itaque amore illo puro, ab omni spei motivo penitus independente, ex quo sequitur æternæ salutis indifferentia; animas ducit ad illam purgationem, qua fit propriæ æternæque salutis sacrificium perfectum & absolutum: cujus radicem in generali desiderio voluntatum Dei non modo cognitarum, verum etiam latentium collocaverat. Hinc, propriæ industriæ conatibus, atque cæterarum virtutum exercitiis suppressis, arbitratur tandem, purum amorem esse totius vitæ interioris fundamentum, ex quo tamquam ex unico principio omnes actus proveniant. Quapropter in hac Propositione ratum habet sui systematis principium, quo distinctionem virtutum evellit, & destruit: consone ad doctrinam Dominæ Guioniæ, quæ in Via Brev. pag. 36. ait, *nullas esse animas ad virtutum praxim magis exercitatas, quam eas, quæ de virtutum praxi in particulari non cogitant.*

Propositio, ut jacet, est *erronea, & male sonans.*

Impugnatur prima pars, in qua asseritur, purum amorem dumtaxat vitam interiorem constituere. Purus enim amor nequit haberi in via sine fide & spe; ut docet S. Thomas 1. 2. quæst. 65. art. 5. Ergo purus amor non potest ipse solus constituere totam vitam interiorem. Rursus. Vita interior consistit in unione animæ cum Deo. Atqui hujusmodi unio consistit in exercitio virtutum theologicarum; scilicet fidei, spei, & caritatis. Ergo vita interior stare nequit sine exercitio virtutum theologicarum fidei, spei, & caritatis.

Impugnatur I. secunda pars dictæ Propositionis, in qua habetur, quod purus amor evadat principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt. Siquidem, si vera esset hæc doctrina, destrueretur virtutum cæterarum distinctio: quia, cessantibus finibus, seu motivis peculiaribus & immediatis earumdem, etiam virtutum distinctionem destrui necesse est. Hoc autem dici nequit: habetur enim ex Concilio Tridentino sess. 14. de Pœnit. cap. 4. contritionem, ex turpitudinis peccati consideratione conceptam, distingui ab ea quæ caritate perficitur. Caritas quidem alias virtutes animat, imperatque: non tamen est qualibet virtus; nec opponitur peculiaribus & immediatis earum motivis, in quibus suam specialem bonitatem habent, & a quibus virtutes suam specificationem accipiunt. Ergo purus amor non evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt.

Impugnatur II. auctoritate S. Thomæ, qui 1. 2. quæst. 62. art. 1. arg. *Sed cont.* ita scribit: *Præcepta legis sunt de actibus virtutum. Sed de actibus fidei, spei, & caritatis dantur præcepta in lege divina. Dicitur enim Eccli. 2.* „ Qui timetis Deum; credite illi. “ *Item:* „ Sperate in „ illum. “ *item:* “ Diligite illum. “ *Ergo fides, spes, & caritas sunt virtutes in Deum ordinantes: sunt ergo theologicæ.* Atqui dictæ virtutes sunt inter se distinctæ: quia habent objectum formale distinctum, & constituunt totam vitam interiorem. Ergo purus amor ipse solus non constituit totam vitam interiorem; proinde ipse solus non est unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt. Præterea idem S. Doctor ibid. art. 2. ad 3. inquit: *Omnis affectionis radix, & principium est amor. Si autem intelligatur de amore caritatis; non datur per hoc intelligi, quod qualibet alia virtus essentialiter sit caritas: sed quod omnes aliæ virtutes aliqualiter a caritate dependeant.* Sed si unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt, sola esset caritas, vel purus amor: jam caritas non distingueretur ab aliis virtutibus; & qualibet alia virtus essentialiter foret caritas. Ergo purus amor ipse solus non constituit totam vitam interiorem, nec evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati & meritorii sunt.

Confirmatur I. quia S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 5. probat, quod caritas est virtus distincta ab omnibus aliis; licet excellentissima virtutum omnium sit, ut ibid. art. 6. docet idem Angelicus. Ergo caritas non potest esse unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati sunt ac meritorii: cum unusquisque habeat proprium principium & proprium motivum specificum sui ipsius; ut docet S. Thomas ibid. quæst. 62. art. 2.

Confirmatur II. quia idem S. Thomas 2. 2. quæst. 23. art. 8. ad 1. scribit: *Videtur quod caritas non sit forma virtutum. Forma enim alicujus rei vel est exemplaris, vel essentialis. Sed caritas non est forma exemplaris aliarum virtutum: quia sic oporteret, quod aliæ virtutes essent ejusdem speciei cum ipsa. Similiter etiam non est forma essentialis aliarum virtutum: quia non distingueretur ab aliis. Ad quod dicendum, quod caritas dicitur esse forma aliarum virtutum non quidem exemplariter, aut essentialiter; sed magis effective: inquantum scilicet omnibus formam imponit, secundum modum prædictum.* Ex quibus habes, caritatem nec exemplariter, nec essentialiter constituere alias virtutes. Ergo dici nequit, quod caritas, sive amor purus ipse solus sit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati sunt ac meritorii.

Impugnatur II. dictæ Propositionis secunda pars ex Articulo XIII. Issiacensis, cui subscripsit Archiepiscopus Cameracensis; in quo ita definitum habes: *In vita, & oratione perfectissima actus aliarum virtutum uniuntur in caritate; quatenus omnes virtutes animat, & earum exercitium imperat, juxta quod Paulus dicit:* „ Caritas omnia „ suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. “ *Idem dici potest de quibusvis aliis actibus Christianis, quorum exercitia distincta dirigit, sive regulat, ac præscribit caritas; quamquam illi actus non sunt semper sensibili & distincta ratione perspecti.* Quomodo igitur asserit Cameracensis, quod purus amor, sive caritas sola evadat unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati sunt ac meritorii?

Nec valet responsio Cameracensis; quod omnes actus aliarum virtutum implicite, & eminenter in caritate habeantur: quia hoc idem rejicitur in Articulo XXI. ubi sic habes. *Redigere actus virtutum ad actus implicitos, sive eminentes in gratiam perfectarum animarum, eo obtentu, quod eos amor Dei certo quodam modo contineat; nihil aliud est, quam eorumdem actuum eliciendorum obligationem eludere, eorumque distinctionem a Deo revelatam tollere.*

Dices. Apostolus I. ad Corinth. 13. vers. 7. his verbis caritatem describit: *Caritas omnia suffert, omnia credit, omnia sustinet.* Ad caritatem ergo cæterarum virtutum actus, operantur, atque ipsa est unicum principium omnium actuum, qui deliberati sunt ac meritorii.

Respondeo cum D. Thoma 2. 2. quæst. 23. art. 4. ad 2. ubi eisdem Apostoli verbis sibi objectis ita respondet. *Dicendum, quod caritas ponitur in definitione omnis virtutis, non quia sit essentialiter omnis virtus; sed quia dependent ab ea aliqualiter omnes virtutes.*

F I N I S.



NOI

NOI RIFORMATORI

dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del *P. F. Filippo Rosa Lanzi* Inquisitore del S. Officio di Venezia nel Libro MS. intitolato: *Theologia Historico-Mystica adversus veteres & novos Pseudo-Mysticos, quorum Historia texitur, & Errores Confutantur, Auctore Nicolao Terzago Episcopo Narniensi:* Non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a *Simone Occhi Stampatore di Venezia*, che possa esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 6. Giugno 1763.

(*Sebastian Zustinian Ref*
(*Polo Renier Ref.*
(*Alvise Valeresso Ref.*



Registrato in Libro a cart. 169. al N. 904.

Davide Marchesini Segr.



